B.32

Digitized by Google

Digitized by Google

EXPOSITIO
JURIS PONTIFICII
JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM
IN DUAS PARTES DISTRIBUTA,

AUCTORE
UBALDO GIRALDI
A SANCTO CAJETANO
Clericorum Regularium Scholarum Piarum,
APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,
ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

PARS PRIMA.



ROMÆ, MDCCLXIX.
EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI
In Via Cursus

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Priore parte continentur Variationes Decretalium Gregorii IX, Sexti, Clementinarum, & Extravagantium, *ſervato ordine Librorum, & Titulorum, quibus eædem Variationes acceſſerunt.*

Poſteriore parte continentur Conſtitutionum Apoſtolicarum Summæ, *ad Concilii Tridentini Decreta ſpectantium, ſervato pariter ordine Seſſionum, & Capitulorum ejuſdem Concilii.*

JOSEPH MARIA A S. JOANNE BAPTISTA

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUm Librum, cui Titulus: EXPOSITIO JURIS PONTIFCII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM, Auctore Ubaldo Giraldi a S. Cajetano, Ordinis noſtri Sacerdote, Apoſtolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Eccleſiaſtici Rectore, duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, ac probaverint; ipſius edendi facultatem, quantum in nobis eſt, Auctori concedimus.

Datum Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum, apud S. Pantaleonem die 7. Auguſti 1767.

Joſeph Maria a S. Joanne Baptiſta, Præpoſ. Generalis.

Reg. fol. 121.

Loco ✠ Sigilli.

Theodoſius a S. Anna, Secretarius.

APPROBATIONES.

OPus, cui Titulus: *Expoſitio Juris Pontificii, juxta recentiorem Eccleſiæ diſciplinam*, attente perlegi, nec in eo quidpiam offendi, quod ejus editionem remorari poſſe videatur: immo, cum magna in ipſo eluceat eruditio, & ſingulæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ immutationes, quæ in Juriſprudentia Sacra paſſim occurrunt, gradatim, & dilucide exponantur, ſummo labore collectæ, tam ex Concilio Tridentino, quam ex Conſtitutionibus Pontificum, qui nonnulla, licet a Prædeceſſoribus rationabiliter ordinata, tamen, ſuadente utilitate, vel revocare, vel in melius commutare conſueverunt, Typis digniſſimum cenſeo, ſi Reverendiſſimo P. Sac. Pal. Magiſtro videbitur; ut ex hoc Opere Reſpublica literaria ſub oculos habeat noviſſimi Juris regulas, ſive in Judicando, ſive conſulendo, aut docendo, tuto ſectandas, ſemperque magis celebret nomen Auctoris, rem palam exhibentis, a nemine hactenus pertractatam, deſiderandam tamen, & admirandam cunctis. Romæ hac die 12. Maii 1768.

Darius Guicciardi, in Sapientiæ Archigymnaſio J. U. Profeſſor Publ.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Sac. Palat. Apoſtol. Magiſtri, qua potui diligentia, perlegi Opus quod inſcribitur = EXPOSITIO JURIS PONTIFICII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM IN DUAS PARTES DISTRIBUTA, Auctore *Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Cler. Reg. Scholar. Piarum, Apoſtolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Eccleſiaſtici Rectore* = Nilque in eo deprehendi, quod vel Fidei Dogmatibus, vel Regulis morum adverſetur. De utilitate vero hujus Operis, non eſt quod diſſeram. Hic porro quadrat quod ſcripſit Ulpianus *lib.* 10. *ad Edict.* relatus *in leg.* 1. *D. de In integr. reſtitut.*: *Utilitas hujus Tituli non eget commendatione; ipſe enim ſe oſtendit*: Auctor igitur ſum, ut Opus hocce bono publico quamcitiſſime typis committatur. Romæ die 3. Menſis Octobris 1768.

Franciſcus Mazzei, in Romana Curia Advocatus.

EXPOSITIO JURIS PONTIFICII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM, Auctore *Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Cler. Regul. Scholarum Piarum, Apoſtolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Eccleſiaſtici Rectore*. Magni laboris opus, & omni commendatione digniſſimum, quod hactenus nemo Canoniſtarum aggreſſus eſt; amplum ego dixerim promptuarium, ex quo boni quique Sacri Juris cultores utiliſſimæ eruditionis copiam ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ formam cognoſcendam, uti eſt hodie in catholico Orbe publica auctoritate recepta, habere facillime queant. Verum ad hanc novam, tantamque diſperſorum, abditorumque documentorum collectionem abſolvendam neceſſe habuit *Giraldus* noſter, Vir clarus, & multa cumprimis ſapientiæ laude, ac judicii gravitate notiſſimus, innumera propemodum, tum edita, tum inedita monumenta, quæ in Romanis Bibliothecis, ſanctioribuſque Tabulariis latebant, perſcrutari.

Itaque priora illa omnia Summorum Pontificum Reſponſa, & Conciliorum ſtatuta in Libris DECRETALIUM vulgata, non una innixus fide, & commentatione Interpretum (quos fere omnes conſuluit,) ſed ſuopte ingenio ſingula meditatus, expendit; eaque ſubinde cum poſterioribus, & Apoſtolicæ Sedis, & Synodorum decretis, & Sacrarum Congregationum conſultationibus, & aliis id genus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Inſtitutis diligentiſſime conferens, quidquid veteri diſciplinæ, aut ſublatum, aut additum, aut temperatum eſt, & in uſum noſtrum ex ea deductum, perpetuis obſervationibus accurate oſtendit. Idque totum in prima hujus Operis parte perfecit. In altera vero quicquid novi acceſſit ad ea pariter diſciplinæ capita, quæ a Tridentinis Patribus ſtabilita fuere, ex Apoſtolicis Conſtitutionibus poſt tempora celebratæ Synodi promulgatis, iiſque ſummatim additis, ac tam apte præterea collocatis, ut ubi facta ſit additio, ſub oculos ſtatim veniat, ſcite admodum, & ad argumenti naturam accomodatiſſime docuit.

Siqua interea in canonicis Decretis loca erant, quæ variis Interpretum diſſidiis vexata in periculoſam illam opinandi, agendique licentiam, quam magno cum ethices chriſtianæ luctu in mores noſtros nimia hominum facilitas & indulgentia ſeculo ſuperiori invexit, diſtrahi intelligeret, ea ad ſanæ doctrinæ partes, tutamque ſentiendi viam, a ſummis ipſis Canonum Conditoribus præmonſtratam, prudentiſſime revocavit.

Vix credo, futurum quemquam adeo rudem, & imperitum, qui quum ſemel VARIATIONES DECRETALIUM audiverit, quaſi ingrata quadam inſolentia, ac novitate nominis offendatur. Nam ſi is erit uſpiam, audiat neceſſe eſt Innocentii III. oraculum in IV. *Decretal.* Tit. XIV. Cap. VIII. *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo.* Quæ quidem Pontifex Max. didicerat ex SS. Parentis Auguſtini Libris, præſertim vero ex Ep. ad Marcellin., ubi ea ſententia eſt = *Doctrina conſtans, mutato præcepto, non mutata, mutavit inſtructionem. Neque verum eſt quod dicitur: Semel recte factum non eſſe mutandum: mutata quippe temporis cauſa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque poſtulat, ut cum ipſi (adverſarii) dicant, recte non fieri, ſi mutetur, contra veritas clamet, recte non fieri, niſi mutetur: quia utrumque tunc erit rectum, ſi erit pro temporum varietate diverſum* =

Cæterum, poſtquam ego, jubente *Reverendiſſimo P. Sac. Pal. Apoſtol. Magiſtro Thoma Auguſtino Ricchinio*, Giraldi noſtri ſcripta attente legi, et obſervavi, præter unum illum ſcrupulum, homine ſapiente indignum, nihil in iis offendi a Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ pietatis legibus devium, ſed omnia deprehendi Sacris Canonibus conſona, & ad Eccleſiaſticæ Politiæ ſanctitatem, ipſiuſque Apoſtolicæ Sedis dignitatem, ac Principatum commendandum mirifice conducentia. Sic itaque de hoc Opere judico. Dignum eſt quod pubblica luce, & approbatione donetur.

Romæ ex Ædibus S. Auguſtini V. Id. Septemb. An. 1768.

F. Auguſtinus Antonius Georgi Ord. Erem. S. P. Auguſt. Procurator Gener. Apoſtolicus Cleri Rom. Examinator. Publ. in Sap. Archigymn. Script. Profeſſor, & S. R. C. Conſult.

Quod

Quod erat optandum, & jampridem a pluribus Juris Canonici ſtudioſis ſummopere expetebatur; ut in tanta ſcilicet Legum Canonicarum copia, & varietate, aliquis in hac facultate peritiſſimus ea Jura diſtingueret, & quaſi digito indicaret, quæ vel in deſuetudinem abierunt; vel per aliquam Pontificiam Conſtitutionem, ſeu per Decretum aliquod Generalis Concilii poſtmodum editum, aut limitata, aut correcta, aliove aliquo pacto mutata fuere: ſcitiſſime aggreſſus eſt, fauſtoque exitu peragere ſtuduit Vir Clariſſimus, ac in literaria Republica jam optime meritus Giraldus, in bipartito hoc novo Opere, inſcripto: Expositio Juris Pontificii juxta recentiorem Ecclesiæ Disciplinam, in duas Partes diſtributa, Auctore *Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Cleric. Regular. Scholarum Piarum, Apoſtolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Eccleſiaſtici Rectore*. Enim vero indefeſſo ſtudio, feliciquе labore cuncta rimatus, quæ ad rem conferunt, omnia vere pulchra, vere nitida, recentique Eccleſiaſticæ praxi vere conformia profert de theſauro nova, & vetera. Tantum proinde abeſt, ut in eo quidquam reperiatur, quod vel Fidei Catholicæ, vel bonis moribus, vel alteri ex iis legibus, quæ hac in re ſervandæ ſunt, vel in minimo diſcordet; ut poſt ſedulam, repetitamque ejuſdem lectionem, adamuſſim eas omnes ſervari, idemque Opus eſſe plurimum commendabile, ſtudioſis Juris Canonici nedum utile, ſed quaſi neceſſarium, ac propterea publica luce digniſſimum cenſeam.

Ita humillime obſequens Reverendiſſimo Patri Sac. Palat. Apoſtol. Magiſtro, Thomæ Auguſtino Ricchinio, ex Collegio SS. Blaſii & Caroli, V. Non. Octob. 1768.

Don. Placidus Rambaldi Congregationis Cleric. Regul. S. Pauli Generalis Aſſiſtens &c.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Patriarch. Antiochen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thom. Auguſtin. Ricchinius Ord. Prædicator. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſt.

JURIS

JURIS ECCLESIASTICI
STUDIOSIS

S. P. D.

FRANCISCUS MAZZEI J. C.

Et in Romana Curia Advocatus.

ERRARI, & quidem ſæpiſſime ſub Juris auctoritate poſſe monuerunt & ipſi Romani Juriſconſulti. *Plerumque*, ex Celſo adoleſcente inquit Paulus in L. 91. §. 3. D. de Verbor. Obligation. *ſub auctoritate juris pernicioſe erratur*. Id meo judicio tum maxime accidit, cum Legibus quis innititur, quæ rogatæ licet olim fuerint, viguerintque, mutatæ tamen poſtmodum fuere. Leges porro mutare haud expedit. At ſi, vel urgens neceſſitas, vel evidens utilitas expoſcat, mutandæ eæ ſunt. *In rebus novis conſtituendis*, ait Ulpianus in L. 2. D. de Conſtit. Princip. *evidens utilitas eſſe debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt*.

In eundem incidit errorem & qui utitur Legibus, quæ tametſi mutatæ haud ſint aliis Legibus poſtea latis; tamen contrario, eoque diuturno uſu vim ſuam amiſerunt. *Ea vero*, verba ſunt Imperatoris Juſtiniani in §. 11. Inſtitut. de Jure naturali Gent. & civil. *quæ ipſa ſibi quæque Civitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent, vel tacito conſenſu Populi, vel alia Lege poſtea lata*. Et utrique huic fato obnoxiæ ſunt tum civiles, tum eccleſiaſticæ Leges.

Digitized by Google

Ad Jus Romanum quod attinet, ut error hic evitari poſſet, id ſibi plures negocii dedere, ut quid in regionibus, ubi ſcribebant, novis Legibus erat mutatum, vel uſu contrario jam deſierat, memoriæ, & literis mandarent. Quantum ad Belgium, id præ cæteris præſtiterunt Simon a Gronowegen *in Legibus abrogatis, & in Hollandia inuſitatis*, Simon Van Leuwen *in Cenſura forenſi Theoretico-practica*, & Cyprianus Regnerus ab Ooſterga *in Cenſura Belgica ad Pandectas, Inſtitutiones, tum novellas Conſtitutiones*. Pro Germania laborem hunc ſuſceperunt Joannes Schilterus *in Praxi Juris Romani in foro Germanico*, Samuel Stryk *in Uſu moderno Pandectarum*, aliiſque omiſſis, Chriſtianus Thomaſius *in Notis ad ſingulos Inſtitutionum, & Pandectarum Titulos*. Et de eo, qui in Gallia ſupereſt uſu Juris Romani, egerunt Bernardus Autumnus in *Cenſura Gallica ad jus Romanum*, Philibertus Bugnyon *in Legibus abrogatis, & inuſitatis in omnibus Curiis, Terris, Juriſdictionibus, & Dominiis Regni Franciæ*, & ut alios taceam, Claudius de Ferriere in duobus hiſce operibus *La Juriſprudence du Digeſte conferée avec les Ordonances rojaux, les coutumes de France: La Juriſprudence de Code de Juſtinian conferée avec les Ordonances rojaux, & les Deciſions des Cours Souveraines*.

Ad vitandum in Jure Eccleſiaſtico hunc ipſum pernicioſum errorem optandum erat, ut Vir aliquis doctus de eccleſiaſticarum Legum mutationibus, earumque ex contrario uſu ceſſatione, ex profeſſo quoque tractaret. Ille, quem modo memoravi, Cyprianus Regnerus ab Ooſterga *in Cenſura Belgica, ſeu novis notis, & animadverſionibus ad omnes, & ſingulos Canones, qui in toto Juris Canonici corpore continentur*, tale quid videtur pollicitus. Sed acatholicus hic Auctor in id potiſſimum incubuit, ut ſanctiores Eccleſiæ Canones carperet, ac ſugillaret. Franciſcus Zypæus *in Juris Pontificii novi analityca narratione* aliquot utique attulit eccleſiaſticarum Legum mutationes, ſed eas tantum, quæ a Concilio Tridentino, pauciſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus factæ erant.

Labor

Labor hic adeo improbus reſervatus erat *Ubaldo Giraldo a S. Cajetano*, ex Familia Clericorum Regularium Scholarum Piarum, viro natura ipſa ad ardua ſtudia facto. Specimen hujuſce Operis dedit clariſſimus hic Scriptor, & de eccleſiaſtica Juriſprudentia optime meritus in additionibus illis, quibus Canonicas Remigii Maſchat, eadem ex Familia, Inſtitutiones mirifice illuſtravit. Sed operi magno, & nunquam ſatis pro merito commendato manus poſtmodum admovit, exhibetque in his, quæ bono publico typis nunc evulgat Voluminibus ſub titulo: EXPOSITIO JURIS PONTIFICII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM, IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

Celeberrimus hic Auctor ordinem ſequutus eſt Librorum, Titulorum, & Capitum corporis Juris Pontificii Gregorii IX. & quidquid mutationis accidit, vel ex Decretalibus, quæ continentur in altero JURIS PONTIFICII corpore, Bonifacii VIII. vel ex Conſtitutionibus, Clementinis nuncupatis, vel ex Conſtitutionibus illis, dictis Extravagantibus, vel ex Sanctionibus poſteriorum Conciliorum, vel ex quibuſcumque Summorum Pontificum Conſtitutionibus ad noſtram uſque ætatem, mira attulit perſpicuitate. Et quia lex mutari poteſt vel plane, & omnino, quæ mutationis ſpecies abrogatio dicitur, vel pro parte ſolum, quæ vocatur derogatio, *L.* 102. *D. de Verbor. ſignificat.* unam ab altera mutatione accuratiſſime diſtinxit. In eo præterea totus fuit, ut Eccleſiaſticas Leges, quæ ex uſu contrario non amplius obligant, notaret diligenter. Neque ad laudem, & commendationem hujus Operis non illud etiam eſſe magnum, & præcipuum arbitror, omnes quæ occurrerunt quæſtiones, quamlibet abſtruſas, & impeditas agitaſſe, atque reſolviſſe.

Hic vero haud ſubſtitit. Summas quoque omnium Pontificiarum Conſtitutionum, ad Tridentinum Concilium ſpectantium, ordine ejus ſervato, ſuo unamquamque loco inſeruit.

Opus hoc adeo laborioſum, quamvis a pluribus numero Viris doctis, & in rebus Eccleſiaſticis potiſſime verſatis elucubratum, collatis ſtudiis, eſſet; omnium tamen admira-

tio-

tionem in ſe concitaret. Sed, quod omnem videtur excedere fidem, *unus Giraldus*, annis licet provectus, quotidie fere adverſa correptus valetudine, aliiſque diſtentus negociis, tantum opus compoſuit, & quidem bene adeo, & præclare, ut nemo magis. Dignus ſane qui præmiis afficiatur.

Ecqua vero hoc ex Opere Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ acceſſerit utilitas, non eſt quod multis dicam. Omnes ſtatim intelligunt, evitari hodie facile poſſe eos, in quos quiſque labi poterat errores ex ignoratione mutationis Legum Eccleſiaſticarum, tum earum ex contrario uſu ceſſationis. Grates igitur de tanto beneficio illuſtri Auctori reddite, tum ejus favete conatibus. Atque hæc erant, quæ vos præmonitos volebam. Valete.

AUCTORIS MONITA
AD LECTOREM.

I. MEMINERIS fortaſſe, Lector, me tibi ſpopondiſſe quamprimum evulgaturum ſupplementum Variationum Decretalium, quæ deſiderabantur in meis Additamentis ad Inſtitutiones Canonicas Remigii Maſchat, Romæ Typis editas uſque ab anno 1757. Verum ex eo tempore cogitaveram, rem me tibi gratiorem facturum, ſi ejus loco integrum hoc Opus, eaſdem Variationes, & alias longe plures complectens, exhiberem, ex quibus pleniorem notionem hodierni, receptique, quo vivimus, Juris, haurire poſſes.

II. Nec mihi vitio vertes, ſi aliæ quamplurimæ in eo me fugerint, cum recte intelligas, in tanta rerum varietate vix cuiquam integrum eſſe omnes referre. Non tamen deerit qui latiorem ad alias, a me præ ætate octogenariæ proxima omiſſas, tibi viam ſternat.

III. Ne vero, cum tam magnum hic Variationum, atque Acceſſionum numerum legeris, certum quoddam novitatis nomen te offendet, ſi quid cauſæ fuerit, audieris ex oraculo Innocentii III. expreſſo in ejus Decretali, edita in Concilio Generali Lateranenſi IV. ac relata in Cap. VIII. *Non debet, de conſanguinit. & affinit.* cujus verba jam tranſcripta habes in Approbatione Reverendiſſimi P. Magiſtri Georgi: itidem Bonifacii VIII. in Cap. XXIV. *Alma mater, de Sentent. excommunic. in VI. Alma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & conſulte, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate poſtmodum conſultius, ac rationabilius revocat, in meliuſve commutat.* Addas etiam, ſi velis, *conformia* horum Pontificum oraculo aurea ſenſa clariſſimi Cardinalis Pinelli, his verbis expreſſa in Præfatione ad VII. Decretalium Clementis VIII. „ Ea eſt humanarum actionum varietas, & multitudo, ut varium „ ſemper, ac multiplex Juriſprudentiæ ſuppeditet argumentum. Atque hinc ſane in noſtro Pontificio jure, (ut de Cæſareo ſileam) ingens illa exiſtit Decretorum veluti ſylva, „ atque Conſtitutionum moles. Dum enim pro rerum incidentium uſu; ac temporum opportunitate, adde etiam pro morum, ac negociorum varietate, alia Decreta ſanciuntur, „ emendantur alia, multa etiam, aut explentur, aut declarantur, quædam etiam abrogantur interdum, atque tolluntur, haud ſane fieri potuit, quin hujuſmodi Decretorum moles mirifice excreſceret, ſive diſſimilitudo, aut varietas appareret. Verum, etſi id totum „ rerum, ac temporum varietati, quin hominum etiam, ac morum inconſtantiæ, ſed negociorum inprimis novitati, ipſi denique neceſſitati ſit tribuendum, nemo tamen, qui „ recte ſentiat, illud unquam inficiabitur; nimirum Majores noſtros in hac Conſtitutionum „ ſeu multitudine, ſeu varietate, nihil aliud ſpectaſſe unquam, quam ſolidam mortalium „ utilitatem, eoque ſemper cogitationem intendiſſe, ut Chriſtiana Reſpublica recte gubernetur, fideleſque ipſi ad ſalutis portum dirigantur „.

IV. Plures Decretales hic leges, non ut referuntur ſcriptæ, vel reſcriptæ in vulgato Codice, quo in ſcholis utimur, ſed in collectione Emanuelis Gonzalez Tellez.

V. Perfectum ſpecimen Operis habes ex Præfatione clariſſimi Viri Franciſci Mazzei, in Romana Curia Advocati primarii, & Cenſorum Approbationibus. Si quid commodi ex eo ad tua ſtudia derivare poſſe videas, utere; ſin minus, hunc meum laborem benigno excipias animo.

VI. Interim omnia mea ſenſa, ſi quid in iis pro humanæ mentis imbecillitate erratum ſit, Salomonis monito edoctus *Proverbior. cap. III.* neminem inniti debere prudentiæ ſuæ, quod repetitum lego a D. Hieronymo in Cap. V. *Ne innitaris de Conſtitutionib.* Sanctæ Romanæ Sedis judicio humiliter, demiſſeque ſubjicio.

VII. Elenchos Titulorum, ac Decretalium, quibus variationes acceſſerunt, leges in fine primæ hujus Partis.

PARS PRIMA

P A R S P R I M A

In qua continentur Variationes Decretalium Gregorii IX. Sexti, Clementinarum, & Extravagantium, ſervato ordine Librorum, & Titulorum, quibus eædem Variationes acceſſerunt.

EX LIBRO I. DECRETALIUM

TITULO PRIMO

DE SUMMA TRINITATE

S E C T I O I.

Caput I. Firmiter *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato Anno* 1215.

§.I. FIRMITER credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre ſolo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: abſque initio ſemper, ac ſine fine: Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens: conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: unum univerſorum principium: creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem: Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam. Diabolus enim, & alii dæmones a Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo vero diaboli ſuggeſtione peccavit. Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, & ſecundum perſonales proprietates diſcreta, primo per Moyſen, & Sanctos Prophetas, alioſque famulos ſuos juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem.

§.II. Et tandem Unigenitus Dei filius Jeſus Chriſtus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria ſemper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compoſitus, una in duabus naturis perſona, viam vitæ manifeſtius demonſtravit, qui cum ſecundum divinitatem ſit immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt mortalis, & paſſibilis. Qui etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cœlum, ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque: venturus in fine ſæculi, judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

§.III. Una vero eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua idem ipſe Sacedos eſt Sacrificium Jeſus Chriſtus: cujus corpus, & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina: ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus, ſecundum Claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.

§.IV. Sacramentum vero Baptiſmi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, conſecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Eccleſiæ, a quocumque rite collatum, proficit ad ſalutem; & ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.

§.V. Non ſolum autem virgines, & continentes, verum etiam conjugati per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

AD ſartam tectam eo magis ſervandam Fidei doctrinam circa myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, in I. §. hujuſce Decretalis expreſſam, acceſſit altera Decretalis ejuſdem Innocentii III. edita in dicto generali Concilio, & relata in cap. 2. *Damnamus hoc eod. tit.* quæ licet videatur præcedentis Decretalis continuatio, major tamen eſt præfati myſterii confirmatio. Cum enim Petrus Lombardus, ſententiarum Magiſter, docuiſſet *lib. 1. ſent. diſt. 5.* dari in Divinis unam ſummam rem, quæ eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unam ſcilicet, eamdemque numero naturam, tribus Divinis Perſonis communem: Abbas Joachim, Florenſis monaſterii prope Coſentiam in Calabria inſtitutor, hanc doctrinam cenſura notavit, quod non tam trinitatem, quam quaternitatem in Deo adſtrueret, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam; manifeſte proteſtans, quod nulla res eſt, quæ ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ac tres Divinas Perſonas eſſe quidem unam eſſentiam, unam ſubſtantiam, & unam naturam; at non unitate vera, & propria, ſed ſimilitudinaria, & collectiva, ſicuti multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles una Eccleſia. Verum Innocentius hic ſimul cum generali Concilio in omnibus approbat, confirmat, veramque declarat dictam Petri doctrinam; ſententiam vero præfati Joachim, ejuſque libellum, ipſam continentem, condemnat, reprobat, ſolideque confutat; inſuper mandans, ut ſi quis in hac parte illam defendere, vel approbare præſumpſerit, tamquam hæreticus ab omnibus evitetur. Non damnat tamen ejus Auctorem, qui cæteroquin fuiſſe dicitur vir pientiſſimus, ac Papebrochii in Actis Sanctorum ad diem 20. Maii, aliorumque teſtimonio, miraculorum, & prophetiæ gloria illuſtris; nec Florenſi monaſterio vult Pontifex per hoc in aliquo derogari: quantum enim attinet ad Auctoris perſonam, ipſemet Joachim omnia ſua ſcripta judicio, & cenſuræ Sanctæ Sedis conſignari mandaverat; quod juxta Vincentium Petra tom. 1. ad *Conſtit. III Innocen. II. ſect. unic. num. 29.* ſufficit, ne alii ejuſdem libri proſcripti intelligantur. Et quantum ad monaſterium, textus inquit, quod ibi regularis erat inſtitutio, & obſervantia ſalutaris.

Ibidem reprobat Innocentius III. pariterque condemnat, perverſiſſimum dogma impii Almarici, de quo laudatus Petra plura compendioſe tradit *tom. 2. ad Conſt. XI. ejuſdem Innoc. n. 4.* ac Fagn. adhoc idem *cap. n. 28.*

Quæ poſtea de Unigenito Dei Filio Jeſu Chriſto expoſita fuere in tranſcripto §. II. fuſſum quoque eſt generale Concilium Viennenſe in Gallia ſub Clemente V. ut ex *Clement. unic. hoc tit.* cujus aliqua infra tangam, relativa ad Baptiſmum. Et de Spiritu Sancto Gregorius X. una cum generali Concilio Lugdunenſi fatetur *cap. un. tit. eodem in VI. quod æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex uno principio: non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit*, damnans, ac reprobans eos omnes, qui aliquam ex his veritatibus negare præſumpſerint. Concinit hiſce omnibus Concilium Florentinum in decreto Unionis.

Illis acceſſit Conſtitutio Pauli IV. *Cum quorumdam 7. Auguſti* 1555. in qua declarantur hæretici aſſerentes, Deum Omnipotentem non eſſe Trinum in perſonis, & incompoſita, omnino indiviſaque unitate ſubſtantiæ, & unum una met ſimplicis divinitatis eſſentia: Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non eſſe verum Deum ejuſdem ſubſtantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto; eumdem ſecundum carnem non eſſe conceptum in utero Beatiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, ſed ſicut cæteros homines ex ſemine Joſeph: eumdem Dominum, ac Deum noſtrum Jeſum Chriſtum non ſubiiſſe acerbiſſimam Crucis mortem, ut nos a peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret: eamdem Beatiſſimam Virginem Mariam non eſſe veram Dei Matrem, nec periſtiſſe ſemper in virginitatis integritate, ante partum ſcilicet, in partu, & perpetuo poſt partum.

Quam Conſtitutionem innovavit Clemens VIII. Conſtit. *Dominici gregis 3. Februarii* 1603. Acceſſit præterea damnatio ſequentis Propoſitionis contra integritatem virginitatis ejuſdem Virginis, la 24. in ordine inter proſcriptas ab Alexandro VIII. 7. Decembr. 1690.

Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundum verba legis.

Notandum hic obiter, quod uſque a primis Eccleſiæ ſæculis hæretici habiti ſunt, qui temere ſomniarunt fabulam carnalis commercii S. Joſephi cum Beata Virgine poſt Chriſtum natum, ex eoque alios filios peperiſſe.

Tales fuerunt Antidicomaritæ, & Helvidiani, ab Helvidio dicti, qui propterea damnatus jam fuerat in Concilio Theleſino, a Siricio Papa approbato, ut ex S. Epiphanio Hæreſ. 78. & Auguſtino *lib. de hæreſ. cap. 56. & 84.* ac Melchiore Cano *lib. 5. de loc. Theol. capit. IV. concluſ. 5.*

Tales etiam fuerunt Bonoſiani, ſic vocati a Bonoſo, Epiſcopo in Macedonia, quem idem aſſerentem damnavit Concilium Capoanum circa an. 389. ut videre eſt apud Auctorem Epiſtolæ, in qua hac de re agitur, D. Ambroſio erronee tributæ, cum ſit, aut Siricii juxta

Ju-

Google

Lucam Holſtenium, aut Damaſi Papæ juxta Jacobum Almainum, Thomam Cajetanum, alioſque, & potiſſimum Monachos Maurinos in editione Operum Sancti Ambroſii.

Talis fuit etiam Jovinianus, annumeratus inter hæreticos IV. ſæculi, de quo refert S. Auguſtinus *de hæreſ. cap.* 82. quod — Virginitatem Mariæ deſtruxerit, dicens, eam, pariendo, fuiſſe corruptam —.

Tales fuerunt Carpogratiani, & Photiniani, a Photino Gallogræcæ Syrmi Epiſcopo nuncupati, qui Ebionitarum hæreſim ſuſcitans, aſſeruit, Chriſtum a Maria per Joſephum nuptiali coitu fuiſſe conceptum.

Contra hos omnes impios aſſertores, ut obviam iret univerſa catholica Eccleſia in Symbolo Apoſtolico, per antonomaſiam, & excellentiam Chriſti Matrem, publica proteſtatione Virginem confeſſa eſt, & appellavit. Quod quidem nomen adeo ſingulare, ſemper præſetulit puriſſimam illius virginitatem ante partum, in partu, & poſt partum.

Quoad doctrinam vero contentam in §. III. quod ſcilicet una ſit Fidelium univerſalis Eccleſia, conſonat Extravagans Bonif. VIII. *Unam Sanctam* relata in *c. 1. de Majorit. & obed. inter communes*, in qua hoc Fidei dogma ita expreſſum legitur — *Unam Sanctam Eccleſiam catholicam, & ipſam Apoſtolicam urgente fide credere cogimur, & tenere, noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur.* — Conſonat quoque Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum iis verbis — *Et unam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam* — quæ quidem conſtat non ſolis prædeſtinatis, & juſtis, ut male aſſerunt Novatores, verum etiam præſcitis, & peccatoribus, ut ea damnatione facta a Concilio Conſtantienſi ſequentis Propoſitionis Joannis Hus — *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, licet aliquando ſint in gratia ſecundum præſentem juſtitiam* — ac ex proſcriptione aliarum quamplurium Propoſitionum, potiſſimum la 72. & 77. in ordine inter proſcriptas a Clem. XI. in Conſtit. *Unigenitus* — *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi* — *Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti; ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite* —

Quod autem nullus ſalvetur extra univerſalem hanc Fidelium Eccleſiam pariter firmatur in cit. Extravag. *Unam Sanctam*, ſiquidem Bonifacius poſt ſupra relata verba, immediate proſequitur — *extra quam nec ſalus eſt nec remiſſio peccatorum* — eamdemque inquit fuiſſe præfiguratam per Arcam Noe, extra quam diluvii tempore omnia ſubſiſtentia ſuper terram legimus fuiſſe deleta.

Demum circa converſionem totius ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, acceſſerunt ſequentes canones Concilii Tridentini, anathematizantis contrarium ſentientes *ſeſſ. 13. de Sacramento Euchariſtiæ*.

Can. I. Si quis negaverit, in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit, tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute: anathema ſit.

Can. II. Si quis dixerit, in Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, una cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini: quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

Can. III. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub una quaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.

Can. IV. Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini: anathema ſit.

Quoad doctrinam de Sacramento Baptiſmi in §. IV. contentam reſpectu ſalutis conſequendæ a parvulis per Baptiſmum ipſis collatum, acceſſit definitio laudati Tridentini, anathematizantis pariter contrarium aſſerentes, ut in ſequenti *Can. 13. & 14. ſeſſ. 7. de Baptiſmo*.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe; ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare, omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit.

Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere vellnt, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant; anathema ſit.

Reſpectu vero efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ pro reparatione gratiæ per Baptiſmum ſuſceptæ, & per peccatum amiſſæ, acceſſit itidem ejuſdem Tridentini definitio, pari modo anathematizantis contrarium ſentientes, ut in ſeqq. Canon. Seſſ. 6. Can. 29. de Juſtificatione.

Siquis dixerit, eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam juſtitiam recuperare ſine Sacramento Pœnitentiæ, pro ut Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia a Chriſto Domino, & ejus Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit, anathema ſit.

Seſſ. 14. De Sacramento Pœnitentiæ.

Can.I. Si quis dixerit, in catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit.

Can.II. Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.

Altero tandem Fidei dogmate contento in transcripto §.V. conjugatos nempe conſequi poſſe æternam ſalutem æque ac virgines, & continentes, condemnata eſt hæreſis Hierarchitarum, conjugia reprobantium, atque Albigenſium, qui credeotes, matrimonium, non a Chriſto Domino, tamquam vere, & proprie unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis fuiſſe inſtitutum, juxta definitionem Tridentini *Can. 1. de Matrim.* ſed a diabolo, dogmatizabant, conjugatos ad æternam beatitudinem pervenire oon poſſe, oiſi ad continentium ſtatum ſe transferrreot.

Eodem Titulo in Clementinis.

EADEM SECTIO I.

Caput Unicum Fidei Catholicæ, *& Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi celebrato an. 1311. Viennæ in Gallia.*

Fidei Catholicæ ... ad hoc Baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus, ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum, quia quantum ad effectum Baptiſmi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis e contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur quoad habitum, & ſi non pro illo tempore quoad uſum: nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.

Huic declarationi, qood probabilior ſententia ſit, parvulis per Baptiſmum non ſolum culpam remitti; ſed etiam gratiam infundi, acceſſit definitio Tridentini, decernentis, id eſſe de Fide, ut in ſequeotibus textibus. Seſſ. 5. in Decreto de peccato originali.

§.I. Si quis parvulos ..... propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

§.II. Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit.

Seſſ. 6. Cap. 7. de Juſtificatione. Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.

Ex

Ex his itaque tranſcriptis textibus de fide eſt, infundi per Baptiſmum gratiam juſtificantem æque in parvulis, ac in adultis. Reſpectu vero infuſionis habituum fidei, ſpei, & caritatis, Benedictus XIV. relate ad tranſcriptam Clementinam hæc habet *Tom. III. cap. XXI. num. 13. de Beatif. & Canoniz. Sanctor. pag.258. edit. Bononien.* 1737. ibi — ,, De habitibus ,, Virtutum theologicarum, hoc eſt, de fide, ſpe, & ,, caritate, olim quæſtio erat inter theologos, an una ,, cum gratia in Baptiſmo infunderentur: plerique ,, enim ante Innocentium III. exiſtimabant, quod ,, adultis cum Juſtificatione infunderentur habitus Vir- ,, tutum, præſertim theologicarum, licet aliqui ex ,, ſpeciali ratione negarent, tales habitus parvulis in ,, Baptiſmate infundi, veluti deſumitur ex cap. *Ma- ,, jores, de Baptiſmo*, & probat *Suarez.lib.6. de Gra- ,, tia cap.* 8. In Concilio Viennenſi ſub Clemente V. ,, approbata fuit tamquam probabilior ſententia aſtru- ,, ens, tum parvulis, tum adultis gratiam infundi, & ,, virtutes, uti habetur in Clementin. *unic. de Summa ,, Trinitate, & Fide Catholica*: cumque poſtmodum ,, in Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap.7. de Juſtificatione* ,, ſic legatur -*Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione ,, peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo ,, per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, ,, caritatem*, putant nonnulli, probabile admodum ,, eſſe, quod poſt Tridentinum de fide ſit, juſtifica- ,, tis dari habitus infuſos fidei, ſpei, & caritatis: ,, *Suarez. loc. cit.* §. 14. *Vega in Concilium Tridenti- ,, num lib.7. cap.6.*

Hic agendum eſſet de profeſſione fidei, a quibus, & quando ſit emittenda, verum de his inſtituetur ſermo infra. Duo tamen non omittenda videntur.

I. Quod, etſi neceſſarium ſemper non ſit, fidem exterius confiteri, eo quod divinum præceptum hujuſcemodi confeſſionis eſt affirmativum, obligans quidem, ſed non pro ſemper, nec in omni loco; verum, ut ait D. Thomas 2. 2. quæſt.3, art.1. *quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc expoſcit, puta, ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide*; tamen nunquam licitum eſt veram fidem exterius negare; neque falſam Religionem, ſeu infidelem ſectam profiteri, vel etiam ſimulare in circumſtantia, in qua vel nomen aſſumptum, vel veſtis adhibita, vel aliud quodcumque ſignum exterius uſurpatum, habetur pro teſſera, ſeu nota infidelitatis; tunc namque idem eſt tali ſigno uti, ac ſignatam infidelitatem profiteri, ut ſcite oſtendit Benedictus XIV. De Syn. Diœc. lib.3. cap.20. n. 9. & ſeq. optime ſubdens non excuſare in tali caſu a peccato, fidem interius retinere, nec occultandæ catholicitatis, prætextum ad ſalvandam vitam, cum illo in caſu ſit actio Deo indecora, ideoque prohibita per divinum præceptum negativum, obligans ſemper, ac pro ſemper.

II. Quod ſatis non ſit fideli firmiter credere in genere quidquid credit S. Mater Eccleſia. Ut enim refert Auctor Directorii Inquiſitor. par.2. quæſt.10. ac P.Milante Exercit.1 1. ad 1. Propoſitionem damnatam ab Alex. VII. Gregorius XI. confixit, ut hæreticam hanc propoſitionem: *Laicus non tenetur aliquem articulum fidei expreſſe credere, ſed ſufficit ſibi concluſio in genere, quod credat omne illud, quod credit S.Mater Eccleſia Dei*. Requiritur ergo, quod in particulari aliqua credat explicite: & quidem neceſſitate medii, ſaltem quod Deus eſt, ac Remunerator, cum Innocentius XI. damnaverit illam 22. propoſitionem. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Neceſſitate vero præcepti debet explicite credere Deum unum in eſſentia, trinum in Perſonis, ex quibus Verbum caro factum ſit, aliosque communiores fidei articulos juxta tamen capacitatem ſubjecti, ſaltem confuſe, modo rei ſubſtantiam non ignoret. Inſuper frequenter elicere actum fidei, & etiam aliarum virtutum theologicarum, præſertim cum gravis aliqua in contrarium urget tentatio, vel ipſi imminet grave periculum vitæ, ac in vicino mortis agone, ut ſic actu fidei ea omnia confirmet in extremis, quæ primo rationis uſum adeptus per converſionem in Deum cæperat ab infantia profiteri.

Titulus II. De Conſtitutionibus.

S E C T I O I I.

Caput VI. Cum omnes *ex Decretali Innocentii III. Senonenſi Archiepiſcopo, & Trecenſi Epiſcopo ſcripta.*

CUM omnes: (& infra.) Ad audientiam noſtram pervenit, quod Trecenſes Canonici novum fecerunt in trecenſi Eccleſia conſtitutum, ut eis tam in præſentia, quam in abſentia redditus ſuos ex integro percepturis, qui in eadem Eccleſia poſt illam conſtitutionem fuerunt, vel de cætero fuerint inſtituti, redditus in abſentia non percipiant, ſed tunc ſolum, cum fuerint reſidentes: cum ſecundum trecenſis Eccleſiæ conſuetudinem omnes in hoc conſuevenrunt eſſe pares. Statuerunt etiam, ut (cum ſingulis præbendis annexæ ſint vineæ) ipſis ſuas, dum vixerint, poſſidentibus, vineæ decedentium ad ſucceſſores non tranſeant, ſed proventus earum inter ſingulos dividantur.

Cum igitur, quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo: & Sapientis dicat auctoritas: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*: mandamus, quatenus antiquos Canonicos junioribus, & juniores in perceptione fructuum, tam præbendarum, quam vinearum coæquetis antiquis, ſecundum priorem conſuetudinem, uſque ad tempus prædictæ conſtitutionis ſervatam, vel ſecundum rationabilem inſtitutionem imposterum obſervandam.

Hæc

Hæc Decretalis indulgens Canonicis Eccleſiæ cathedralis ex integro perceptionem redditũum, ſive reſideant, ſive non, ob conſuetudinem penes eos inductam, abrogata eſt a Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* §. *Præterea*, ita ſtatuente.

Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: creſcente vero contumacia, contra eos, juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur. Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*: quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus.

Ex quibus verbis aperte conſtat, nedum facta prohibitio, ſed etiam pœna a Concilio inflicta præfatis abſentibus intra annum a ſervitio Eccleſiæ ultra tres menſes, quin eis ſuffragetur ſtatutum aliquod, vel contraria conſuetudo, etiam immemorabilis, ut declaravit ejuſdem Concilii Congregatio in Burgenſi anno 1573. lib. 1. decretor. pag. 33. Et quidem, ſive hoc tempus abſentiæ fuerit continuum, ſive interpoatum ut eadem Congr. declaravit præfato anno in Mutinen. dicto lib. 1. pag. 178.

Hanc abrogationem, ut ſupra, a Tridentino ſtatutam, probat Fagnanus ad hoc idem cap ex decreto Cong. Conc. etiam babere locum reſpectu Canonicorum, & Curatorum non reſidentium, quamvis nullos redditus habeant.

Excipitur tamen caſus abſentiæ pro cura animarum, ut ex eod. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. §. *Quod ſi de reform.* & ſic excuſabitur Archypresbyter pro eo tempore, quo curam exercet, cui generaliter hujuſmodi cura incumbit ibi..

Quod ſi alicui ex prædictis dignitatibus in Eccleſiis cathedralibus, vel collegiatis de jure, ſeu conſuetudine, jurisdictio, adminiſtratio, vel officium non competat, ſed extra civitatem in Diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Eccleſia reſederit, ac miniſtraverit, tamquam præſens ſit, ac Divinis interſit, in Eccleſiis cathedralibus, ac collegiatis habeatur. Hæc in iis tantum Eccleſiis conſtituta intelligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, ut dictæ dignitates non ſervientes, aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum, & proventuum aſcendat: non obſtantibus conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, & conſtitutionibus, etiam juramento, & quavis auctoritate firmatis.

Ex Decreto Congr. Conc. relato a Fagnan. loc. cit. num. 31. approbato a Gregorio XIII. excipiuntur etiam Canonici Collegiatarum non inſignium, ſi conſuetudo non reſidendi ſit immemorabilis.

Quæres tamen I. an hæc exceptio Collegiatarum non inſignium, ſit intelligenda de Canonicis Collegiatarum ruralium; an vero etiam de urbanis. Reſp. ex decreto præfatæ Congregationis, juxta Fagnanum ibidem, ſed *poſtea* probato a Gregorio XIII. eſſe intelligendam de Canonicis Collegiatarum non inſignium, etiam in urbibus exiſtentium. Et ſane refert etiam Eminentiſſ. Petra Tom. IV. ad Conſt. VII. Innocentii IV. Sect 1. num. 30. quod S. Cong. Viſitationis Apoſtolicæ, in cauſa Collegiatæ Civitatis Laviniæ declaravit die 28. Auguſti 1704. non ſuſtineri decretum Viſitatoris Apoſtolici, cogens Canonicos ad diurnam officiaturam, ſed quod ſervaretur ſolitum, quod erat de inſerviendo tantum diebus feſtivis, licet alioquin Canonici haberent pingues redditus. Curatas tamen excipe, & eas in quibus aliqui de Canonicis reſidere conſueverunt; in bis enim parochus, aut qui reſidere ſoliti ſunt, id facere debent etiam in non inſignibus Collegiatis ruralibus, ut recte advertit Fagnanus loc. cit. num. 32. ex S. C. Decretis.

Quæres II. an ſi per Sedem Apoſtolicam alicubi confirmatum fuerit ſtatutum, indulgens Canonicis majus tempus abſentiæ cum facultate percipiendi integros fructus præbendæ: eiſdem abeſſe liceat ultra tres menſes, ac integros redditus, non obſtante majori abſentia percipere? Reſp. cum diſtinctione: Vel illa confirmatio facta eſt in forma ſpecifica, & in hoc caſu dico, licere hujuſmodi abſentiam cum integra perceptione fructuum præbendæ. Vel facta eſt in pura forma communi, & tunc dico, neutrum eiſdem licere. Ratio primæ partis eſt, quia confirmatio facta in forma ſpecifica aliquid tribuit de novo; cum enim ſit alicujus ſtatuti confirmatio a Principe ex certa ſcientia cum præcedenti cauſæ cognitione, ac examine omnium ejus circumſtantiarum, de eoque conſtat, eo quia in ipſamet Apoſtolica confirmatione habetur inſertus tenor ſtatuti, aut ſubſtantialis ejus narratio; vel ſaltem exprimitur illud fuiſſe examinatum, ac mature conſideratum, & in ipſa appoſita eſt clauſula *ex certa ſcientia* (quod proprie eſt confirmare in forma ſpecifica) tunc hujuſmodi confirmatio vim habet novæ conceſſionis, firmantis, id quod alias invalidum eſt, ut explicat Rota Romana apud Farinacium deciſ. 513. num. 6. part. 2. recent., & tradit Gloſſa in cap. Venerabiles de Confir. util. vel inutil., iſtaque clauſula *ex certa ſcientia* æquivalet in caſu illi clauſulæ derogatoriæ, non obſtante &c. ut poſt Panormitanum, ac Riccium advertit Donatus in Prax rer. Regular. tract. XI. quæſt. 2. num. 10. Propterea S. Conc. Cong. pluries declaravit ſtatuta taliter confirmata a Sede Apoſtolica in ſuo robore permanſiſſe,

non

non obſtante concliiari ſanctione d. cap. 12. teſtibus Fagnano, Garzia, ac Ventroclia apud Scarfantonium ad Cecoper lib. 2. tit. 13. n. 5. Ratio poſtea ſecundæ partis eſt, quia confirmatio in ſola forma communi, nihil de novo tribuit, cum non ſit nova conceſſio, ſed mera firmatio rei confirmatæ in eiſdem terminis, ac eodem ſtatu, in quo erat ante confirmationem, ut innumeris pene vicibus decidit laudata Rota, & cum omnibus Canoniſtis tradit Abbas in cap. *Cum dilecta*, *eit. tit. de Confirmat*: ac Donatus præd. quæſt. 2. Propterea Gloſſa in cap. *Examinata* eod. tit 5. non *obſtante* jure, ac merito dicit, quod iſtæc confirmatio nihil, vel modicum operatur, quia ſi aliquid invenit, confirmat illud, alias, ut eſt in caſu noſtro, ſtatutum abrogatum nihil operatur.

S E C T I O III.

Caput XII. Ex parte *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo, & Cantori, ac Abbati de Firmitate Cabilonenſis diœceſis ſcripta.*

EX parte Epiſcopi Eduenſis fuit propoſitum, quod Canonici eduenſes propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in Eccleſia eduenſi ſtatutum (licet non ſint ejus diminuti redditus) reſtrinxerunt: (& infra.) §. I. Nolentes igitur divini numinis minui cultum, ſed potius aumentari, mandamus, quatenus antiquum numerum facientes auctoritate noſtra ſervari, præbendas, quas a tempore ultimi ſtatuti inveneritis vacaſſe in Eccleſia memorata (non obſtante aliqua Conſtitutione ſuper hoc a Canonicis ipſis facta, vel confirmatione a nobis ab eiſdem obtenta) perſonis idoneis cum conſilio Epiſcopi conferatis.

Hæc Decretalis, ſtatuens juxta communem intellectum, poſſe Canonicos auctoritate Epiſcopi præbendas ſupprimere, eaſque ad minorem numerum reducere, ſi Eccleſiæ redditus diminuti ſint, moderata eſt *Seſſ. 24. cap. 15. de ref* permittente, ut in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus tantum (de qua reſtrictione non cavetur in hac Decretali) ubi frequentes, adeoque tenues ſint præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut non ſatis ſint pro ſuſtinendo decenti Canonicorum gradu, juxta loci, & perſonarum qualitatem, poſſit Epiſcopus cum conſenſu capituli aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia, his unire; vel ſi hoc modo provideri nequeat, aliquas ex iiſdem prębendis ſupprimere, ſuppreſſarumque fructus reliquarum diſtributionibus applicare, ibi.

In Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis inſignibus, ubi frequentes, adeoque tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtiuendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis, cum patronorum conſenſu, ſi de jure patronatus laicorum ſiut, quorum fructus, & proventus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot ſuperſint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Eccleſiæ commode valeant reſpondere: non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & privilegiis, aut quacumque reſervatione generali, vel ſpeciali, aut affectione: neque prædictæ uniones, aut ſuppreſſiones tolli, ſeu impediri poſſint ex quibuſcumque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

Nota hic ex Decretis Cong. Concil. relat. a Fagnan. in cap. *Expoſuiſti XXXIII. de Præbend.* vigore cit. *cap. XV. Trident.* non poſſe Epiſcopum etiam cum conſenſu capituli unire prębendis canonicalibus portiones ejuſdem Eccleſiæ; neque beneficia ſimplicia fabricæ, vel ſacriſtiæ Eccleſię cathedralis, vel menſæ capitulari ob earum reſpective reddituum tenuitatem, prout etiam ſtatuitur in Clementin. *Si una II. de Reb. Eccleſ. non alien.*

Titulus III. De Reſcriptis.

S E C T I O IV.

Caput II. Ex parte *ex Decretali Alexandri III. Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripta.*

EX parte Conventrenſis Epiſcopi noſtris eſt auribus intimatum, quod cum de cauſa, quæ inter G. & F. Clericos vertitur ſuper præbenda de Novalis, cognoſcens, legitime eidem F. (ſecundum tenorem literarum noſtrarum, continentium, quod ſi conſtaret, ipſum F. de-

per-

perjurio eſſe convictum, & perpetuo illi renunciaſſe præbendæ, amoveretur ab ea, eo cognito, & probato) præbendam adjudicaſſet eandem: ipſe in vocem appellationis prorupit, & ad te, quod ei præbendam præciſe, & abſque cauſæ cognitione reſtitueres, literas noſtras reportavit: (& infra.) Verum, quoniam non credimus ita præciſe ſcripſiſſe, & in hujuſmodi literis intelligenda eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur, ſi preces veritate nitantur: mandamus, quatenus inſpectis literis, quas Epiſcopo prædicto direximus, ſi inveneris, quod ſecundum prædictum modum ei ſcripſerimus, & in literis, quas præfatus F. reportavit, non fuerit habita mentio priorum literarum, ſententiam præfati Epiſcopi confirmes, & ſæpe dictum F. cum literis noſtris, quas tibi detulit, ad præſentiam noſtram *tanquam falſarium*, venire compellas.

Huic Decretali, juncto *Can. III. In memoriam diſtin. XIX.* in quibus præcipitur, falſificaotem literas Apoſtolicas a ſolo Papa eſſe judicandum, & ideo ad eum ab Ordinariis eſſe mittendum, tacite derogatum eſt ab Innoceotio III. ſtatuente puniendum eſſe a ſuo Ordinario, ut in ejus Decretali relata in cap. VII. *Ad falſariorum, de crimine falſi*, textum leges infra cum de eod. cap. ubi etiam leges, quæ ex jure novo huic eidem Ionoeentii Decretali acceſſerint.

Nota I. Cum DD. relatis a Theſauro *de Pæn. Eccleſ. cap. 4. verb. Falſum §. Ex ſupra*, quos ſequitur Ludovic. de Ameno *tom. III. tit. VI. §. 1. num. 33. de Delict. & Pæn.* quod ſi hujuſmodi falſarius carceratus fuiſſet de mandato Papæ, tunc eſſet mittendus ad Curiam Romanam.

Nota II. cum eodem de Ameno *loc. cit.* quod Judex, quoad laicos, reos hujus delicti, cum ſit mixti fori, poterit eſſe tam laicus, quam eccleſiaſticus: unde datur locus præventioni.

S E C T I O V.

Caput VII. Eam te *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Tornacenſi ſcripta.*

EAM te: (& infra.) Dudum ſiquidem ante tuam promotionem literæ a Nobis (ſi bene meminimus) emanarunt, quibus decano, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ (te adhuc in eodem capitulo exiſtente) mandatum dedimus, & præceptum, ut P. (qui de gente Judæorum originem duxit, & divina gratia fidem Chriſti ſuſcepit) in Canonicum reciperent, & præbendam ſibi conferre deberent: (& infra.) Ipſi vero (quia donatio præbendarum ad te ſpectabat) præceptum noſtrum executioni non potuerunt mandare. Cum itaque præſcriptus P. te ſuper hoc ex parte noſtra requireret, reſpondiſti, quod nullum inde mandatum receperas, & ſic eum, a te infecto negotio remiſiſti: quod nullatenus feciſſe deberes, ſi datam literarum diligentius attendiſſes, cum tempore, quo literæ ipſæ datæ fuerunt, de capitulo ipſo eſſes, ſicut qui eras Archidiaconus, & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, nec eſſes adhuc in Epiſcopum conſecratus. (& infra) Pro eo vero, quod Judæus extiterit, ipſum dedignari non debes.

Prima hujus Decretalis pars continet mandatum de providendo; & eſt primus Textus, qui occurrit in jure Pootificio, in quo fit mentio de expactativis, & hujuſmodi mandato: & primum Pontificem, qui eas induxerit, communiter DD. auctorem faciunt eumdem Alexandrum, ex ea conjectura, quod toto decretorum volumine, paulo ante ipſum edito, nulla earum mentio reperiatur. Alexandrum deinde ſeqouti ſunt Innocentius, & Honorius pariter III. Gregor. IX. Bonifacius VIII. & alii Pontifices uſque ad Conc. Trident. quod ſequens exemplum legum civilium, improbantium pactum futuræ ſucceſſionis l. 15. 19. & ultim. *Cod. de pactis* cap. XIX. ſeſſ. XXIX. de refor. ob frequentiam abuſuum, eaſdem ſuſtulit, & irritavit ob rationes allatas a Conc. Lateranenſi, relato in cap. II. *Nulla de Conceſ. Præben.* & a Bonifac. VIII. in cap. II. *Deteſtanda hoc eod. tit. in VI.* quorum Textus leges infra Sect. CCCCVII. & CCCCXIX. quia ſcilicet dictæ expectativæ inducunt votum captandæ mortis, & per eas infertur graviſſimus præjudicium ordinariis collatoribus, & Prælatis eccleſiaſticis, nam poſtpoſitis dignioribus, minus dignis beneficia conferuntur, qui plerumque per importunitatem extorquent hujuſmodi expectativas: & præterea quia, ut dicitur in cit. Conc. Later. — ſi turpis viſa eſt expectatio futuræ ſucceſſionis legibus civilibus apud Gentiles, multo magis ſacris canonibus damnanda eſt expectatio futuræ ſucceſſionis in beneficiis. —

Ex ulrima vero parte ejuſdem Decretalis clare infertur, neuphytum abſque ulla diſpenſatione admitti poſſe ad Ordines, præbendas, & dignitates, non obſtante prohibitiooe, quæ legitur in Can. II. Concilii Generalis Nicæni celebrati juxta eruditiorum ſententiam an. 325. relato a Gratiano *Can. I. Quoniam diſtin. XLVIII.* diverſis tamen verbis, ac legitur in dicto Can. II. Nicæno, qui ibi extenſus eſt, ut infra.

Verum idem eſt indiſcriminatim intelligendum; ita ut firmari poſſit generalis regula, quemcumque neophytum non indigere diſpenſatione. Quandoquidem hic, de quo loquitur Pontifex, quamvis Judæus extiterit, vel ex tacita ejuſdem Pontificis diſpenſatione provideri poterat de beneficio, quia tamen jamdiù in catholica religione converſatus erat, dici nequierat recens converſus; in quo caſu neque a laudato Canone pro tali habebatur, ut ex ſequentibus ejuſdem Canonis verbis deducitur.

Quoniam plura, aut per neceſſitatem, aut alias (cogentibus hominibus) adverſus eccleſiaſticam facta ſunt regulam; ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & inſtructos brevi tempore, mox ad lavacrum ſpirituale perducerent, ſimulque ut baptizati ſunt, etiam ad Epiſcopatum, vel ad Præsbyterium promoverent: optime placuit nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus eſt ei, qui catechizatur, & poſt Baptiſmum probatione quamplurima: manifeſta eſt ea in Apoſtolica ſcriptura, quæ dicit: non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum diaboli.

Quid quid autem ſit de facto, ſeu caſu hujus Decretalis, & de hujuſmodi interpretatione, quam præter Gloſſam hic verbo *Fidem* amplectitur cum Felino Navarrus *conſil. XXII. de Hæreticis num.* 1. & Gonzalez, hodie praxis eſt, ut neophyti, licet non recens converſi, ſive ad Ordines promovendi, & etiam prima Tonſura initiandi, ſive de beneficiis providendi, obtineant diſpenſationem a Sede Apoſtolica; quemadmodum conceditur Alumnis neophytorum de Urbe, pro quorum habilitatione per organum Congregationis Univerſalis Inquiſitionis hoc modo, prout refert Romualdus Honoranti *in Praxi Secretariæ Tribunalis Urbis Vicarii cap. I. nota X.* — Die &c. Sanctiſſimus D. N. &c. cui in ſolita audientia per R. P. D. Aſſeſſorem S. Officii relata fuerunt vota Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, ſupradicto Oratori, diſpenſationem petitam, pro nunc ad Ordines minores tantum ſuſcipiendos, benigne conceſſit. —

Ex cujus decreti tenore patet, pro ſacris ſuſcipiendis nova indigere diſpenſatione.

Hactenus de neophytis recens ad fidem converſis. Si vero agatur de deſcendentibus ab iiſdem Judæis, quamvis hi nulla indigeant diſpenſatione; ea tamen indigent, ſi ſint de Regno Portugalliæ ex Conſt. Sixti V. 15. *Januarii* 1588. confirmata a *Clem. VIII.* 18. *Decembris* 1600. cujus executionem iterum inculcavit Congregatio S. Officii, Epiſtola ad Collectorem ejuſdem Regni an. 1611. ut refert Bened. XIV. *de Synod. Diœc. edit. an. 1755. lib. XII. cap. I. num. 4.*

Præterea refert Navarrus *loc. ſupra cit. num. 1. &* 4. Breve Pauli IV. confirmatum a Greg. XIII. in quo certis in locis prohibetur, ne ullus, qui a Judæis, Hæreticis, & Mauris, quorum parentes, & progenitores paterni, ſive materni viventes, ſeu defuncti uſque ad quartam generationem incluſive, ad ſacros Ordines promoveatur.

Verum hæc prohibitio quoad alios extra dictum Portugalliæ Regnum videtur hodie intelligenda juxta notata ab eodem Benedicto *loc. cit. num.* 5. ibi — Quod diximus de Judæis, etiam in iis locum ſibi vindicant, qui originem ducunt ab aliis infidelibus. Quocirca, cum in nonnullis regionibus, & ſpeciatim in civitate Charchien. invaluiſſet conſuetudo ab Ordinibus excludendi deſcendentes ab Indis, ſeu, ut vocant, — *a Mulatis*, — de illius robore diſputatum fuit in Sacra Congregatione Concilii die 13. *Februarii* 1683. & deciſum, Indos, Nigros, omneſque ab illis, ſive per paternam, ſive per maternam lineam deſcendentes, ab Ordinibus recipiendis prohiberi non poſſe, ſi cæteris polleant qualitatibus, animique dotibus, a Sacris Canonibus præſcriptis. Cohærenter ad hæc, datæ fuerunt literæ ad Indiarum, alioſque per Hiſpanias, & regnum Portugalliæ conſtitutos Epiſcopos: cumque Archiepiſcopus Ulyſſiponen. renuiſſet Ordines cuidam conferre, qui a Mauris trahebat originem, ſuas prætexens ſynodales Conſtitutiones, ab Ordinibus excludentes quotquot a Mauris, Nigris, alteriuſve nationis infidelibus provenirent; re mature diſcuſſa in Sacra Congregatione Concilii, *die 13. Januarii 1685.* reſponſum eſt, præfatas ſynodales Conſtitutiones, utpote obſiſtentes Juri communi, nullius eſſe roboris. —

Ex hac eadem Decretali clare pariter infertur, permiſſam eſſe retentionem duorum beneficiorum ſub eodem tecto, ſeu in eadem Eccleſia, ut innuunt ea verba — ſicut qui eras Archidiaconus, & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ —.

Verum hæc retentio abrogata eſt, ut notabimus *infra ad cap. XXIX. tit. III. de Reſcriptis ſect. IX.*

S E C T I O V I.

CAPUT XII. EX PARTE *ex Decretali Clementis III. Abbatibus de Obſen, & de Hetuer, & Priori S. Tridæ Monaſteriorum Ordinis S. Baſilii in Græcia Diœceſis Tarentinæ.*

EX parte S. perſonæ Eccleſiæ de Tarento nobis innotuit, quod cum capella de Empton. ad prædictam Eccleſiam de jure pertineat, O. diaconus (qui jam dictam capellam detinet) capellanum ipſius Eccleſiæ nomine ipſius S. in ea miniſtrantem, poſt appellationem a ſe factam, amovit. Quam cum eſſet S. proſecutus, & ad Judices literas impetraſſet, ipſe O. appellationem ſuam proſequi non curavit. Cumque auctoritate judicum in jus eſſet vocatus, dixit, ſe literas priores habere, de quibus nulla mentio in poſterioribus habebatur, quas uſque ad tertiam citationem ſuppreſſit, eiſque dolo, vel negligentia uti poſtpoſuit, quod ex diuturnitate temporis videbatur, in quibus nulla etiam mentio de appellatione ab ipſo facta fiebat, cum biennium a tempore appellationis jam fuiſſet elapſum. Ideoque mandamus, quatenus, ſi ita eſſe conſtiterit, (revocatis in ſtatum priſtinum omnibus, quæ poſt appellationem ipſius O. inveneritis attentata) præſcriptam capellam matrici Eccleſiæ reſtituere procuretis, prædictum O. (ſi eum appellationem non fuiſſe proſequutum conſtiterit) memorato S. in expenſis neceſſariis condemnantes.

In hac Decretali ſtatuitur regula conformiter ad jus civile *Auth. Ei, qui apellat C. de Temporib. Appellat.* & ad jus Canonic. cap. *Perſonas*, & cap. *Cum ſit Romana de Appellat.* lapſum biennii firmare ſententiam, & appellationem deſertam facere.

Verum ex uſu Curiæ Romanæ Toloſanus ad hanc eamdem Decretalem n. 12. notat. – „ Tempora appellationum eſſe perpetua in cauſis introductis in Curia „ Romana, ut iſta fuit: ſi cauſæ ſint alieni generis, „ ſive longe diſtantium, idque propter multitudinem negotiorum Romanæ Curiæ, ob quam rationem „ etiam in illis cauſis, ubi biennium extingueret, vel „ faceret deſertam appellationem, modo aliqua diligentia proſecutionis inveniatur in primo, vel ſecundo anno, prorogari tempus ad triennium, vel „ ultra bis, vel ter, quoties Auditori, aut Judici videbitur etiam ſine citatione partis –.

S E C T I O V I I.

Caput XV. Sades Apostolica *ex Decretali Innocentii III. aut potius Clementis III. juxta Gonzalez, Senonenſi Archiepiſcopo ſcripta.*

SEdes Apoſtolica conſuevit exhibere ſe petentibus liberalem: ſed quidam ejus gratia nequiter abutuntur: (& infra.) Nos igitur volentes eorum malitiis obviare, decernimus, ut cum in commiſſionibus noſtris minores, & viliores perſonæ ſolummodo deſignentur; majores, & digniores ſub generali clauſula non intelligantur includi. Sed nec liceat occaſione generalitatis hujuſmodi multitudinem effrænatam in judicium evocare. Nec ſuper majoribus, & gravioribus negotiis audiantur, qui de minoribus, & levioribus tantum faciunt mentionem. Si quis vero aliquas perſonas expreſſerit, non ut velit cum eis in judicio experiri, ſed ut ad pares tranſire valeat, vel minores, (quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent) tanquam mendax precator, careat penitus impetratis.

Hæc Decretalis, in qua virtute illius clauſulæ – *& quibuſdam aliis* –. plures indeterminate trahi poterant in judicium, moderata eſt ab Innocentio IV. ſtatuente, ne ultra tres, vel quatuor trahi poſſint; & jubente, ut eorum nomina in primo citatorio exprimantur, ut in ejus Decretali, relata in cap. II. *Cum in multis* hoc eod. tit. in VI. ibi.

Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur, provide duximus ſtatuendum, ut per illam generalem clauſulam, *Quidam alii*, quæ frequenter in literis noſtris inſeritur, ultra tres, vel quatuor in judicium non trahantur: quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator; ne locus fraudi forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit libere variare.

S E C T I O V I I I.

Caput XXVIII. Nonnulli *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

NOnnulli gratia Sed. Apoſtol. abutentes, literas ejus ad remotos judices impetrare nituntur; ut reus fatigatus laboribus, & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cum autem per judicium injuriis aditus patere non debeat (quas juris obſervantia interdicit) ſtatuimus, ne quis ultra duas dietas extra ſuam diœceſim per literas Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit. Niſi de aſſenſu partium fuerint impetratæ, vel expreſſam de hac Conſtitutione fecerint mentionem.

Sunt & alii, qui ſe ad novum genus mercimonii convertentes, ut vel ſopitas poſſint ſuſcitare querelas, vel novas immittere quæſtiones, fingunt cauſas, ſuper quibus a Sede Apoſtolica literas impetrant, abſque dominorum mandato: quas vel reo (ne propter eas laborum, vel expenſarum diſpendio moleſtetur,) aut actori, (ut per ipſas adverſarium indebita moleſtatione fatiget) venales exponunt. Cum autem lites reſtringendæ ſint potius, quam laxandæ, hac generali Conſtitutione ſancimus, ut ſi aliquis ſuper aliqua quæſtione de cætero, ſine ſpeciali mandato domini, literas Apoſtolicas impetrare præſumpſerit, & literæ illæ non valeant, & ipſe tanquam falſarius puniatur; niſi forte de illis perſonis extiterit, a quibus non debet exigi de jure mandatum.

Hæc

Hæc Decretalis, in qua decernitur, ne per literas Apoſtolicas, quibus cauſæ judicandæ committuntur, quiſquam trahatur ultra duas dietas extra ſuam diœceſim, niſi vel conſtet has literas de partium conſenſu fuiſſe impetratas, vel huic Decretali expreſſe in iiſdem literis fuiſſe derogatum, reſtricta eſt a Bonifac. VIII. cap. *Statutum XI.* §§. *Cum vero*, *& Cum autem*, *hoc tit. & cap. Hac Conſtitutione XV.* §. *Conſervatores*, *de Offic.*, *& poteſt. Jud. deleg. in VI.* ſtatuente, ne committantur ultra unam dietam a finibus diœceſ. computandam, & a finibus diœceſis rei, ſi ſit diverſæ diœc. ab illa actoris, ibi.

Cum vero ejuſdem civitatis, ſeu diœceſis fuerint actor, & reus, extra ipſas cauſa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem, niſi ab Epiſcopo contra aliquem de ſua diœceſi, vel ab aliquo contra eum, aut contra ejus capitulum, ſeu contra univerſitatem civitatis, villæ, aut caſtri fuerit actio dirigenda, vel niſi actor eandem civitatem, ſeu diœceſim intrare non audens, aut ſui adverſarii potentiam merito perhorreſcens, eum intra ipſas nequeat convenire ſecure; in his quippe caſibus extra dictas civitatem, & diœceſim poſſit contra prædictos cauſa committi: nullus tamen eorum ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis valeat conveniri. Sed & in duobus ultimis caſibus, niſi impetrans de prædicto timore, quem in literis commiſſionis exprimere teneatur, primo fidem Judici faciat, ſaltem per proprium juramentum: Judex ipſe nullatenus in cauſa procedat, ſed partes a ſua juriſdictione dimittens, impetrantem eumdem in expenſis legitimis alteri parti condemnet.

Cum autem actor, & reus civitatum, & diœceſum fuerint diverſarum, ſi actor in civitate, vel diœceſi rei judicem habere recuſet, ipſum non in ſua, ſed in alia civitate, vel diœceſi libere impetrare valeat, reumque trahere ad eamdem; dummodo locus, ad quem eum traxerit, ultra unam dietam (ſicut in caſu alio præmittitur) minime ſit remotus.

Conſervatores autem hujuſmodi extra civitates, ſeu diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſum eorumdem trahere non præſumant.

Pro dieta intellige non legalem, id eſt continentem viginti milliaria, ſed vulgarem ſecundum conſuetudinem regionum. Pagnan. in cit. cap. *Nonnulli*.

Circa Conſervatores vide notanda infra parte II. cum de *cap. V. ſeſſ. XIV. Conc. Trident. de Refor.*

S E C T I O   I X.

Caput XXIX. Dilectus Filius *ex Decretali Honorii III. Stephano Langiono, Presbytero Cardinali Tituli S. Chriſogoni, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & ejus conjudicibus ſcripta.*

Dilectus filius Sarracenus Clericus expoſuit coram nobis, quod cum Jordanus Clericus Dumelienſis, ipſum ſuper Eccleſia Sancti Nicolai Dumelienſis coram vobis auctoritate literarum noſtrarum traxiſſet in cauſam: ex parte ipſius Jordani fuit excipiendo propoſitum, quod auctoritate ipſarum literarum non poterat conveniri, eo quod ultra duas dietas a diœceſi, (ubi prædicta Eccleſia erat) contra ſtatuta Concilii generalis (de quo in eiſdem literis non fiebat mentio) diſtabatis: & quia hujuſmodi exceptionem admittere denegantes, procedebatis in cauſa (pro eo quod idem I. in Rophenſi, & Elienſi diœceſi beneficia obtinet, quaſi ex hoc domicilium intelligeretur habere) ipſe ad noſtram audientiam appellavit: (& infra.) Cumque idem I. appellationem interpoſitam proſecutus, ad Eboracens. Archiepiſcopum, & ejus collegas, ſuper præmiſſis literas impetraſſet; vos in cauſa ipſa nihilominus procedentes, eiſdem judicibus, ne in commiſſo ſibi procedant negotio, inhibetis. Quocirca mandamus, quatenus (ſi eſt ita) cauſæ ſuperſedeatis eidem, cum non vos, ſed dicti judices cognoſcere habeant, ad quos juriſdictio debeat pertinere.

Hanc Decretalem exponunt nonnulli Interpretum, poſitive admittere pluralitatem beneficiorum, ideoque abrogatam fuiſſe a Tridentino cap. XVII. ſeſſ. XXIV. de reform. ſtatuente, ut unum tantum ſingulis conferatur, etiam ſi agatur de S. R. E. Cardinalibus, & dumtaxat permittente, quod ſi unum ad honeſtam vitæ ſuſtentationem non ſufficiat, conferri eidem poſſit aliud ſimplex, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat. Si tamen attentius legantur verba Decretalis, ex eis quidem percipitur, Pontificem referre, non fuiſſe a judicibus admiſſam exceptionem habentis beneficia in Rophenſi, & Helienſi diœceſi, an tamen hic ut licite haberet, ac retinere poſſet, Pontifex non definit: ſed ſolum ad quem judicem ſpectet cauſam proſequi, ac deci-

cidere: proinde dici non poteſt, quod pluralitatem beneficiorum poſitive admittat: attenta nihilominus prædictorum Interpretum hujus Decretalia opinione, inutile hic non eſt Tridentini verba exponere, que profecto continent doctrinam ſcitu neceſſarium. cap. XVI. ſeſſ. XXIV. de refor.

Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat; liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæc non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia, tam ſæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant.

Hinc infers, habenti unum beneficium ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiens, non poſſe Epiſcopum, nec Nuncium Apoſtolicum, nec Cardinalem, etiam de latere Legatum, ſine prævia facultate Papæ alterum conferre, ſive curatum, aut aliter reſidentiale, ſive ſimplex, ut declaravit Cong. Concilii penes Rotam *deciſ.* 250. *num.* 1. *part.* 2. *Recent.* iſti enim per ſe facultatem non habent diſpenſandi in lege Tridentini, alteriuſve Concilii generalis: cumque id faciunt vigore indulti ſpecialia, adhuc verificatur, ipſos facere habita facultate a Papa. Pro metienda vero congrua ſuſtentatione, deduci debent omnia onera beneficio incumbentia, Miſſarum nempe, manutentionis, Altaris, procurationia, taxæ Seminarii, ſynodatici, & alia id genus, quia verus valor beneficii eſt ille, qui ſupereſt, deductis oneribus, ut decidit Rota in Mediolanen. Canonicatus die 2. Julii 1706. §. fin. cor. Scotto; & in Pampilonen. Beneficii 16. Maii 1727. § Deſtruere cor. Nunez; ac notant Monacellus tom. a. tit. 15. form. 1. num. 19. aliique comm: nec in facienda ſupputatione ſufficientię comprehendi debent redditus patrimonialea Beneficiati, ut aliqui dixere; contraria namque ſententia, teſte Rigantio Comment. in Reg. 1. Cancell. §. 8. num. 93. eſt communi DD. calculo recepta: imo nec in rigore juris computandi ſunt redditus ex penſione, ſi eam habet Beneficiatus, quia penſio in rigore non eſt beneficium, cum ipſa poſſit Clerico aſſignari ſine canonica inſtitutione, ac importet jus temporale ſeparatum. Propterea in materia odioſa incompatibilitatis, nomine beneficii non venire penſionem tradit expreſſe Rigantius ibid. num. 122. ſolideque id probant Lotterius de re benef. lib. 1. queſt. 45. & Clericatus de Penſionib. diſcurſ. 15. proinde dicentea, exprimendam non eſſe penſionem in impetratione beneficii, vel alterius penſionis, quando non imponitur ſuper fructibus ejuſdem beneficii, antiquis penſionibus gravati. Profecto notatione dignum eſt, quod in literis penſionum, quę reſervantur favore Palatinorum amplius non apponitur antiqua illa clauſula: *etiam ſub eodem tecto*; & quod jam a tempore, Innocentii X. deleta fuit in Dataria hæc alia. *Non tamen in eadem Eccleſia conſiſtentis*: quod quidem factum non fuiſſet, ſi penſio veram beneficii rationem haberet, cum teſte Rigantio ibid. num. 107. ſit opinio Cancellariæ etiam nunc, eſſe incompatabilia plura beneficia, etiam difformia ſub eodem tecto, & tamen quia aliquando penſionem obtineat ſuper beneficium exiſtens in eadem Eccleſia, in qua jam ipſe habet aliud beneficium ſufficiens.

Si petas, ad quem ſpectet inquirere, ac judicare, an beneficium ſit ſufficiens. Reſp. cum Gonzalez, Barboſa, & aliis, quos refert, ac ſequitur Antonellus de Jur. Cler. cap. 27. num. 7. ſpectare ad Epiſcopum; cum enim certa regula circa hoc conſtituta non reperiatur, æquo, prudentique Epiſcopi judicio id remiſſum intelligitur, qui propterea debet in hoc ex informata conſcientia procedere, ne Decretum Concilii violetur. Monet quidem ſcite Rigantius lib. cit. num. 91. non eſſe in hoc abſolute procedendum cum taxa a Synodo, aut conſuetudine firmata pro patrimonio Clericorum, qui ad Sacros Ordines promoveri debent; ſed attendi debere morem regionis, conditionem, & qualitatem perſonarum, necnon diverſitatem locorum, ac temporum; & caſu, quo beneficium ſit juriſpatronatus laicalis, an in lege fundationis ejuſdem aliquid ſit ſpecialiter ſtatutum.

Multum diſcrepant inter ſe DD. an caſu, quo beneficium ſecundum collatum ab Epiſcopo non cointegrat cum primo congruam ſuſtentationem Beneficiati; valeat huic tertium, ac quartum conferre uſque ad congruam, ac ſufficientem ſuſtentationem. Scio equidem id plures affirmare rationibus non contemptibilibus, ut videri poteſt apud Schnier de Benef. Eccl. ſect. 2. §. 5. n. 87. Pazimel. deciſ 31. num. 18. alioſque. Verum decreta S. Cong. Conc. in contrarium ſententiæ oppoſitæ me ſcribere compellunt; etenim in Aquilana 14. Auguſti 1632. declaravit. *Epiſcopum, habenti unum ſimplex beneficium non ſufficiens ad illius ſubſtentationem, poſſe aliud ſimile conferre, ſed non poſſe plura quamvis ſimplicia, uſque ad ejus ſufficientem ſubſtentationem eidem conferre*. Similiter in Curzolen. 3. Maii 1651. propoſito dubio: *An ab Epiſcopo abſque diſpenſatione Apoſtolica poſſit permitti* retentio trium beneficiorum ſimplicium de Jurepatronatus laicorum ſub eodem tecto non exiſtentium, & quorum redditus non ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem? S. Cong. reſpondit. *Epiſcopum permittere non poſſe*, ut conſtat ex lib. 19. Decretor. pag. 126. Denique in Bitecten. 6. Decemb. 1721. ad hoc dubium 2. *An obtinens* duo beneficia, ſive liberæ collationis, ſive de jurepatronatus laicorum minime ſufficientia ad congruam ſuſtentationem, poſſe retinere tertium, & quartum de jurepatronatus laicorum abſque diſpenſatione Apoſtolica? S. Congr. reſpondit *negative*. Ex quibus patet, diſpoſitionem Concilii cap. 17. habere locum etiam in beneficiis de jurepatronatus laicorum. Cæterum huic noſtræ ſententiæ nedum opitulantur decreta S. Congregationis Conc. cujus eſt idem Concilium interpretari; verum etiam eidem aperte favet ipſa diſpoſitio textus in cap. *Ordinarii* §. In conferendis de offic. Ordinar. in VI. ubi decernitur, nullam eſſe collationem factam ab Ordinario alicui plura jam beneficia obtinenti, niſi præceſſerit Apoſtolica diſpenſatio.

Graviſſima hic occurrit quæſtio; utrum collato ab Epiſcopo ſecundo beneficio ei, qui jam obtinebat primum congruæ ſuſtentationi ſufficiens, vacet primum, an ipſum ſecundum? Sententiis ſane hac in quæſtione

ſione variatum eſt. Tandem ea prævaluit, quod vacet non ſecundum, ſed primum, ut articulo diſcuſſo firmavit *Rot. in Nolana Beneficior. 22. Junii 1759. §. 5. & in confirmatoria 3. Martii 1760. & ſequent. cor. Parracciano*, & recentius *in Leodien. Beneficii 27. Martii 1667. §. 3. cor. R. P. D. Carnelio*, ubi quod ita ſenſit Sanctus Carolus Borromeus *in Concilia Provinciali Mediolanen. IV. part. II. de Beneficiar. collatian.*

Idem dic, ſi ei, qui habebat duo beneficia inſufficientia, tertium conferatur, nam vacant duo illa priora; quod hic notandum eſt, id procedit quamvis collatio ſecundi, vel tertii ab eo facta ſit, qui vices gerit S. Sedis, ut exemp. grat. eſt Univerſitas Lovanii, prout firmat — & monet Rot. in mox allegatis deciſionib.

S E C T I O X.

Caput XXX. Capitulum *ex Decretali ejuſdem Hanorii Abbati, & Priori S. Projecti Ordinis S. Benedicti diœceſis Noviomenſis in Gallia Belgica, & I. de Villavvad, Canonico S. Quintini ejuſdem diœceſis, ſcripta.*

Capitulum Sanctæ Crucis Cameracenſis, exhibita nobis petitione monſtravit, quod Callimacho Clerico ſuper præbendali beneficio in eorum Eccleſia obtinendo, literas noſtras ad eos prius monitorias, & demum præceptorias impetrante, B. Clericus contra eos ſuper conſimili beneficio in eadem ſibi Eccleſia conferendo, ad I. Archiepiſc. Tornac. & ejus collegas, de prædictis literis non habita mentione, executorias a nobis literas impetravit: qui poſt appellationem ad nos interpoſitam, in eos ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias protulerunt: ac dictus C. ſuper executione mandati pro eo facti, ad alios obtinuit ſcripta noſtra; qui tulerunt ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias in eoſdem. Quocirca mandamus, quatenus eo recepto in Canonicum, & fratrem, aſſignatoque ſibi beneficio præbendali, qui ad eos prius mandatum Apoſtol. reportavit, prælatas ſententias juxta formam Eccleſiæ relaxetis; alteri ſuper præbendali beneficio in eadem Eccleſia ſilentium imponentes.

Hæc Decretalis, admittens expectativas, & mandata de providendo beneficia, abrogata eſt a Conc. Trident. *Seſſ. XXIV. cap. XIX. de reform.* prohibente, ut dictæ expectativæ, & quæcumque eas redolentia, nemini amplius, etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedantur, nec hactenus conceſſis cuique uti liceat: ſicuti nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui, etiam S. R. E. Cardinalibus, & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur, textum leges infra part. II. cum de eod. cap. XIX.

Sub hoc tamen Concilii Decreto ex declaratione Cong. Conc. ſub die 25. Jan. 1575. approbata a Gregor. XIII. non comprehenduntur primæ, ſive primariæ Preces Cæſareæ Majeſtatis, quas Cæſar noviter electus habet in omnibus Eccleſiis Germaniæ ad beneficium unum proxime vacaturum, uni impetrandum.

Circa coadjutorias in beneficiis diſtinctis ab Epiſcopatu, & Præpoſituris regularibus pariter a Trident. prohibitas *cap. VII. Seſſ. XXV. de ref.* vide Fagnan. ad *cap. II. Nullam num. 69. de conceſ. Præben. Joannem Salier in Notis ad Inſtit. Canon. Lancellot. Tit. XVI. de Coadjutor. §. 1. & Benedictum XIV. lib. XIII. cap. X. de Synad. Diœc. n. 26. edit. an.* 1755. ubi ex verbis Joannis Solier in notis ad Inſtitut. Canonicas Lancellotti lib. I. tit. XVI. de Coadjutore §. 1. affert diſcrimen inter expectativas, & coadjutorias ibi — Tota „ coadjutoriarum amaritudo conſiderari poteſt, vel in „ voto captandæ mortis, in quo fundatur reprobatio „ expectativarum, vel in ſucceſſione quaſi hæredita„ ria in beneficio, vel in eo, quod per hujuſmodi „ gratias minus idonei in Eccleſia ingeruntur. At pri„ mum excluditur per conſenſum, & requiſitionem „ coadjuti: neque enim datur coadjutor invito, niſi in „ caſu dilapidationis cum ablatione adminiſtrationis, a „ qua de jure veniat perpetuo ſuſpendendus, aut in „ caſu dementiæ. Secundum excluditur per literas com„ mendatitias, aut Epiſcopi, aut capituli de qualitati„ bus coadjutoris, & indigentia Eccleſiæ. Tertium „ accidit contra mentem Summi Pontificis ex ſiniſtra „ informatione, quæ in qualibet gratia proviſiva in„ tervenire poteſt —.

S E C T I O X I.

Caput XXXI. Ad audientiam *ex Decretali laudati Honorii III. Bituricenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, reſcripta.*

Ad audientiam noſtram, (te ſignificante) pervenit, quod quidam Clerici, obtentis a Sed. Apoſt. literis ſuper proviſione ſua in aliquibus Eccleſiis, tibi ſubjectis, recipientes ab

cis

eis annuas penſiones, ſeu alia beneficia, ab eorum impetitione deſiſtunt, renunciantes beneficio literarum, (& infra.) Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos, qui poſt literas taliter venditas, alias (de illis mentione non habita) impetrabunt de cætero, vel hactenus impetraverint, carere decernas commodo earundem, & Eccleſias non permittas earum occaſione vexari; revocando in irritum, ſi quid earum prætextu inveneris eſſe factum.

SECTIO XII.

Caput XXII. In nostra, *ex Decretali Gregorii IX. Mediolanenſi Archiepiſcopo reſcripta.*

IN noſtra propoſuiſti præſentia, quod nonnulli Clerici a Sed. Apoſt. plures literas (non tamen alias de aliis mentionem facientes) impetrant fraudulenter, quod in pluribus Eccleſiis admittantur; ſicque aliquando in aliis recepti, licet nondum in eis eccleſiaſticum beneficium ſint aſſecuti, alias Eccleſias ſuper receptione ſua nihilominus impetunt, & moleſtant; (& infra.) Mandamus, quatenus eos Clericos Eccleſiis, in quibus recepti ſunt, faciens eſſe contentos, non permittas alias ab eis occaſione literarum hujuſmodi moleſtari; niſi de receptione forte ſua expreſſam fecerint mentionem.

Hæ duæ Decretales, admittentes mandata de providendo, abrogatę ſunt a Trident. ut notatum eſt ſupra ad caput XXX. *Capitulum*, Sectione X.

Circa intellectum illius clauſulę – poſt literas taliter venditas – quę legitur in tranſcripta Honorii Decretali, Correctores Romani in vulgato Codice Decretalium Gregorii IX. hęc habent – Contius hic, vendicatas legendum monuit; ſed in omnibus manuſcriptis *venditas* invenitur, id eſt tali pacto renunciatas – Wagnereck vero in Exegeſi hujus cap. – „ Videtur Pontifex notare ſimonię ſpeciem, ſi aliqui habentes li„ teras ſuper beneficio ipſis conferendo in aliquibus „ Eccleſiis, relinquant beneficia capitulo, vel Epi„ ſcopo, & in compenſationem accipiant penſionem „ aliquam. Quod ſi faciant animo jus ſpirituale bene„ ficii dandi pro tali penſione, a ſimonia excuſari non „ poterunt – Idem ſentit Gonzalez cum Gibalino contra Flaminium, & Barboſam.

SECTIO XIII.

Caput XXXIV. Significavit, *ex Decretali ejuſdem Gregorii Abbati Monaſterii S. Jacobi Ordinis S. Benedicti in Epiſcopatu Tullenſi, ſcripta.*

SIgnificavit nobis Comitiſſa Namarengis, quod cum mortuo comite fratre ſuo, ipſa in ejus ſucceſſerit comitatu, G. & B. per quaſdam literas Apoſtol. contra Tullen. Epiſcopum, & quoſdam alios Clericos, & laicos impetratas, eam coram judicibus (ad quos obtentæ fuerant) ſuper quadam ſumma pecuniæ, quam eidem fratri ſuo ſe mutuaſſe dicebant, per illam generalem clauſulam, (*quidam alii*) (quia in prædicto comitatu ſucceſſerat) convenerunt: excipiente itaque procuratore ſuo, quod cum adhuc frater ejuſdem mulieris viveret, quando ædem literæ impetratæ fuerunt, nec per ipſas, dum viveret, fuerat ad judicium evocatus, earum auctoritate non poterat conveniri. Et quia judices exceptionem non admittebant ipſius, noſtram audientiam appellavit. (& infra). Ideoque mandamus, quatenus, ſi eſt ita, revocato in irritum &c.

Hæc Decretalis, in qua utitur Pontifex clauſulis – quoſdam alios – quidam alii, ut in cap. XV. *Sedes Apoſtolica* relato ſupra Sectione VII. limitata eſt, ut ibidem notavi.

SECTIO XIV.

Caput XXXVIII. Ex insinuatione, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX. Abbati Monaſterii S. Victoris Ordinis Canonicor. Regular. S. Auguſtini ſcripta.*

EX inſinuatione Epiſcopi Ambianenſis accepimus, quod I. Clericus ſuper ejus proviſione, ad ipſum præceptorias, & poſtmodum ad vos executorias contra eum literas impetravit. (& infra.)

(& infra.) Quo circa mandamus, quatenus, ſi nullæ monitoriæ ſuper hoc præceſſerint, executoriis ſuperſedeatis eiſdem, dummodo æedem executoriæ de monitoriis fecerint mentionem: alioquin in executionis negotio, juxta directum ad vos pro ipſo mandatum, ratione prævia procedatis.

SECTIO XV.

Caput XXXVIII. Mandatum, *ex Decretali laudati Gregorii Epiſcopo Novienſi Provinciæ Taraconenſis, ſcripta.*

Mandatum Apoſtolicum ad te directum, ut Magiſtrum S. faceres in Canonicum recipi, & in fratrem Novien. Eccleſiæ, ſi pro alio ibidem non ſcripſimus, qui hujuſmodi gratiam proſequatur, alio jam beneficium per noſtras literas obtinente, proſequi non teneris cum ſuper receptione duorum gravandi Eccleſiam antedictam non fuit intentio mandatoris.

SECTIO XVI.

Caput XXXIX. Literis, *ex Decretali ejuſdem Gregorii.*

Literis Apoſtolicis ad vos directis, ut G. Clericum reciperetis in Canonicum, & in fratrem, niſi pro alio fuiſſet per nos Eccleſia veſtra gravata, mandatum noſtrum vos exequi volumus, & mandamus; non obſtante, quod T. Subdiaconum per noſtras literas executorias recepiſtis, qui a bon. mem. Honorio (nempe III.) Prædeceſſore noſtro monitorias impetravit. Cum factum Prædeceſſoris noſtri potius, quam noſtrum fuerimus proſecuti.

SECTIO XVII.

Caput XL. Abbatem, *ex Decretali ejuſdem Gregorii.*

Abbatem, qui mandatum Apoſtol. jam recepit, ut S. Clerico in aliqua Eccleſiarum ſui monaſterii provideret, & per literas generales ad diœceſanum Epiſcopum obtentas, ut in diœceſi ſua (ubi pro alio ſcriptum non eſſet) faceret provideri, cogi juris ratio non permittit, nec ſuper conferendis Eccleſis, aut beneficiis aggravari, etiamſi facultatem habeat Diœceſanus per eaſdem literas providendi.

SECTIO XVIII.

Caput XLII. Si proponente, *ex Decretali ejuſdem Gregorii.*

Si proponente aliquo, nondum ſe beneficium eccleſiaſticum aſſecutum, ſuper proviſione ipſius (licet minus competens obtinentis) reſcriptum Apoſtol. de hoc mentionem non faciens, impetretur, illud veluti fraudulenter obtentum dicimus non valere.

Hæ quinque Decretales, admittentes mandata de providendo, abrogatæ ſunt a Conc. Trid. ut ſupra notavi ad Caput XXX. *Capitulum*. Sectione X.

SECTIO XIX.

Caput XLIII. Quia nonnulli, *ex Decretali ejuſdem Gregorii Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Pariſienſi, ſcripta.*

Quia nonnulli diverſis modis literis Apoſt. abutuntur, ſtatuimus, ut quicunque obtentas ſub nomine ſuo literas aliis ejuſdem nominis tradunt, qui quos volunt, fatigant indebite per eaſdem, & qui eas tali modo recipiunt: quique illos, contra quos nihil habent quæſtionis, faciunt in judicium evocari: aut literas ipſas ad futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ; ſeu quemquam ſuper uno negotio, vel etiam malitioſe ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ ſub uno judice poſſent tractari commodius,

dius, per varias literas coram diverſis judicibus trahunt, ut laboribus fatigatus, & ſumptibus, vel compellatur componere, vel cedere juri ſuo: aut reus actorem eodem tempore ad diverſa loca, vel indeterminate ad villam, quæ commune cum pluribus ejuſdem Provinciæ villis habet vocabulum, citari procurat, ut dum non comparuerit, excommunicetur, quaſi contumax, & ſic eum a ſua intentione repellat; earumdem literarum commodo careant, & adverſariis in moderatis expenſis, ac damnis, quæ propter hoc eos pertuliſſe conſtiterit, condemnentur.

In hac Decretali inter cætera ſtatuerat Pontifex, ne quis ſuper eodem negotio, vel pluribus actionibus perſonalibus, quę ſub uno Judice commode tractari poſſent, literas intentet ad diverſos judices.
Verum Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunenſi celebrato an. 1245. eam ampliavit, id extendens etiam ad reum, & tam huic, quam actori ſimilem pœnam infligit, ut in ejus Decretali, relata in Cap. III. *Diſpendia hoc eod. tit. in VI.* ibi.

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes, qua poſſumus, induſtria coarctare, ſtatutum fel. rec. Greg. Papæ IX. Prædeceſſ. noſtri, ſuper hoc editum ampliantes: decernimus, ut ſi quis contra alium plures perſonales movere voluerit quæſtiones, non ad diverſos judices, ſed ad eoſdem ſuper omnibus hujuſmodi quæſtionibus literas ſtudeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat literarum: nec proceſſus habitus valeat per eaſdem, reo, ſi eum per ipſas citaverit, vel fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus. Reus quoquę, ſi, eodem durante judicio, actorem ſibi obnoxium duxerit, reconventionis beneficio, vel conventionis (ſi contra eum literas impetrare maluerit) de jure ſuo debet apud eoſdem judices experiri: niſi eos, ut ſuſpectos poterit recuſare, ſimili pœna, ſi contra hoc fecerit, puniendus.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO XX.

Caput VI. Susceptum, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

SUſceptum ab Apoſtol. Sede mandatum, ut ab aliquo beneficii (quod obtinet) reſignatione recepta, ipſum alteri conferas, & aſſignes: adimplere non potes, ſi ille, antequam reſignet, rebus eximatur humanis: cum non per reſignationem vacaverit, ſed per mortem: niſi de intentione mandantis aliud appareret expreſſe. Si duo ſuper eodem beneficio literas impetrent, primo eorum per illius obitum, qui tenebat, ſecundo vero per ceſſionem ejuſdem ipſum proponente vacare: ſecundus, cum beneficium ipſum ceſſione, non morte vacaverit, debet primo in ipſius aſſecutione præferri.

SECTIO XXI.

Caput VIII. Quamvis, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

QUamvis is, cujus gratia (per quam mandabatur in certa Eccleſia provideri ſibi de beneficio proxime vacaturo) per nos fuerat revocata, reſtituatur a nobis denuo ad eamdem: non tamen ei, cui poſt revocationem, & ante reſtitutionem prædictas, ſimilis in eadem Eccleſia gratia facta fuit (niſi de hoc expreſſe dixerimus) anteferri debebit: cum talis reſtitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri ſine juris præjudicio alieni.

SECTIO XXII.

Caput IX. Si eo tempore, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

SI eo tempore, quo tibi de beneficio cum cura, vel ſine cura, mandavimus provideri, ad obtinendum curatum beneficium idoneam non habebas ætatem; tibi, licet nunc legitimæ effectus ſis ætatis, auctoritate literarum hujuſmodi, (cum tempore datæ ipſarum adhuc non eſſes idoneus) de beneficio curam animarum habente nequaquam poteris provideri. Beneficium autem ſine cura (cum ad ipſum ſufficientem tunc ætatem haberes) per eas licite poteris obtinere.

Hæ tres Decretales, in quibus pariter admittuntur mandata de providendo, abrogatæ ſunt a Trident. ut notatum eſt ſupra ad Cap. XXX. *Capitulum*, Sectione X.

SECTIO XXIII.

Caput XI. Statutum, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

STatutum, quod circa judices a Sede Apoſtol. deputandos nuper edidimus, cum quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta (ſicut experientia docuit) tendere dignoſcantur ad noxam: ſanctione præſenti (quam irrefragabiliter obſervari mandamus) ſuadente utilitate, in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritate literarum Sedis Apoſtol., vel Legatorum ejuſdem, de cætero committantur, nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi.

Hęc Decretalis, præcipiens, cauſas committendas a S. Sede, vel ejus Legato, committi debere obtinentibus dignitatem, vel canonicatum in Eccleſia cathedrali, ampliata eſt a Trident. *Seſſ. XXV. Cap. X. de refor.* mandante ulterius, hos deſignandos eſſe a Synodo provinciali, vel diœceſana, numero ſaltem quatuor, ex quibus uno mortuo, aut alias deficiente, alius ſubrogetur, vel in proxima Synodo, vel ab Epiſcopo cum conſilio capituli; ita ut delegationes quæcumque aliis factę, ſubreptitię cenſeantur. Textum Trident. leges infra parte II. in qua ſermo erit de cit. cap. X. ubi etiam leges, quid novi ei acceſſerit circa hujuſmodi deſignationem.

SECTIO XXIV.

Caput XII. Tibi, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

SECTIO XXV.

Caput XIII. Si pro te, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO XXVI.

Caput XIV. Duobus, *ex Decretali ejuſdem*.

Hæ tres Decretales, quarum textus tranſcribere omitto, admittentes mandata de providendo, abrogatę ſunt a Trident. ut notatum eſt ad Cap. XXX. *Capitulum* Sectione X.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO XXVII.

Caput II. Et si, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato anno 1311. Viennæ in Gallia*.

ET ſi principalis Officialis Epiſcopi, aut Religioſus, conventualem obtinens prioratum (quamvis ad prioratum eumdem Prior non conſueverit per electionem aſſumi) a Sede Apoſtolica, vel Legato ejuſdem dari valeat delegatus; in Officiali tamen foraneo, aut Religioſo monaſterii, ſeu Priore clauſtrali nequaquam hoc volumus obſervari.

In hac Decretali ſtatuitur, ut cauſarum commiſſiones, de quibus ſupra in cap. XI. *Statutum*, Sectione XXIII. committi poſſint Vicario generali Epiſcopi, aut etiam Religioſo, habenti conventualem Prioratum: ſed circa hoc attendenda ſunt notata in cit. Sectione XXIII.

SECTIO XXVIII.

Caput IV. Gratiæ, *ex Decretali ejuſdem Clementis*.

SECTIO XXIX.

Caput V. Literas, *ex Decretali ejuſdem.*

Hæ duæ Decretales, quarum textum tranſcribere omitto, in quibus admittuntur mandata de providendo, abrogatæ ſunt a Trid. ut notatum eſt ad cap. XXX. *Capitulum*, Séctione X.

Titulus IV. De Conſuetudine.

SECTIO XXX.

Caput I. Consuetudines, *ex Decretali S. Gregorii I. ad Felicem Epiſcopum, nunc Archiepiſcopum Meſſanenſem.*

Conſuetudines, quæ Eccleſiis gravamen inducere dignoſcuntur, noſtra nos decet conſideratione remittere.

Hæc Decretalis, in qua reprobantur conſuetudines, inferentes gravamen Eccleſiæ, ampliata eſt ab Urbano VIII. reprobante, & nullas, ac irritas declarante quaſcumque conſuetudines præjudiciales, nedum Eccleſiis, ſed etiam perſonis eccleſiaſticis, earumque juribus, bonis, & fructibus, ut in ejus Conſtit. *Romanus Pontifex* 5. Junii 1641. §. IX. ibi.

Necnon reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedi Apoſtol., vel juriſdictioni, immunitati, aut libertati eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis, earumve juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoſcumque ſufficienti, & legitima facultate Apoſtol. non munitos, facta, geſta, & reſpective perpetrata cum omnibus, & ſingulis quandocumque, & quomodocumque inde ſecutis, & quocumque tempore longiſſimo executioni demandatis, ac obſervatis, fuiſſe, & eſſe ipſo jure nullas, & invalidas, ac nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti, indebitaque, & illicita, ac de facto præſumptas, & præſumpta nullumque præjudicium eiſdem intuliſſe, nec inferre unquam poſſe, illaſque, & illa ex quocumque temporis curſu, nec etiam ex quacumque prætenſa obſervantia, quantumlibet diuturna, longæva, longiſſima, ſeu immemorabili, etiam cum fama prætenſi privilegii Apoſtolici.

SECTIO XXXI.

Caput IV. Quanto, *ex Decretali Innocentii III. Lucio, Vicario Apoſtolico apud Conſtantinopolim inſtituto, reſcripta.*

Quanto de benignitate: (& infra.) Pervenit ſane ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopol. ea ſacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis, quod chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre, ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſolam conſuetudinem prætendentes, (& infra.) Diſcr. tuæ mandamus, quatenus omnibus latinis Presbyteris diſtricte prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant; quæ licet non ſint a fidelibus contemnenda, tutius tamen eſt ea ſine periculo ex neceſſitate (quæ legem non habet) omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate (quæ lege damnatur) non ſine gravi periculo inaniter conferantur: cum umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, conſuetudinem non poſſe operari, ut Clericus, non Epiſcopus, exercere poſſit, quę ſunt Ordini epiſcopali reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis, ampliata eſt a Trid. *Seſſ. VIII. Cap. III. de Confirmat.* infligente ulterius excommunicationem latæ ſententiæ in aſſerentes, ſolum Epiſcopum non eſſe illius miniſtrum ordinarium, ibi.

Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem; anathema ſit.

Quod ſpectat ad verbum -- ex neceſſitate, -- quo utitur Pontifex in hac Decretali, hæc habet Gonzalez ,, -- Licet enim Innocentius III. intenderet Gręcos ad ,, Ritus Eccleſiæ Romanæ, in conferendis Sacramentis, ,, & di-

„ & divinis officiis celebrandis trahere, hunc in finem „ miſſo Pelagio, Albanenſi Epiſcopo Conſtantinopolim „ (quę tempore Innocentii erat in Latinorum poteſta- „ te, & ditione) id aſſequi non potuit, ut refert Be- „ roldus *in Hiſtoria conſtantinopolit. cap. XXXVII.* „ *anno* 1206. unde ait in præſenti, tutius eſſe Sacra- „ mentum Confirmationis omittere, quam juxta Ritus „ gręcanicos ex neceſſitate retentos, & toleratos, a „ presbyteris ſimplicibus latinis illud inaniter accipe- „ pere. Apud Græcos vero jam conſuetudo invalue- „ rat ante tempora Photii, ut Presbyteri græci hoc „ Sacramentum conferrent, quæ nec a Romano Ponti- „ fice, nec in Concilio Florentino damnata eſt, quia „ graviſſimis de cauſis introduci potuit, conniVente „ ſaltem Apoſtolica Sede. — Sed de hoc Sacramento a Græcis Presbyteris collato adeatur Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. VII. cap. VIII. & IX.* per totum.

Nota, quod cum Tridentinum in cit. *Can. III.* dicat, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium Confirmationis, inde ſequitur poſſe dari, etiam extraordinarium, de quo habebitur ſermo parte II.

SECTIO XXXII.

CAPUT V. CUM INTER, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Decano, & Capitulo cenomanenſi ſcripta.*

CUM inter vos ex una parte, & Canonicos S. Petri de Acria ex altera, ſuper eo, quod dicti Canonici generale interdictum ab Epiſcopo veſtro, vel a vobis in civitate cenomanenſi poſitum non ſervabant, quæſtio vertebatur, (& infra.) Procurator vero ipſorum propoſuit, quod ipſa Eccleſia S. Petri a prima fundatione libera extitit, & exempta, & de conſuetudine antedicta in generali etiam interdicto licitum erat eis, pulſatis campanis, alta voce (interdictis, & excommunicatis excluſis) divina Officia celebrare. Nos igitur cognito, quod ex tali conſuetudine, ſi qua foret, diſrumperetur nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ, ipſam de conſenſu Fratrum noſtrorum duximus irritandam.

Hæc Decretalis, in qua reprobatur conſuetudo non ſervandi generale interdictum, & eo durante, campanas pulſare, & alta voce divina Officia celebrare, ampliata eſt, quoad Regulares, etiam exemptos, a Clemente V. in Concilio generali Viennenſi, infligente excommunicationem, ipſo facto incurrendam a dictis Regularibus, illud non ſervantibus, ut in ejus Decretali, relata in cap. I. *Ex frequentibus, in Clementin. tit. de ſenten. excom.* cujus textum leges infra ad cap. VIII. *Epiſcoporum, de ſenten. excom. in VI.*

Hoc idem antiquum præceptum ſervandi interdictum, tam a Sede Apoſt., quam ab Epiſcopo promulgatum (quo etiam Regulares exemptos obſtringi notat Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib IX cap. XV. n. 11. & lib. XIII. cap. IV. num. 6.*) confirmavit Conc. Trident. *Cap. XII. Seſſ. XXV. de Regul.* ibi.

Cenſuræ, & interdicta, nedum a Sede Apoſtol. emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur.

SECTIO XXXIII.

CAPUT VIII. CUM DILECTUS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Decano Saliburgenſi ſcripta.*

Huic Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, ſtatuenti de conſuetudine induci poſſe, ut Monachus unius Ordinis eligatur in Abbatem monaſterii diverſi Ordinis, derogatum eſt a Clemente V. declarante nullam hujuſmodi electionem, ut in Clementina I. *Cum rationi de elect.* ibi.

Cum rationi non congruat, ut homines diſparis profeſſionis, vel habitus, ſimul in eiſdem monaſteriis ſocientur: prohibemus, ne religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod ſi ſecus actum extiterit, ſit eo ipſo irritum, & inane. Per hoc autem, quin religioſus in Epiſcopum ſæcularis, vel cujuslibet regularis Eccleſiæ licite poſſit eligi, non intendimus prohibere.

SECTIO XXXIV.

CAPUT IV. CUM IN TUA, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Hæc Decretalis, cujus textum tranſcribere omitto, in qua admittuntur mandata de providendo, abrogata eſt a Trident. ut notatum eſt ad cap. XXX. *Capitulum*, Sectione X.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO XXXV.

Caput I. Super gentes, *ex Decretali Joannis XXII.*

SUper gentes, & regna Romanus Pontifex a Domino conſtitutus, cum perſonaliter ſingulas regiones circuire non poſſit, nec circa gregem ſibi creditum curam paſtoralis ſolicitudinis exercere: neceſſe habet interdum ex debito impoſitæ ſervitutis, ſuos ad diverſas mundi partes (prout neceſſitates emerſerint) deſtinare Legatos, qui vices ipſius ſupplendo, errata corrigant, aſpera in plana convertant, & commiſſis ſibi populis ſalutis incrementa miniſtrent. Verumtamen aliqui hujuſmodi officium, & poteſtatem ipſius Romani Pontificis, quam non ab homine, ſed a Deo recepit, ſub ſuo arbitrio redigere molientes, Legatos ipſos, niſi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum tranſmiſſi, ſibi terras ſubjectas (dicentes hoc eis de conſuetudine competere) ingredi non permittant, Nos, hujuſmodi conſuetudinem, non tam irrationabilem, quam nonnunquam animarum ſaluti contrariam, detrahentemque Apoſtolicæ poteſtati, auctoritate Apoſtol. penitus reprobantes, Legatos ipſos ab omnibus, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus fuerint, debere admitti decernimus: nec eos prætextu cujuſvis conſuetudinis impediri poſſe a quoquam, chriſtiano nomine gloriante, quo minus regna, provincias, & terras quaslibet, ad quæ ipſos deſtinari contigerit, ingrediantur libere, ac commiſſæ ſibi legationis officium exerceant in eiſdem. Qui vero de cætero ſuper prædictis dictos Legatos, aut etiam Nuncios, quos ad quaſcumque partes pro cauſis quibuslibet Sedes ipſa tranſmiſerit, præſumpſerint impedire, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Regna, terræ, & loca quælibet ſubjecta eiſdem, tamdiù ſint eo ipſo eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, quamdiu in hujuſmodi contumacia duxerint perſiſtendum. Non obſtantibus quibuslibet indulgentiis, aut privilegiis, Imperatoribus, ac Regibus, ſeu quibuſcumque aliis ſub quibuſcumque modis, tenoribus, & formis a Sede ipſa conceſſis, quæ contra præmiſſa nullis volumus ſuffragari.

Excommunicatio hic inflicta contra impedientes, ne Legati Sedis Apoſt. recipiantur, oemini erat reſervata, ſed hodie reſervata eſt Papæ, ut ex cap. XI. & XVI. Bullæ Cœnæ, quorum textus leges in calce hujus Operis.

SECTIO XXXVI.

APPENDIX

AD HUNC TITULUM DE CONSUETUDINE.

Subnectitur hic Elenchus Conſuetudinum abrogatarum ex Libris Gregorii Papæ IX. Sexto, Clementinis, & Extravagantibus.

Qualem jam exaravi in Additionibus ad Inſtitutiones Canonicas Remigii Maſchat Tom.II. pag.666.

I. COnſuetudo habendi dictum populi pro ſententia in cauſis eccleſiaſticis, hancque latam a judice non ſuo, pro valida recipiendi, abrogata eſt cap. *Ad noſtram III. de Conſuetud.*

II. Item exercendi a Clerico non Epiſcopo ea, quæ ſunt reſervata Ordini Epiſcopali cap. *Quanto IV. eod. tit.*

III. Item celebrandi divina alta voce, & pulſatis campanis, excluſis interdictis, & excommunicatis, durante interdicto cap. *Cum inter V. eod. tit.*

IV. Item dimittendi dignitates eccleſiaſticas ſine ſuperioris licentia, eaſque adminiſtrandi ſine ejuſdem confirmatione, cap. *Cum venerabilis VII. eodem tit.*

V. Item alienaodi pro libito bona uxoris a marito, vitio ſuo, aot quocumque alio caſu in paupertatem redacto, cap. *Ex parte X. eod. tit.*

VI. Item acquirendi ab uxore adultera medietatem bonorum mariti, *eod. cap. & tit.*

VII. Item retinendi ſimul duo beneficia incompatibilia abſque legitima diſpenſatione, cap. *Conſuetudinem I. eod. tit. de Conſuetud. in VI.*

VIII. Item appellandi a Vicario generali ad Epiſcopum, cap. *Non putamus II. eod. tit.*

IX. Item gradatim optandi ab antiquioribus Canonicis præbendas vacantes apud Sedem Apoſt. cap. *Cum in tua IV. eod. tit.*

X. Item rejiciendi Legatos S. Sedis non petitos, & de conſeoſu non miſſos, cap. unic. *Super gentes eod. tit.* in *Extravag. commun.*

XI. Item

XI. Item abrogata eſt conſuetudo, aut tollendi, aut reſtringendi libertatem eligentium in electione Prælati eccleſiaſtici, cap. *Cum Terra XIV. de Elect.*

XII. Item eligendi non profeſſos ad regimen regularis Eccleſiæ contra diſpoſita in cap. *Cum in Magiſtrum XLIX. hoc eodem tit. de Elect.* cap. *Cum cauſam XXVII. dict. tit.*

XIII. Item eligendi Epiſcopum a laicis una cum Canonicis, cap. *Meſſana LVI. hoc eod. tit.*

XIV. Item conferendi Sacros Ordines extra ſtatuta tempora, cap. *Sane II. de temporib. ordinat.*

XV. Item promovendi ad Ordines latinos a Græcis, & Græcos a latinis, cap. *Cum ſecundum IX. hoc eod. tit.*

XVI. Item ordinandi a græco Epiſcopo græcum ſubjectum Epiſcopo latino ſine hujus licentia, cap. *Quod de translatione XI. hoc eod. tit.*

XVII. Item projiciendi in terram, & inter ſpinas Sanctorum Imagines tempore ceſſationis a divinis, cap. *Si Canonici II. de offic. Jud. ord. in VI.*

XVIII. Item anguſtandi probationis facultatem, cap. *Debent. I. in Extravagan. commun. hoc eod. tit.*

XIX. Item inducendi gravamen Eccleſiæ, cap. *Dilecti filii XIII. de majorit. & obed. Vide infra n. LXIX.*

XX. Item judicandi Clericorum cauſas juxta laicorum conſuetudines, & non juxta Sacros Canones, cap. *Quod Clericus IX. de foro compet.*

XXI. Item prohibendi Clericis, ne præſtent Juramentum calumniæ, cap. *Ceterum V. de jurament. calum.*

XXII. Item exigendi juramentum ultra plenam probationem, cap. *Sicuti II. de probationib.*

XXIII. Item permittendi juramentum reo ad ſuam probandam innocentiam, quoties habetur, vel haberi poteſt probatio de ipſius delicto, cap. *Ad noſtram XII. eod. tit.*

Alias pravas conſuetudines purgationis vulgaris vide infra n. XXXVIII.

XXIV. Item præſcribendi abſque bona fide. cap. *Quoniam XX. de præſcription.*

XXV. Item exigendi a judicibus eccleſiaſticis præter expenſas victualium decimam, vel aliam partem litis, conventione facta cum partibus litigantibus, cap. *Cum ab omni X. de vita, & honeſt. Cleric.*

XXVI. Item exercendi in Eccleſia ludos theatrales tam a laicis, quam a Clericis, cap. *Cum decorem XII. eod. tit.*

XXVII. Item non dandi a patronis, aliiſque congruam portionem Rectoribus Eccleſiarum, cap. *Extirpandæ XXX. de præben.* Vide Trident. Seſſ. XXV. Cap. IX. §. *Patroni*, & cap. X. *de refor.* & infra num. XXIX.

XXVIII. Item admittendi ſolos nobiles ad quarumdam Eccleſiarum beneficia, cap. *Venerabilis XXXVII. hoc eod. tit.* Hodie tamen hæc conſuetudo aliquibus in locis pro legitima habetur, ſeu potius toleratur ut notabo infra ad cit. cap. *Venerabilis*.

XXIX. Item abrogata eſt conſuetudo reſervandi ſibi a patronis Eccleſiarum, tam exemptis, quam non exemptis, aliiſque quibuſcumque, etiam Regularibus, in præſentatione Rectorum earumdem Eccleſiarum tantum de illarum redditibus, ut de reſiduo iidem Rectores non poſſent commode ſuſtentari, cap. *Suſcepti I. hoc eodem tit. in VI.* Vide ſupra num. XXVII.

XXX. Item inſtituendi ad beneficia ſine conſenſu Epiſcopi, cap. *Ex frequentibus III. de Inſtitutionib.* Hæc tamen abrogatio intelligenda eſt, cum agitur de beneficiis, quæ pleno jure ab aliis non conferuntur.

XXXI. Item abrogata eſt conſuetudo, quominus monaſteria monialium, non exceptarum, viſitentur ſingulis annis a locorum Ordinariis, ſicuti & exemptarum tamquam a delegatis Sedis Apoſt. cap. *Aſcendentes II. de Statu Monachor. in Clementin.*

XXXII. Item conſuetudo reſcindendi penitus teſtamentum confectum in ultima voluntate a parochianis coram ſuo parocho, & duobus, vel tribus teſtibus idoneis, niſi factum fuerit cum ſubſcriptione ſeptem, vel quinque teſtium, cap. *Cum eſſes de Teſtament.*

XXXIII. Item exigendi pecuniam pro ſepultura, cap. *Abolenda XIII. de Sepult.* juncto can. *Quæſta XII* cauſa XIII. q. 2. Vide notanda infra ad idem cap. XIII.

XXXIV. Item reconciliandi Eccleſiam pollutam (quæ prius erat conſecrata) per ſimplices Sacerdotes de mandato Epiſcopi, aqua ab ipſo benedicta, cap. *Aqua IX. de conſecrat. Eccleſ.*

XXXV. Item ferendi Judicium, hoſpitiumque ſibi vindicandi a judice ſæculari, vel ejus Officialibus in domibus eccleſiarum, cap. *Ut in domibus I. de immunitat.*

XXXVI. Item celebrandi matrimonium intra gradus prohibitos, cap. *Quod ſuper V. de conſanguin.*

XXXVII. Item exigendi pecuniam pro danda licentia docendi, cap. *Quoniam I. & Quando III. de magiſtris.*

XXXVIII. Item abrogata eſt conſuetudo compellendi reum, duellum inire, & ferri igniti judicium ſubire ad purgandum ſe inſontem, ex quibus, ſi illæſus non evaſiſſet, civili pœna afficiebatur, cap. *Cura* & duobus ſeqq. *de Purgat. vulg.* Vide ſupra numerum *XXIII.*

XXXIX. Item compellendi ad faciendum omagium pro ſpiritualibus, ideſt ad præſtandum juramentum fidelitatis, cap. *Indignum XI. de Regul. Jur. Gregor.* Verum vide diſcrimen inter omagium, & juramentum fidelitatis in Gonzalez in cap. *Ex diligenti XVI. de Simonia.*

Aliæ Conſuetudines abrogatæ ex Decreto Gratiani

XL. Abrogata eſt conſuetudo ſe diſponendi ad quadrageſimalis jejunii obſervationem immoderato carnium eſu, *Diſtin. V. Can. Denique VI.*

XLI. Item celebrandi dies feſtos Martyrum commeſſationibus, & ebrietatibus, *diſt. XLIV. Can. Commeſſationes I.*

XLII. Item exigendi aliquid pro rebus ſpiritualibus, ſive prius, ſive poſt illarum collationem, *cauſa I. q. III. Can. Si quis XV.*

XLIII. Item convellendi parochias, cuique Eccleſiæ deputatas, *Cauſa XVI. q. IV. Can. Licet V.*

XLIV. Item uſurpandi propria auctoritate prædia, quæ a Rectoribus Eccleſiarum ad ſe pertinere putabantur, more fiſcali, titulos, (ideſt vexilla, aut alia ſigna) illis imprimendo, *ead. Cauſ. XVI. q. V. Can. Conſuetudo I.*

XLV. Item faciendi publicam confeſſionem peccatorum; *de Pænitentia diſtinct. I. Can. Quamvis LXXXIX.*

XLVI. Item invigilandi ſaltationibus, & turpibus canticis in Sanctorum ſolemnitatibus, *de Conſecrat. diſt. III. Can. Irreligioſa II.*

Huc

Huc referendæ eſſent aliæ conſuetudines abrogatæ a S. Concilio Tridentino; verum cum fere omnes pertineant ad eaſdem materias, circa quas idem Conc. abrogavit privilegia, lectorem remitto ad Elenchum, quem tranſcribam in Appendice ad Titulum de *Privilegiis*, in qua hæc privilegia abrogata enumerantur. Videri tamen poterunt ulterius circa paucas alias materias, ibidem non expreſſas, quarum conſuetudo abrogatur, Seſſ. IV. in Decreto de editione, & uſu Sacr. libror. *Seſſ. V. cap. II. de reform. – Seſſ. VII. cap. XIII. Seſſ. XXI. cap. III. – Seſſ. XXII. cap. VII. & IX. – Seſſ. XXIII. cap. IX. – Seſſ. XXIV. cap. I. II. IV. XIII. & XIV.* ac tandem *Seſſ. XXV. cap. XIX. de refor.* Legi etiam poterunt abrogationes factæ ab eodem Concilio circa cauſas appellationis, enumeratæ a Bened. XIV. quas leges infra poſt *tit. de Appellationibus* Sectione CCCIV.

Cum autem Concilium in aliquibus ex his abrogatis conſuetudinibus utatur clauſula, *etiam immemorabilem*, in aliquibus ſimplici clauſula, *Conſuetudinem*, ideo pro regula in praxi a Tribunalibus ſervanda, attendenda ſunt notata a Remigio Maſchat *in Inſtit. Canon. lib. I. tit. de Conſuet. num. 9.* ibi – Conſuetudini immemorabili non derogatur per clauſulam generalem – *Non obſtante quacumque conſuetudine*, niſi illius ſpecialis mentio fiat, quia talis conſuetudo eſt ſpeciali nota digna; tum quia pro illa præſumitur juſtus titulus, quo melior de toto mundo allegari non poteſt. Fagn. in cap. *Cum Apoſtolica, De his, quæ a Prælat.* – Quæ regula etiam attendenda eſt in ſeqq. abrogationibus; ubi enim non legitur clauſula *immemorabilis*, ibi agitur de ſimplici conſuetudine.

Aliæ quamplurimæ conſuetudines abrogatæ ſunt a Conſtitutionibus Apoſt. in Bullario Romano contentis extra corpus Juris Canonici, quarum fere omnes ſanctiones, ſive, ordinatoriæ, ſive prohibitoriæ continent clauſulam conſuetudinum in contrarium abrogatoriam. Ex quibus aliquæ tantum ſpecialiores, & ad res uſitatiores ſpectantes hic ſubduntur.

XLVII. Abrogata eſt conſuetudo, quæ vigebat in Regno Brittaniæ occupandi a laica poteſtate univerſa mobilia, decedentibus marito, vel uxore, ab Honorio II. Conſtitut. *Cariſſimus* 20. *Maii* 1130.

XLVIII. Item uſurpandi a Fiſco omnium naufragantium bona, etiam quæ in litore poſt naufragium inventa erant, ab eodem cit. Conſtit. Circa hoc vide etiam Conſtitutiones Julii II. *Romanus Pontifex* 24. *Febr.* 1509. Pauli III. *Accepimus* 13. *Martii* 1545. S. Pii V. *Cum nobis* 24. *April.* 1566. Pauli V. *Paſtorales* 8. *April.* 1610. §. 4. & poſtremo Bullam, in die Cœnæ Domini legi ſolitam cap. IV.

XLIX. Item non reſidendi a Rectoribus Eccleſiarum parochialium, a S. Pio V. Conſtit. *Cupientes* 23. *Julii* 1568.

L. Item creandi, alienandi, & redimendi annuos cenſus contra formam præſcriptam ab eodem Sancto Pio Conſtit. *Cum onus* 19. *Jan.* 1569.

LI. Item teſtandi, & quovis modo diſponendi de acquiſitis ex bonis eccleſiaſticis, aliiſque proprio labore partis, aut patrimonialibus ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum; ac inſuper eoſdem illegitimos habilitandi ad ſucceſſionem in dictis bonis, aut rebus feudalibus, & emphyteuticis, a piis locis profectis, ab eodem S. Pio Conſt. *Quæ ordini* 27. *Jan.* 1571.

LII. Item audiendi confeſſiones ſæcularium a lectoribus, & theologis quorumcumque Ordinum regularium ſine prævia Epiſcopi approbatione, ex dicti Pii Conſtit. *Romani Pontificis* 6. *Auguſti* 1571

LIII. Item non viſitandi ab Epiſcopis Eccleſias parochiales Militum S. Joannis Hieroſolymit. quoad animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem Conſt. ejuſdem *Expoſcit* 22. *Sept.* 1571.

LIV. Item non applicandi Cameræ Apoſtolicæ ſpolia Regularium, decedentium extra clauſtra, abrogata eſt a Greg. XIII. Conſtit. *Officii noſtri* 21. *Januarii* 1577.

LV. Item eligendi Abbatiſſam, aliamque monialium præfectam in Italia, & utroque Siciliæ Regno ultra triennium ab eod. Conſtit. *Expoſcit* 1. *Januar.* 1583.

LVI. Item ineundi contractus ſocietatis, ſecuritatem capitalis, aut certam reſponſionem, aut aliter uſurariam pravitatem continentes, a Sixto V. Conſtit. *Deteſtabilis* 21. *Octobr.* 1586.

LVII. Item conſuetudo, etiam longiſſimi, temporis, faciendi ſponſiones ſuper vita, morte, & futura electione Papæ: ac ſuper promotionibus Cardinalium, a Greg. XV. Conſtit. *Cogit nos* 21: *Martii* 1591.

LVIII. Item attendendi in omnibus ſtatus eccleſiaſticis Tribunalibus alias nullitates, quam juriſdictionis, citationis, & mandati, a Clem. VIII. *Litium* 9. *Februarii* 1593.

LIX. Item largiendi munera a Regularibus utriuſque ſexus, & reſpective recipiendi, ac retinendi, ab eodem Conſtit. *Religioſæ* 19. *Julii* 1594.

LX. Item conſuetudo, quominus Regulares Epiſcopo non ſubjecti, extra clauſtra notorie delinquentes puniantur ab eodem Epiſcopo juxta præſcriptum Tridentini *Seſſ. XXV. cap. XIV. de Regul.* ab eod. Clem. Conſtit. *Suſcepti* 13. *Feb.* 1596.

LXI. Item non ſervandi Cæremoniale Epiſcoporum ad divina officia rite celebranda, aliaſque functiones juxta reformationem factam ab eodem Clem. Conſtit. *Cum noviſſime* 14. *Julii* 1600.

LXII. Item cognoſcendi a ſuperioribus quorumcumque Ordinum regul. cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium S. Inquiſitionis quomodolibet pertinentes, a Paul. V. Conſtit. *Romanus* 1. *Sept.* 1606.

LXIII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, exemptionis ab Epiſcoporum juriſdictione circa diſpoſita a Greg. XV. Conſt. *Inſcrutabilis* 5. *Feb.* 1622. quam leges infra par. II. cum de *cap. XI. ſeſſ. XXV. de Regul.*

LXIV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, non exequendi a ſuperioribus regularibus præſcripta circa apoſtatas, & ejectos, ab Urbano VIII. Conſtit. *Sacra Congregatio* 21. *Sept.* 1624.

LXV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, circa præſcripta quoad celebrationem, & reductionem miſſarum, earumdem onera perpetua ſuſcipienda, augendumque Religioſorum numerum ultra vires redituum, & conſuetarum eleemoſynarum monaſteriorum, ab eod. Conſtit. *Cum ſæpe* 21. *Junii* 1625.

LXVI. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, dandi in feudum, vel emphyteuſim, & ultra triennium locandi bona juriſdictionalia ad Eccleſias, & loca pia ſpectantia, conceſſioneſque hujuſmodi reno-

vna-

vandi, ſeu prorogandi, ab eod. Conſtit. *Humanæ 1. Novem. 1625.*

LXVII. Item non degradandi, ac non tradendi brachio ſæculari Clericum reſpective, & laicum minorem XXV. annis, ſi ad presbyteratum non promotus, ſacramentales confeſſiones audierit, & miſſam celebraverit, ab eod. Conſt. *Apoſtolatus* 28. *Mar*, 1628.

LXVIII. Item emittendi profeſſionem religioſam, non facto novitiatu in locis deſignatis per Clem. VIII. ab eodem Urbano Conſt. *Religioſos* 2. *Apr*. 1631.

LXIX. Item abrogatæ ſunt quæcumque conſuetudines immemorabiles, etiam cum aſſerta forma privilegii Apoſtolici, militantes contra libertatem eccleſiaſticam, & Eccleſiis, ac perſonis eccleſiaſticis, earumque bonis præjudiciales, ex Conſtit. Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 5. *Junii* 1641. cui concordat Bulla in die Cœnæ Domini legi ſolita, & auth. *Caſſa de Sacr. Eccleſiis*, quamque per partes optime expendit Fagn. lib. I. cap. *Conſuetudines l. de Conſuetud. a n.*58. *ad* 81.

LXX Item conſuetudo, etiam longiſſimi temporis, non ſervandi numerum dierum feſtorum, præſcriptum a dicto Urbano, Conſt. *Univerſa Id. Sept*. 1642.

LXXI. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, recedendi a S. R. E. Cardinalibus e ſtatu eccleſiaſtico, abſque licentia ſummi Pontificis, ab Innoc. X. Conſtit. *Cum juxta* 19. *Febr*. 1646.

LXXII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, erigendi a Regularibus in Italia, & Inſulis adjacentibus nova loca abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, cum prævio examine Congreg. Epiſcop. & Regul., ab eod. Innoc. Conſtit. *Inſtauranda Idib. Octobr*. 1652.

LXXIII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, locandi conſanguineis, vel affinibus Rectorum, aut adminiſtratorum Eccleſiarum, aliorumque locorum piorum Urbis Romæ, ab Alex. VII. Conſtit. *In ſuprema* 23. Aprilis 1656.

LXXIV. Item abrogata eſt conſuetudo, etiam immemorabilis, ſeu contrarius uſus, dandi, vel promittendi aliquid pro obtinenda gratia, vel juſtitia apud Sedem Apoſtol. ex Conſtit. ejuſdem Alexandri *Inter graviſſimas* 2. *Maii* 1656. innovata ab Innoc. XII. Conſt. *Sacerdotalem* 29. *Jan*. 1699. reprobante non uſum dictæ Alexandrinæ ſanctionis.

LXXV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, ingrediendi a ſuperioribus regularibus, & confeſſariis intra ſepta monaſterii monialium, iiſdem regul. ſubjectarum, præter modum, & tempus præſcriptum ab Alexand. VII. Conſt. *Felici* 1. *Nov*. 1664.

LXXVI. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, exercendi ſub quocumque prætextu mercaturam a Regularibus quorumcumque Ordinum, a Clemen. IX. Conſt. *Sollicitudo* 17. *Junii* 1669.

LXXVII. Item conſuetudo, etiam centenaria, & immemorabilis, exercendi a Cardinalibus Protectoribus Ordinum Regul. ultra præſcripta in Conſtit. Innoc. XII. *Chriſtifidelium* 16. *Febr*. 1694.

LXXVIII. Item conſuetudo, ordinandi alienos ſubditos, non ſervatis conditionibus præſcriptis in Conſtit. ejuſdem Innoc. XII. *Speculatores* 4. *Nov*. 1694.

LXXIX. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, contra diſpoſita a Conc. Trid., & a S. Pio V. in collatione beneficiorum, ex Conſtit. ejuſdem Innoc. *Eccleſia* 22. *Sept* 1695. quas leges infra par. II. cum de *cap. XIV. ſeſſ. XXIV. de refor.*

LXXX. Item abrogatæ ſunt conſuetudines; etiam immemorabiles, adverſus præſcripta in Cæremoniali Epiſcoporum, Rituali Romano, vel Rubricis Miſſalis, & Breviarii, ſervanda in Eccleſiis, tam ſæcularibus, quam regularibus ex Concilio Romano ſub Benedict. XIII. *tit. XV. cap. 1. de Celeb. Miſſ. &c.* prout etiam abrogaverat S. Rituum Cong. approbante Urb. VIII. & Innoc. XIII. Conſtit. *Apoſtolici* 13. *Maii* 1723.

LXXXI. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, non explicandi Evangelium a parochis diebus Dominicis, & feſtis, etiam prætextu, quod in aliis Eccleſiis dictis diebus habeantur conciones ad populum, Bened. XIII. Conſtit. *In ſupremo* 23. *Septem*. 1724.

LXXXII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, de non ſolvenda quarta funerali a Regul. ex Conſtitut. ejuſdem Bened. XIII. *Romanus* 4. *Kal. Maii* 1725. quam leges infra par. II. cum de *cap. XII. Seſſ. XXV. de reform.*

LXXXIII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, de non ſolvenda a beneficiatis media annata favore fabricæ metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum, ex Conſtit. ejuſdem Bened. *Pius* 4. *Idus Maii* 1725.

LXXXIV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, de non deferendo a clericis beneficiatis habitu, illis congruente, ex Conſtit. ejuſdem *Catholicæ Eccleſiæ*, 5. *nonas Maii* 1725. quam leges infra part. II. poſt *cap. VI. ſeſſ. XIV. de refor.*

LXXXV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, non petendæ benedictionis epiſcopalis ab Abbatibus perpetuis, ex Conſt. d. Bened. *Commiſſi pridie nonas Maii* 1725. hanc leges infra poſt *cap. I. Statuimus de ſuppleud. negl. Prælator. Sect. LXXIV.*

LXXXVI. Item conſuetudo contraria, etiam immemorabilis, circa inſtitutionem præbendæ theologalis, & Canonici pœnitentiarii, ex Conſtit. ejuſdem *Paſtoralis* 14. *Kal. Jun*. 1725. quam leges infra poſt *cap. I. Quoniam de Magiſtr. Sectiane*.

LXXXVII. Item conſuetudo exigendi a reo incriminalibus juramentum ex Concilio Romano ejuſd. Bened. *an*. 1725.

LXXXVIII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, contra non obſervantiam clauſuræ monialium ex Conſtitutionibus, quarum ſummam leges infra part. II. cap. V. ſeſſ. XXV. de Regul. §. *Ingredi*,

LXXXIX. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, contra non obſervantiam clauſuræ monaſteriorum virorum regularium, ex Conſtit. Benedict. XIV. *Regularis diſciplinæ* 3. *Jan*. 1742.

XC. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, admittendi appellationem in caſibus relatis in Conſtit. ejuſdem, cujus ſummam leges infra poſt tit. *de Appellat.*

XCI. Item conſuetudo, de non pſallendo a choro addictis una cum aliis ex Conſtit ejuſdem Benedict. *Cum ſemper* 19. *Aug*. 1744. §. XXIV.

XCII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, non applicandi a parochis miſſam diebus feſtis pro populo, & miſſam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere ex mox cit. Conſtit. ejuſdem Bened.

Aliæ conſuetudines abrogatæ ex Decretis SS. Congregationum juxta ſeriem annorum emanatis.

XCIII. Abrogata eſt conſuetudo, etiam immemorabilis, non reſidendi in Cathedralibus, & collegiatis inſi-

inſignibus ex Decr. Congr. Conc. approbato a Greg. XIII. *an.* 1573.

XCIV. Item non aſſervandi Euchariſtiam in Eccleſiis parochialibus, ex Decr. ejuſdem Congr. 2. *April.* 1585.

XCV. Item deferendi Crucem more Archiepiſcoporum ante Superiorem monaſterii, licet habentem juriſdictionem ſpiritualem, & temporalem, ex Decr. Cong. Rituum *in Carropoliten. Nullius* 4. *Martii* 1606.

XCVI. Item faciendi proceſſionem cum SS. Sacramen. de nocte feria V. & VI. majoris hebdom. ex Decr. d. Cong. 8. *Aug.* 1606.

XCVII. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, concedendi licentiam in caſibus neceſſariis pro ingreſſu in ſepta monialium, Regularibus ſubjectarum, a ſolis eorum regularibus Superioribus, & non ſimul a locorum Ordinariis, ex Decr. Cong. Conc. juſſu Urbani VIII. 13. *Novembr.* 1620. quod leges infra part. II. poſt *cap. V. ſeſſ. XXV. de Regul.*

XCVIII. Item inſerviendi a Canonicis diaconis Epiſcopo de bugia, ſeu candela, ex Decr. Cong. Rituum *in Raguſina* 16. *Mart.* 1628.

XCIX. Item non ſubjacendi pœnis inflictis contra non intereſſentes choro, etiam per primum nocturnum; & in diebus ferialibus per ſex pſalmos, ex Decr. Cong. Conc. 24. *Maii* 1674.

C. Item recipiendi a parocbo ſudariolum, ac vas, aut diſcum, quod paratur ab infirmo occaſione recipiendi Sacramentum extremæ Unctionis, ſuper quo collocatur vaſculum Olei Sancti, ex taxa Innoc. XI. 1. *Octob. an.* 1628. *& die* 8. *d. menſ. & an.* typis data de mandato d. Pontificis a Cong. Conc. ac per literas circulares locorum Ordinariis tranſmiſſa, quæ etiam refertur in folio ejuſdem Cong. in *Albanen.* 20. *Feb.* 1723.

CI. Item applicandi miſſam pro ſe ipſis, vel aliis, etiam ſine, vel cum receptione eleemoſynæ illis diebus, in quibus ex aliqua rationabili cauſa capellani obligati quotidie celebrare per ſe ipſos juxta mentem Fundatorum, vacant ab hujuſmodi celebratione, ex Decr. Congr. Conc. in *Colleu.* 18. *Sept.* 1683. *ad III. & IV. dub.*

CII. Item abrogatur conſuetudo, etiam immemorabilis, recipiendi aliquid ab Epiſcopo, ejuſque Officialibus, tam in viſitatione, quam extra pro decretis, ſeu judicatura executionis teſtamentorum, piarum voluntatum, aut piorum legatorum, excepto moderato ſalario, dando notariis pro ſcriptura, ac illorum labore, ex Decr. ejuſd. Congr. in *Vicen.* 16. *Sept.* 1745. *&* 18. *Maii* 1686.

CIII. Item recipiendi a parocho ſudariolum, quo teguntur manus defuncti cum parva Cruce ſupra illius pectus, quæ a parocho datur, ex Decr. ejuſdem Cong. in *Tudertina funer.* 13. *Auguſti* 1718. & fol. d. Cong. in *Albanen* 20. *Feb.* 1723.

CIV. Item conſuetudo, etiam immemorabilis, cogendi Canonicum noviter electum ad parandum convivia aliis Canonicis, ex Decr. ejuſd. Cong. in *Burgen.* 3. *Sept.* 1729. *& in Leodien.* 1. *Sept.* 1731. *ac* 18. *Jul.* 1733.

CV, Item conſuetudo, etiam centenaria, vel immemorabilis, non ſolvendi cathedraticum, ex Decr. d. Cong. in *Peruſina Cathedratici* 19. *Novembr.* 1735. *& Conc. Rom.* 1725. *tit. VIII. cap. IV.*

Titulus VI. de Electione.

SECTIO XXXVII.

CAPUT III. POST quam, *ex Decretali Gregorii Magni Antemio, Subdiacono Campaniæ, ſcripta.*

POST quam: (& infra.) Confirmationem petentium deſideria, ſi nihil eſt, quod electum impediat, impleantur. Cujus vita, vel actus, quia melius poſſunt, ubi eſt converſatus, cognoſci, inquirantur ibidem.

Huic Decretali, decernenti, electum ad Epiſcopatum ab iis, penes quos eſt eligendi facultas, ut in Germania, confirmandum eſſe a Papa (non a Metropolitano, ut olim) ſi nihil ſit, quod eum impediat, acceſſit Conſtitutio Nicolai V. *Ad Sacram* 19. *Martii* 1447. in qua §. III. *Item placet*, declaratur, quod licet fuerit idoneus, & legitime electus, de plenitudine tamen poteſtatis rejici poſſit ab eodem Papa, ſi propter publicam utilitatem alium magis idoneum promovendum judicaverit, ibi.

Item placet nobis, quod in metropolitanis, & cathedralibus, etiam immediate non ſubjectis Eccleſiis, & monaſteriis immediate ſubjectis Sedi Apoſtol. fiant electiones canononicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus Conſtit. fel. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit *Cupientes*, *expectabimus*: & elapſo dicto tempore, ſi non præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus canonice fuerint, providebimus; & ſi canonicæ fuerint, eas confirmabimus, niſi ex rationabili, & evidenti cauſa, ac de dictorum Fratrum conſilio, de digniori, & utiliori perſona duxerimus providendum.

Nota I. Confirmationem Epiſcoporum faciendam a Summo Pontifice, viguiſſe ad annum uſque 1304. Poſtquam autem Summi Pontifices ſibi eorumdem electionem reſervarunt, non opus eſt amplius confirmatione; exceptis Epiſcopis Germaniæ, quorum electio juxta Concordata inter dictum Nicolaum, & Federicum Impera-

peratorem, (ut in cit. Conſtit.) eſt penes capitula Cathedralium.

Hæc autem reſervatio initium repetit ab anno 1304. in quo Benedictus XI. ſibi reſervavit electiones quatuor Patriarchalium, Conſtantinopolitanæ videlicet, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ, ut ex ejus Decretali, relata in cap. III. *Sancta Romana, de elect. in Extravagan. commun.*

Anno 1305. Clemens V. ſibi reſervavit electionem illarum Cathedralium, quæ apud Romanam Curiam vacaſſent, ut ex ejus Decretali, relata in cap. III. *Etſi, de Præben. inter dictas Extravag. com.*

Anno 1316. Joannes XXII. ſibi pariter reſervavit electionem epiſcopalium, hiſque ſuperiorum ſedium, quæ apud Sedem Apoſtol., illo vivente, vacaſſent, ut ex ejus Decretali, relata in cap. V. *Ex debito inter eaſdem Extravag. com.*

Anno 1335. Benedictus XII. ſibi reſervavit proviſiones omnium Eccleſiarum patriarchalium, archiepiſcopalium, & epiſcopalium, tunc apud eamdem Sedem quomodocumque vacantium, & vacaturarum, ut ex ejuſdem Decretali, relata in dict. Extravag. com. cap. XIII. *Ad regimen, de Præben.*

Poſtmodum per ſequentes Romanos Pontifices reſervatio facta fuit ſimpliciter, & generaliter quoad omnes Eccleſias epiſcopales, tam apud Sedem Apoſtol., quam extra Curiam vacantes, ſeu vacaturas, ut patet ex II. & III. Regula Cancellariæ: exceptis tamen Regnis, & Principatibus privilegiatis, ubi Reges, & Principes per ſpecialia concordata Epiſcopos nominant, & præſentant, a Summo Pontifice inſtituendos: & exceptis Cathedralibus Germaniæ, ut mox dictum eſt.

Nota II. Abbates quoſdam, & Præpoſitos, S. Sedi immediate ſubjectos, confirmandos pariter eſſe a Pontifice. Abbates, & Præpoſitos, ſive ſæculares, ſive regulares non exemptos confirmandos ab Epiſcopo; exemptos autem ab eorum Generali, ſi eum habeant.

Nota III. aliquos Ordinum Generales canonice electos, eo ipſo habere plenam juriſdictionem abſque ulla confirmatione.

S E C T I O X X X V I I I.

CAPUT VI. LICET, *ex Decretali, deſumpta a Canone I. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. anno* 1179.

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, ſtatuitur, ut Romanus Pontifex, niſi a duabus partibus Cardinalium electus, ſi major concordia non interceſſit, nullatenus aſſumatur: & ſi nomen Pontificis uſurpaverit, tam ipſe, quam qui eum recipiunt, excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri Ordinis privatione mulctentur. Per hanc eamdem Decretalem receditur a forma ſubſtantiali aliarum electionum. Quæ autem Summorum Pontificum Conſtitutiones eidem acceſſerint, ultro omitto, cum ſatis amplum tractatum ediderit Antonius Seraphinus Camarda, Epiſcopus Reatinus an. 1732.

S E C T I O X X X I X.

CAPUT VII. CUM IN CUNCTIS, *ex Decretali, deſumpta a Cap. II. ejuſdem Concilii Lateranenſis III.*

CUM in cunctis ſacris Ordinibus, & eccleſiaſticis miniſteriis ſint ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum ſcientia inquirenda, multo fortius in Epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum poſitus, in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari. Quapropter, ne quod de quibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahatur a poſteris in exemplum, præſenti Decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam trigeſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia commendabilis demonſtretur.

Cum vero electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definito, is, ad quem ſpectat beneficia, quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.

Inferiora etiam miniſteria, ut puta, Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parœcialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam XXV. annum ætatis attigerit, & ſcientia, & moribus commendandus exiſtat. Cum autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum, & Decanus, & reliqui admoniti, non fuerint præfixo a Canonibus tempore in Presbyteros osdinati, & ab iſto removeantur officio, & aliis conferatur, qui & velint, & poſſint illud convenienter implere. Nec proſit eis appellationis refugium, ſi forte in Conſtitutionis iſtius transgreſſionem per appellationem voluerint ſe tueri. Hoc ſane non ſolum de promovendis, ſed etiam de his, qui jam promoti ſunt, ſi Canones non obſiſtant, præcipimus obſervari.

Clerici ſane, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi tunc poteſtate privatos, & ab eccleſiaſticis beneficiis triennio noverint ſe ſuſpenſos: dignum eſt enim, ut quos Dei timor a malo non revocat, eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ. Epiſcopus autem, ſi contra hæc fecerit, aut conſenſerit fieri, in conferendis prædictis officiis, & beneficiis poteſtatem amittat, & per capitulum, aut per Metropolitanum (ſi capitulum concordare nequiverit) ordinetur.

Quæ huic Decretali acceſſerint, tum ex Concil. Trid., tum ex Conſtitut. Gregorii XIV. circa qualitates promovendorum ad Epiſcopatum, ſpecialis inſtituetur ſermo parte II. cum de *cap. II. ſeſſ. XXII. Triden. de refor.*

Cum autem Pontifex in §. *Inferiora* duo ſtatuat.

I. Ne ulli conferatur Eccleſia parochialis, niſi XXV. annum attigerit, prohibendo tantum, non irritando collationem, & ſi abſque legitimo impedimento, elapſo anno, poſt illius poſſeſſionem non fuerit ordinatus Sacerdos, prius monendus ſit, quatenus infra annum ordinetur; & ſi poſt monitionem fuerit contumax, privandus ſit per ſententiam.

II. Ut promovendi ad dignitates, etiam non curatas, debeant eſſe conſtituti in anno XXV. inchoato.

Quoad primum eidem Decretali expreſſe derogatum eſt a Gregorio X. cap. XIV. *Licet Canon hoc eod. tit. in VI.* irritante hujuſmodi collationem, & declarante, ſic proviſum non monendum, ſed eſſe ipſo jure privatum. Textum leges infra ſect LIV.

Dicta Decretalis confirmata eſt a Triden. *cap. III. ſeſſ. VII. de reform.*

Quoad II. quod ſcilicet promovendi ad dignitates non curatas, conſtituti eſſe debeant in ætate XXV. annorum incboatorum, moderata eſt a Concil. Tridentin. *ſeſſ. XXIV. cap. XII. de refor.* §. *Ad cæteras*, decernente, ſufficere annum XXII. completum, quoad dignitates, & perſonatus Cathedralium, quibus cura animarum nulla ſubeſt, Archidiaconatu excepto, qui expoſcit XXV. ætatis annum, ibi.

Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, clerici alioquin idonei, & XXII. annis non minores, adſciſcantur.

SECTIO XL.

CAPUT IX. NOSTI, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Exonienſi ſcripta.*

Noſti, quomodo Linconen. Electus concedendi honores, vel præbendas, aut alias diſponendi de rebus Eccleſiæ (cum ſua non ſit electio confirmata) non habeat facultatem, (& infra.) Mandamus igitur, quatenus ei auctoritate noſtra præcipias, ut conceſſionem, ſi quam fecit de prædictis, ſtudeat revocare.

Huic Decretali, ſimpliciter prohibenti electo in Epiſcopum adminiſtrationem ante confirmationem, acceſſit Decretalis Gregorii X. relata in cap. V. *Avaritiæ hoc eod. tit. in VI.* declarantis ulterius, eum ipſo facto eſſe privatum jure electionis, ſive adminiſtret per ſe, ſive per alium. Textum leges infra Sectione LII.

Acceſſit pariter Decretalis Bonifacii VIII. relata in cap. *Injuncta, hoc eod. tit. in Extravag. commun.* præcipientis, ut promovendi apud Sedem Apoſtol. antequam adminiſtrationem ſuſcipiant, Literas Apoſtol. teneantur obtinere, in quibus ejus promotio, ſeu confirmatio contineatur, & ſine quibus nec recipi, nec admitti poſſunt, ut Epiſcopi. Cit. Decretalem *Injuncta* confirmarunt Alexander V., & Julius II. ut ex hujus Conſtit. *Romani Pontificis 21. Julii* 1505.

SECTIO XLI.

CAPUT XV. TRANSMISSAM, *ex Decretali Cæleſtini III. Helienſi Epiſcopo reſcripta.*

Tranſmiſſam: (& infra.) Quæſiviſti, quid faciendum ſit tibi ſuper eo, quod Clerici tuæ Diœc. cum pro ſuis exceſſibus ſuſpenſionis, vel interdicti, vel excommunicationis ſententia percelluntur, parvi pendentes eam, dimittunt Eccleſias, & transferunt ſe ad mercimonia laicorum: nonnulli quoque ipſorum (habitu clericali poſtpoſito) veſtes induunt laicales, & ſicut laici mercatores ſe turpibus quæſtubus implicantes, conſimilium ſibi laicorum manus aſſociant, & correctionem eccleſiaſticam per contemptum eludunt, dicentes, quod poteſtatem non habeas eos (niſi tibi ſpecialiter Apoſtol. Sedes indulſerit) corrigendi, (& infra.) Reſpondemus igitur, quod ex quo electionis tuæ confirmationem accepiſti, de talibus, & conſimilibus (præ-

(præterea , quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt , & miniſterium conſecrationis deſiderant) quod juſtum eſt, & eccleſiaſticæ convenit utilitati, ſtatuendi habeas liberam facultatem.

Ex hac Decretali clare infertur, conferri Epiſcopo jus adminiſtrandi, per ſolam confirmationem : verum hodie non ſufficere jam notavi in præcedenti ſectione, niſi expeditæ fuerint literæ proviſionis.

SECTIO XLII.

Caput XVII. Qualiter, *ex Decretali Innocentii III. Capitulo Pennenſi, ſcripta.*

QUaliter poſt obitum, (& infra.) Verum quoniam electus a vobis ante confirmationem adminiſtrationi epiſcopatus ſe irreverenter immiſcuit, recipiendo tam a Clericis, quam a laicis juramenta, non attendens, quod ſecundum Apoſtolum nemo debet ſibi honorem aſſumere, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: præcipue, quia nec donum ſcientiæ Pontifici conveniens fuerat aſſecutus : poſtquam nobis præſentaſtis eumdem, ſufficienti examinatione præmiſſa, electionem de ipſo factam duximus irritandam, quid quid ex ea, & ob eam factum eſt, denunciantes penitus non tenere.

Huic Decretali, ſtatuenti, electum ſe immiſcentem in adminiſtrationem Epiſcopatus ante confirmationem, eſſe privandum per ſententiam jure, ſibi ex electione quæſito, tacite ampliata eſt a Gregorio X. declarante, eſſe ipſo jure privatum, ſive adminiſtret per ſe, ſive per alium, ut ex ejus Decretali, relata in cap. V. *Avaritiæ hoc eodem tit. in VI.* textum leges infra Sectione LII.

Hodie tamen præter confirmationem, de qua in dicta Decretali, opus eſt expeditione literarum Apoſtolicarum, ut ſupra notatum eſt ſectione XL.

SECTIO XLIII.

Caput XXVII. Cum causam, *ex Decretali Innocentii III. Priori S. Frigidiani, & Canonicis Lucanenſibus, ſcripta.*

CUM cauſam, quæ inter Bonum Presbyterum, & Brunum Canonicum S. Petri Lucanenſis vertitur ſuper eo, quod dictus Presbyter Bonus a majori parte Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ (prædicto B., & quodam alio contradicentibus) in Priorem (ſicut dicitur) eſt electus, olim vobis duximus committendam, (& infra.) Quamvis autem multi Priores continue unus poſt alium in ipſa Eccleſia per multa, & longa tempora fuerint non profeſſi: quia tamen præfatus Presbyter B. non eſt profeſſus obſervantiam regularem, dubitatis (& merito) nobis procedere inconſultis: quia igitur non debemus attendere ſolummodo, quid factum ſit, ſed potius quid ſit faciendum: conſultationi veſtræ taliter reſpondemus, quod cum ſecundum legem divinam, non ſit in bove arandum, & aſino, nec quiſquam debeat veſtem induere de lanâ, linoque contextam, irritetis electionem prædictam, & compellatis præfatum Presbyterum, alioſque Clericos non profeſſos, ut vel Auguſtini regulam in eadem Eccleſia conſtitutam profiteantur, & ſervent, aut ipſam Eccleſiam omnino dimittant.

In hac Decretali caſſatur electio Presbyteri ſæcularis in Priorem, ſeu Prælatum Canonicorum regularium Lateranenſium, quamvis per multa, & longa tempora in ea Eccleſia multi Priores, ſeu Prælati non profeſſi, unus poſt alium extiterint: quia non attendendum eſt ſolummodo, quid factum ſit, ſed quid faciendum ſit. Itaque jubetur electus, ut cum aliis Clericis, qui ibi ſunt, aut regulam S. Auguſtini profiteatur, aut Eccleſiam dimittat.

Hoc confirmarum eſt a Triden. *cap. XXI, ſeſſ. XXV. de Regul.*, ubi præcipit — Commendas tolli, & monaſteriis, ac Eccleſiis, quæ ſuos conventus habent, non niſi perſonas regulares ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſas præfici, ibi —.

Cum pleraque monaſteria etiam Abbatiæ, prioratus, & præpoſituræ, ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, admiiſtratione, non levia paſſa fuerint, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus detrimenta; cupit S. Synodus ea ad congruam monaſticæ vitæ diſciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficiliſque eſt præſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium poſſit adhiberi: ut tamen nihil

hil prætermittat, unde prædictis ſalubriter aliquando provideri poſſit; primum quidem confidit, S. Rom. Pontificem, pro ſua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuos conventus habent, regulares perſonæ, ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſæ, & quæ gregi præire, & præeſſe poſſint, præficiantur. Quæ vero in poſterum vacabunt, non niſi Regularibus ſpectatæ virtutis, & ſanctitatis conferantur.

SECTIO XLIV.

Caput XXXII. Cum dilectus, *ex Decretali Innocentii III. Abbati S. Victoris, Decano Pariſienſi, & magiſtro de Coizan Canonico Noviomenſi ſcripta.*

Cum nonnulli in dubium revocaverint, an huic Decretali (cujus textum nimis prolixum tranſcribere ommitto) admittenti, electionem fieri poſſe per compromiſſum, derogatum fuerit per caput XL. *Quia propter hoc eod. tit.* acceſſit Decretalis Bonif. VIII. relata in cap.XXIX. *Cum expediat hoc eod. tit. in VI.* declarantis, nullatenus eidem derogatum fuiſſe, ibi.

Cum expediat, concordare jura juribus, & eorum correctiones (ſi ſuſtineri valeant) evitari: Decretalem fel. record. Innoc. Papæ III. prædeceſ. noſtri, quæ innuit ſub ea forma poſſe in electionibus licite compromitti, ut compromiſſarii ſecreto, & ſigillatim, voluntatibus omnium inquiſitis, illum, in quem major, & ſanior pars capituli conſenſerit, eligere teneantur, declaramus abrogatam non eſſe per ſubſequutum Concilium generale: imo poteſt in ipſis electionibus, ut prius, procedi licite per eamdem.

Ex ſupra cit. Innoc. Decretali conſtat, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, competere Metropolitano jus confirmandi Epiſcopos.

Verum hodie, poſtquam ex regula II. alias III. Cancellariæ electio, & inſtitutio Epiſcoporum reſervata fuit Sed. Apoſtol. illorum confirmatio ſpectat ad Rom. Pontificem, etiam reſpectu Epiſcoporum, qui adhuc in præſens eliguntur a capitulis Cathedralium, ut in Germania, ex Concordatis inter Nicolaum V. & Federicum Imperatorem Conſlit. *Ad ſacram Petri 1. Aprilis* 1447. ſicut & illorum, quorum nominatio, & præſentatio ex conceſſione Apoſtol. eſt penes aliquos Reges, & Principes.

SECTIO XLV.

Caput XLI. Ne pro defectu, *ex Decretali Innocentii III. in Conc. generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

NE pro defectu paſtoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata grave diſpendium patiatur; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus, ut ultra tres menſes cathedralis, vel regularis Eccleſia Prælato non vacet. Intra quos (juſto impedimento ceſſante) ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant ea vice. Ac ipſa eligendi poteſtas ad eum, qui proximo præeſſe dignoſcitur, devolvatur. Is vero, ad quem fuerit devoluta poteſtas, Deum præ oculis habens, non differat ultra tres menſes cum conſilio capituli ſui, & aliorum virorum prudentium, viduatam Eccleſiam, de perſona idonea, ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illa, canonice ordinare, ſi canonicam voluerit effugere ultionem.

Poſtquam electionem Epiſcoporum Summus Pontifex ſibi reſervavit, ut mox notavi, hæc Decretalis locum dumtaxat habet in illis Eccleſiis, quarum Prælati eligi poſſunt ab earum capitulis.

Circa devolutionem vero ad proximum ſuperiorem, ad Archiepiſcopum nempe, in caſu negligentiæ eligentium intra trimeſtre tempus, cum hodie ſicut vi Concordatorum neque in ipſa Germania Archiepiſcopus electos confirmat, ſed Papa — *ita nec ad ipſum hæc devolutio fieri videtur* — ut recte advertit Layman quæſt. XCVIII. & cum eo Wagnerex ad hoc idem cap. §. *Qui proximo*.

SE-

SECTIO XLVI.

CAPUT XLII QUIA PROPTER, *ex Decretali deſumpta a Can. XIV. ejuſdem Concilii generalis Lateranenſis IV.*

Quia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis: ſtatuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de collegio fide digni, qui ſecrete, & ſingillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus appellat. obſtaculo interjecto; ut is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel major, & ſanior pars capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de paſtore. Aliter electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio celebrata. Qui vero contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice poteſtate priventur.

Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat advocari, juſtoque impedimento detentus venire non poſſit: ſuper quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento, & tunc ſi voluerit, uni committat de ipſo collegio vicem ſuam.

Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, ut quamcito electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.

In hac Decretali ſtatuitur, ut is, ſcrutinio publicato, cenſeatur electus – in quem omnes, vel major, & ſanior pars capituli conſentit – Hinc inferunt Canoniſtæ, ut nedum numeri ad numerum, ſed etiam zeli, ad zelum, ac meriti ad meritum fieri debeat collatio.

Verum, quidquid ſit de neceſſitate hujuſmodi collationis, inſpecto jure communi, certum eſt, hodie hanc collationem eſſe obſeletam, ſolamque collationem numeri ad numerum eſſe notam in omni electione; quod jampridem in electione monialium ſervari præcepit Bonif. VIII. in cap. XLIII. *Indemnitatibus* §. *Sane de Elect. in VI.* Vaneſpen. *part.* II. *tit.* XXI. *cap.* III. *num.* 33. *&* *cap.* IV. *num.* 23. Cui conſentit Matt. de cauſis conſiſtorialibus ſect. XIX. §. III. num. 8. ibi – Di„ ctiones meriti ad meritum, & zeli ad zelum addu„ cuntur hodie in inſtrumentis electionum de ſtylo an„ tiquo, quia revera nihil inſerviunt, cum cæteroquin „ ex ſupradictis, quantum ad hoc attinet, attendatur „ major pars ſuffragiorum, & dignitas perſonæ ele„ ctæ – Et Anſald. in addit. ad deciſ. 52. num 25. qui cum in Sacra Conſiſtoriali Congregatione conſideret, teſtatur, numquam ex hoc cap. ommiſſæ ſcilicet collationis meriti ad meritum, & zeli ad zelum electionem fuiſſe irritatam ibi -- „Obſervantia præbuit, quod, poſt„ – habita collatione zeli ad zelum, & meriti ad meri„ tum, ſufficiat fieri collationem numeri ad numerum, „ dicendo – talis habuit tot ſuffragia, talis tot &c. & „ de facto, me conſidente in Sacra Cong. Conſiſtoriali „ numquam fuit ex hoc cap. electio irritata — .

Præſcribitur præterea in hac Decretali, electionem fieri debere vel per ſcrutinium, ut dictum eſt ſupra, vel per compromiſſum, vel per inſpirationem.

Verum quoad Regularium utriuſque ſexus electionem, acceſſit derogatio facta a Triden., quod *cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. *de Regul.* ad evitandas diſcordias, & odia inter Religioſos, ſuſtulit formam inſpirationis, & compromiſſi, præcepitque fieri debere per ſecreta ſuffragia ſub pœna nullitatis, textum leges part. II. cum de eodem cap. inſtituetur ſermo.

Non deſunt tamen Canoniſtæ, ſentientes nullatenus per hoc decretum derogatum fuiſſe formæ compromiſſi etiam in electione Regularium, quoties compromiſſum fiat more ſcrutinii, per vota ſecreta, cum ſic idem finis a Triden. intentus obtineri poſſit; Wagnerez, & Matchat *Inſtit. Canonic. tit. de Elect.* §. *IV. num.* 28.

Circa ſecretum ſervandum, de numquam ſcilicet publicando nomina eligentium, ſub pœna nullitatis electionis, cum inde uncte impoſitum ſit a Trident., ut numquam id fiat, adſtringuntur ad illud ſervandum tam ſcrutatores, quam eligentes, nedum in actu electionis, ſed etiam poſt illius publicationem, cum ad finem hujus præcepti interſit, ne publicentur nomina eligentium, etiam poſt, propter eaſdem diſcordias, & alia incommoda, quæ oriri poſſent: a qua publicatione ſub mortali cavere debent, ut cenſeo, Regulares.

Addit autem laudatus WagnereK, certum videri – hoc Decretum ſolum procedere de electionibus ſuperiorum regularium, neque extendi debere hunc ſecreti rigorem de numquam publicando, & adjunctam pœnam irritationis ad electionem Prælatorum ſæcularium per regulam juris in VI. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.*

Permittitur tandem in allata Decretali, *Quia propter*, deputari poſſe ab abſente, & juſte impedito ad intereſſendum electioni, procuratorem, ex gremio tamen eligentium, qui loco ſui ſuffragium ferat.

In Decretali Bonifacii VIII. relata in cap. XLVI. *Si quis hoc eod tit. in VI.* ſtatuitur, deputari poſſe etiam plures, dummodo cuilibet in ſolidum det poteſtatem, & tunc melior erit conditio occupantis. Qui ſi ambo inſimul poſtulent admitti, is admittitur dumtaxat, quem major pars capituli eligit, vel ſi concordare nequeunt, is qui primo in inſtrumento procuræ fuerit nominatus: ſi autem nullus in ſolidum fuerit deputatus, nullus admittitur. Si unus eſt ſimpliciter conſtitutus, & alium ſuo, alium alieno nomine in ſcrutinio nominet,

net, nihil agit, niſi habeat a Domino ſpeciale mandatum de certa perſona eligenda, ut abſens quoque, licet nullus de collegio velit eſſe ejus procurator, non eſt permittendus, ut deputet extraneum, nec poterit per literas ſuum votum exprimere,

Verum, & huic indulto derogatum eſt, quoad electionem Regularium, tum a Cong. Conc. in una *Bulgariæ 3. Decembris* 1644. – S. Congr. *cenſuit, ne deinceps titulares conſtituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces, & ſuffragia abſentium ſuppleantur – ut lib. XII. decretor. pag.*149.

Tum ab Innocentio XII. Conſtit. *Chriſtifidelium* 16. Febr. 1694. §. XII. ibi.

Nolumus tamen abſentium vota, nec Protectoris, nec cujuſcumque alterius, nec etiam ipſarum Cardinalium Congregationum auctoritate ſuppleri, ſeu alios vocales, eorumdem abſentium loco, ſeu vice ſubrogari, deputari, ſeu eligi, ſed jus eligendi in ſolis, juxta juris, & Inſtituti regulas ad hunc effectum aſſumptis, & in deſtinatis loco, & tempore convenientibus conſolidari, ſeu alias, prout de jure, permanere omnino volumus, & mandamus.

SECTIO XLVII.

Caput XLIV. Nihil est, *ex Decretali, deſumpta a Can.XXVI. Concilii generalis Lateranenſ. IV.*

Nihil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo adhibere neceſſariam medelam, irrefragabili Conſtit. ſancimus, quatenus cum quiſquam ad regimen animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipſius confirmatio, diligenter examinet, & electionis proceſſum, & perſonam electi: ut cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat; quia ſi ſecus fuerit incaute præſumptum, non ſolum dejiciendus eſt indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus. Ipſum quoque decernimus hac animadverſione puniri, ut, cum de ipſius conſtiterit negligentia, maxime ſi hominem inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbaverit, non ſolum confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, verum etiam (ne aliquo caſu pœnam effugiat) a perceptione proprii beneficii ſuſpendatur, quouſque (ſi æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si vero convictus fuerit in hoc per malitiam exceſſiſſe, graviori ſubjaceat ultioni.

Epiſcopi quoque tales ad ſacros Ordines, & eccleſiaſticas dignitates promovere procurent, qui commiſſum ſibi officium digne valeant adimplere, ſi & ipſi canonicam cupiunt effugere ultionem. Cæterum qui ad Roman. pertinent immediate Pontificem ad percipiendam ſui confirmationem officii, ejus ſe conſpectui (ſi commode fieri poteſt) perſonaliter repræſenteut, aut perſonas tranſmittant idoneas, per quas diligens inquiſitio ſuper electionibus, & electis poſſit haberi: ut ſic demum per ipſius circumſpectionem conſilii, ſui plenitudinem officii aſſequantur, cum eis nihil obſtiterit de canonicis inſtitutis: ita quod interim valde remoti, videlicet ultra Italiam conſtituti, ſi electi fuerint in concordia, diſpenſative propter neceſſitates Eccleſiarum, & utilitates in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrent, ſic tamen, ut de rebus eccleſiaſticis nihil penitus alieneut. Munus vero benedictionis, ſeu conſecrationis recipiant, ſicut hactenus recipere conſueverunt,

Huic Decretali, permittenti, ut Prælati, electi in concordia, valde remoti, videlicet ultra Italiam conſtituti, adminiſtrare poſſint ſuas prælaturas, juriſdictionemque exercere ante confirmationem, derogatum eſt ab Alexandro V. & Julio II. ſtatuentibus, ut Prælati de Eccleſiis ſæcularibus, vel regularibus proviſi, ut ſupra, ſive in titulum, ſive in commendam, teneantur intra annum a die proviſionis eis factæ in Curia Romana literas expedire facere, eaſque recipere; ante earum vero expeditionem non præſumant de regimine, ſeu adminiſtratione Eccleſiarum illarum, bonorumve tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ullatenus ſe ingere, ſub pœna privationis Eccleſiarum, ſeu monaſteriorum, & omnis juris quæſiti ex dicta proviſione pontificia, ipſo facto incurrenda: & alias omnia acta per eos tam ſcienter, quam ignoranter facta, irrita decernuntur, ut videre eſt in dicti Julii Conſtit. *Romani Pontificis* 21. *Julii* 1505.

In tranſcripta Decretali præcipitur, ut Epiſcopi electi – *munus benedictionis, ſeu conſecrationis recipiant, ſicut hactenus recipere conſueverunt* –.

Cum autem non explicetur intra quod tempus illud recipere debeant, neque quam pœnam incurrant non recipientes intra præſcriptum tempus, acceſſit declaratio Conc. Trid. quod innovans Can.XXV. Concilii Chalcedonenſis, relatum a Gratiano Can.II. *Quoniam diſtin. LXXV.* præficit tempus trium menſium cum additione pœnæ in tranſgreſſores, ut *cap.II. ſeſſ.XXIII.* textum leges infra part.II. cum ſermo erit de eodem cap.

Olim

Olim introductus erat mos, ut Epiſcopi peterent, & obtinerent a Sede Apoſtol. prorogationem ad accipiendam conſecrationem ultra ſex menſea; ſed idem Trident. *cap. IX. ſeſſ. VII. de reform.* inhibuit, ne amplius concederetur, ibi.

Ad majores Eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus a jure ſtatutum, ſuſcipiant, & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

Unde, ſi umquam concederetur, opus eſſet ad validitatem conceſſionis ſpeciali derogatione huic Tridentinæ ſanctioni, ut ſentit Sanchea cum *Theſauro de Pœnis cap. II. verbo Epiſcopus*.

Cæterum invaluit contrariaopinio, aſſerens, non opua eſſe hac ſpeciali derogatione, ut oſtendetur par. II. cum de *cap. XXI. ſeſſ. XXV. de reform.*

Nota I. His pœnia non affici Epiſcopos, neceſſitate, vel impedimento gravi, & inſuperabili præpeditos, ut declaratur in cit. Can. *Quoniam*, & etiam infertur ex verbo *Neglexerint*, quo utitur Trident. in ſupra allat. *c. II. ſ. XXIII.* quod non verificatur de impedito. Tempus autem conſecrationis accipiendæ incipit currere a die confirmationis, ſeu proviſionia Apoſtolicæ.

Nota II. Pœnas a Trident. inflictas, juxta probabiliorem, ligare ante omnem declarationem, quod hodie tum maxime obtinet ex prohibitione prius jam indicta ab Urbano VIII. in Brevi reformationis S. Pœnitentiariæ, etiam majori Pœnitentiario, & innovata a Benedicto XIV. Conſt. *Paſtor bonus 13. Apr.* 1744. ne convalidet titulum, neque fructus iiſdem transgreſſoribus condonet, ibi §. XXI.

Verum a convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abſtineat, quoad illos, qui de Eccleſiis cathedralibus proviſi, munus conſecrationis intra præfinitum tempus non ſuſceperint.

Nota III. Pœnis hiſce a Trident. inflictis non teneri Epiſcopos *Titulares*, negligentes conſecrationem ſuſcipere intra tempua ab ipſo præfinitum. Ratio ſiquidem, cum Triden. ita obſtrinxit Epiſcopos, fuit ut occurreret ſpirituali damno, quod afferre poterat ſubditis dilata ab Epiſcopo in longum tempus ſuſceptio conſecrationis. At ratio hæc neutiquam locum habet quoad Titulares Epiſcopoa, quippe qui ſubditos habitu dumtaxat, non item actu habent, ut firmant *Hurtad Variar. Reſolut. tom. 2. tractat. ultim. reſolut. 12. §. 4. n 220. Rot. in Vilnen. Ordinis S. Baſilii Magni Ruthenorum 3. Aprilis* 1761. §. 14. *coram bon. mem. Changigae*, ubi & alia affertur ratio.

Nota IV. ſupra allatam Decretalem, quoad electionem Epiſcopi factam, vel faciendam a capitulis Cathedralium habuiſſe locum, quouſque earumdem Cathedralium proviſiones Summi Pontifices ſibi non reſervarunt, ut ſupra notavi Sectione XLIV. & XLV.

SECTIO XLVIII.

Caput XLIX. Cum in magistrum, *ex Decretali Gregorii IX.*

CUM in magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non novit: nos, intellecto per te, quod in quibuſdam regularibus domibus, jure tibi diœceſano ſubjectis, ſunt quidam in Abbates non profeſſi Ordinem regularem aſſumpti: mandamus, quatenus, cum Abbates tales eſſe non debeant, qui per profeſſionem Monachi, & regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inveneris (ſublato appellat. impedimento) procedas.

Conſuetudo erat antiquitus, ut propter neceſſitatem monaſterii unius Ordinis præficeretur ejus regimini Religioſus alterius Ordinis, dummodo in eo profeſſionem emiſiſſet Can. V. *Quamvis §. Defuncto Cauſ. XVIII. quæſt. 2.* quod etiam fieri poſſe arguitur ex hac Decretali, ut animadvertit Card. Petra ad *Conſtit. II. Eugenii III. Sect. unic. n. 74.*

Verum id inhibitum eſt a Clemente V. irritante hujuſmodi electionem, ut in Cap. I. *Cum rationi, hoc eod. tit. in Clementin.* Textum leges infra Sectione LXIII.

Gloſſa in hac Clement. verbo *Religionis* tradit, non ſufficere eamdem regulam in generali, ut ex regula S. Benedicti, quam profitentur plures Congregationes particulares, ſed requiri, quod religioſus præficiendus, ſit ejuſdem Religionia, ſeu Congregationis ſpecialis, ut in allata Clementina clariua explicatur.

Non tamen, ſubdit Petra *loc. cit. num. 76. & ſeq.*
„ — requiritur de jure, quod præficiendua, ſit ejuſdem
„ Provinciæ, ſeu monaſterii; nam quidquid ſit quoad
„ primævos Canonea, ut ſupra innui, & dixit Gon-
„ zalez *cap. Cum dilectus VIII. num. 16. de Conſuetud.*
„ ſecundum jura noviſſima, ſatia eſt, quod electus ſit
„ ejuſdem Religionis ſpecialis; cum per accidens in Re-
„ ligionibua ſit diſtinctio monaſteriorum, & Provin-
„ ciarum —.

Hoc tamen intellige de illis Ordinibus regularibus, in quibus non vigent ſtatuta particularia, ut præficiendus regimini monaſterii, ſit ejuſdem provinciæ, cui idem monaſterium aſſignatum eſt.

S E C T I O X L I X.

Caput LIV. Dudum, *ex Decretali Gregorii IX. Sylvanctienſi Epiſcopo ſcripta.*

DUdum ....Sed cum in jure confeſſus fuerit, quod Archidiaconus Ambian. de conſuetudine ſuſpendit, excommunicat, & abſolvit Presbyteros, & Priores, & paræciales Eccleſias interdicit, necnon Archidiaconus viſitat, & inquirit, quæ viderit inquirenda, & procurationes ratione viſitationis recipit, evidenter apparet, quod curam habeat animarum annexam, quam ſi etiam non haberet, negare non poteſt, quin perſonatus exiſtat, cum idem de perſonatibus, quod & de beneficiis curam animarum habentibus, judicium ſit habendum.

Inſuper indulgentiam, quam ſuper hoc aſſerit ſe habere, invalidam reputavimus, cum in ea falſitatem ſuggeſſerit, & ſuppreſſerit veritatem; qua tacita, vel expreſſa, ipſam nullatenus habuiſſet: ſuggeſſit enim, quod prædictas paræciales Eccleſias, antequam fuiſſet in Archidiaconum aſſumptus, canonice fuerat aſſecutus, cum nullus potuerit plures paræciales Eccleſias obtinere, niſi una penderet ex altera, vel unam in titulatam, & alteram commendatam haberet, unde cum idem utramque illarum intitulatam haberet, ipſas nequivit canonice habuiſſe.

Hæc Decretalis, tribuens Archidiacono facultatem viſitandi Eccleſias ſibi ſubjectas, moderata eſt a Conc. Trid. *cap. III ſeſſ. XXIV. de reform.* in quo præſervatur quidem facultas eas viſitandi, ſed cum limitatione, quam leges infra, una cum textu ejuſdem Cap. III. Sectione CXXXIX.

Facultas ſuſpendendi, excommunicandi, & parochiales Eccleſias interdicendi, quam hic eidem Archidiacono de conſuetudine competere aſſeritur, hodie ſublata eſt, ut notabo infra ad textum tituli *de offic. Archidiac.*

Declaratur præterea in hac eadem Decretali §. *Cum nullus*, retineri poſſe duo beneficia curata, unum in titulum, alterum in commendam.

Verum hæc retentio hodie abrogata eſt a Concil. Trid. *ſeſſ. VII. cap. IV. de reform.* prohibente retentionem duorum curatorum beneficiorum, vel alias incompatibilium, ſive per viam unionis ad vitam, ſive commendæ perpetuæ, contra diſpoſitionem cap. XXVIII. *De multa, de præben.* prohibente inſuper ead. *ſeſſione* cap. II. retentionem cum iiſdem titulis plurium metropolitanarum, ſeu Eccleſiarum cathedralium, ibi —.

Quicumque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia eccleſiaſtica, ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo contra formam Sacrorum Canonum, & præſertim Conſtitutionis Innocentii III. quæ incipit: *De multa*, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit; beneficiis ipſis, juxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem ipſo jure, etiam præſentis Canonis vigore, privatus exiſtat:

Textum cit. Cap. II. Trident. leges infra part. II. cum ſermo erit de eod cap.

Eodem Titulo in VI.

S E C T I O L.

Caput III. Ubi periculum, *ex Decretali Gregorii X. in Concilio generali Lugdunenſi II. celebrato an.* 1274.

Tractat Pontifex in hac Decretali de electione ſummi Pontificis, & confirmat Conſtitutionem de eadem re Alexandri III in Conc. Lateranen. cap. VI. quæ refertur in cap. *Licet hoc eod. tit.* multaque alia ſalutaria addit.

Joannes monachus aſſerit in principio hic, iſtam Decretalem per Adrianum Papam fuiſſe quoad omnem ejus effectum ſuſpenſam: & Joan. XI. dictam ſuſpenſionem, quæ non fuit in ſcriptis redacta, ratificaſſe, & de Fratrum conſilio eam, quoad omnem itidem effectum ſuſpendiſſe: ſed a Cæleſtino in ſtatum priſtinum fuiſſe reſtauratam: quam poſtea magis confirmavit Clemens V. in *Clementina Ne Romani hoc tit.*

Quæ autem hodie ſervanda ſint in electione Summi Pontificis, Lectorem remitto ad Tractatum Antonii Seraphini Camarda.

S E C T I O L I.

Caput IV. Ut circa, *ex Decretali dicti Gregorii X. in eodem Concilio.*

UT circa electiones, poſtulationes, & proviſiones eccleſiaſticas viam malitiis, prout eſt poſſibile, præcludamus, ne diutius periculoſe vacent Eccleſiæ, vel perſonatuum, dignitatum

tatum, & aliorum eccleſiaſticorum beneficiorum proviſio differatur: Edicto perpetuo providemus, ut (ſi quando aliqui electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua contra electionis, poſtulationis, ſeu proviſionis formam, aut perſonas eligentium, vel electi, ſive illius, cui erat proviſio facienda, ſive facta, & propter hoc contigerit appellari) appellantes in inſtrumento publico, ſeu literis ſuper appellat. confectis, omnia, & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas, coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quod credunt ea, quæ ſic exprimunt, eſſe vera, & ſe poſſe probare: alioquin tam opponentes, quam (tempore appellat. interpoſitæ, vel poſtmodum) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua (quæ non fuerint in hujuſmodi literis, vel inſtrumentis expreſſa) poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit, vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis tempore emiſſæ veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia, & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant juramentum: hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ea probanda credunt, ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſane, quæ fel. rec. Innocentius Papa IV. contra non plene probantes ea, quæ in formam, vel perſonam objecerant, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.

Hæc Decretalis, præſcribens, quid ſervari debeat in appellatione interponenda poſt electionem jam factam, ampliata eſt a Bonifacio VIII., ſtatuente, idem ſervandum eſſe, etiam ante electionem peragendam, ut ex ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. XX.* ibi —.

Qui contra certam, & nominatam perſonam, ne ab aliis eligatur, ad Sedem Apoſtol. antequam fiat electio, duxerit appellandum, debet per omnia in appellando, ſervare formam Conſtit. fel. record. Gregorii Papæ X. prædeceſ. noſtri (*Vt circa*) editæ in Concil. Lugdunenſi, ac ſi, electione jam facta, eum contingeret appellare. Alioquin non obſervans, pœnæ Conſt. ejuſdem ſe noverit ſubjacere.

Inſuper tranſcriptæ Decretali, *Vt circa*, acceſſit altera ejuſdem Bonif. relata in cap. XXXVIII. *Procurator*, in qua ob majorem cautelam extendit etiam ad procuratores quod in illa ſtatutum eſt de perſonis appellantium.

Rurſus & altera, relata in cap. XLI. *Conſtitutio*, declarans, dictam Decretalem, *Vt circa*, exprimentem formam appellandi contra electiones, poſtulationes, & proviſiones, locum duntaxat habere, cum extra judicium appellatur, non cum in judicio: tunc enim anteriora jura obſervanda ſtatuit, videlicet cap. LIX. *Vt debitus de appellat.*

Tandem acceſſit Decretalis Clementis V. relata in cap. IV. *Conſtitutionem hoc eod. tit. in Clementin.* per quam eadem Decretalis, *Vt circa*, declaratur, & limitatur, cujus ſumma eſt.

Decretalis, *Vt circa*, locum non habet, cum appellans, jus ſuum, aut Eccleſiæ directe proſequitur, ſed duntaxat, cum opponit in formam, aut perſonas, defectus, vel crimina. Quorum circumſtantias, niſi ſpeciatim exprimat, ſuper illis non auditur, etſi juret, ſe illas cognoviſſe de novo. Neque etiam in eadem cauſa ſuper illis auditur alius, qui non appellat, niſi proſequatur intereſſe proprium; poteſt tamen aſſiſtere appellanti. Appellans vero, non obſervans formam dictæ Decretalis, *Vt circa*, licet renunciet appellationi, nec per viam quidem querelæ poteſt proſequi objectum, aut alia, niſi in caſibus exceptis. Omiſſio dictæ formæ, quamvis appellantem a probatione repellat, non tamen infirmat probationem ſuper his, quæ ex adverſarii confirmatione, vel alias legitime exurgit.

SECTIO LII.

CAPUT V. AVARITIÆ, *ex Decretali ejuſdem Gregorii in eodem Concilio Lugdunenſi.*

AVaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi a jure interdicta noverint, exquiſitis fraudibus uſurpare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen Eccleſiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet, ſe ante confirmationem electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi Eccleſiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipſam ſibi, tamquam procuratoribus, ſeu œconomis committi procurant. Cum itaque non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes, hac generali Conſtit. ſancimus, ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus, vel temporalibus per ſe, vel per alium

alium, pro parte, vel in totum, gerere, vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos, qui ſecus fecerint, jure, ſi quid eis per electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos,

Quid novi huic Decratali acceſſerit, jam notatum eſt ad cap. IX. *Noſti* Sectione XL. & cap. XLIV. *Nibil* Sectione XLVII.

SECTIO LIII.

Caput VI. Quam sit, *ex Decretali Gregorii X. In eodem Concilio Lugdunenſi.*

Quam ſit Eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus, non ſolum jura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto ſtatuimus, ut, ſi quando fuerit electio in aliqua Eccleſia celebrata, electores electionem ipſam, quamcitius commode poterunt, electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent: electus vero illum adhibere intra menſem a tempore præſentationis hujuſmodi teneatur. Quem ſi electus ipſe ultra præſtare diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua electione fuerit acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum: niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio, ut electioni de ſe celebratæ abſque Superioris ſui licentia, ex prohibitione, ſeu quavis proviſione Sedis Apoſtolicæ, conſentire non poſſit: quo caſu idem electus, ſeu electores ipſius, conſentiendi licentiam ab ejus Superiore, cum ea celeritate, quam Superioris ipſius præſentia, vel abſentia permiſerit, petere ſtudeant, & habere. Alioqnin, ſi lapſo tempore, pro ejuſdem Superioris præſentia, vel abſentia (ut præmittitur) moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat: electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Cæterum quivis electus intra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quodſi, juſto impedimento ceſſante, intra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.

Cum aliquando dubitatum fuerit, an electus, culpabiliter differens confirmationem petere intra trimeſtre, eo ipſo vi hujus Decretalis privatus ſit jure ſibi ex electione quæſito, eidem acceſſit Decretalis Bened. XI. relata cap. II. *—Si Religioſus — inter Extravag. commun. hoc eod. tit.* declarantis, eo ipſo privatum eſſe: ibi.

Si Religioſus, qui abſque ſui Superioris licentia electioni de ſe factæ conſentire non poteſt illam poſt electionem ſibi præſentatam, vel ejus electores, intra tempus pro ejuſdem Superioris præſentia, vel abſentia moderandum, nequaquam obtineat, dat generale Concilium Lugdunenſe electoribus ex tunc ad electionem aliam procedeudi liberam facultatem. Verum quia frequenter dubitatum eſt, an etiam ſit eo ipſo jure (ſi quod ei competebat ex hujuſmodi electione) privatus, ſtatuimus, illo eum hoc ipſo fore privatum,

Nota, diſpoſitionem utriuſque tranſcriptæ Decretalis habere locum juxta Vangnerex in dicto cap *Quam ſit*,, — Non ſolum in cathedralibus, & regularibus Ec-,, cleſiis, ſed in qualibet electione, etiam ad inferiora ,, beneficia, quæ confirmari debet, ſecundum Joan. ,, Andr. Lapum, *alleg.* 8. & Franc. hic num. 1. idque ,, propter identitatem rationis, & verba generalia, *vaca-,, tionis, & electi*. Habet item locum in præſentatio-,, ne, ſpectante ad collegium, vel perſonam eccleſiaſti-,, cam; habet enim vim electionis ſecundum *Innocent.* ,, *De jure patron.* & Lapum *alleg.* 8. Item forte poſſet ,, dici de præſentatione ſpectante ad laicum, cum ra-,, tio iſtius tit. ſit generalis, providere videlicet vacatio-,, nibus Eccleſiarum. Neque obſtat, hic ſolum exprimi ,, electionem, quia electio generatim ſumpta, etiam ,, comprehendit præſentationem, ut poſt alios notat ,, Franc. num. 2. & nos ſæpius diximus —.

SECTIO LIV.

Caput XIV. Licet Canon, *ex Decretali laudati Gregorii X. in eodem Conc. Lugdunenſi.*

Licet Canon, a fel. record. Alexand. Papa Præd. noſtro editus, inter cætera ſtatuerit, ut nullus regimen Eccleſiæ parochialis ſuſcipiat, niſi XXV. annum ætatis attigerit, ac ſcientia, & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumptus hujuſmodi, ſi mo-

monitus, non fuerit præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a regiminis ejuſdem amoveatur officio, & alii conferatur. Quia tamen in obſervatione Canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes juris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus ad regimen parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate: decernentes collationes de parochialibus Eccleſiis, iis, qui non attigerint XXV. annnm, de cætero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam, qui ad hujuſmodi regimen aſſumetur, ut gregis ſibi crediti diligentius curam gerere poſſit, in parochiali Eccleſia, cujus rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur, & intra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoveri: quod ſi intra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis Conſtit. auctoritate privatus. Super reſidentia vero (ut præmittitur) facienda poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcit.

Huic Decretali, ſtatuenti, ut aſſumpti ad Eccleſiam parochialem intra annum ad Sacerdotium promoveantur, & per ſe reſideant, ſub pœna, ſi intra id tempus non promoti fuerint, privationis ipſo facto parochiæ, abſque ulla monitione; tacite derogatum eſt a Bonif. VIII. tribuente Epiſcopis, aliiſque ſuperioribus facultatem diſpenſandi cum iiſdem, ut uſque ad ſeptennium, literarum ſtudiis inſiſtentes, promoveri teneantur ad Sacerdotium: promoveri tamen debent intra annum ad Subdiaconatum, ſub eadem pœna a Gregorio ſtatuta: ſicuti etiam eamdem pœnam incurrunt, ſi elapſo ſeptennio, ad Diaconatum, & Presbyteratum ſe non fecerint promoveri, ut in ejus Decretali, relata in Cap. XXXIV. *Cum ex eo, hoc eod. tit. in VI.* ibi —

Cum ex eo, quod fel. rec. Gregor. Papa X. Prædeceſ. noſter ſtatuit in Conc. Lugdun., ut ad regimen parochialium Eccleſiarum aſſumpti ſe ad Sacerdotium promoveri faciant intra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore connumerandum, & perſonaliter reſideant in eiſdem: alioquin, ſi intra idem tempus promoti non fuerint, hujuſmodi Eccleſiis abſque monitione alia ſint privati: nonnullis ex tunc parochiales Eccleſias recuſantibus acceptare, legendi, & proficiendi (cum eis facultates non ſuppetant, nec ab Eccleſiarum Prælatis de aliis beneficiis in pleriſque mundi partibus interdum provideatur eiſdem) opportunitas ſit ſublata, in grande univerſalis Eccleſiæ (quæ ad ſui regimen viris literatis permaxime noſcitur indigere) diſpendium, & jacturam: Nos ſuper hoc multorum inſtantia excitati frequenter, volentes cupientibus in ſcientia proficere, ut fructum in Dei Eccleſia ſuo tempore afferre valeant opportunum, utiliter providere: præſenti Conſtit. ſancimus, ut Epiſcopi, eorumque Superiores, cum iis, qui hujuſmodi ſubjectas ſibi Eccleſias obtinent, vel obtinuerint in futurum, diſpenſare poſſint libere, quod uſque ad ſeptennium literarum ſtudio inſiſtentes promoveri minime teneantur, niſi ad Ordinem Subdiaconatus dumtaxat, ad quem intra prædictum annum recipiendum (ne ſicut a multis de Chriſti patrimonio ſublimatis olim factum eſſe dignoſcitur, a ſtatu retrocedere valeant clericali) omnino adſtringi volumus: & niſi receperint, pœna contenta in dicto Conc., eo ipſo percelli: Porro ſeptennio prædicto durante, iidem Epiſcopi, & Superiores ſolicite providere procurent, ut per bonos, & ſufficientes Vicarios, ab eis in hujuſmodi Eccleſiis deputandos, animarum cura diligenter exerceatur, & deſerviatur laudabiliter in Divinis: quibus de ipſarum Eccleſiarum proventibus neceſſaria congrue miniſtrentur. Elapſo vero dicto ſeptennio, hi, cum quibus fuerit (ut præmittitur) diſpenſatum, ad Diaconatus, & Presbyteratus Ordines intra annum ſe faciant promoveri: alioquin ex tunc dictam pœnam (niſi juſta de cauſa id omiſerint) ipſo jure ſe noverint incurſuros.

Hujuſmodi tamen facultate diſpenſandi parochos a reſidentia per ſeptennium cauſa ſtudiorum, tributa a Bonifacio in hac Decretali, Epiſcopus poſt Trident. uti amplius non poteſt: cum enim *cap. XVIII. ſeſſione XXIV. de reform.* ſtatuerit, parochiales Eccleſias non eſſe conferendas, niſi per concurſum, conferri nequeunt, niſi perſonis actu idoneis repertis, ideoque ceſſat ratio a Pontifice hic conſiderata.

Præterea, cum teſte Fagnano, in *cap. V. Super ſpecula de magiſtris* propoſitum fuiſſet in S. Congreg. Conc. ſequens dubium — An Ordinarius poſſit concedere licentiam parocho, qui parochialem poſt Concilium obtinuit, ut in publica Univerſitate Studiis S. Theologiæ, vel Canonum vacare poſſit — Sanctiſſimus reſpondit, non poſſe, juſſitque Epiſcopum ab ejuſmodi licentiæ conceſſione abſtinere —.

Idem pluries declaravit laudata Congreg. ut videre eſt *Libro I. Decretor. ejuſdem pag. 46. Lib. VIII. pag. 129. & 140. a tergo & lib. XVI. pag. 292.*

Propterea nullo modo audiendi ſunt Caſtropalaus *Diſp. III. punct. 9 §. IX.* Mendo *de jur. accadem. lib. IV. in append.* q. 2. aliique negantes, a Trident. revocata fuiſſe privilegia jure communi conceſſa cauſa ſtudiorum; imo dictantes, eadem potius reſervata, ac renovata ab eodem *cap. I. ſeſſ. V. in fine de refor.* eo quod ſtudiorum cauſa ſit vere rationabilis, & tot juribus probata, ſignanter in cap. V. *Super ſpecula de Magiſtr.* non ſunt, inquam, audiendi, cum Trident. interpretatio non ad privatos Doctores, ſed privative ſpectet ad Sac. ejuſdem Congregationem, quæ quid hac in re ſentiat, jam retuli.

tuli, Quam futilis vero ſit relatorum DD. ratio, ſatis oſtendit Card. Petra *tom. IV. Commentar. ad Conſtit. X. Boniſ. VIII. num.* 14. *& ſeqq.* ad quem lectorem remitto.

Ex ſtylo receptiſſimo Datariæ, nec Summus Pontifex tales diſpenſationes concedit, ſed præciſe ſervatur Conſtitutio Gregorii X. ſupra tranſcripta. Et elapſo anno ab eodem præſcripto, paſſim conceduntur impetrationes contra illos, qui non fuerunt ad Sacerdotium promoti.

Redeundo ad eamdem Greg. Decretalem, in ea, præter ſuperius notata, ſtatuitur, promotum ad Eccleſiam parochialem eſſe ipſo jure ea privatum, nulla etiam monitione præmiſſa, niſi intra annum ſe fecerit ad Sacerdotium promoveri.

Verum huic ſanctioni expreſſe addita eſt exceptio ab eodem Bonifacio *cap. XXII. Statutum hoc eod. tit. in VI.* quoad parochum Eccleſiæ collegiatæ, declarante, hujuſmodi pœnam ad hunc non extendi, ſed privandum eſſe per ſententiam, juxta *caput* VII. *Cum in cunctis* §. *Inferiora hoc tit.*

S E C T I O LV.

Caput XV. Nemo deinceps, *ex Decretali Gregorii X. in eodem Concilio Lugdunenſi.*

NEmo deinceps parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & Sacerdotio, commendare præſumat: nec tali etiam, niſi unam, & evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem commendam, (ut præmittitur) rite factam, declaramus, ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare: ſtatuentes, quidquid ſecus de commendis Eccleſiarum parochialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo jure.

In hac Decretali, ſicut & in altera, relata in cap. II. *Nulla de conceſ. Præben.* ſtatuitur, ut in Eccleſia parochiali vacante conſtituatur idoneus Vicarius ad eam regendam, donec illi provideatur de Rectore, prohibeturque, ne hujuſmodi proviſio ultra ſex menſes differatur.

Verum, cum Decreto Conc. Trident. *cap.* XVIII. *ſeſ.* XXIV. *de refor.* inter cætera caveatur, ut Epiſcopus, ſtatim, habita notitia vacationis, teneatur nominare coram nominandis Examinatoribus intra decem dies, aut aliud tempus ab eo præſcribendum, idoneos aliquos Clericos ad illam regendam, ortum eſt dubium, an per dictum Decretum derogatum ſit utrique cit. Decretali.

Fagnanus in cap. XIV. *Cum ſit cauſ. de ætat. & qualit. Præficien. a num.* 41. *ad* 46. probat, minime derogatum eſſe, quidquid in contrarium ſentiat *Zypæus in Analytica correctione Juris Pontificii novi lib.* III. *num.* 15. *de Elect.* Licet enim ab eodem Trident. præſcribatur, debere Epiſcopum intra decem dies dictos Clericos, ut ſupra, nominare, non inde ſequitur, hoc tempus præſcribendum eſſe ſtatim ab habita notitia vacationis, cum *ly ſtatim*, relationem habeat ad deputationem Vicarii, non vero ad concurſum pro examine nominandorum faciendo: ideoque concludit tam ex his Decretalibus, quam ex Trident. & Conſtit. S. Pii V. *In conferendis* 18. *Martii* 1567. dictum terminum decem dierum præfixum eſſe Epiſcopo pro deſcriptione concurrentium tantum, non vero ad finem accelerandi edictorum affixionem, ac propterea, etiam juxta praxim, differre poſſe electionem uſque ad ſex menſes, ſi parochia in ſuis menſibus vacaverit, & uſque ad quatuor, ſi vacaverit in menſe, Sedi Apoſtolicæ reſervato.

S E C T I O LVI.

Caput XVII, Fundamenta, *ex Decretali Nicolai III.*

Ex hac Decretali (cujus prolixum textum tranſcribere ommitto) incurrebant excommunicationem, Papæ reſervatam Imperatores, Reges, Principes, Barones, vel alii alterius nobilis præeminentiæ, potentiæ, ſeu poteſtatis, excellentiæ, vel dignitatis, eorumque fratres, filii, & nepotes, ſi abſque Sedis Apoſtol. facultate aſſenſum præbuiſſent electioni, vel aſſumptioni de ſe factæ ad Senatoris Officium, & regimen Romanæ Urbis, ad tempus, vel in perpetuum; vel ſi ſe in hoc per ſe ipſos, aut interpoſitam perſonam intromiſiſſent: ac etiam alii quicumque, qui ſic electis, ac nominatis obedivifſent, vel auxilium, conſilium, aut favorem præſtitiſſent. Verum cum hodie electio Senatoris (qui unus tantum eſt, non centum, ut olim) aut Rectoris, ſeu Gubernatoris Urbis, ſit privative penes Papam, hæc Decretalis non amplius locum habet; ideoque neque cenſura ibi inflicta, quam proinde perperam nonnulli Auctores referunt inter excommunicationes Papæ reſervatas, adhuc vigentes.

SE-

SECTIO LVII.

Caput XXIV. Quorumdam, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

In hac Decretali, (cujus textum tranſcribere omitto) ſtatuit Pontifex, Religioſo mendicanti, ex electione, quocumque modo facta in diſcordia ad Prælaturam extra ſuum Ordinem, nullum aequiri jus, neque tali electioni poſſe conſentire, etiam eum licentia ſui Superioris. Idem ſtatuit de electione Religioſi non mendicantis ad quamlibet Prælaturam, ſi fiat a minori parte, ſive numero collegii.

Huic Decretali acceſſit Clementina VI. *Quo circa hoc eod. tit.*, in qua Clemens V. declarat, id intelligendum eſſe de diſcordia, & minoritate numeri, qui in facto conſiſtit, non in fictione juris, ideſt, ſi non omnes re ipſa conſentiant, aut non re ipſa ſit minor numerus eligentium, electionem non valere, etſi ſecundum juris fictionem poſſint dici omnes, aut major numerus conſenſiſſe.

Cum autem ex contrario ſenſu dictæ Bonifacianæ Decretalis videatur, Mendicantes poſſe eligi, ſive poſtulari ad aliquam dignitatem extra ſuum Ordinem, ſi electio, poſtulatio, aut proviſio fiat in concordia, hodie in hoc etiam caſu id prohibitum eſt per Extravagantem Joannis XXII. *Calumniis*, quæ tamen in corpore juris canonici non reperitur, ut teſtatur Francus n. a. allegans Lapum. An autem horum aſſertio de exiſtentia dictæ Extravag. ſatis ſit ad abolendam hujuſmodi electionem in concordia, petitio quidem principii eſt.

SECTIO LVIII.

Caput XXVII. Si Religiosus, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

SI Religioſus (cujus arbitrium non ex ſua, cum velle, vel nolle non habeat, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet) electioni de ſe ad prælationem aliquam extra ſuum monaſterium, vel ſuam Eccleſiam celebratæ, ſui Superioris, qui dare ipſam valeat, non petita licentia, & obtenta, præſumpſerit conſentire, conſenſus ſic præſtitus non teneat, & in pœnam præſumptionis illius electio eadem ipſo facto viribus vacuetur omnino. Quia vero, utrum Religioſis conſentiendi electionibus de ſe factis, & ad prælationes, ad quas electi fuerint, tranſeundi a ſuis Superioribus ſine Fratrum conſilio licentia dari poſſit (cum jura ſuper hoc ſint varia) dubitatur interdum: Nos ad hujuſmodi dubitationem tollendam, & ut ordinationes Eccleſiarum, ac monaſteriorum, in quibus tales electi extiterint, celerius, & facilius valeant expediri, decernimus, ut iidem Superiores (ſuis irrequiſitis conventibus) electis hujuſmodi conſentiendi, & tranſeundi liberam dare valeant facultatem.

Hæc Decretalis, ſi ſermo ſit de Epiſcopatu, locum habebat, quando electio ſpectabat ad capitula Cathedralium: hodie tamen cum ſpectet ad S. Sedem, ut jam notavi ad *cap. XXXII. Cum dilectus Sect. XLIV.* non requiritur amplius conſenſus Superioris regularis.

Si vero ſermo ſit de alia Prælatura monaſterii diverſi Ordinis, nec id hodie permiſſum eſt, ut pariter notavi ſupra ad cap. XLIX. *Cum in Magiſtrum Sectione XLVIII.*

Eſt hic notandum, quod Religioſi illorum Ordinum, qui in profeſſione, præter ſolita tria ſolemnia vota, emittunt in manibus Superioris regularis tam ante, quam poſt dictam profeſſionem, votum, ſive ſolemne, ſive ſimplex *de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, ſeu prælationem, vel prælaturam extra Religionem, niſi coacti, vel adſtricti fuerint praecepto ejus, qui ſibi jure præcipere poteſt ſub pœna peccati, juxta formam ſuarum Conſtitutionum a Sede Apoſtolica confirmatarum* non poſſunt diſpenſationem, & relaxationem dicti voti obtinere, niſi a Romano Pontifice, quamvis tranſlati fuerint ad alium Ordinem, etiam Mendicantium, in quo hujuſmodi votum non emittitur, interdicta facultate, nedum Generali, & Capitulo, ſive Congregationi generali, ſed etiam Cardinalibus Protectoribus eorumdem Ordinum, Nunciis, & Legatis Apoſtolicis, etiam de latere, ut ex clariſſima declaratione Urbani VIII. Conſtit. *Honorum* ſub die 24. Februarii 1643. §§. 1. & 11. quam Pontifex etiam prohibet amplius in controverſiam revocari.

SECTIO LIX.

Caput XXVIII. Nullus religiosus, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

NUllus religioſus ad Abbatiam, ſeu Prælaturam ſuæ, vel alterius Religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit Ordinem regularem expreſſe profeſſus: quod ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur. Ad dignitatem vero epiſcopalem (ad quam novitii eliguntur interdum) talem in ſæcularibus, vel regularibus Eccleſiis eligi minime prohibemus.

Cir-

Circa electionem tam Religioſi ad regimen monaſterii diverſi Ordinis, quam ad Epiſcopatum, de qua in hac Decretali, attendenda ſunt mox notata in Sectione præcedenti.

SECTIO LX.

CAPUT XXXII. Ex eo, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

EX eo, quod ad electionem Epiſcopi, quæ te in pupillari conſtituto ætate, in tua Eccleſia extitit celebrata, cum cæteris ejuſdem Eccleſiæ Canonicis non fuiſti admiſſus, de contemptu conqueri, aut electionem eamdem impugnare non potes: cum tam juris, quam rationis exiſtat, ut tales (cum diſcretione careant) ad præſtandum in electione ſuffragium nullatenus admittantur.

In Eccleſiis quoque regularibus, vel monaſteriis, hi, qui non ſunt tacite, vel expreſſe profeſſi, non debent cum profeſſis, vel converſi laici cum Clericis electionibus intereſſe.

Ex hac Decretali (quæ locum habebat, quando ex antiquo jure electio Epiſcopi ſpectabat ad capitula Cathedralium) clare eruitur, obtineri poſſe Canonicatum in Cathedrali ante annum XXII. cui derogatum eſt a Trident. *cap. XII. ſeſ. XXIV. de refor.* ut alibi notavi.

In ſecunda parte ejuſdem Decretalis admittitur profeſſio tacita.

Verum huic ſanctioni derogatum eſt ab eod. Trident. in terminis tamen notandis Sectione LXII.

SECTIO LXI.

CAPUT XL. Quia sæpe, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

QUia ſæpe contingit, quod cathedralibus, & regularibus, ac collegiatis Eccleſiis vacantibus, capitula, conventus, collegia, & ſingulares earumdem perſonæ bona a Prælatis ipſarum dimiſſa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent ſucceſſoribus fideliter reſervari, occupant, inter ſe dividuut, ſurripiunt, dilapidant, diſſipant, & conſumunt in earum grave diſpendium, & jacturam: Nos ipſorum auſus reprimere, ac Eccleſiarum indemnitatibus præcavere volentes, decernimus, ut ii, qui præmiſſa de cætero præſumpſerint, eo ipſo ſint, & tamdiu maneant ab officio, & beneficiis quibuſcumque ſuſpenſi, donec plene reſtituerint quidquid de bonis perceperint ſupradictis: non obſtantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis conſuetudinibus, Conſtitutionibus, vel ſtatutis, juramento, confirmatione Sedis Aoſtol., aut alia quacumque firmitate vallatis; quæ omnia, quoad hoc, auctoritate Apoſtol. revocamus, caſſamus, & irritamus, ac nullius deinceps eſſe volumus firmitatis.

Hæc Decretalis ampliata, ſeu potius declarata eſt a Clemente V., ut ex ejus Decretali, relata in cap. VII. *Statutum in Clement. hoc eod. tit.*

Statutum ſuper bonis a Prælatis cathedralium, regularium, & collegiatarum Eccleſiarum dimiſſis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris ſucceſſoribus fideliter reſervandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex juriſdictione, & ſigillo Curiæ eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, aut alias undecumque, quod ad Prælatos, (Eccleſiis non vacantibus) pertineret, conſuetudine qualibet contraria non obſtante: ita tamen, quod in iſtis, & ſimilibus rationabiles deducantur expenſæ. Cæterum ad ſingulares perſonas, ad quas ratione dignitatum, quas obtinent, juriſdictio cum ejus emolumento devolvitur, Sede vacante, de conſuetudine, privilegio, vel jure alio ſpeciali, nolumus præſentem Conſtitutionem extendi.

Circa fructus Eccleſiæ vacantis reſervandos ſucceſſori vide notanda infra ad caput IX. *Præſenti de Off. jud. Ordin. in VI.* Sect. CLXXXVIII.

Circa diviſionem bonorum inter Epiſcopum dimittentem Epiſcopatum, in caſu tranſlationis ad alium, & Epiſcopum ſucceſſorem, vide notanda infra ad c. II. *Inter corporalia tit. de Tranſlat. Epiſc.* Sect. LXVIII.

SE-

SECTIO LXII.

CAPUT XLIII. INDEMNITATIBUS, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

Hujus Decretalis textum, tractantem de electione Abbatiſſæ, tranſcribere omitto, cum ſit nimis prolixus, ejus tamen ſumma eſt.

I. Ut nulla Monialis duodecim annis minor, & tacite, vel expreſſe non profeſſa, ad eligendum cum aliis admittatur; nec Abbatiſſa, vel Prioriſſa eligatur, quæ trigeſimum annum non compleverit, & non fuerit expreſſe profeſſa.

II. In electione, quæ per formam ſcrutinii a duabus partibus conventus fuerit celebrata, exceptione quacumque non obſtante, per Superiorem, diligenti examine præmiſſo, confirmatur; etſi Abbatiſſa electa eſt, benedicitur. Si autem numerus eligentium ad duas partes non perveniret, moniales cæteræ, antequam ad actus extraneos divertant, poſſunt per conſenſum ad illam accedere, quæ a majori parte conventus eſt electa: per quem acceſſum, ſi ad duas partes pervenitur, electa confirmatur, & benedicitur, ut in caſu proximo.

III. Si quæ moniales contra electam in præmiſſis caſibus confirmatam, benedictam, & poſſeſſionem administrationis aſſequtam, proponere aliquid voluerint, id ipſis liceat.

IV. Si ad majorem partem noluerint aliæ accedere, vel ſi acceſſerint, necdum compleantur duæ partes reſpectu totius conventus, tunc ſuper objectis alterius partis, ſiquæ fuerint, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ante confirmationem inquiretur; ſed electa interim in ſpiritualibus, & temporalibus libere adminiſtret, ſine facultate tamen quidquam alienandi, aut moniales recipiendi.

V. Siqua a minori parte conventus electa fuerit (quod Pontifex vult eſſe irritum) nullum jus acquirit, nec ad eam aliæ poſſunt accedere.

VI. Neque in hujuſmodi monialium electionibus per formam ſcrutinii, zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, ſed ſolum numeri ad numerum fiat collatio.

VII. Si per formam compromiſſi procedatur, & electæ pars minor ſe opponat, confirmatur, & benedicitur, ut in formam ſcrutinii, contradictione qualibet non obſtante: ſed per hoc poſtmodum opponendi via minime præcluſa. Si major pars ſe opponat, donec fuerit inquiſitum, ut in formam ſcrutinii confirmatio, vel infirmatio differatur; ſed interim libere adminiſtret, niſi forſan pars opponentium extiterit duplo major.

VIII. Si in his monialium electionibus juxta dicta legitime contigerit appellari, diligenter ſervetur cap. IV. *Ut circa hoc eod. tit. in VI.* Moniales vero perſonaliter ad Sedem Apoſtol. non veniant quoquo modo, ſed mittant procuratores, ſufficienter inſtructos, juxta cap. XVI. *Cupientes*, & ſub pœna, ibi ſtatuta.

IX. Qui ad dirigendas has electiones evocantur, a diſcordiis inter Moniales excitandis, vel nutriendis prorſus abſtineant, alias pœnæ excommunicationis eo ipſo ſubjaceant.

X. Supradicta non ſolum in monaſteriis, viventibus ſub aliqua ex Religionibus approbatis, ſed etiam in illis, ubi juxta quarumdam Provinciarum (ut in Teutonia) conſuetudinem, nec proprio renunciant, nec profeſſionem faciunt regularem, ſed vivunt, ut in ſecularibus Eccleſiis Canonici ſeculares, (unde & ipſæ dicuntur Canoniſſæ) vult Pontifex obſervari: eo dumtaxat excepto, ut non eligantur nec eligant non profeſſæ, cum in ipſis) quæ videlicet non faciunt profeſſionem) hoc locum ſibi nequeant vindicare. Per quod tamen Pontifex earum ſtatum, Ordinem, ſeu regulam non vult, nec intendit approbare.

XI. Neque Pontifex vult per præmiſſa, circa electionem Monialium obſervanda, aliquid immutari quoad electiones celebrandas in virorum monaſteriis, vel quibuſvis Eccleſiis, ſed jura præcedentia in ſua omnino permanere firmitate.

Huic Decretali hodie in multis derogatum eſt: &c.

In eo, quod ſtatuit, ne Monialis tacite, vel expreſſe profeſſa admittatur ad eligendam Abbatiſſam, niſi conſtituta fuerit in ætate duodecim annorum, derogatum eſt a Conc. Triden. *cap. XV. ſeſſ. XXV. de regul.* decernente, ne tam viri, quam mulieres ad profeſſionem admittantur, niſi poſt decimumſextum annum completum; & quidem ſub pœna nullitatis, ac conſequenter facta dicto anno non expleto, neque induci poteſt tamquam tacite emiſſa. Textum leges par. II. cum ſermo erit de eod. cap.

Circa tamen profeſſionem tacitam, notandum eſt cum Fagnano in cap. VIII. *Ad noſtram de Regul. num. 8. & 30.* ex Decretis Congr. Conc. hanc non fuiſſe a Trident. ſublatam, ſi præceſſerit annus probationis, cum ſuſceptione habitus in conventu pro ea deſignato, quæ inducitur per annum, computandum a decimoſexto completo, uſque ad decimum ſeptimum pariter completum ætatis illius, qui monaſterium ingreſſus eſt.

Ad ſecundum, quod ſpectat, ne ſcilicet eligatur in Abbatiſſam, niſi quæ XXX. ſuæ ætatis annum compleverit, per quam ſanctionem derogatum eſt juri antiquo, relato in *Can. XII. Juventulas Cauſa XX. quæſt. 1.* in quo Gregorius I. eam eligi prohibuerat, niſi conſtituta fuiſſet in ætate ſexaginta annorum) pariter derogatum eſt a Trident. *cap. VII. ſeſſione XXV. de Regul.* præcipiente, quod ſi eligi nequeat ex eodem, vel altero monaſterio ejuſdem Ordinis non minor quadraginta annis, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit, eligatur ex eodem monaſterio, dummodo præter XXX. completum, quinque ſaltem annis poſt profeſſionem vixerit. Textum leges part. II. cum ſermo inſtituetur de eod. cap.

An autem hodie Abbatiſſa eligi poſſit, ex Monialibus alterius monaſterii; notabitur infra part. II. cum de cit. cap. VII. Trident.

Quod ſpectat ad duas partes votorum a Bonifacio præſcriptas pro validitate electionis, hodie attenditur pluralitas dumtaxat. Et quamvis Rota *in Leodien. Abbatiſſatus* impreſſ. poſt Tamburinum *de Jure Abbat. decif. XVII. num.* 5. cenſuerit, requiri duas ex tertiis partibus juxta hanc Bonifacii Decretalem; poſtmodum tamen mutavit ſententiam, definivitque, ſufficere majorem partem ut in *Colonien. Abbatiſſatus coram Cavillo decif. CCLII. num 6.* & noviſſime *in Leodien. Prioriſſatus 12. Maii* 1747. §. *III. coram Calign.* & Lucius Ferraris Prompta Bibliotheca verbo *Abbatiſſa num.* 27. refert Conſtitutionem Nicolai V. *Digna reddimur 9. Martii* 1447. ubi aſſerit, declaraſſe validam electionem, quoties major pars capituli Monialium concurrit in unam. A qua regula ſubdit, excipi electionem Abbatiſſæ Ordinis Caſinenſium, pro cujus validitate refert,

Con-

Congreg. Epiſcopor., & Regul. ſub die 3. Decembr. 1676. & 20. Junii 1698. declaraſſe, requiri duas ex tribus partibus.

Quod ſpectat ad acceſſum in allata Decretali permiſſum, non eſt amplius in uſu, ſed electio fieri debet per vota ſecreta, ſub pœna nullitatis, ex cap. VI. *Tri. dent. cit. ſeſſ.*XXV. ut etiam declaravit Cong. Concil. *in Melphiten. Elect. Abbatiſſæ 3. Aug.* 1696.

Per hoc autem, quod hodie in illius electione Epiſcopus (ita appoſite dictus *Ferraris loc.cit.num.*20.) accipiat vota oretenus exhibita, præſentibus duobus, vel tribus probatis viris, qui vota audiant, & notent, non tollitur ſecretum, & talis electio eſt canonica ex Decreto Cong. Conc. relato a *Garzia de Benefic.par.V. cap.IV. num.*190. Per disjunctivam enim *audiat*, *vel accipiat*, qua utitur Concilium loc. cit. datur libertas, ut electio Abbatiſſæ fiat per ſchedulas, ut videtur ſignari per ly verbum *accipiat*, vel oretenus, ut videtur ſignari per ly verbum *audiat*, & ſic declaravit Sac. Congreg. ut referunt plures DD. *cum Donato prax.rer. Regul. Tom.IV. tract.VI.*

Quoad confirmationem Abbatiſſæ faciendam ab Epiſcopo, hæc locum non habet in electione Abbatiſſæ Monialium, Regularibus ſubjectarum ex declaratinne ejuſdem Cong, Conc. approbata ab Urbano VIII. Licet enim Epiſcopus intereſſe poſſit illius electioni, nullatenus tamen illam confirmare poteſt: exurto ſiquidem inter cætera boc ſequenti dubio, ſuper Conſtitutione *Inſcrutabili Gregorii* XIV. quinto loco propoſito, *An per eamdem Conſtitutionem in illis verbis, poſſit Epiſcopus una cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum &c. electionibus per ſe, vel per aliam intereſſe, ac præſidere, jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur* — Ad V. reſpondit *Jus confirmandi Abbatiſſas minime fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum* — ut videre eſt apud Fagnanum in calce ejuſdem Conſtit. poſt *cap.* XVI. *Cum Capella de Privileg.*

Neque poteſt Epiſcopus, aut alius Superior ferre ſuffragium in electione Abbatiſſæ, quamvis vota Monialium eſſent paria, & in electione non concordarent, ex Decretis Cong. Epiſcop. & Regul. 5. Martii 1619. ac Cong. Conc. 23. Maii 1621. relatis ab eod. *Ferraris loc. cit. num.*29.

In caſu autem, quo non concordarent, cum monaſterium non debeat manere ſine capite, deberet Epiſcopus, aut alius Superior eis præfigere certum tempus ad concordandum: quo elapſo, ſi non concordaſſent, deberet ipſe nominare, & deputare in Abbatiſſam, quam judicaret magis idoneam, ex Decretis Sac. Cong. a dicto Ferraris relatis num. 30. *in Cremonen.* 22. *Octobris* 1592. *in Aſſiſien.* 20. *Novembr.* 1595. *& in Melphiten.* 3. *Auguſti* 1696.

Circa præceptum benedicendi Abbatiſſam poſt confirmationem a Bonifacio hic injunctum, partim moderatum, partim ampliatum eſt a Clemente V.

Moderatum quidem, quia Bonifacius ſtatuiſſe videtur, benedicendam eſſe, nulla interpoſita mora, indeterminate loquendo, ſive adſit, ſive non conſuetudo benedictionem recipiendi: Clemens vero indulget tempus unius anni ad eam recipiendam, reſervando conſuetudinem illorum monaſteriorum, in quibus non ſolet benedici. Quæ conſuetudo dignoſcitur, ut notat cum Gloſſa *Azorius parte* I. *lib.*XIII. *cap.*X. *quæſt.* 5. ſi conſtet per quadraginta annorum ſpatium continuatum Abbatiſſas fuiſſe benedictas.

Ampliatum eſt autem in hoc, quod Bonifacius nullam pœnam inflixit, ſi munus benedictionis non ſuſceperit; Clemens vero declarat, eo ipſo incurriſſe pœnam privationis abbatiſſatus, ſi abſque rationabili cauſa non fuerit benedicta, ut in *Clementina* II. *Attendentes de ſtatu Monachor.* §. *Statuimus*, ibi,

Statuimus inſuper, ut quævis ad regimen Abbatiarum aſſumptæ, in monaſteriis, in quibus Abbatiſſæ ſunt ſolitæ benedici, intra annum a ſuæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis ſuſcipiant: alioquin a jure ſuo (niſi ſubſit cauſa rationabilis) prorſus ſe noverint cecidiſſe: per illos, ad quos id pertinet, proviſione de Abbatiſſis monaſteriis ipſis canonice facienda.

Quo tamen præcepto non obſtringi, notat Theſaurus de *Pœnis* verbo *Abbatiſſa*, temporales Abbatiſſas, niſi ſpeciatim introductum ſit privilegio, vel conſuetudine.

An autem privationis pœna hic inflicta liget in foro conſcientiæ ante ſententiam declaratoriam, controvertitur a DD. relatis ab eodem Theſauro. Pellizzarius tamen de *Monialibus cap.*VIII. *num.*44. ſuſtinet eſſe ferendæ ſententiæ.

Circa id tandem, quod præcipit Bonifacius, ut ſerventur omnia a ſe ſupra præſcripta pro electione Abbatiſſæ, ſerventur etiam in electione Superioriſſæ Canoniſſarum, excepto quod non eligantur, nec eligant non profeſſæ, cum hæ profeſſionem non emittant, notandum eſt: ſi ææedem vivant in cætu, ſeu collegio, mixto ex maribus, & nobilibus fœminis ſub regimine Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ, aut Prioriſſæ, (ut in Germania, & Belgio, Lindavii, nempe, Puchoviæ, Ratisbonæ, Eſſæ &c. quæ communiter vivunt inſtar Canonicorum regularium, & ſimul cum Canonicis divinum officium recitant, aut in choro pſallunt, pro validitate electionis ejuſdem Abbatiſſæ ſufficit ætas annor. XXV. ad formam cap. *Cum in cunctis* VII. §. *Inferiora hoc eod. tit.*, ut declaravit Rota coram *Aldrobando Monaſterien. Abbatiſſatus* 9. *Junii* 1727. & 4. *Feb.* 1732. nec obſtat Conc. Trident. *ſeſ.* XXV. *cap.* VII. *de Regul.* cum ſolum loquatur de Abbatiſſis regularibus.

Quamvis autem prædictæ Canoniſſæ profeſſæ non ſint, & eligi poſſint Abbatiſſæ non minores XXV. annis, eis tamen interdictæ ſunt in electione, & quidem ſub pœna nullitatis, quæcumque factiones, ſeu capitulationes, aut concordata, ſeu ſtatuta adverſus Sacros Canones, ut ex Decreto Cong. Conſiſtorialis, approbato a Benedicto XIII. & confirmato a Benedicto XIV. die 25. Julii 1754. & ab eodem per extenſum relato lib. XIII. *de Synod. Diœc. cap.* XIII. *pag.* 566. *edit. Romana* 1755.

De electione Abbatiſſæ uberior redibit ſermo *parte* II. *cum de cap.* VII. *Triden. ſeſſ.* XXV. *de Regul.*

S E C T I O L X I I I.

Caput I. Cum rationi, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato anno 1311. Viennæ in Gallia*.

CUM rationi non congruat, ut homines diſparis profeſſionis, vel habitus ſimul in eiſdem monaſteriis ſocientur, prohibemus, ne religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod ſi ſecus actum exiterit, ſit eo ipſo irritum, & inane. Per hoc autem, quin religioſus in Epiſcopum ſæcularis, vel cujuslibet regularis Eccleſiæ, licite poſſit eligi, non intendimus prohibere,

Hæe Decretalis, in eo, quod attinet ad declarationem, quam facit Pontifex, ſe non intelligere prohibere electionem Regularis ad Epiſcopatum ſæcularis, vel regularis Eccleſiæ, locum habebat, antequam S. Sedes ſibi reſervaret Epiſcopatuum proviſionem. Et quamvis in Germania poteſtas eligendi Epiſcopos ſit adhuc penes capitula Cathedralium, ut ſupra notavi; hodie tamen neque ibi locum haberet, via ſaltem electionis (ſecus fortaſſe eſſet via poſtulationis) cum de mente Tridentini *cap. XI. ſeſſ. XIV. de reform.* ſæcularia beneficia nullatenus conferenda ſint Regularibus. Præterquamquod, ut notat Layman *de Elect. q.* 204. praxis Curiæ Romanæ non admittit Regulares ad Prælaturam, etiam Eccleſiæ collegiatæ.

Cæterum, ſi contingat, ut Religioſi, vel per poſtulationem, vel per nominationem, & præſentationem Regum, & Principum, quibus nominatio, aut præſentatio competit ex conceſſione Sedis Apoſtol., vel ſi promoverentur motu proprio a Pontifice ad Epiſcopatum, & quamcumque aliam dignitatem extra Ordinem, ut ex veteri, & numquam intermiſſa Eccleſiæ diſciplina promoveri conſueverunt; ab iis ſervandæ ſunt binæ Conſtitutiones Benedicti XIII. in quarum una incipien. *Poſtulat. ſub die 7. Martii* 1725. ipſis interdicitur ſecum aſportare, propriiſque uſibus applicare.

Libros, pecunias, credita, depoſita, & bona mobilia, ſeu immobilia cujuſcumque generis, & ſpeciei, quæ eos tempore ſuæ promotionis penes ſe, vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat ſcriptis, propriis indumentis, & Breviario, ſed ea omnia ſtatimac ſuæ promotioni conſenſerint, & antequam conſecrationis munus ſuſcipiant, Superiori locali, & capitulo cœnobii, conventus, aut domus, ubi degunt, integra, & intacta abſque ulla prorſus diminutione, cum eorum notula, ſeu inventario, bona fide confecto, reſignare teneantur, ut illi poſtmodum cœnobio, conventui, vel domui applicari poſſint, ac debeant, cui juxtà Conſtitutiones, & conſuetudines, cujuſque Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti applicanda eſſe conſtiterit. Quod ſi ſecus fecerint, & huic noſtræ ordinationi non obtemperare præſumpſerint, contrafacientes, ultra pœnam ſuſpenſionis ab exercitio pontificalis miniſterii in præfatis Clemen. IV. literis conſtitutam, ſuſpenſionis inſuper a Divinis pœnam ipſo facto incurrant, Papæ reſervàtam; ſublata etiam majori Pœnitentiario eam relaxandi facultate, & dd. rerum uſum, nec ad tempus, Superiores concedere poſſunt.

In altera vero Conſtitutione incipien. *Cuſtodes*, ſub eadem die, & anno, præcipitur iiſdem tam ad Epiſcopatum, quam ad Cardinalatum evectis, in virtute S. obediendiæ, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium ipſo facto incurrenda, Papæ reſervata, ut.

Singulis ſuæ regulæ officiis, & obligationibus, quæ pontificale, ſive cujuſcumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium minime impediant, perpetuo ſubſint: & proinde ſui monaſtici Ordinis, ſeu alterius regulæ Mendicantium, inſignia, & propria indumenta lanea, ſuoque peculiari colore diſtincta: raſilem quoque ad cutis planitiem in ſummo vertice, vel eo gyro, & forma expreſſam coronam præſeferant, quibus antea, intra eorumdem regularium Ordinum clauſtra militabant.

Præcipitur ulterius, ut dimiſſo Epiſcopatu, ſeu quacumque alia dignitate, ad quam evecti fuerunt, vel perfuncti munere, ſibi extra clauſtra commiſſo, ad eadem clauſtra redire teneantur, ſub pœna privationis uſus Pontificalium: & ſi permanſerint in contumacia non redeundi ad clauſtra, poſt annum, ſint eo ipſo ſuſpenſi a Divinis; ibi.

Decernimus, volumus, & præcipimus, ut Monachi, Mendicantes, & cujuſcumque alterius Inſtituti Regulares, ſpecialiſſima etiam mentione digni, qui Epiſcopatu ſibi pridem collato, quacumque de cauſa ſe in poſterum abdicare permiſſi fuerint, clauſtra ſuæ Religionis

repetere omnino teneantur, & debeant, iis tantum exceptis, qui a nobis, ſive a Romanis Pontif. Anteceſſoribus, aut Succeſſoribus noſtris obtinuiſſent, vel obtinebunt facultatem expreſſam vivendi extra clauſtra, ſacro alicui muneri, quod cum vita clauſtrali exercere non poſſet, ex peculiari voluntate noſtra, vel eorumdem Anteceſſorum, aut Succeſſorum noſtrorum, ſpeciatim addicti, quod quidem munus, reſpiciat ſervitium, & obſequium noſtrum, vel Succeſſorum noſtrorum, ſive hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis.

Diſpoſita in hac ultima Conſtitutionis parte ſunt plane conſona duobus Decretis Alexandri VII. & Clementis XI. de quibus Benedictus XIV. mentionem facit *lib. XIII. caput. XVI. de Synod. Diœc. n. 4.* in quo refert dictam Conſtit.

Nota, quod a lege veſtiendi præſcripta in prima ejuſdem Conſtit. parte eximuntur Clerici Regulares cum eorum Ordinum habitus idem revera ſit cum habitu presbyterorum ſæcularium, ut animadvertit laudatus Benedictus XIV. in Epiſtola Decretali ad Joachinum Cardinalem Portocarrero 13. Octobris 1745. ſicuti & Canonici Regulares ex privilegio Leonis X. Conſtit. XXXIV.

SECTIO LXIV.

Caput V. In plerisque, *ex Decretali Clementis V. in dicto Concilio Viennenſi.*

Hujus Decretalis textum tranſcribere omitto, ejus tamen ſumma eſt.

Statuit Pontifex, ut nullus de cætero ſine ſpeciali auctoritate Sedis Apoſtol., de paſtore provideat cathedrali Eccleſiæ, ſibi qualitercumque ſubjectæ, quæ clericis caret, & ſubditis chriſtianis. Religioſus Prælatus licentiam dare non debet, ut tali proviſioni conſentiat. Conſentiens, etiam conſecratus, in epiſcopali non recipiatur honore, ſed priori regulari ſuo Prælato ſubjaceat, nec in Religione ſua, vel extra ad gradum honoris, vel cujuslibet adminiſtrationis aſcendere poſſit. In contrarium attentata decernit irrita, quacumque conſuetudine non obſtante. Per hoc tamen circa proviſionem aliarum Eccleſiarum facultatem Superiorum nec coarctat, nec ultra juris communis limites ampliat.

Hæc Decretalis edita fuit, antequam Pontifex ſibi reſervaret Epiſcopatuum proviſiones; cui occaſionem dederant Archiepiſcopi, & Patriarchæ orientalis Eccleſiæ. qui poſt occupationem Epiſcopatuum ſibi ſubjectorum factam a Turcis, & aliis Infidelibus, conſtituebant, & conſecrabant Epiſcopos, præſertim ex Mendicantibus. Unde quamplures abuſus ſecuti fuerant, adeo,ut auctor Gloſſæ dicat – *Se vidiſſe Religioſum conſecratum ad Titulum, qui non erat in rerum natura, nec fuerat* – quapropter Pontifex harum Eccleſiarum proviſionem hic ſibi reſervat. Solet autem ejuſmodi Epiſcopos Titulares, qui præter Titulum nihil habent ex Epiſcopatu, juſtis de cauſis creare, ut honoret viros benemeritos, aut Epiſcopis, habentibus amplas diœceſes, (ut ſunt Principes in Germania, concedere, ut ſint ipſorum Vicarii in Pontificalibus, qui ideo vocantur Epiſcopi conſecratores, aut ſuffraganei.

SECTIO LXV.

Caput VIII. Cum concessa, *ex Decretali laudati Clementis in dicto Concilio.*

CUM conceſſa Religioſo a Superiore ſuo licentia, ut electioni, vel proviſioni, (ſiquam de ipſo contigerit fieri) ſuum dare poſſit aſſenſum, ambitionis vitio viam paret, nullius eam exiſtere volumus firmitatis.

Hæc Decretalis,poſtquam Pontifex ſibi reſervavit Epiſcopatuum proviſiones, locum amplius non habet. Si vero Religioſum ad Epiſcopatum promoveat, hodie non opus eſt licentia ipſius Superioris.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO LXVI.

Caput III. Sancta Romana, *ex Decretali Benedicti XI.*

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, quatuor Patriarchales Eccleſias, inter quas poſt ipſam Romanam, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana

mitana quartum locum obtinet, ab Infidelibus, vel Schiſmaticis deſtructas, occupatas, vel detentas, Canonicis, & Clericis earumdem diſperſis, ita ſibi hic reſervat Pontifex, ut quamdiù Schiſmaticorum, aut Infidelium poteſtati, ac dictioni ſuberunt, Canonici dictarum Sedium, illis vacantibus, ad electionem, poſtulationem, proviſionem nullatenus procedant, quouſque ad Sedis Apoſtolicæ notitiam id perducatur.

Hodie vero, cum nulli amplius Canonici ſuperſint, tota harum Sedium proviſio ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinet, quæ ut ſupra dixi ad Caput V. *In plerisque* Sectione LXIV. creat Patriarchas, Titulares, vel Nominales.

Titulus VII. De Translatione Epiſcopi.

SECTIO LXVII.

CAPUT I. CUM EX ILLO, *ex Decretali Innocentii III. Rodulpho II. Anthiocheno Patriarchæ ſcripta.*

CUM ex illo generali privilegio, quod B. Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, canonica poſtmodum manaverint inſtituta, continentia majores Eccleſiæ cauſas ad Apoſtol. Sedem perferendas, ac per hoc translationes Epiſcoporum, & Sedium mutationes ad ſummum Apoſtol. Sedis Antiſtitem de jure pertineant, nec ſuper his quidquam præter ejus aſſenſum debeat immutari: miramur, quod Lapamen. electum in Tripolitanam Eccleſiam tranſtuliſti & novo quodam mutationis genere parvificaſti majorem, & magnum quodammodo minoraſti epiſcopare Archiepiſcopum, imo potius dearchiepiſcopare præſumens. Licet enim dictus L. nondum fuiſſet in Archiepiſcopum conſecratus, confirmationis tamen munus receperat, & archiepiſcopalia (quantum ei licuit) miniſtrat, ſicuti nobis ipſius relatione innotuit, qui ſe Valiens. Epiſcopum aſſeruit confirmaſſe. Ne igitur perpetrandi ſimilia cæteris audacia tribuatur, te ab Epiſcoporum confirmatione duximus ſuſpendendum.

Tam ex hac Decretali, quam ex altera ejuſdem Pontificis, relata in cap. XXXII. *Cum dilectus de elect.* confirmatio Epiſcoporum pertinebat ad Metropolitanum; verum ex poſteriori Eccleſiæ diſciplina reſervata fuit ſummo Pontifici dumtaxat, ut ſupra notavi ad cit. Cap. XXXII. Sectione XLIV. Per quam reſervationem fit reditus ad jus antiquum: proviſio ſiquidem Epiſcopatuum ad eumdem ſolum Pontificem olim pertinebat Gloſſ. communiter laudata in Cap. *Quamquam de elect. in VI* verſ. *Devolvatur*, ibi – *ut hujus juris originem ſcias, veritatem ſcire debes, ſcilicet de antiquo jure, & diſpoſitione Eccleſiæ poteſtatem conferendi Epiſcopatus ad Papam pertinere* -- Hos hodie Pontifex providet in Conſiſtorio; quæ proviſio juxta Fagnan. in cap. *Nullus hoc eod. tit. num.* 8. habet vim electionis, & confirmationis, ejuſque praxis, & formula per extenſum refertur a Lucio Ferraris *Prompta Biblioth.* verb. *Epiſcopus Art. II.*

SECTIO LXVIII.

CAPUT II. INTER CORPORALIA, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Decano, & Capitulo Andegavenſi, Provinciæ Lugdunenſis in Gallia, ſcripta.*

INter corporalia, & ſpiritualia eam cognovimus differentiam, quod corporalia facilius deſtruuntur, quam conſtruantur: ſpiritualia vero facilius conſtruuntur, quam deſtruantur. Unde juxta canonicas ſanctiones Epiſcopus ſolus honorem dare poteſt, ſolus auferre non poteſt. Epiſcopi quoque a Metropolitanis ſuis munus conſecrationis accipiunt, qui tamen non poſſunt, niſi per Romanum Pontificem condemnari. Cum ergo fortius ſit ſpirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſuo tantum judicio reſervaverit diſſolvendum, qui diſſolutionem etiam carnalis conjugii, quod eſt inter virum, & fœminam ſuo tantum judicio reſervavit, præcipiens, ut quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: non enim humana, ſed potius divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur, cum per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Romani Pontificis (quem conſtat eſſe Vicarium Jeſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia removetur; & ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam conſtitutione canonica, quam inſtitutione divina, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata. Sicut autem Epiſcopus conſecratus ſine licentia Romani Pontif. ſuam non debet Eccleſiam derelinquere; ſic & electus confirmatus, cum non debeat in dubium revocari, quin poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium, & electi conjugium ſit ſpirituale contractum, cui profecto epiſco-

 palis

palis dignitas nihil addit: cum quis epiſcopali prædiṭus dignitate, nullius tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus, quemadmodum de illo contingit, qui oneri pontificali renunciat, non honori. Unde cum non ſit majus vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quam electi, maxime cum fuerit confirmatus, imo idem penitus, & non aliud, idem juris obtinet in utroque. Sicut ergo Epiſcoporum translatio, depoſitio, & ceſſio, ſic & electorum poſt confirmationem (ſpiritualis conjugii ratione) ſoli eſt Rom. Pontif. reſervata: licet uſque ad tempora iſta, quod cautum fuerat de Epiſcopis, expreſſum non fuerat de electis: propter expreſſam tamen ſimilitudinem, vel identitatem potius, nemini poterat videri dubium ſubtiliter intuenti, cum de ſimilibus idem judicium ſit habendum,

In hac pariter Decretali declarat Pontifex, pertinere ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum confirmare Epiſcopum electum, ſed bodie de hac facultate idem judicium eſto, quod ſupra.

Nota, ex hac eadem Decretali, & duabus ſequentibus ejuſd. Innoc., relatis in cap. III. *Quanto*, & cap. IV. *Licet hoc eod. tit.* declarari, translationem Epiſcopi ab una ad alteram Eccleſiam pertinere ad Romanum dumtaxat Pontificem: quæ ut maturius, & conſultius inpoſterum fieret, a Clemente VIII. ſtatutum prius fuit, translationis cauſas examinandas eſſe a Congregatione Rerum Conſiſtorialium: deinde vero ex Conſtitutione Benedicti XIV. *Ad Apoſtolicæ ſervitutis 17. Octobris* 1740. a Congregatione peculiari, ab eodem deputata ſuper promovendis ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, ut in ejuſdem Conſtit. §. V.

Quod ſi quæras, an translatus poſſit aliquid percipere de fructibus pendentibua, & inexactis idem Benedictus *de Synod. Diæc. edit. an.* 1755. *lib. XIII. cap. XVI. num.* 7. firmat, eos percipere tantum poſſe uſque ad illud temporis momentum, quo abſolutus fuit in Conſiſtorio a vinculo prioris Eccleſiæ, quos ſi perceperit poſt illud tempus, ad reſtitutionem tenebitur. Nec conferre poterit beneficia, quæ forte vacare contigerit poſt dictum tempus. Hæc tamen utraque prohibitio non babet locum, quando Epiſcopus transfertur ſine ſua ſcientia, & conſenſu, qua ſolum obſtringetur, quando poſt ſibi nunciatam vinculi enodationem, ſuum accomodaverit conſenſum, vel hunc Papa ſupleverit, volueritque, ut translatio ſortiatur effectum, ut probat idem Benedict. *loc. cit. num.* 13. Reſpectu Epiſcoporum Regni Poloniæ in caſu translationis aliter proviſum eſt ex decreto ejudem Urbani VIII. ibidem relat num. 17.

Titulus VIII. De Auctoritate, & uſu Pallii.

S E C T I O L X I X.

CAPUT III. NISI SPECIALIS, *ex Decretali, Innocentii III, Cencio, Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato reſcripta.*

NIſi ſpecialis dilectio illa: (& infra.) Sane ſi poſtulatio Trojani Epiſcopi ad Panormitanam Eccleſiam fuiſſet per nos etiam approbata, non tamen deberet ſe Archiepiſcopum appellare, priuſquam a nobis pallium ſuſcepiſſet, in quo pontificalis officii plenitudo, cum archiepiſcopalis nominis appellatione confertur. Tu ergo, quod factum eſt, ſic ſtudeas palliare, ut id in confuſionem tuam, & ad Sedis Apoſtol. opprobrium non redundet. Quoniam ſi oporteat, ut nos, vel tu ex hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quam lædamus Sedis Apoſtol. dignitatem,

Statuit bic Pontifex, conferri per Pallium plenitudinem pontificalia officii, & neminem ante illius receptionem Archiepiſcopi nomine appellari poſſe.

Neque huic ſanctioni obſtat cap. XI. *Suffraganeis*, *de Elect.*, ubi traditur Archiepiſcopo ante Pallii receptionem facultas committendi aliis Epiſcopis conſecrationem ſui Epiſcopi ſuffraganei, nam ibi committit tantum juriſdictionem, non poteſtatem Ordinis, quæ ipſi prohibetur ante receptionem Pallii, ut bic.

Non obſtante prædicta Innocentii contraria ſanctione, hodie ex indulgentia ſummorum Pontificum, appellantur nomine Patriarchæ; & Archiepiſcopi, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, ac Archiepiſcopi in partibus, licet Pallii honore non fruantur, quippe quia extra provinciam ſuam commorantur; & cæteroquin Pallii uſus propriæ cujuſque provinciæ finibus circumſcribitur.

Nota I. ex eadem indulgentia honorem Pallii concedi etiam Epiſcopis, licet archiepiſcopali jure non potiantur. Exempla conceſſionis refert Bened. XIV, *lib. II. cap. VI. & alibi de Synod. Diœc. edit. anni* 1755.

Eo etiam decoratur Cardinalia pro tempore Decanus, Epiſcopus Oſtienſis, quo tamen uti dumtaxat poteſt in conſecratione novi Pontificis, ſi hic antea Epiſcopus inunctus non fuerit. Qua inſigni prærogativa donatus jam fuit a S. Marco Papa, ut notat laudatus Benedictua *cit. Tract. lib. XIII. cap. XV. n.* 7.

Nota II. Cum erudito ſcriptore Petit, in Adonationibus ad Pænitentiale Theodori, quod antiquioribus temporibus honor Pallii non concedebatur, niſi iis, qui Romam veniſſent, eumque per ſe a Summo Pontifice petiiſſent; pluribus tamen ab hinc ſæculis conſuevit Apoſtolica hæc Sedes Pallii honorem etiam per procuratorem petentibus concedere, ſublata quoque conſuetudine, ſequentibus temporibus introducta, legatum mittendi, quoties abſenti, petentique Pallium elargiebatur.

S E C T I O L X X.

Caput VII. Quia nos, *ex Decretali Honorii III. Archiepiſcopo Lugdunenſi reſcripta*.

QUia nos, (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tam in tua, quam in aliena diœceſi, potes ſine Pallio, & ſandaliis celebrare: qui utique in tua diœceſi non debes ſemper celebrare cum Pallio, ſed diebus illis dumtaxat, qui in Eccleſiæ tuæ privilegiis ſunt expreſſi. Sicque ſoluta eſt quarta quæſtio, qua quæſiviſti, an tibi ſit licitum pro Defunctis cum Pallio celebrare.

Huic Decretali, in qua declarat Honorius, poſſe Archiepiſcopum ſine Pallio, & ſandaliis celebrare in aliena Diœceſi (intellige publice) derogatum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ. VI. cap. V. de reform.* prohibente, id fieri ſine Ordinarii loci expreſſa licentia, etiam juxta Gloſſam primam hic. Textum leges par. II. cum de eod. cap.

Licet tamen Epiſcopis exercere Pontificalia in locis exemptis, intra ſuam diœceſim ſitis. Et quamvis de jure communi exempti, ſi indebite reſtiterint, quominus illa exerceant, non poſſint puniri ab iiſdem, ſed opus ſit, ut agant coram eorum Superiore, quatenus reſiſtentes cogat id permittere, prout in hac eadem Decretali probat cum communi Fagnanus *num. 19. arg. cap. Nullus de Jure Patron.* ex ſequenti tamen decreto Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, ab eodem Fagnan. hic relato poſſunt Epiſcopi in hoc caſu contra eoſdem exemptos procedere per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas,

— „ Decet Epiſcopis, pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt, dignitatis gradu, in quocumque ſuarum diœceſium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut Pontificalibus adeſſe, & aſſiſtere contingit, eam, quam par eſt, reverentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine gravi animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares, vano quarundam immunitatum, & privilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis Pontificalibus intereſſentibus, non modo renuiſſe in eis ſupra locum epiſcopalis ſolii baldachinum erigere, verum id etiam juſſu ipſorum Epiſcoporum erectum curantes prohibere, ac arcere auſos fuiſſe. Atque ideo S. Cong S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum Sanctiſſ. D. N. Clemente VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tam ex conſuetudine, & privilegio, quam ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut pontificalibus paramentis cum mitra, vel extra ſola Cappa induti in quibuſvis Regularium, tam Mendicantium, quam Monachorum, etiam Caſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius Ordinis, Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis, Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud apportari, & in quacumque eorum Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia, ſupra epiſcopale ſolium, ſeu pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo pontificales ejuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui vero Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant, ſe ab iiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas hujus decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis tam ſpiritualibus, quam temporalibus arbitrio Summi Romani Pontificis ſubjacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus &c. Romæ die 10. Junii 1603. —

Titulus IX. de Renunciatione.

S E C T I O L X X I.

Caput III. Ex transmissa, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Verulano ſcripta*.

EX tranſmiſſa relatione Abbatis Sancti N. de Ceperano, noſtris eſt auribus intimatum, quod P. Rubeus Clericus, dum infirmitate laboraret, apud monaſterium S. Salvatoris ſibi petiit habitum monaſticum indulgeri: qui recuperata poſtmodum ſanitate, ad monaſterium illud gratia complendi votum acceſſit: & ibidem moram aliquantulam faciens, ea, quæ prædictæ Eccleſiæ Sancti N. contulerat, ſibi fecit reſtitui. Nunc autem, mutato animo, laborat, ut reſtituatur in Eccleſia ſupradicta, Verum quoniam jam dicta Eccleſia ab eo ſoluta dignoſcitur, ex quo ea, quæ ſibi contulerat, ad petitionem ſuam reſignavit eidem: mandamus, quatemus

nus (ſi res ita ſe habet) prædictum Abbatem , & ſocios ejus ad receptionem P. nulla ratione compellas invitos : nec a populo Ceparano compelli permittas : hortari tamen eos poteris, ut illum, non tanquam unum de Eccleſia, ſed quaſi de novo recipiant in ſocium, & in fratrem.

Hæc Decretalis, decernens per aſſumptionem habitus regularis, factam a beneficiato, induci tacitam renuciationem beneficii, abrogata eſt a Conc. Trident. *ſeſſ. XXV. cap. XVI. de Regul.* declarante, nullam renunciationem valere, factam intra annum probationis, niſi fiat cum licentia Ordinarii intra duos menſes proximos ante profeſſionem, effectum habitura, eadem profeſſione ſequuta. Textum leges par. II. cum de eod. c. agetur.

Idem ſtatuit S. Pius V. Conſtit. *Quanta*, prohibuitque Epiſcopis beneficia ſic reſignata conferre ante ſecutam profeſſionem : textum mox leges poſt ſeq. cap.

Quæſtionis eſt, utrum hæc, quæ a Tridentino requiritur licentia Epiſcopi, vel Vicarii generalis ad validitatem hujus, de qua diſſeritur, renunciationis, pertineat ad extrinſecam ſolemnitatem, an ſit forma ejuſdem ? Quidquid nonnulli DD. ſenſerint, ea Rotæ inſedit ſententia, quod forma ſit, ut ex deciſionibus in *Romana, ſeu Januen. Succeſſionis 9. Decembr. 1746. §. VIII. cor. clar. memor. Millin. & 26. Junii 1747. §. VII. & ſequent. cor. bon. mem. Cortad.*

Utilitas autem hujus obſervationis eſt, quod ſi de hac licentia neutiquam conſtet, ea præſumi nequeat ex obſervantia, licet triginta annorum renunciationis, ut reſpondit idem Tribunal. in d. Rom*ana, ſeu Januen. Succeſſionis 9. Decembris §. VII. & plur. ſequent, & 26. Junii 1747. §. VI. & plur. ſequent.* ubi Doctores contrarii refutantur.

SECTIO LXXII.

Caput IV. Admonet, *ex Decretali ejuſdem Alexandri Epiſcopo Tornacenſi ſcripta.*

Admonet : (& infra.) Univerſis perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtrictione prohibeas, ne Eccleſias tuæ diœceſis ad ordinationem tuam pertinentes, abſque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconſulto. Quod ſi quis contra prohibitionem tuam venire præſumpſerit, in eum canonicam exerceas ultionem.

Quamvis in hac Decretali nulla Epiſcopo præſcribatur reſtrictio in acceptandis renunciationibus, ſeu renunciationibus beneficiorum, non ita tamen eſt eidem liberum eas admittere, niſi concurrant cauſæ expreſſæ in ſequenti Conſtit. S. Pii V. *Quanta*, ſub die 1. Aprilis 1568.

Quanta .... Nunc autem intendentes inſtitutum hoc noſtrum, quo ſanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino, perſequi, ac ſimul quantum in nobis eſt, cavere, ne reſignationes ipſæ dehinc pro cujuſque arbitrio, nulliſque, vel certe levibus cauſis paſſim, & temere admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac cætera omnia noſtris ſuper his literis contenta, eatenus relaxamus, ut poſthac.

Epiſcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, cenſuriſque eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſervire; ſeu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; Religionem quoque ingreſſuri, vel matrimonium contracturi, ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur. Denique, cum quis ex aliis caſibus acciderit, qui Conſtitutione fel. record. Innocentii Papæ III. de dimittendis cathedralibus Eccleſiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii reſidere ſecuri. Sed nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, niſi Religionem ingreſſurus, valeat ullo modo beneficium, vel officium eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commode ſuſtentari. Ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis ſanctionibus, & Apoſtol. Conſtitutionibus permittuntur.

Caveant autem Epiſcopi, & alii prædicti, itemque omnes electores, præſentatores, & patroni, tam eccleſiaſtici, quam laici, quicumque ſint, ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno, futuri in hujuſmodi beneficiis, & officiis ſucceſſores, ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignantur, aut de his aſſumendis, promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcumque intercedat.

Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alii collatores, de beneficiis, & officiis reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collatio-

num

num audeant providere. Quod ſi ſecus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocunque temere attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere.

Qui vero contrafecerint, ut in eo, quo delinquerint, puniantur, a beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præſentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique competierit, tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem a Romano Pontif. meruerint obtinere; & qui talia beneficia, ſeu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus ſubjacere. Et nihilominus in eos, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, preſentare, confirmare, vel instituere auſi fuerint, excommunicationis, quoad perſonas, quo vero ad capitula, & conventus, a divinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgamus. Quibus etiam nullus alius, quam ipſe Romanus Pontifex, ſive abſolutinnis, ſive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire: prohibitione, & literis noſtris prædictis ni hitominus in cæteris omnibus perpetuo valituris.

Caſus, ſeu cauſæ, ob quas admitti poſſunt reſignationes, contentæ in Decretali Innocentii III. relata in cap. X. *Niſi hoc eod. tit.* de qua mentio ſit in hac Piana Conſtit. ſunt ſex videlicet. I. Debilitas corporis, ſeu impotentia ad exequendum officium. II. Ignorantia, ſeu defectus ſcientiæ neceſſariæ. III. Mala conſcientia criminis, impedientis executionem officii. IV. Irregularitas, in qua non ſolet diſpenſari. V. Malitia plebis, ſi ejus correctio non ſperetur. VI. Grave ſcandalum, ad quas cæteræ reduci poſſunt. Quæ cauſæ, licet locum habeant in renunciatione Epiſcopatus, de qua dumtaxat loquitur cit. Decretalis, congrua tamen congruis referendo, attendendæ etiam ſunt in renunciatione inferiorum dignitatum, & beneficiorum, licet minores ſufficiant, ut ex cit. Conſtitutione. Quia autem hanc Conſtitutionem aſſerunt nonnulli, non eſſe ubique uſu receptam, inferunt, ſufficere quamcunque rationabilem cauſam, etiam ob privatam commoditatem.

Requiritur ulterius ex Regula XXXV. Cancellariæ, & altera ejuſdem Pii Conſtit. *Cogit nos* 3. Martii 1567. ac Gregorii XIII. *Humano* nonis Januar. 1683. ut renunciatio admiſſa publicetur in Eccleſia cathedrali.

Hæ autem reſignationes factæ extra Curiam Romanam, etiam ex cauſa permutationis in manibus collatorum, ex cit. Gregorii Conſtit. §. VII. admitti, vel reiici debent intra menſem: & ſic proviſi tenentur eas publicare, & beneficii poſſeſſionem capere intra tres menſes, a die factæ proviſionis, ſub pœna vacationis ipſo facto promotionis, & beneficii: proviſi autem per reſignationes, & permutationes factas in manibus Papæ, tenentur ſub eadem pœna ad dictam publicationem, & poſſeſſionem intra ſex menſes citra montes, ultra intra novem a data conceſſionis gratiæ, non a die præſtiti conſenſus numerandos.

Gregorii Conſtitutio confirmata fuit a Bened. XIV. Conſtit. *Eccleſiaſtica* 15, Junii 1746. in qua inſuper inhibetur notario Datariæ, ne recipiat conſenſus ſuper quibuslibet reſignationibus favore quorumcumque, etiam S. R. E. Cardinalium, factis, quoties mandatum procuræ habeat datam anteriorem octo menſium quoad reſignantes citra montes, vel duodecim quoad degentes ultra montes. Item præcipitur, ſupplicationem ſuper admiſſione cujuſcumque reſignationis ſignari intra duos menſes a data reſcripti; ita ut intra ſex menſes a data conceſſionis, quoad beneficia citra montes, & intra novem quoad exiſtentia ultra montes, eorumdem poſſeſſio cum effectu capiatur, & gratiæ reſignationum cum literis Apoſtol. publicentur ad formam Conſt. Gregor. XIII. *Humano*. Inhibetur conceſſio prorogationis, etiam pro prima vice ad dictam publicationem faciendam, niſi prius docto de literis expeditis in officio Subdatarii, privative quoad alios Datariæ officiales: ſicuti, & ulterioris prorogationis poſt primam, & ſecundam, niſi juſtificatum fuerit coram Datario impedimentum non factæ publicationis, a quo tot prorogationes concedi poterunt, quot neceſſariæ erunt uſque ad remotionem impedimenti: ſub pœna, his omnibus non ſervatis, nullitatis reſignationum, & inhabilitatis ad beneficia aliter reſignata obtinenda.

Si reſignatio in favorem acceptata non fuerit a reſignatario, reſignantem nec titulum, nec poſſeſſionem amittere, & quidem etiamſi ſupplicatio reſignationis fuerit ſignata, imo datata, communi Doctorum, ac Tribunslium calculo receptum ſemper fuit.

Noviſſime vero fuit dubitatum, an a modo laudata Conſt. Benedictina contrarium fuerit ſtatutum. At negativam amplexum eſt ſententiam Auditorium Rotæ ut ex deciſionibus *in Monaſterien. Canonicatus* 17. *Februarii* 1766. *cor. R. P. D. Cornelio, & 27. Jun. 1766. & 12. Januarii 1767. cor. R. P. D. De Comitibus, & 26. Junii 1767. cor. R. P. D. Azpunr.*

Quod ſpectat ad admiſſionem renunciationis beneficii ex cauſa permutationis, licet ex jure antiquo Epiſcopo prohibitum fuerit ab Alexandro III. ut in *Cap. VIII. Majoribus de Præben.* cum tamen id correxerit Urbanus III. *Cap. V. Quæſitum de Rerum permut.*, & Bonif. VIII. *Cap. Unic. Licet hoc eod. tit. in VI.* ut infra dicetur in notis ad cit. *cap. VIII.* hodie eidem Epiſcopo peremiſſum eſt.

Secus autem eſt dicendum de comiſſione renunciationis conditionatæ in favorem certæ perſonæ cum reſervatione penſionis, aut fructnum, vel cum reſervatione acceſſus, & regreſſus; cum id prohibitum ſit, tam a jure communi *Can. V. Plerique cauſ. VIII. qu. 1. & Cap. Unic. Ut beneficia*, tum a Conc. Trid. *Cap. VII. Seſſ. XXV. de refor.* & Conſtitutionibus S. Pii V. *Cogit nos* 13. Martii 1567. & *Romani Pontificis* Idib. Septem. 1671. cujus communis juris ſanctioni ſummus dumtaxat Pontifex de plenitudine poteſtatis derogare poteſt.

Præterea in Conſtitutione Benedict. XIV. *In ſublimi* 29. Auguſti 1741. damnantur, & annullantur pacta caſſationis penſionis reſervatæ in beneficiorum reſignatione contemporanea ipſi reſignationi per anticipatas, vel anticipandas ſolutiones: ſicuti & omnes caſſationes, ac abolitiones penſionum per anticipatas ſolutiones obtentæ intra ſex menſes a capta poſſeſſione beneficii, etiamſi probari nequeat, nullum præcedens pactum interveniſſe, & caſſatio ſequuta fuerit vigore ſupplicationis a Papa ſignatæ, quæ ut ſubreptitie obtenta declaratur. Inſuper tam reſignans, quam reſignatarius ipſo facto, & abſque alia declaratione, privantur beneficio, & declarantur inhabiles ad alia aſſequenda,

da, ſub pœna reſignatario reſtituendi, & quidem ſub peccato gravi, pecunias pro caſſatione hujuſmodi penſionis ſimoniace perceptas, applicandas arbitrio Ordinarii locis piis, vel pauperibus. Irritantur denique caſſationes, ſeu translationes commodi, aut utilitatis percipiendi fructus penſionum factæ intra ſex menſes a capta poſſeſſione; & etiam ultra aliud temporis ſpatium, ſi conſtiterit, hoc pactum præceſſiſſe. Hæ æedem irritationes confirmantur in alia ejuſdem Pontif. Conſtit. *Eccleſiaſtica* 15. Jun. 1746.

Nota, quoad collationem beneficii reſignati in manibus Epiſcopi non conferendi conſanguineis, vel familiaribus reſignantis, aut ipſiuſmet Epiſcopi, vel illi, pro quo facta eſt commutatio per preces, & alia ſigna, ut eſſet ſucceſſor reſignantis juxta prohibitionem contentam in tranſcripta Pii Conſtit. *Quanta*, ex Decreto Cong. Conc. approbato a Gregorio XIII. relato a Benedicto XIV. *lib. XIII. cap. XXIV. de Synod. Diœc. n.* 4. *edit. an.* 1755. neque id permiſſum eſſe Epiſcopo, licet beneficium reſignatum conferendum eſſet per concurſum, ad quem ne admitti quidem debent. Secus, ſi beneficium vacaret per obitum, ex declaratione Sixti V. ad Bullam Pianam relata ibid, num. 5. Hæc tamen prohibitio locum non habet in permutationibus, quas Pius admittere permittit Epiſcopo, dummodo ſint ſacris Canonibus conſonæ, nec mala fide, & fraudulenter coram ipſo fiant, ideſt incommodum potius permutantium, quam in Eccleſiæ utilitatem, vel neceſſitatem, ut animadvertitur in cit. cap. XXIV. n. 10.

Nec locum habet in reſignationibus beneficiorum jurispatronatus, ex declaratione dicti Greg. adnotata in libris Cong. Conc. ut ex teſtimonio Cardinal. Hieron. Matthæi Præfecti, relato a Quaranta verb. *Benef. reſignation.*

Eodem Titulo in VI.

SECTIO LXXIII.

CAPUT II. SI TE, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Hæc Decretalis, (cujus textum non traſcribo) admittens expectativas ad vacatura beneficia, abrogata eſt a Conc. Trid. ut ſupra notavi ad cap. XXX. *Capitulum de Elect.* Sectione X.

Titulus X. De ſupplenda negligentia Prælatorum.

SECTIO LXXIV.

CAPUT I. STATUIMUS, *ex Decretali Alexandri III. Alexandro Abbati, & univerſis Coabbatibus Ciſtercienſibus ſcripta an.* 1169. *quæ etiam reperitur in Tom. I. Privilegiorum dicti Ordinis.*

STatuimus præterea, ut ſi Epiſcopus tertio cum humilitate, ac devotione (ſicut convenit) requiſitus, ſubſtitutos Abbates veſtros benedicere forte renuerit, eiſdem Abbatibus liceat proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.

Statuit hic Alexander, ut ſi Epiſcopus, tertio requiſitus renueret benedicere Abbates Ciſtercienſes, his liceat ſuos monachos benedicere, aliaque exercere ad proprium officium ſpectantia, donec idem Epiſcopus benedictionem illis impertire non recuſaverit.

Onus Abbatibus injunctum benedictionem recipiendi vi hujus Decretalis, reſtringitur ad ſolos Abbates Ordinis Ciſtercienſis; quamvis aliqui illud extendant etiam ad alios quoſcumque Abbates. Sed quidquid ſit de hac controverſia, hodie certum eſt ex Conſtitut. Benedicti XIII. *Commiſſi* 6. Maii 1725. extenſum fuiſſe ad omnes Abbates regulares, etiam perpetuos, licet ratione ſolius adminiſtrationis: ſequenti præterea pœnali lege præſcripta Epiſcopis, ab quibus benedictio danda eſt ibi.

Cum itaque, ſicut accepimus, Abbates regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel ſexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, ſed ratione adminiſtrationis, quia ab unius monaſterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Epiſcopis, in quorum diœceſibus ſita ſunt monaſteria, benedictionem obtinere, imo & petere negligant. Hinc eſt quod Nos gravi ejuſmodi abuſui pro paſtoralis officii debito opportune conſulere, ac providere cupientes.... hac Noſtra perpetuo valitura Conſtit. injungimus, præcipimus, & diſtricte mandamus omnibus, & ſingulis Abbatibus regularibus, licet perpetuis, ſolummodo ratione adminiſtrationis, ut præfertur, qui monaſteriis cujuſcumque Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti de cætero præficientur, ut infra annum a die eorum electionis computandum, ſolemnem benedictionem ab Epiſcopis, in quorum diœceſibus monaſteria conſiſtunt, juxta ritum in Pontificali Romano præſcriptum, omnino ſuſcipiant, vel ſaltem

tem eam ter ab ipſis humiliter poſtulent, ſervata forma ſancita in — cap. *Statuimus de ſupplen. neglig. Prælator.* — Quod ſi ſecus fecerint, ab officio per annum ſint ipſo jure ſuſpenſi. Volumus tamen, & expreſſe declaramus, quod ipſimet Abbates electi, durante præfato termino, ac interim omnia munia abbatialia libere, ac licite exercere poſſint, & valeant; quodque Abbas ſemel benedictus, iterum benedictionem petere, vel obtinere non teneatur, tametſi ad gubernium diverſorum monaſteriorum, aliarum etiam diœceſium, translatus extiterit.

Quoniam vero nonnulli ex prædictis Abbatibus regularibus, Apoſtolicis, ut aſſeritur, muniti ſunt privilegiis, quibus ampla ipſis tribuitur facultas ſuſcipiendi benedictionem a quocumque, quem maluerint, catholico Antiſtite, gratiam, & communionem S. Sedis Apoſtolicæ habente, Nos juſtis, & rationabilibus adducti rationibus, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſtatuimus, atque decernimus, ut ejuſmodi Abbates in poſterum, non a quocumque Antiſtite, ſed a diœceſano tantum Epiſcopo, vel a Metropolitano, infra prædictum terminum, benedictionem omnino ſuſcipere teneantur; & quatenus ille, quem Abbas elegerit, tertio humiliter requiſitus, ipſi petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat, tunc & eo dumtaxat caſu, eamdem benedictionem a quocumque catholico Antiſtite Abbas libere ſuſcipere poſſit, & valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique ſervari volumus, & mandamus.

Cæterum ejuſmodi Indulta exemptiva ab obligatione ſuſcipiendi benedictionem a proprio Epiſcopo, illis dumtaxat Abbatibus, quibus ab Apoſtolica Sede directe conceſſa fuerunt, juxta modum ſupra expreſſum, ſuffragentur: Reliquis autem Abbatibus, qui ea ex generali tantum privilegiorum aliis Ordinibus, Congregationibus, vel Inſtitutis conceſſorum communicatione ſibi competere prætendunt, minime ſuffragari poſſe, nec debere decernimus, & declaramus.

Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus Prædeceſſ. noſtris indultum fuit, ut a ſuis Superioribus regularibus, vel ab eorum Prælatis delegatis, benedictionem ſumere poſſint: vel etiam per ſpeciale indultum Apoſtol. conceſſum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipſo Summo Pontifice, nihil omnino innovandum eſſe ſancimus, & Apoſtolica, quibus gaudent, privilegia, ubique inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus,

Univerſos demum Epiſcopos, atque etiam Archiepiſcopos, a quibus benedictio tribuenda erit, eorumque officiales, aſſiſtentes, & miniſtros quoſcumque in Domino hortamur, ac admonemus, ut occaſione ſimilium benedictionum excutiant, ac prorſus emundent manus ſuas ab omni munere, quin etiam prædictis Præſulibus, ſub pœna interdicti ab uſu Pontificalium per annum vetamus, ac inhibemus, ne tam ante, quam poſt eaſdem benedictiones, earumque intuitu, cujuſcumque generis, aut ſpeciei, etiam bellariorum, & comeſtibilium, munera, vel xenia a quoquam recipere audeant, illiſque præterea diſtricte injungimus, ut ab omni abſtineant ſolemni pompa, quæ ſumptus, quantumvis modicos, etiam prandii, ſecum ferat; cum ejuſmodi ſacræ functiones ab interna, ſolidaque potius benedicentium, ac benedicendorum religione, & pietate, quam ab externa, & vana apparatus magnificentia debeant commendari.

S E C T I O L X X V.

CAPUT II. SICUT NOBIS, *ex Decretali Innocentii III.* (*non Clementis III, ut mendoſe legitur in Codice decretalium Gregorii IX. quo in ſcholis utimur*) *Epiſcopo S. Andreæ in Scotia, reſcripta.*

SIcut nobis tua Fraternitas intimavit, Monachi quidam, & Canonici Regulares, Eccleſias, quæ ad præſentationem eorum pertinent, in tuo Epiſcopatu habentes, propriis uſibus deputare nituntur: nec volunt ad eas, cum vacaverint, vocare perſonas, quin potius occaſione conceſſionis quorundam Epiſcoporum, vicarios in eis pro ſua inſtituunt, & deſtituunt voluntate, admiſſos ita penſionibus onerantes, quod nec Eccleſiis competenter poſſunt in paupertate nimia deſervire, nec Epiſcopo in epiſcopalibus reſpondere, neque hoſpitalitatem (ſicut convenit) tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem, ut ſtatus Eccleſiæ debitus, & antiquus per inſolertiam alicujus ſubvertatur: mandamus, quatenus (niſi a juriſdictione tua exemptæ ſint Eccleſiæ ſupradictæ) prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare: et niſi prædictæ perſonæ

intra tempus Lateranenſis Concilii conſtitutum, ad vacantes Eccleſias tibi perſonas idoneas præſentaverint, ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eiſdem ordinare rectores, qui eis præeſſe noverint, & prodeſſe; ita tamen, quod ex hoc nullum patronis præjudicium in poſterum generetur.

In hac Decretali ſtatuit Innocentius indiſtincte ab omnibus, ad quos ſpectat vacanti Eccleſiæ de ſucceſſore providere, ſervandum eſſe ſemeſtre tempus, præſcriptum ab Alex. III. in Concilio generali Lateranenſi III. celebrato an. 1179. ut ex ejus Decretali, relata in cap. II. *Nulla eccleſiaſtica de conceſ. Praben.* quam leges infra, declaravitque, hoc elapſo, ad ſuperiores Antiſtites jus conferendi, tanquam caducum, devolvi; ſed id tempus idem Innocentius in Concilio Lateranenſi IV. celebrato anno 1215. minuit in Prælaturis, nimirum Epiſcopatibus, & Archiepiſcopatibus, prohibens, ne ultra trimeſtre vacarent, ut ex ejuſdem Decretali, relata in cap. XII. *Dilectus Filius cit. tit. de Conceſ. Praben.* quam pariter leges infra.

Deinde Bonif. VIII. in minoribus beneficiis ad patronos laicos pertinentibus, ad quadrimeſtre reſtrinxit, ut ex Decretali, relata in cap. unico *Si laicus de Jur. patron. in VI.* quam itidem leges infra.

Circa inſtitutionem vero promotorum, vel nominatorum ad Eccleſias parochiales bimeſtre tempus ſervandum eſt ut ex Conſt. S. Pii V. *In conferendis 18. Martii 1567. §. IV.* ibi,

Inſuper, ne parochiales Eccleſiæ diu in ſuſpenſo maneant in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium Eccleſiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & quoſvis alios ordinarios collatores, in menſibus ordinariis, collatoribus, etiam per noſtras Regulas aſſignatis proviſio, & collatio ſpectat, & pertinet, de quibus iidem Epiſcopi, & ordinarii prædicti intra ſex menſium ſpatium a die vacationis earundem perfecto examine juxta formam Conc. Triden. præfati non providerint, ac illarum etiam, quarum collationes nobis, & dictæ Sedi generaliter, vel ſpecialiter, & ex quavis cauſa reſervatæ, ſeu affectæ exiſtunt, aut alias ex indulto Sedis Apoſt. competunt, ad quas, occurrente illarum vacatione Epiſcopi, & Archiepiſcopi præfati perſonas per examen, concurſu mutuo habito, juxta dicti Conc. Trid. formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electos nobis, vel Succeſſoribus noſtris, aut iis, ad quos collatio ſpectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor menſium ſpatium a die illius vacationis non ſignificaverint, necnon parochialium Eccleſiarum ſimilium, quæ juriſpatronatus eccleſiaſtici, vel aliorum, ſeu Clericorum, & laicorum ſimul fuerint, ſi præſentatus intra tempus eiſdem patronis a jure præfixum, prævio examine, juxta formam dicti Concilii approbatus petatur inſtitui, inſtitutioque ipſa per duos menſes a die præſentationis dilata fuerit, collationem, proviſionem, inſtitutionem, ac omnimodam diſpoſitionem nobis, & ipſi Sedi, ac perſonis indulta hujuſmodi conferendi, providendi, ſeu inſtituendi obtinentibus reſpective reſervamus. Data tamen in parochialibus juriſpatronatus optione ipſis patronis, ut ſi inſtitutio ad Ordinarios ſpectabit, ipſis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menſes differentibus, poſſint pro hujuſmodi inſtitutione obtinenda habere recurſum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apoſtolicam.

Quod ſi quæras, an mora per celerem Inſtitutionem poſt elapſum bimeſtre hic præſcriptum, purgari poſſit, crederem non poſſe, eo pari modo, quo purgari nequit mora collatorum, ſi elapſo ſemeſtri, & reſpective quadrimeſtre, beneficium non contulerint, niſi Superior, ad quem jus conferendi ſtatim devolutum eſt, ex ſua benignitate conſentiat, & approbet collationem poſterius factam, ut declaratur in cap. IV. *Literas*, & cap. V. *Dilecto Filio hoc eod. tit.*

Et nota, quod quamvis in cit. cap. *Literas*, Innocentius III. approbaverit collationem quorundam beneficiorum, & dignitatum factam a Prælato, & capitulo poſt elapſum ſemeſtre, non ideo derogavit ſtatuto Concilii Lateranenſis III. vi cujus jam jure conferendi privati erant, ſed eam approbavit ex diſpenſatione dumtaxat.

SECTIO LXXVI.

CAPUT III. LICET MAGISTER, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Elienſi, & Ciſtercenſi Epiſcopis, ac Novarienſi Archidiacono in Anglia, ſcripta*.

Licet Magiſter H. & R. Procurator R. de S. Cadimundo, ſuper Archidiaconatu Richemundiæ diutius litigaverint coram nobis: (& infra.) Ne igitur jus noſtrum negligere videamur, qui alios in ſua juſtitia confovemus:) mandamus, quatenus, ſi vobis conſtiterit, Archidia-

diaconatum Richemundiæ vacaſſe per annum (tempore ſemeſtri, quo vel ad Archiepiſcopum vel ad capitulum donatio pertinebat , non a vacatione, ſed a notitia computato) cum pro eo quod Eboracen. Archiepiſcopus alium Superiorem non habet, ex tunc fuerat ad nos donatio devoluta, utique ſuper eo ſilentium imponatis.

Huic Decretali, in qua ſtatuit Pontifex ſemeſtre tempus ab Alexandro III. ut ſupra, præſcriptum, computandum eſſe non a die vacationis beneficii, ſed a die notitiæ ejuſdem vacationis, acceſſit Deciſio CCLXIII. in novis, & Deciſio I. in antiquis Rotæ Romanæ, in qua declaratur, ſufficere notitiam etiam præſumptam, ne collatores variis coloribus, ſe ignoraſſe confingant.

Ad hunc titulum referri debent Decreta Concilii Trident. ad Prælatorum negligentiam ſupplendam ſpectantia, quæ habentur *Seſſ. V. cap. I. de Refor.* §. *In Monaſteriis*, & *cap. II.* §. *Sicut Seſſ. XXI.* & *cap. VIII. de Refor. Seſſ. XXIV. cap. XVI.* & *cap.* XX. §. *Legati Seſſ. XXV. cap. VIII.* & *XIV. de Regul.*

Eodem Titulo in VI.

SECTIO LXXVII.

Caput III. Si Episcopus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

SI Epiſcopus a Paganis, aut Schiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed capitulum, ac ſi ſedes per mortem vacaret illius, in ſpiritualibus, & temporalibus miniſtrare debebit: donec eum libertati reſtitui, vel per Sedem Apoſt. (cujus intereſt Eccleſiarum providere neceſſitatibus) ſuper hoc per ipſum capitulum, quamcito commode poterit, conſulendam, aliud contigerit ordinari.

Huic Bonifacii ſanctioni acceſſit limitatio quoad hanc Juriſdictionem ad capitulum devolutam, deſumpta ex decreto Cong. Conc. cui ſub die 7. Aug. 1683. propoſito ſequenti dubio *in Cauſa Hiberniæ Adminiſtrationis Eccleſiarum*, relato a Benedicto XIV. *de Synod. Diæc. lib. XIII. cap. XVI. num. XI. edit. an.* 1755. — *An caſu, quo Epiſcopus ab Hæreticis captus detineatur, non ita tamen arcte cuſtoditus, ut ipſi, ejuſque diæceſanis facile non ſit, ſaltem per literas, inter ſe agere, ejuſdem Epiſcopi juriſdictio intelligatur ſuſpenſa, & ad capitulum Eccleſiæ cathedralis devoluta* —.

Sacra Congreg. reſpondit — *Juriſdictionem non eſſe ſuſpenſam.*

Titulus XI. De Temporibus ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

SECTIO LXXVIII.

Caput II. Sane, *ex Decretali Alexandri III. Herfordenſi Epiſcopo in Britannia reſcripta.*

SAne ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti, in Eccleſiis quibuſdam Schotiæ, & Valliæ, in dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, extra jejunia quatuor Temporum, Clericos ad Sacros Ordines promovere: ſignificamus, quod conſuetudo illa (utpote inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica) eſt penitus improbanda: & niſi multitudo, & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare: nam apud nos ſic ordinati deponerentur, & Ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, promoto ad ſacros Ordines extra ſtatuta tempora, non eſſe permittendum, eoſdem Ordines exercere, ampliata eſt ab Urbano III. qui Archiepiſcopo Piſano reſcribens, declaravit, ut tamdiù remaneret ſuſpenſus, donec a Sede Apoſt. reſtitutionis, ſeu diſpenſationis gratiam meruiſſet obtinere, ut in ejus Decretali, relata *in cap. VIII. Cum quidam hoc eod. tit.* quæ tamen correcta eſt a Gregorio IX. *cap. XVI. Conſultationi hoc eod. tit.* tribuente Epiſcopo facultatem diſpenſandi, ut infra notabitur, Sectione XC. in qua leges textum tam cap. VIII. quam cap. XVI.

Ante tampora Pii II. non levis controverſia erat inter Canoniſtas, an iſta ſuſpenſio eſſet latæ, vel ferendæ ſententiæ: aliis affirmativam, aliis negativam opinionem ſuſtinentibus; cui tamen finem impoſuit idem Pius, qui in Conſtit. *Cum ex Sacrorum* 17. *Novembris* 1461. declaravit, eſſe latæ ſententiæ, ita ut Ordinem ſic ſuſceptum exercens, fieret irregularis, ibi.

Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis literis etiam citramontanis (præterquam ſi in hoc ultimo caſu, per Cameram Apoſtolicam, juxta illius ſtylum ordinati fuerint,) ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint, &, ſi, hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari.

Quæ tamen ſuſpenſio, & quidem ab Ordine dumtaxat ſic male ſuſcepto, neque ex hac Pii Conſtit. eſt reſervata; ita ut adhuc hodie integra maneat Epiſcopi facultas, ei tributa in cit. cap. VIII. *Cum quidam, promotum diſpenſandi*.

Et quamvis ex poſteriori Conſt. Sixti V. contra Clericos male promotos *Sanctum, & ſalutare* 5. Jan. 1588. Papæ reſervata fuiſſet, & Ordinans extra tempora incurreret ipſo facto ſuſpenſionem a collatione Ordinum aliaſque pœnas latæ ſententiæ, ibidem inflictas, hanc tamen Conſt. quoad hoc, correxit Clemens VIII. eamque redegit ad terminos juris communis, & laudatæ Pii Conſt. ut in *Conſtit. Romanum Pontificem* 28. *Febr.* 1595. ibi.

Nos animadvertentes, in dictis literis nihil fere, quoad ea, quæ in Ordinum collatione ſervanda ſunt, diſponi ultra id, quod in ſacris Canonibus, & in Concilii Trid. decretis, ac aliorum Romanor. Pontif. Prædeceſſ. noſtrorum Conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diverſas pœnas, & cenſuras eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in Ordinum collatione peccantes, & ſimiliter contra Clericos tam ſæculares, quam cujuſvis Ordinis, Inſtituti, & Militiæ Regulares malè promotas conſtitui, abſolutionemque, & diſpenſationem Sedi Apoſt. reſervari, & alias, ſicut in præfatis literis continetur. Conſiderantesque tam promoventes, quam eos, qui ad dictos Ordines promoventur, ſæpe cenſuris, & pœnis hujuſmodi ob illarum multiplicitatem in eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex Prælatis, & Epiſcopis in conferendis hujuſmodi Ordinibus nimis ſcrupuloſe procedere, multoſque metu pœnarum, & cenſurarum præfatarum ab Ordinum collatione prorſus deterreri, adeo ut Clericorum, & Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſſis ſecuritati, ac animarum ſaluti, paterna caritate proſpicere volentes, ſupradictas literas ad terminos SS. Canonum, ac Conſtitutionis re. me. Pii Papæ II. etiam Prædeceſ. noſtri, quæ incipit, *Cum ex Sacrorum Ordinum* ſub dat. videlicet XVI. Cal. Decembr. Pontificatus ſui anno quarto, cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem Decretorum Sac. Trid. Conc. reſtringimus, & reducimus, nec non cenſuras, & pœnas in eiſdem Sixti literis contentas quoſcumque, *præterquam contra ſimoniace Ordinantes, & ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere* (aliis etiam pœnis, & cenſuris per eoſdem Canones, ac Conſtitutionem Pii II. Conciliumque Trident. injunctis ſalvis, & firmis remanentibus) moderamur, & abolemus.

Hic quæri poſſet, an hac ſuſpenſione irretiti, quemadmodum Ordinem ſuſceptum exercentes irregularitatem incurrerent, ita etiam irregulares evaderent, ſi nulla impetrata abſolutione a dicta ſuſpenſione ad ſuperiorem Ordinem aſcenderent.

Huic dubio ſolidè ſatisfactum legitur a Benedicto XIV. *lib. XII. de Synod. Diœc. edit.* 1755. *cap. III. n. 7.* per hæc verba — „ Apud omnes Canoniſtas principii lo-
„ co eſt irregularitatem a ſolo jure, & non ab homi-
„ ne induci poſſe: a jure autem irregularitate quidem
„ afficiuntur, qui, contempta, qua ligantur, cenſura,
„ in ſuſcepto Ordine ſolemniter miniſtrant, numquam
„ vero irregulares pronunciantur, qui cum ejuſdem
„ cenſuræ vinculo ad ſuperiorem Ordinem aſcendere
„ præſumunt: ſcimus enim vero, non defuiſſe Doctores,
„ quibus viſum cum fuerit, aſcenſum ad altiorem Or-
„ dinem, quoddam eſſe exercitium inferioris Ordinis
„ jam ſuſcepti, idcirco docuere, irregularitatem a ju-
„ re in primo caſu irrogatam, etiam ſecundum com-
„ plecti .... ſed ſimul non ignoramus, veriorem, &
„ communiorem eſſe ſententiam oppoſitam, quæ,
„ quamquam ſacrilegii reum fateatur, qui ſciens ſe
„ cenſuræ vinculo obſtrictum, ſuperioris Ordinis gra-
„ dum audacter conſcendit; eum tamen ab irregulari-
„ tate abſolvit: quam quidem ſententiam amplexata
„ eſt Sacra Congr. Conc. in *Carinolen. ſeu Neapolita-*
„ *na Ordinationis, die* 31. *Januar.* 1688. ſiquidem
„ recipiens altiorem Ordinem, nonniſi improprie di-
„ citur ſolemniter miniſtrare in inferiori Ordine, a cu-
„ jus exercitio eſt ſuſpenſus: in hac autem materia
„ odioſa, & pœnali non cenſetur cadere ſub legis cen-
„ ſuram, quod nonniſi improprie legis verba compre-
„ hendunt —.

Non obſtantibus hac juris communis ſanctione, & relatis Pii, ac Sixti Conſtitutionibus, Regulares tuto ordinari poſſe extra tempora in vim privilegiorum iiſdem a Summis Pontificibus conceſſorum, declaravit Benedictus XIII. in Concilio Rom. *celebrato anno* 1725. *tit. V. cap. II. de Temporib. Ordinat.* ſed de hoc privilegio inſtituetur ſermo parte II. cum de cap. VIII. *Trident. ſeſſ. XXIII. de Refor.*

SE-

S E C T I O L X X I X.

Caput III. De eo, *ex Decretali laudati Alexandri III. eidem Herfordenſi Epiſcopo ſcripta*.

De eo autem, quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere: Taliter reſpondemus, quod licitum eſt Epiſcopis, dominicis, & aliis feſtivis diebus, unum, aut duos ad minores Ordines promovere, ſed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut Sabbatho ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.

Sentiunt plerique cum Gloſ. hic verſ. *Ad minores* in hac Decretali, Alexandrum declaraſſe, poſſe Epiſcopum extra tempora privatim aliquibus conferre eadem die omnes Minores Ordines, dummodo id faciat Dominicis, aliiſve feſtivis diebus; & pauci ab ipſo ordinentur, adeo ut non videatur ordinatio generalis: eo quia Pontifex hic reſpondet, indeterminate, poſſe Epiſcopum promovere *ad Minores Ordines*. Ex quo inferunt, hanc Decretalem, quatenus id ſic abſolute decernit, moderatam fuiſſe a Trident. *cap. XI. ſeſſ. XXIII.* ſtatuente, ut Minores Ordines conferantur per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur. Quemadmodum vero, quamvis novum Pontificale Romanum *tit. de Minorib. Ordinib.* idipſum dicat abſolute, ac indeterminate: *Minores Ordines dari poſſunt extra Miſſarum ſolemnia diebus dominicis & feſtivis duplicibus*, exinde male inferretur præſcriptum ejuſdem contrarium eſſe ſanctioni Tridentinæ, eo quia ſenſus Pontificalis non eſt, quod omnes Minores Ordines poſſint eadem die abſolute ſimul conferri uni, eidemque Clerico: bene vero aliquot paucia diſtributive, taliter ut huic ex. gr. conferatur Oſtiariatus, illi Lectoratus, alteri Exorciſtatus, alii denique Acolythatus; & ſic omnes Minores Ordines conferantur; niſi Epiſcopo expedire magis videatur, eidem, ac etiam pluribus, duos, vel etiam omnes minores conferre. Ita cum in explicato ſenſu ita Decretalis quantum ad prædicta verba, rite intelligi poſſit, dici nequit per Tridentinum loc. cit. moderatam fuiſſe. Addendum manifeſtam violentiam eidem fieri, ipſam intelligendo in ſenſu contrario; petitio enim facta: an liceat promovere extra tempora ad Minores Ordines, non erat reſtricta ad unum, ſed extendebatur ad plures perſonas: *promovere aliquos*; ac de pluribus Pontifex eam de facto intellexit, reſpondendo promoveri poſſe unum, vel duos, ideſt plures quidem, ſed paucos, ut poſt Gloſſam explicant D. D. communiter.

Item quæſitum non erat, an his aliquibus conferri poſſent omnes Minores; ſed ſimpliciter, *an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos aut &c. promovere*; ubi particula diſiunctiva *vel*, poſita ante ultimo recenſitum Minorem, ſicut & ſubſequens particula *aut*, clare exprimunt petitionem fuiſſe factam circa disjunctivam Ordinum collationem, an ſcilicet hic, vel ille ordo, & ſic ſub diſiunctione omnes Minores extra præfatos dies poſſent aliquibus conferri: cui petitioni in eodem ſenſu Alexander reſpondit, licere Epiſcopis, dominicis, & aliis feſtivis diebus paucos ad Minores Ordines promovere, non exprimens ſervanda interſtitia, quando Epiſcopo non videtur aliud magis expediens, quia quoad hæc jam fuerat ſatis proviſum per antiquos Canones, ſignanter per I. II. III. & IX. diſtinct. LXXVII. Hinc Gloſſa ad mox relatum Canonem III. verſ. *Acolythus*, inquit: *Et ita videtur, quod de jure non debeant Minores Ordines ſimul conferri: quod credo niſi diſpenſative; vel niſi ſit conſuetudo: quod conforme eſt poſteriori Tridentinæ ſanctioni*. Propterea quidquid alii etiam communiter ſenſerint, dicendum eſt, Alexandrum nihil Tridentino adverſum circa collationem Minorum Ordinum in hac Decretali protuliſſe; proindeque quantum ad hoc, nulli moderationi ſubeſſe.

Quæres, an ſuppoſita conſuetudine immemorabili, Epiſcopo licitum ſit conferre Primam Tonſuram, & Minores Ordines feria VI. poſt prandium, ante diem Sabbathi Quatuor Temporum, ubi talis eſt conſuetudo. Propoſito huic Dubio in *Portalegren.* ut in Theſaur. Reſol. Cong. Conc. *tom. 1. pag. 297.* ita reſpondit Sac. Conc. die 13. April. 1720. *Affirmative quoad Primam Tonſuram; & quoad cæteros Minores Ordines conſuetudinem immemorabilem tolerari poſſe, ſed expedire, ut Epiſcopus ſe conformet Pontificali Romano tit. de Minorib. Ordinib.* Jam vero Pontificale Romanum loquens de collatione ordinum inquit: *Quatuor Minores Ordines dari poſſunt extra Miſſarum ſolemnia diebus dominicis, & feſtivis duplicibus, ſed mane tantum*. Expedit ergo juxta Congregationis mentem, quod Epiſcopus etiam Minores Ordines ubilibet mane conferat. An ne poſtea nomine diei *feſtivi duplicis* hic etiam veniat ſolum feſtum in choro, quamvis ſimul non ſit feſtum in foro, ac de præcepto? ſuſtulit eadem S. Cong. omnem difficultatem, declarando *comprehendi dies feſtos, qui a populo ſervantur*, ut teſtantur Fagnanus in cap. *De eo, num. 42. Card. Petra ad Conſt. VII. Pii II. tom. V.* & alii paſſim. Et clarius Urbanus VIII. in nova recognitione Pontificalis, exponi faciens *dies feſtivos ex præcepto*, mandando hæc addi eidem Pontificali *tit. de Ordin. confer. ut refert Card. de Lugo in Reſpon. Moral. lib. I. dub. XXIII.* Nec immerito; in vulgari enim ſignificatione nomine feſti intelligitur dies, quo vacatur ab operibus ſervilibus, ut ex *tit. de Feriis*, quem etiam indicavit S. Cong. in præfata declaratione.

SE.

SECTIO LXXX.

Caput IV. Ex tenore, *ex Decretali ejuſdem Alexandri Gualtero Albanenſi Epiſcopo, Urbis Vicario, reſcripta.*

EX tenore tuarum literarum accepimus, quod N. Clericus adeo deliquit, quod ſi peccatum ejus eſſet publicum, degradaretur ab Ordine, quem ſuſcepit, & amplius non poſſet ad ſuperiores Ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipſius fore occultum dixiſti, mandamus, quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, ut parte pænitentiæ peracta, Ordine ſuſcepto utatur, quo contentus exiſtens, ad ſuperiores amplius non aſcendat. Verumtamen, quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.

Hæc Decretalis, in qua permittitur Clerico poſt pœnitentiam miniſtrare in Ordine ſuſcepto, & ad ſuperiorem promoveri poſſe, non obſtante quocumque delicto occulto, quod ſi alias eſſet publicum, ad alios Ordines promoveri nequiret, & degradationem mereretur, declarata eſt a Gregorio IX. cap. *Quæſitum XVII. hoc eod. tit.* excipiente occultum crimen homicidii, ob quod, & ab exercitio ſuſceptorum, & ab aſcenſu ad ſuperiores Ordines prohibetur; textum leges infra Sectione XCI.

Cæterum ambabus his Decretalibus, quodcumque ſit crimen, quoad aſcenſum ad ſuperior. Ord. derogatum eſt a Trident. *cap. I. ſeſſ. XIV. de Refor.* tribuente facultatem Epiſcopo interdicendi ſubdito ex quacumque cauſa, etiam occulta, & extrajudicialiter, ne aſcendat ad Sac. Ord. Textum leges part. II. cum de eod. cap. agetur.

Item ex ſententia Cong. Conc. teſte Fagnano, in hoc eod. *cap. n. 16. & 17.* derogatum eſt etiam quoad adminiſtrationem in ſuſceptis *ob cap. III. ejuſdem* Concilii *ſeſſ. XIV.* quo Epiſcopo tribuitur facultas ſuſpendendi ab executione Ordinum quoſcumque Clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, quos minus idoneos repererit, eo pari modo, quo Superiores regulares prohibere poſſunt ſuis ſubditis jam promotis, ne ad altiores Ordines aſcendant, in vim cap. V. *Ad aures hoc eod. tit.* quod dicta Congregatio cenſuit extenſum eſſe ad Clericos ſæculares. Tenor autem dicti cap. V. eſt.

Ad aures noſtras pervenit, quod Religioſi quidam ad ſuperiores deſiderant Ordines promoveri, ſed Prælati eorum deſideriis contradicunt. Tuæ igitur quæſtioni taliter reſpond. quod honeſtius, & tutius eſt ſubjectis debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum Præpoſitorum ſcandalo, graduum appetere dignitatem: nec eſt in hac parte ſubjectorum deſiderium confovendum: quoniam eſſe poteſt, quod Prælati eorum commiſſa ſecreta noverint, ex quibus conſtat eis, quod, ſalva conſcientia, nequeant ſublimari: quia non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine charitatis acquiritur Regnum Dei.

Vide notanda infra par. II. ad *cap. XVI. ſeſſ. XXIII. de Reform.*

SECTIO LXXXI.

Caput VI. Si Archiepiscopus, *ex Decretali Aniceti Papæ Epiſcopis per Galliam conſtitutis.*

SI Archiepiſcopus obierit, & alter fuerit ordinandus, omnes Epiſcopi ejuſdem provinciæ ad Sedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui vero comprovinciales Epiſcopi (ſi neceſſe fuerit) cæteris conſentientibus, a tribus juſſu Archiepiſcopi poterunt ordinari: ſed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter Pontificem conſecraverint.

SECTIO LXXXII.

Caput VII. Nec Episcopi, *ex Decretali, deſumpta a* Can. VIII. *Concilii Arelatenſis II. juxta Gonzalez, celebrato Arelate in Gallia Narbonenſi circa an.* 443.

NEc Epiſcopi ſine Metropolitani permiſſu, nec Metropolitanus ſine tribus, vel duobus Epiſcopis comprovincialibus præſumant Epiſcopum ordinare, ita ut alii Epiſcopi comprovinciales admoneantur epiſtolis, ut ſe ſuo reſponſo ſignificent conſenſiſſe. Quod ſi inter partes aliqua dubitatio fuerit, majori numero Metropolitanus *in electione* conſentiat.

In

In prima tranſcripta Decretali ſtatuitur, ut, mortuo Archiepiſcopo, eligatur, ac conſecretur alter ab omnibus Epiſcopis ſuffraganeis; mortuo autem aliquo ex dictis ſuffraganeis, eligatur alter ab ipſo Archiepiſcopo, & illius juſſu conſecretur, vel a tribus, vel ab omnibus ſimul cum ipſo.

In ſecunda vero ſtatuitur, ne Epiſcopus conſecrari poſſit ſine Metropolitani permiſſu, nec idem Metropolitanus præſumat Epiſcopum conſecrare ſine tribus, vel duobus Epiſcopis.

Verum ambæ hodie locum amplius non habent, quoad electionem, & conſecrationem relatè ad Concilium provinciale: poſtquam enim proviſiones cathedralium, & ſuperiorum Eccleſiarum Sedi Apoſt. reſervatæ fuerunt, electiones, & conſecrationes tam Archiepiſcoporum, quam Epiſcoporum pleno jure pertinent ad Summum Pontificem, de cujus ſpeciali commiſſione dumtaxat conſecrantur, ut alibi notavi, & prout patet etiam ex allatis a Benedicto XIV. in Epiſtola ad Epiſcopum Juſtinopolitanum §. XV. incipien. *In poſtremo* 20. *Octobr.* 1756. ibi.

Verum . . . . dicimus, ſublatis electionibus, olim celebrari ſolitis a Canonicis vacantis Eccleſiæ, ob gravia inde profluentia incommoda, reſtitutaque veteri diſciplina providendi Epiſcopatibus per Apoſtolicam Sedem; ſalvis tamen Concordatis, initis cum aliquibus Nationibus, in quibus, retentis electionibus, earum confirmatio reſervatur Romano Pontifici, in eumdem quoque recidit jus conſecrandi Epiſcopos, vel conſtituendi Delegatos ad conſecrationem peragendam; etſi ſuperioribus ſæculis Suffraganeorum conſecratio eſſet Metropolitæ reſervata, nec manus in ea apponeret Summus Pontifex, præterquam, ſi quandoque Metropolitæ injuſte Suffraganeum conſecrare abnueret, veluti noſcitur ex *Rhemenſi hyſtoria Frodoardi*, atque etiam ex Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Chriſti* 885., ubi cum Pontificem Stephanum VI. appellaſſet electus ad Epiſcopatum Lingonenſem, retuliſſetque Lugdunenſem Archiepiſcopum, Metropolitam ſuum detrectare ipſi conſecrationis munus impertiri, præmiſſis iteratis monitionibus, ut imploratam conſecrationem perageret, ipſoque Archiepiſcopo in ſua contumacia obfirmato, Pontifex uſus competenti ſibi in univerſam Eccleſiam auctoritate, in Epiſcopum eumdem conſecravit. Vigens nunc temporis diſciplina, deſcribitur a *Gonzalez in cap. Nec Epiſcopus num.6. de Temporib. Ordinat.* per hæc verba — *Hodie conſecratio Epiſcoporum non ex Metropolitani juſſu, ſed Pontificis mandato fit: cum enim Romanus Pontifex ſibi reſervaverit cathedralium Eccleſiarum collationem, ſimiliter ab ejus libito pendere voluit Epiſcoporum conſecrationem* — Quod ipſum in Pontificali Romano, quoque accurate deſcribitur *Tit. de Conſecrat. electi in Epiſcopum*, hæcque ſunt verba — *Nemo conſecrari debet, niſi prius conſtet Conſecratori de commiſſione conſecrandi, ſive per literas Apoſt. ſi ſit extra Curiam, ſive per commiſſionem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice Conſecratori factam, ſi Conſecrator ipſe ſit Cardinalis* — pergitque Schimien. *Thom.* 1. *jur. lib.I. tract.III. cap.I. num.*569. *moderno jure conſecratio Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Summo Pontifici reſervata eſt, & ab eo ſpecialiter deleganda* §. *XVI. eſſe communiter dicitur* —.

Munificus nobis Pontifex Benedictus XIII. curavit pro viribus intactum ſervare jus pontificium, ſalvo vel certe quominus fieri potuit, imminuto veteri jure metropolitico, expreſſo in cap. *Si Archiepiſcopus*, & in cap. *Nec Epiſcopus de Temporib. Ordinat.* quoad conſecrationem Suffraganeorum. Itaque cum animadvertiſſet conſuetam Bullam, qua, abſentibus Epiſcopis fit facultas ſuſcipiendi conſecrationem, conceptis hiſce verbis expreſſam eſſe — *Cuicumque, quem maluiſſent, catholico Antiſtiti, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habenti* — juſſit mandatum *de conſecrando*, quod ſuffraganeo Epiſcopo concederetur, in poſterum dirigi ad ejus Metropolitanum, tributa ſimul ipſi facultate, ſi aliquo detineretur impedimento, ſubdelegandi alium ſibi beneviſum Epiſcopum: caſu autem ſe ſe offerente conſecrandi Metropolitam, conſtituit, ut mandatum *de conſecrando*, antiquiori Epiſcopo ſuffraganeo inſcriberetur, ſuperaddita facultate, aliquo ſuperaccedente impedimento, eum, quem maluiſſet Epiſcopum ſubſtituendi. Verum tot, tantæque excitatæ expoſtulationes, & querelæ, non ſolum propter incommoda, ſed & ob ſumptus neceſſario ſubeundos, ſi Suffraganeo adeundus fuiſſet ſuus Metropolita, ut conſecraretur, vel Metropolitæ Suffraganeus per ipſum conſecrandus, ut cum nos, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, ad ſummum Pontificatum fuimus evecti, reſtitutam invenerimus veterem formulam, juxta quam, uti prædictum eſt, mandatum *de conſecrando* ad eum dirigitur Epiſcopum, quem ſibi conſecrandus elegit. Nec nobis aliud quidquam datum, quam aliquid præſcribere circa Epiſcoporum conſecrationes, quæ in Urbe peragentur, ſtatuimus namque Conſecrandum, cui facultas ſit eligendi Conſecratoris, ſeligere debere, aut unum ex Cardinalibus epiſcopali caractere inſignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis, plerumque in Urbe reſidentibus, ſcilicet, vel Conſtantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hieroſolymitanum: eo tantum excepto caſu, quo nemo ex præfatis, quod perdifficile eſt, oblatum ſibi conſecrationis peragendæ munus acceptum haberet: in hac quippe caſus hypotheſi, facta eſt

Epiſco-

Epiſcopo conſecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiſcopum, Epiſcopumve; qui ei conſecrationem impenderet. Neque in his edendis ſanctionibus excidit nobis Metropolitarum memoria, cum conſtituerimus, ne, ſi in Urbe præſentes ſint Metropolita, ejuſque Suffraganeus, conſecratio Suffraganei cuiquam, præterquam ſuo Metropolitæ, delegetur.

Tranſcriptæ tamen ambæ Decretalos remanent in ſuo robore quoad numerum trium Epiſcoporum, qui intereſſe debent in conſecratione Epiſcopi; ſine quo numero, aut ab uno tantum peracta, licet juxta probabiliorem ſententiam ſit valida, ſemper tamen illicita proclamata fuit, niſi ſpecialis Papæ diſpenſatio pro caſuum oportunitate intervenerit: de qua re fuſe laudatus Benedictus de *Synod. Diœc. lib. XIII. cap. XIII. edit. an.* 1755. *a num.* 1. *ad* 10.

S E C T I O L X X X I I I.

CAPUT VIII. CUM QUIDAM, *ex Decretali Urbani III. Piſano Archiepiſcopo reſcripta.*

CUM quidam (& infra.) Epiſcopum, qui die, quo non debuit, Ordines celebravit, canonica diſciplina corrigere, & ordinatos a ſuſceptis Ordinibus tamdiù reddere debes expertes, donec apud nos reſtitutionis gratiam conſequantur.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, ordinatum in ſacris extra tempora a jure ſtatuta, tamdiù ſuſpenſum eſſe ab exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum, donec a S. Sede diſpenſationem obtinuerit, correcta eſt a Gregorio IX. ut ſupra notavi ad caput II. *Sane* Sect. LXXVIII. declarante, diſpenſari poſſe ab Epiſcopo, pœnitentia peracta, ut in ſuſceptis miniſtret, prout ex ejus Decretali, relata in cap. XVI. *Conſultationi hoc eod. tit.* Textum leges infra Sect. XC.

Circa hoc vide reliqua ad cit. cap. II. *Sane*, Sectione LXXVIII.

S E C T I O L X X X I V.

CAPUT IX. CUM SECUNDUM, *ex Decretali Cœleſtini III. Hidruntino Archiepiſcopo, vulgo Otranto in Calabria, ſcripta.*

CUM ſecundum regulas eccleſiaſticas: (& infra.) Quia vero (ſicut dicitur) in partibus Calabriæ Latini a Græcis, & Græci a Latinis ſecundum alterutrius inſtitutionis obſervantiam ordinantur, nolumus de cætero commixtiones, & conſuetudines Rituum in Ordinibus obſervari.

S E C T I O L X X X V.

CAPUT XI. QUOD TRANSLATIONEM, *ex Decretali Innocentii III. ut C. Preſbytero Apoſtolicæ Sedis Legato, reſcripta.*

QUod translationem Pontificis: (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cùm Clericus græcus, Epiſcopo latino ſubjectus, a græco Pontifice ordinatur, niſi de mandato, vel licentia ſui Epiſcopi fiat, interdicenda eſt ei Ordinis executio ſic ſuſcepti, tanquam ab alieno Pontifice, ſine mandato, vel licentia ſui Epiſcopi ordinato. Si vero de mandato, vel licentia ſui Præſulis a græco Pontifice, ſecundum morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpandus ſit Epiſcopus latinus, qui Clericos ſuos a græco tacit Antiſtite ordinari, quamdiù tamen talis mos ab Eccleſia toleratur, impediri non debet ab executione Ordinum taliter ſuſceptorum.

In exponenda prohibitione, de qua in his duabus Decretalibus ſermo eſt, non immoror, cum ſatis ei proviſum ſit a Benedicto XIV. Conſtit. *Et ſi paſtoralis* 26. *Maii* 1742. *de Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque ſervandis* §. *VII. quam conſule.*

SE.

SECTIO LXXXVI.

Caput XII. Cum in distribuendis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Mutinenſi Epiſcopo reſcripta.*

CUM in diſtribuendis : (& infra.) Meminimus, a nobis fuiſſe ſuppliciter poſtulatum , & clementer indultum , ut quia præfatus A. Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus erat , mandaremus ipſum per Bononienſem Epiſcopum promoveri .

Perperam ex hac Innocentii Decretali tam ipſius epigraphæ , quam Gloſſa, & omnes Canoniſtæ inferunt — *ordinatum a Papa, ſine illius licentia ad ſuperiores Ordines promoveri non poſſe* : quæ aſſertio, licet exteroquin vera , non tamen in eadem Decretali fundatur , cum in ea agatur de Subdiacono , qui non præciſe indigebat indulto , ut promoveri poſſet ad ſuperiores Ordines ab alio , quam a Papa , quia ab hoc ordinatus fuiſſet honoris tantum cauſa , de qua *Can. CXXXI. cauſa XVI. q. I.* ſed quia in ordinatione adſcriptus fuerat ſervitio Eccleſiæ Romanæ , ut colligitur ex ipſiſmet verbis Decretalis — *ut quia Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus erat* — a qua ſine ejuſdem Papæ licentia egredi non poterat , juxta diſpoſita a D.Gregorio Magno *Epiſtola* XXXVIII. *lib.V. Tom.II. Indict. XIII.* & *a S. Gregorio* VII. *Can. XV. relato in ejus Dictato* : verum fundatur in reſponſione ejuſdem Innocentii ad Philippum Lampugnano , qui ſæculo XII. erat Archiepiſcopus Mediolanenſis , *Epiſt.* XXII. *lib.*I. *Tom.*I. *edit. Baluzii*, ex cujus integro contextu conſtat , eidem Philippo indulſiſſe , ut ad alios Ordines promovere poſſet ordinatos honoris tantum cauſa a Romano Pontifice . Hanc ordinationem honoris tantum cauſa pluries peractam vidimus hac noſtra ætate a Benedicto XIII. qui ſtatim poſt Ordinum collationem diſpenſabat cum a ſe ordinatis, ut a propriis Epiſcopis promoveri poſſent abſque alio indulto ,

SECTIO LXXXVII.

Caput XIII. Litteras, *ex Decretali laudati Innocentii eidem Epiſcopo Mutinenſi reſcripta.*

Litteras veſtras recepimus ſuper inordinata ordinatione Imolenſis Electi, quem Bonon. Epiſcopus præcedenti Sabbatho in Diaconum , & ſequenti die Dominico (continuato jejunio) in Presbyterum ordinavit . In quo , quantum uterque deliquerit , evidenter intelligit , qui prudenter attendit; ſi enim utrumque Ordinem eodem die conferre illi non licuit , pari non licuit ratione unum Ordinem uno die , & alium altero (jejunio continuato) conferri: cum propter continuationem jejunii , fictione canonica , ſive mane diei Dominicæ trahatur ad Sabbathum , ſive veſpera Sabbathi ad diem Dominicam referatur , profecto mane cum veſpera, ſeu veſpera cum mane ad eumdem diem pertinere dicetur . Nam ſi quantum ad hunc neceſſitatis articulum pertinet , mane ad unum diem , & veſpera referatur ad alium , cur eſſet continuatio jejunii neceſſaria , cum & Sabbatho ante cœnam , & Dominica ante prandium intelligantur eſſe jejuni ? Præfatum itaque Bonon. Epiſcopum (ut puniatur , in quo deliquit) à collatione Ordinum , Diaconii ſcilicet , & Presbyterii , alterum vero ab executione officii ſacerdotalis tamdiù volumus manere ſuſpenſos , donec de illis aliter diſponamus .

In hac Decretali prohibet Pontifex , ne uno , eodemque die , etiam continuato jejunio , conferantur duo Ordines ſacri , ſub pœna in Ordinantem ſuſpenſionis a collatione Ordinum ſic collatorum , & in ordinatum ab executione Ordinis poſterius recepti : quæ ſuſpenſio , an ſit latæ , vel ferendæ ſententiæ diſcrepant inter ſe Canoniſtæ .

Ante Conc. Trident. dictitabatur , Eugenium IV. conceſſiſſe omnibus Monachis S. Benedicti , ut ſemel in anno omnes Majores Ordines eodem die recipere poſſent a quocumque catholico Epiſcopo : quo eodem privilegio Religioſi Mendicantes contendebant per communicationem , ſe frui debere . Verum hæc prohibitio extenſa fuit a Trident. etiam ad Regulares , cum expreſſa derogatione quorumcumque indultorum , & privilegiorum , ut cap. XIII. ſeſſ. XXIII. de refor.

Cum vero hujuſmodi prohibitio ſe dumtaxat extendat ad collationem duorum Ordinum ſacrorum , ex contrario ſenſu , non videtur interdicta collatio uno, eodemque die Minorum , & Subdiaconatus . Verum quamvis licita dici poſſit , ubi viget conſuetudo , quam introduci poſſe nec a Trid. nec a Cong. Conc. umquam reprobatam fuiſſe , ſicubi vigeat , teſtatur Pagnan. in cap. III. *De eo, hoc eod. tit. n.*41. & *ſeq.* nihilominus d. Congreg. ſemper improbavit hujuſmodi ſimultaneam collationem, ut in *Baren. Ordinationis* 29. *Januarii* , & 7. *Maii* 1707. licet enim in ea cauſa prætenderetur , ſic ordinatos , (qui in ſuſceptis propter reverentiam non miniſtraverant) non eſſe ſuſpenſos, quia furtive non ſe immiſcuerunt ordinationi , nec Epiſcopum, cum pœna hæc locum ſibi vindicet in collatione duorum Sacrorum Ordinum; dicta tamen Congr. ad dubium — An , & *quomodo eſſet danda abſolutio in caſu* — reſpondit — *Quoad ordinatos dandam eſſe abſolutionem , prævia ſalutari pænitentia arbitrio Epiſcopi vicinioris*; & quoad Ordinantem reſpondit — *Ad mentem* — Quæ explicata

fuit per epiſtolam ad Ordinantem ſcriptam, in qua, poſtquam Sacra Congr. eum acriter arguit, aſſerendo, eum plus deliquiſſe, quam ordinatos, cum Ordines ſcienter contuliſſet, omnem pœnam pro ea vice benigne remiſit, dummodo in poſterum a ſimilibus abſtineret prout videre eſt in regeſtis ejuſdem *Conc. lib. LVII. fol.23. a tergo, & fol.156.*

Et noviſſime, cum ſub die XXI. Februarii 1728. Archiepiſcopus Calaritanus ſupplicaſſet eidem Congr. pro facultate conferendi primam Tonſuram, Minores Ordines, & Subdiaconatum iiſdem perſonis una die, hoc eſt quatuor temporibus, in Sabbatho ſitientes, & Sabbatho Sancto, ut ita ordinatis aditus præcluderetur ad reaſumendum habitum laicalem, & ſe convertendum ad exercendas artes clericali caractere indignas, propoſitoque dubio -- *An ſit indulgendum petitioni in caſu* -- reſpondit -- *negativè* -- *ut Tom.IV. Reſolut. dictæ Cong. pag.157.*

Cæterum magna eſt controverſia inter Canoniſtas, an revera tam ſic ordinatus, quam Ordinans ſuſpenſionem ipſo facto incurrat, cum nullibi reperiatur prohibita hæc ſimultanea collatio eodem die; & quamvis in Decretali Cæleſtini III. relata in cap. II. *Cum H. Lator de eo, qui Ordinem furtive ſuſcepit*, mandet Pontifex, ut Clericus, qui Minores Ordines una cum Subdiaconatu recepit, in Minoribus tantum miniſtret, indulgens, ut miniſtrare poſſit in Subdiaconatu, ſi domum religioſam ingrediatur, inferunt tamen, hanc ei pœnam irrogatam fuiſſe, quia Subdiaconatum recepit auſu temerario, atque furtive contra mandatum Epiſcopi: ſecus vero ſentiendum eſſe, quando reciperetur, ſciente, volente, & conſentiente Epiſcopo, potiſſimum propter concurrentem neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ: quorum quidem opinionem non improbandam crederem, ea præſertim ratione, quia licet hujuſmodi pœna reperiatur inflicta in ordinatos, & Ordinantem pro collatione duorum Ordinum Majorum eodem die, non tamen videatur extendenda ad ſimultaneam collationem Minorum, & Subdiaconatus; cum, ex vulgatis, de caſu ad caſum in pœnalibus, etiam ex identitate rationis, fieri non debeat illatio.

SECTIO LXXXVIII.

Caput XIV. Vel non est, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo, & Archidiacono Legionenſi in Hiſpania, ſcripta.*

VEL non eſt compos ſui Epiſcopus Conventren. vel nimis videtur a ſe ſcientiam repuliſſe, qui M. puerum, latorem præſentium adhuc XIII. annorum, contra SS. Canonum inſtituta, inordinate in Diaconum dicitur ordinaſſe, in ludibrium Ordinis clericalis: (& infra.) Dignitati veſtræ mandamus, quatenus, ſi rem inveneritis ita eſſe, prædictum Epiſcopum a collatione Ordinum ſuſpendentes, ipſum, ut eidem M., quem ab executione officii Diaconi uſque ad ætatem legitimam, in injuriam ſuſpendimus Ordinantis, provideat in eccleſiaſtico beneficio competenti, per cenſuram eccleſiaſticam compellatis.

Huic Decretali, in qua Pontifex declarat, nemini Diaconatus Ordinem conferendum eſſe ante XX. ætatis annum juxta ſtatuta SS.Canonum, ad quos ſe refert, videlicet ad *Can.V. De iis diſt.*XXVIII. *& Can.*II. *In ſingulis Can.*III. *Quicumque*, *& Can.*IV. *Subdiaconus diſt.* LXXVII. derogatum eſt, ſicut & allatis Canonum ſtatutis a Conc. Trident. *cap.*XII. *ſeſſ.*XXIII. *de refor.* requirente annum XXIII. Textum leges par.II.cum de eod. cap.

Vice veſa eadem Decretalis, infligens promoto ante debitam ætatem pœnam ſuſpenſionis, duraturæ, quouſque pervenerit ad legitimam ætatem, ampliata eſt a Pio II. Conſtit. *Cum ex ſacrorum 17. Novembris 1461.* in qua declaratur abſolute, & illimitate ſuſpenſus. Textum habes ſupra poſt cap.II. *Sane hoc eod.tit.* Sectione LXXVIII.

Cæterum in dicta Conſtitutione nulla contra Ordinantem inflicta eſt pœna; ideoque allata Decretalis, reſpectu illius, remanet in ſuo robore, quod nempe ſuſpendendus ſit a collatione Ordinum.

Nota I. Suſpenſionem, de qua in eadem Conſtitutione ſermo eſt, nemini eſſe reſervatam; & quamvis ex Conſt, Sixti V. *Sanctum, & ſalutare* reſervata fuerit Papæ, ſicut & aliæ pœnæ contra ſic Ordinantem, hoc tamen, quoad hoc, correcta fuit a Clement. VIII. ut notatum eſt ſupra ad caput II. *Sane* citat. Sectione LXXVIII.

Nuta II. ex concordi Theologorum, & Canoniſtarum ſuffragio, ordinationem infantium, etiam ad ſacros Ordines, validam eſſe, quamvis ſit illicita: dummodo alias nullo eſſentiali defectu laboret, quoad materiam, formam, & intentionem in Ordinante. Sic tamen ordinati non ſubjiciuntur obligationi ſervandi caſtitatem, aliiſque oneribus ab Eccleſia impoſitis, niſi adulta ætate ſuam ordinationem expreſſe, vel tacite ratam habeant; quamvis remaneant ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, donec perveniant ad ætatem a Sacris Canonibus præſtitutam, ut ex reſponſione Benedicti XIV. *in Inſtructione ſuper dubiis ad Ritus Eccleſiæ, & Nationis Cophtorum, Eo quamvis 4. Maii 1745. §. XX. & ſeqq.*

SECTIO LXXXIX.

Caput XV. Dilectus filius, *ex Decretali Innocentii III. Laonienſi & Findbarenſi Epiſcopis, ac Abbati de Magio Ordinis Ciſtercienſis, Limbricenſis Diæceſis in Hibernia, ſcripta.*

Dilectus Filius G. Humilien. Canonicus, noſtro dudum Apoſtolatui reſeravit, quod Humiliens. Eccleſia ſuo viduata Paſtore, Canonici ipſum unanimiter elegerunt; qui cum eſſet citra ſacros Ordines conſtitutus, Archiepiſcopus Caſſalen. Metropolitanus (eorum Epiſcopo Trecen, mandavit, ut eum uno, & eodem die ad tres ſacros Ordines promoveret: quod ille (non auſu proprio, ſed ipſius Archiepiſcopi mandato) perfecit. Cum ergo nobis conſtiterit, ſupradictum Epiſcopum in pluribus deliquiſſe; tum quia ſine mandato Archiepiſcopi, (ut ipſe confeſſus extitit) ad hujuſmodi ordinationem inordinate proceſſit; tum quia, ſi de mandato Archiepiſcopi conſtaret, cum illi hujuſmodi diſpenſatio a Canone minime ſit permiſſa, ipſi obtemperare non debuit in hac parte: tum etiam quia reatum perjurii ſæpius variavit, jurando prius, quod Archiepiſcopus id præceperat, & poſtea, quod illud non mandaverat, in judicio confitendo: ipſum tamdiù ab ordinandi ſuſpendimus poteſtate, donec noſtram meruerit gratiam obtinere.

Hæc Decretalis, quoad jus competens capitulo Cathedralis eligendi Epiſcopum, hodie generaliter locum amplius non habet, prout notatum eſt ſupra ad caput XXXII. *Cum dilectus* Sect. XLIV. & alibi. Quoad pœnam tam contra conferentem, quam recipientem duos Ordines ſacros, vide dicta ſupra ad cap. XIII. *Literas* Sect. LXXXVII.

SECTIO XC.

Caput XVI. Consultationi, *ex Decretali Gregorii IX. Archiepiſcopo Baren. reſcripta.*

Conſultationi tuæ taliter reſpond., quod eos, qui extra tempora ſtatuta ſacros Ordines receperunt, caracterem, non eſt dubium, recepiſſe, quos pro tranſgreſſione hujuſmodi (primo eis pœnitentia impoſita competenti) ſuſtinere poteris in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare.

Quoad pœnam ſuſpenſionis ſic ordinati, & facultatem tributam Epiſcopo ſuper ea diſpenſandi, vide dicta ſupra ad caput II. *Sane* Sect. LXXVIII. & caput XIV. *Vel non eſt* Sect. LXXXVIII.

SECTIO XCI.

Caput XVII. Quæsitum, *ex Decretali ejuſdem Gregorii, vel, ut placet Gonzalez, Clementis III.*

Quæſitum eſt de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falſi teſtimonii, bonum conſcientiæ rectæ perdiderunt: (& infra.) Reſpondemus, quod, ſi propoſita crimina ordine judiciario comprobata; vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus impediri: qui, ſi non pænituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione Divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis etiam Ordinibus non miniſtrent.

In hac Decretali idem ſtatuitur, quod in cap. IV. *Ex tenore*, cui tamen derogatum eſt a Trident., ut ibidem notavi Sect. LXXX.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO XCII.

Caput I. Saepe, *ex Decretali Clementis IV.*

SÆpe contingit, qnod nonnulli Clerici, vinculo excomunicationis adſtricti, aut apoſtatæ, ſeu irregulares, vel alias Ordinum ſacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his habetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciunt ad hujuſmodi Ordines promoveri. Nos igitur volentes animarum ipſorum periculis obviare, ſtatuimus, ut nullus Epiſcoporum Italiæ de cætero aliqnem ultramontanum Clericum ordinare præſumat, niſi a nobis ſpecialem licentiam habeat, vel ab Epiſcopo, de cujus diœceſi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœceſi beneficiatus exiſtit, per ejus patentes literas, cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolit, aut nequeat ordinare. Eos vero, quos contra præmiſſa contigerit ordinari, manere volnmus abſque ſpe diſpenſationis, ſuper hoc a Sede Apoſt. obtinendæ, ſuſpenſos, ac Ordinantes pœnitentia condigna puniri. Omnibus noſtris Pænitentiariis inhibentes diſtricte, ne abſque licentia noſtra ſpeciali cum taliter ordinatis diſpenſent, vel ſuas eis tradant literas, per quas cum ipſis debeat diſpenſari.

Hæc Decretalis nedum confirmata, ſed etiam ampliata eſt ab Urbanu VIII. Conſtitut. *Secretis* 11- Decembris 1624. ibi.

·Alias ſiquidem fel. record. Clemens Papa IV. (refert ſummam tranſcriptæ Decretalis, & deinde proſequitur). Cum autem non ſine gravi animi noſtri moleſtia, Nobis innotuerit, quamplures ultramontanos ſuæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ad Ordines prædictos dimiſſorialibus literis, ſeu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciarlo, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo, ſe promoveri feciſſe. Nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum ordinatione hujuſmodi proveniunt, malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædeceſ. Conſt., cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innovantes, motu proprio .... Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus tenore præſentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcumque ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis, non ſolum ad ſacros, ſed neque etiam ad minores Ordines, vel clericalem characterem promovere audeant, ſeu præſumant, niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas a noſtris, & hujus S.Sedis Nunciis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus, recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemque Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones à dilecto Filio noſtro in Alma Urbe Vicario in ſpiritualibus generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promoventes, ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti vero perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſt. obtinendæ, incurrant eo ipſo: Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciariis, patrimonii titulis ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, infligendis pœnis ......

Italos vero, ſi quos in poſterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo, cum falſis dimiſſoriis contigerit, etiamſi qualitatibus per Concil. Trid. decretum cap. 16. ſeſs. 23. requiſitis præditi ſint, nihilominus, ſequuta tamen prius deſuper judicis eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſæculari juriſdictioni, ut antea, plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpective volumus .....

Per præſentes autem Conſtitutioni rec. me. Pii Papæ II. Prædeceſſ. noſtri contra male promotos editæ, nullatenus derogare intendimus, ſed illam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, in ſuo robore, & efficacia permanere, perinde acſi præſentes non emanaſſent, decernimus.

Nota I. quod, quamvis in allata Decretali ſublata ſit majori Pœnitentiario facultas abſolvendi ab ibi inflicta ſuſpenſione, hodie tamen ex Conſtit. Benedicti XIV. *Paſtor bonus* 13. *April.* 1744. poteſt ab ea abſolvere abſque ſpeciali licentia Papæ, ut §. VI.

Nota II. juxta probabiliorem ſententiam, in Urbani Conſtitutione non comprehendi Inſulas Italiæ adjacentes, Siciliam videlicet, Sardiniam, Miletam, & Corſicam, cum in ea non ſint expreſſę; & cum agatur de materia odioſa, nullatenus ſit ad eaſdem extendenda, ut probat Romualdus Honoranti in *Praxi Secretaria Urbis Vicarii cap.* X, *Nota III.*

SE-

SECTIO XCIII.

Caput II. Eos, qui, *ex Decretali Gregorii X. in Concilio Generali Lugdunenſi, celebrato anno* 1274.

EOS, qui Clericos parochiæ alienæ (ideſt diæceſis) abſque Superioris ordinandorum licentia ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, præſumpſerint ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus eſſe ſuſpenſos: his, quæ jura ſtatuunt contra taliter ordinatos, in ſuo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter ſuſpenſorum (intellige Ordinantium) poſtquam eorum ſuſpenſio fuerit manifeſta, abſque ipſorum etiam licentia, interim recipiendi Ordines ab aliis vicinis Epiſcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem.

Olim Epiſcopus ordinans ſubditum alienum ſine licentia proprii Epiſcopi, erat ſuſpenſus per annum a celebratione Miſſę *ex Can.* XXVIII. *Epiſcopus in diœceſim*, relato a Gratiano *Cauſa* VII. *q.* I. & perperam tributo Anacleto Papæ, ut notat Berardus ad Canones Gratiani &c. *tom.* I. *par.* II. *cap.* II. ſed bodie ex hac Decretali incurrit pęnam ſuſpenſionis a collatione Ordinum per annum, ſi id facere præſumpſerit, vel affectata ignorantia, aut quocumque alio quæſito figmento; & ſic ordinati incurrunt pœnas a jure ſtatutas.

Hæc autem Decretalis nedum confirmata eſt a Trident. *cap.* VIII. *ſeſſ.* XIII. *juncto cap.* V. *ſeſſ.* VI. *de reform.*, ſed etiam ampliata, declarante, Ordinantem dictam pœnam ipſo facto incurrere, etiam citra præſumptionem; & ſic ordinatos, tam in Minoribus, quam in Sacris, ipſo facto incurrere ſuſpenſionem ab executione Ordinum ſuſceptorum, arbitrio proprii Ordinarii duraturam. Textum leges infra *part.* II. *cum de cit. cap.* VIII. *Trident.* ubi ſpecialior hac de re inſtituetur ſermo.

An autem hodie, poſtquam Epiſcopi ſuſpenſio manifeſta eſt, illius ſubditi, tam arctati, quam non, promoveri interim poſſent ad Ordines a vicinioribus Epiſcopis ſine ejuſdem licentia, juxta indultum hujus Decretalis, contrarium aſſerere non auderem, cum nullibi hucuſque hujus juris communis ſanctioni derogationem invenerim, nec ab ullo ex Auctoribus, qui tam ante, quam poſt Conſtitutionem Innocentii XII. *Speculatores*, ſcripſerunt, id unquam in dubium revocatum fuiſſe legerim; immo potius, hanc eamdem ſanctionem, tamquam adhuc vigentem, eos quaſi admittere animadverterim.

Opinor tamen, quod cum non ſatis eſſet notorietas facti, vi cujus viciniores Epiſcopi præfato indulto uti poſſent, ſed neceſſario requireretur notorietas juris, declaratio ſcilicet per ſententiam incurſionis in ſuſpenſionem, hæcque juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam contra Epiſc. ferri nequeat, niſi a Sed Apoſt. hanc eodem tempore fore proviſuram crederem per ſpecialem deputationem, vel Metropolitani, vel alicujus Epiſcopi ex vicinioribus, a quo ſubditi ſuſpenſi Epiſcopi ordinari poſſent, ut tam ab ipſa S. Sede, quam a Congreg. Concilii in ſimilibus facti contingentiis fieri ſolet, quemadmodum palam facit exemplum ſupra allatum ad caput XIII. *Literas* Sectione LXXXVI.

Si vero Sedes Apoſt. aliter a dicta Decretali non provideret, dicendum eſſet eidem derogare noluiſſe.

Quæri hic etiam poſſet, an ſicut ordinati ſine licentia proprii Epiſcopi remanent ſuſpenſi ab executione Ordinum, ſic ſuſceptorum dumtaxat, juxta Trident. loco cit. & Conſtit. *Speculatores*, ita etiam Ordinans remaneat ſuſpenſus a collatione Ordinis male collati tantum, aut ab omnibus.

Cardinalis Petra *in Commentar.* ad *Conſtit.* VII *Pii II. ſect. unica num.* 34. ita ſentit cum Fagnano ibi — „ Epiſcopus ordinans ſine literis dimiſſoriis proprii „ Ordinarii, eſt ſuſpenſus per annum a collatione Or„ dinum, non per Pianam, ſed per Concilium *cit.* „ *cap.* VIII. *ſeſſ.* XXIII. confirmatum in Bulla *Specula*„ *tores* Innocentii XII. eſtque ſuſpenſus ab Ordine ſic „ male collato, & a majori, v. g ſi contulerit Diaco„ natum, erit ſuſpenſus a collatione iſtius, & Presby„ teratus; ſecus autem a collatione minoris *Fagnan.* „ *in cap. Vel non eſt compos num.* 16. *de Temporib.* „ *Ordinat.*

SECTIO XCIV.

Caput III. Cum nullus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

CUM nullus Clericum parochiæ alienæ, præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare: Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus, ſeu in cujus diœceſi beneficium obtinet eccleſiaſticum, ſeu habet, (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem. Inferiores quoque Prælati, Religioſi, vel alii, niſi eis, quod ſuos Clericos, aut ſubditos poſſint, a quo voluerint Epiſcopo, facere ordinari, a Sede Apoſt. ſpecialiter ſit indultum, vel officiales Epiſcopi (cum ad hoc ſe ipſius officium non extendat) hujuſmodi nequeunt licentiam impertiri. Epiſcopo autem in remotis agente, ipſius in ſpiritualibus Vicarius generalis, vel, ſede vacante, capitulum, ſeu is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere, dare poſſunt licentiam ordinandi.

Religioſi vero a ſuis Superioribus in non exemptis Prioratibus deputati, Priores , & eorum ſocii poſſunt a locorum Diœceſanis, quamdiù morantur in ipſis Prioratibus , ordinari licite, licet non ſint de eorum diœceſibus oriundi .

Huic Decretali, declaranti §. I. Epiſcopum , a quo quis promoveri debet ad Ordinés , vel dimiſſorias recipere, poſſe eſſe Epiſcopum, vel originis , vel beneficii , vel domicilii , acceſſit Conſtitutio Innocent. XII. *Speculatores* , ſpeciales quoad hoc præſcribens regulas, de qua infra parte II. cum de *cap.VIII. ſeſſ.XXIII. Trident. de Refor.*

S E C T I O X C V.

Caput IV. Nullus Episcopus, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii* .

Nullus Epiſcopus , vel quivis alius, infanti (niſi forte Religionem intraret) ſeu illiterato, ſed nec abſque ſui Superioris licentia homini diœceſis alienæ , clericalem præſumat conferre Tonſuram: nec etiam conjugato , niſi volenti Religionem intrare , aut ad ſacros Ordines promoveri, prout eſt ſacris Canonibus definitum . Qui veró contra fecerit (ut in eo , in quo peccaverit , puniatur) per unum annum a collatione clericalis Tonſuræ dumtaxat noverit, ſe ſuſpenſum .

In hac Decretali permittitur Epiſcopo initiare prima Tonſura infantem , Religionem ingreſſurum , quando ſcilicet oblatus eſt a parentibus alicui Ordini regulari .

Verum hodie juxta Paſſerinum ad hoc idem *caput num.* 3. non eſt in uſu , ut in monaſteriis virorum recipiantur cum admiſſione ad habitum infantes, etiam educationis gratia ; ac proinde caſus hujus Decretalis non eſt amplius ad praxim reducibilis . Præterea , ſi agatur de infante , qui nondum ſeptimum ætatis annum expleverit, poſt quem præſumitur uſum rationis acquiſiviſſe , juxta Trid. nequit prima Tonſura initiari , niſi præter receptionem Sacramenti Confirmationis, Fidei rudimenta edoctus fuerit , ac legere , & ſcribere ſciat, quod quidem ſine uſu rationis obtineri nequit , ut *cap. IV. ſeſſ. XXIII. de refor.* Textum leges par. II. cum de eodem cap.

Tridentini præceptum de nemine initiando prima Tonſura , qui prius Confirmationis Sacramentum non receperit , quantum initiandum obſtringat , audiatur Fagnanus ad *cap.XI. Cum contingat de ætat. & qualit. Præficien. n.96.* ibi – „ Sed prima Tonſura de neceſſitate præcepti prærequirit Sacramentum Chriſmatis, „ *Concil. Triden. cap.IV. ſeſſ. XXIII.* Unde alias Sacra „ Congr. Conc. 1602. *in Nullius , ut lib. X. Decretor.* „ *pag.* 22. declaravit , prima Tonſura initiatum , non „ ſuſcepto Chriſmate , ac poſtea ad minores Ordines , „ eo ſuſcepto , eſſe male promotum , beneficia minus „ legitime acquiſiviſſe , & non poſſe ad ſacros Ordines „ aſcendere , niſi prævia Sedis Apoſt. diſpenſatione , „ quidquid contra incaute ſcripſerit Navar. *in Manual.* „ *cap.XXII. in Tit. de Sacram. Confirm. num. 9. verſ.* „ *quinto peccat* – .

Circa Ordines collatos infanti vide notata ſupra ad cap.XIV. *Vel non eſt* . Nota II. Sect.LXXXVIII.

Circa Tonſuram vero , qua Pontifex indulget , initiari poſſe conjugatum , volentem Religionem ingredi , aut ad ſacros Ordines promoveri , crederem hujuſmodi indultum hodie locum dumtaxat habere poſſe poſt emiſſam profeſſionem, ſive matrimonium ſit ratum, ſive conſummatum , ſervatis etiam in caſu matrimonii conſummati conditionibus utrique conjugi præſcriptis in *cap. V. Conjugatus de converſ. conjugat.*

Circa cit. cap.IV. Trident. vide notanda part. II. cum agetur de eod. cap.

Titulus XII. De Scrutinio in Ordine faciendo .

S E C T I O X C V I.

Caput Unicum Ex parte , *ex Decretali Innocentii III. Aurienſi Epiſcopo in Betonia , vulgo Coria in Extramadura , reſcripta* .

Ex parte tua fuit propoſitum (& infra .) Quæſiviſti per Sed. Apoſtol. edoceri , ut cum Epiſcopi ad conſecrationes Epiſcoporum ab Archiepiſcopo ſuo , vel etiam ab alio evocentur, & ipſi Metropolitano electum offerant conſecrandum, dicentes : Reverende Pater, poſtulat Sancta Mater Eccleſia hunc electum in Epiſcopum conſecrari , & interrogante Archiepiſcopo , ſi ſciant , illum eſſe dignum, reſpondeant , quod illum ſciunt , & credunt pariter eſſe dignum, & te in reſponſione hujuſmodi, ne offenderes hominem , Deum exiſtimes offendiſſe , quandoque præter, quandoque contra conſcientiam, reſpondendo, cum electi converſatio, aut minus tibi bene cognita , aut penitus ſit ignota , qualiter in hujuſmodi interrogantibus ſalva conſcientia valeas reſpondere . Ad quod fraternit. tuæ reſpondemus, quod cum nos aliquem in Diaconum, vel Presbyterum promovemus , prior Diaconorum , qui nobis aſſiſtit, dicit : Poſtulat Sancta Mater Eccle-

Eccleſia catholica, hunc Subdiaconum, vel Diaconum ad onus Presbyteratus, vel Diaconatus aſſumi; & nobis interrogantibus, ſi eum congnovit eſſe dignum, idem reſpondet, quod quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcit, & teſtificatur, illum ad hujuſmodi onus officii eſſe dignum: unde in tali reſponſione aliquem peccare non credimus, dum hoc modo contra conſcientiam non loquatur; quia non ſimpliciter illum aſſerit eſſe dignum, ſed in quantum humana fragilitas noſſe ſinit: cum illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debeat æſtimare. Hujuſmodi ergo reſponſione ſecure poteris uti, niſi forte de indignitate tibi conſtiterit conſecrandi. Si autem illum indignum eſſe cognoſcis, Metropolitano (prius quam ad hujuſmodi ſcrutinium veniatur) ſecreto ſtudeas nutiare, vel intimare, quamvis, ut diximus, nos interrogationem hujuſmodi non in conſecratione Pontificis, ſed in ordinatione Diaconi, vel Presbyteri faciamus.

Ex hac Decretali, quam integram ex Gozalez tranſcripſi, quatuor exponuntur.

I. Quod in conſecratione Epiſcopi convocentur a Metropolitano Epiſcopi provinciales.

II. Quod conſecratio fieri debeat ab eodem Metropolitano.

II. Quod ſi electus ad Epiſcopatum, indignus cognoſcatur, ab eo Epiſcopo, qui illum dicto Metropolitano offert conſecrandum, id prævie ad conſecrationem eidem Metropolitano nuntiari debeat.

IV. Quod, cum quis ad Diaconatum, vel Presbyteratum promovetur, interrogatus Archidiaconus, an ſciat illum eſſe dignum, ſe continere debeat in reſponſo, ut hic præſcribitur.

Tria priora capita, (de quibus nulla mentio fit in vulgata Gregorii IX. collectione,) cum juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam electio, examen, ſeu ſcrutinium promovendi ad Epiſcopatum, ejuſque conſecratio devoluta ſit ad Sedem Apoſt., ut dixi ſupra Sectione XLIV. & alibi, jam obſoleverunt.

De IV. capite, nempe de ſcrutinio ante ordinationem Diaconi, & Presbyteri, dicam infra parte II. ad *cap.* XII. *Trid. ſeſſ.* XXIII. *de refor.*

Titulus XIII. De ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.

SECTIO XCVII.

CAPUT I. REQUISIVIT, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Colonienſi reſcripta, juxta Gonzalez.*

Requiſivit a nobis tua fraternitas, utrum Clerici, qui poſt renunciationem factam a Prædeceſſore tuo Ordines receperunt, in ipſis debeant remanere (& infra.) Reſpondemus igitur, diſtinguendo, utrum renunciaverit loco tantum, an loco ſimul, & dignitati; nam in primo caſu, Ordines (ſicut antea) rogatus ab Epiſcopo aliquo, poterit de ratione conferre: in ſecundo vero caſu diſtinguendum putamus, utrum Sacros contulerit, an Minores, ſi enim a tali Ordines uſque ad Subdiaconatum aliquis acceperit: quia & hujuſmodi Ordines a non Epiſcopis quandoque conferuntur, & in illis deſervire poterit, & ad majores (ſi idoneus fuerit) promoveri. Sane ſi ab eodem Sacros Ordines ſcienter quis receperit, quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit, ubi autem non ſcienter, poterit (niſi craſſa, & ſupina fuerit ignorantia) diſcretus Pontifex diſpenſare.

In hac Decretali declarat Pontifex, Ordines minores valide, & licite conferri poſſe etiam a non Epiſcopo, ut ab Abbate, prout explicat Gloſſa ver. *Non Epiſcopis, & in cap.* XI. *Cum contingat de ætat. & qualit. Proficiendor.* in quo Abbatibus Presbyteris, jam benedictis hæc poteſtas tributa eſt. An tamen hoc adhuc verificetur poſt Tridentini decreta, dicetur infra Sectione CV. poſt idem cap. *Cum contingat*, & parte II. in qua fuſe hodiernam diſciplinam circa hujuſmodi facultatem exponam.

Hic tantum quæri poſſet, an ſi uſque *ad Subdiaconatum* expreſſum in reſponſione Pontificis, intelligendum ſit incluſive, an excluſive: ſi enim intelligendum ſit incluſive, cum Pontifex dicat, quod *hujuſmodi Ordines a non Epiſcopis, quandoque conferuntur*, ſequitur, vigore hujus Decretalis, poſſe Abbates prædictos conferre valide, & licite etiam Subdiaconatum. Stando tamen in præſens eidem Decretali, dicendum eſt cum Schimier *Juriſprud. lib.* 1. *tract.* IV. *ſupplem. ad cap.* II. *q.* 3. *num.* 12. tuto hic non applicari hunc textum, prædictamque clauſulam eſſe intelligendum excluſive: quia ex una parte Subdiaconatus jam ab eodem Pontifice reputabatur inter majores, & Sacros, ex alia ipſemet ibi expreſſe diſtinguit Ordines minores a majoribus, & Sacris, ac dicit, taliter ordinatum deſervire poſſe in receptis Ordinibus, *& ad majores promoveri*: alias ſubjectum pontificiæ diſtinctionis membrum ſibi non cohæreret, & poſterioribus priora verba non congruerent, ſi præfata clauſula Subdiaconatum includeret.

Digitized by Google

S E C T I O X C V I I I.

Caput I. Ut Abbates, *ex Decretali deſumpta a Can. VII. & VIII. Concilii Pictavienſis I. celebrati anno* 1100.

UT Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant, qui Archidiaconatus tenent, Diaconi; qui vero Archipresbyteratus, Presbyteri fiant, aut amittant honorem. Quod ſi aliqua juſta cauſa prohibente, Presbyteri, aut Diaconi eſſe non potuerint, prælationes amittant.

Hanc Decretalem, in qua arctantur Abbas, Decanus, & Præpoſitus Ordinem Presbyteratus ſuſcipere, expendit Fagnanus, & *ex cap. XII. Conc. Trident. ſeſſ. XXIV. de Refor.* §. *Ad cæteras* probat n. 5. eam hodie non procedere, tam quoad Abbatem titularem dumtaxat, non conventualem, quam quoad Decanum, Præpoſitum, & Archipresbyterum, quibus nulla ſubeſt animarum cura — „ quoniam ex Decreto (dicti Concilii) ad quaſcumque dignitates non curatas „ ſatis eſt, ut aſciſcantur Clerici XXII. annis non minores, ideſt qui XXII. ætatis annum expleverint, „ ut declaravit S. Congr. ejuſdem Conc. interpres. „ Et cum Decretum illud loquatur per verba univerſalia, & excipiat illas tantum dignitates, quibus cura imminet animarum, utique vindicat ſibi locum etiam in quatuor dignitatibus, de quibus diſponit hæc Decretalis; alioquin Decretum illud fere eluſorium eſſet, nam Dignitates hic expreſſæ ſunt frequentiores in Eccleſiis, ac ſi illas excipias, paucæ ſunt aliæ a Sacris Canonibus cognitæ. Quam obrem cum ex dicto *cap. XII.* ad ejuſmodi dignitates obtinendas ſufficiat annus vigeſimus ſecundus, hinc neceſſario ſequitur, ut non habeant Ordinem Presbyteratus annexum, cum infra annum ſic proviſi nequeant in Presbyteros ordinari —. & ita etiam declaratum fuiſſe refert a Cong. Conc.

Verum hodie Archidiaconus, qui juxta hanc Decretalem debet eſſe in Diaconatus Ordine conſtitutus, debet & ipſe conſtitutus eſſe in Ordine Presbyteratus; ſiquidem cum ſit prima dignitas poſt pontificalem, & una ex reſervatis Sedi Apoſt. de ſtylo Curiæ conferri conſuevit cum clauſula — *ut proviſus teneatur infra annum in Presbyterum ordinari, alioquin Archidiaconatus eo ipſo vacare cenſeatur* —.

Statuitur etiam in hac Decretali, quod impediti ex juſta cauſa Ordines ſuſcipere, ſuo beneficio annexos (intellige ob impedimentum ex propria culpa contractum) non ſint ipſo jure beneficio privati, ſed privandi per ſententiam judicis, ut denotat illud verbum *amittant*.

Sed in hoc correcta eſt ex Decreto Martini V. in Concilio Conſtantienſi, declarante, eſſe ipſo jure privatos, ut *ex ſeſſ. XLIII.* dicti Conc. habita ſub die 21. Martii 1417. tit. *de Diſpenſat.* ibi.

Martinus &c. Quoniam beneficia propter officia conceduntur, reputamus abſurdum, ut qui beneficia obtinent, recuſent, aut negligant officium exercere. Nos igitur, ſacro approbante Concilio, omnes diſpenſationes a quibuſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus, conceſſas quibuſcumque electis, confirmatis, ſeu proviſis ad Eccleſias, monaſteria, prioratus, conventuales, Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæcumque beneficia, quibus certus Ordo debitus eſt, vel annexus, ne munus conſecrationis Epiſcopi ſive benedictionem Abbatis aut cæteros debitos, aut annexos Ordines ſuſcipiant, præter illas, quæ ſecundum formam Conſtitutionis Bonifacii VIII. quæ incipit *Cum ex eo, quod felicis de Elect. in VI.* factæ ſunt, revocamus; ſtatuentes, ut qui de præſenti illos, vel illa obtinent, infra ſex menſes a die publicationis hujuſmodi Conſtitutionis noſtræ, & qui in poſterum obtinebunt, infra terminum juris ſe faciant conſecrari, aut benedici, ſeu ad alium Ordinem debitum promoveri; alioquin ſint ipſis monaſteriis, Eccleſiis, dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis ipſo jure privati, & aliis libere conferantur, aut provideatur de illis, cæteris Conſtitutionibus circa hoc editis in ſuo robore duraturis. Vide infra Sectione CIX.

S E C T I O X C I X.

Caput II. Ex ratione, *ex Decretali Alexandri III. Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato per totam Angliam, ſcripta.*

EX ratione (& infra.) Accepimus autem, quod Conventren. Epiſcopus pueris, qui ſunt intra decennium conſtituti, in Archidiaconatu R. Archidiaconi Ciſtrens. Eccleſias plures conceſſit, quæ non per Clericos, ſed per laicos diſponuntur. Unde quoniam non debet hoc aliquatenus tolerari, mandamus, quatenus prædictum Epiſcopum ſuper his corripias, & Cleri-

cis

cis idoneis adminiſtrationes, & cuſtodiam præſcriptarum Eccleſiarum, donec prædicti pueri ad congruam veniant ætatem (laicis amotis) committas, eidem Epiſcopo prohibens, ne de cætero Eccleſias, niſi perſonis, quæ ætatem, & ſcientiam habeant, regendas concedat. Quod ſi ſecus egerit, ei debitam pœnam infligens, inſtitutionem, & conceſſionem ipſius, omnino viribus carere decernas.

Pro intellectu hujus Decretalis monitos velim Tyrones in ſtudio Juris canonici, ne eum hic legant, retineri poſſe Eccleſias conceſſas pueris intra decem ætatis annos conſtitutis per idoneos Clericos interim regendas, donec pervenerint ad ætatem a Sacris Canonibus præſcriptam, inde argumentum deſumant, valide, & licite fieri poſſe: ſiquidem Pontifex in caſu hujus Decretalis permiſſive, ſeu diſpenſative dumtaxat hujuſmodi retentionem approbavit: cum in poſterum id fieri prohibeat, & alias prohibuit in cap. VIII. *Cum in cunctis*, §. *Inferiora de Elect.*

S E C T I O C.

Caput III. Indecorum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri prædicto Archiepiſcopo Cantuarienſi, ipſiuſque Suffraganeis ſcripta.*

Indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non noverunt gubernare ſeipſos, cum ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præmineant, & morum fulgeant honeſtate. Nolentes itaque ſuſtinere, ut parvulis Eccleſiæ regimen committatur; mandamus, quatenus nemini intra annum XIV. conſtituto, perſonatum cujuslibet Eccleſiæ concedere præſumatis: ſcituri pro certo, quod ſi contraire præſumpſeritis, quod inde feceritis, irritabimus, & inobedientiam veſtram graviter puniemus.

Hæc Decretalis, juxta communem Canoniſtarum intellectum, loquitur de beneficiis ſecum ferentibus nomen Rectoriæ, licet nullam annexam habeant curam animarum (ut eſt perſonatus, de quo hic) & præcipit, ne hæc conferantur minoribus XIV. annis, quæ tamen ex contrario ſenſu conferri poſſe infertur dictam ætatem excedenti.

Verum hujuſmodi ſanctio abrogata eſt a Concilio Trident. *cap. XII. ſeſſ. XXIV. de Refor.* probibente, ne ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, aliquis promoveatur, niſi ſaltem XXV. ſuæ ætatis annum attigerit. Ad cæteras vero dignitates Cathedralium (Archidiaconatu excepto, qui expoſcit ætatem XXV. annorum, vel perſonatus, quibus nulla animarum cura incumbit, nemo adſciſci poſſit, qui minor ſit annis XXII. (quos completos eſſe debere declaravit Cong. Conc. ut refert Fagnan., in cap. *Cum in cunctis num. 37.*)

Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem XXV. ſuæ ætatis annum attigerit; & in clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur, juxta Conſtitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, *Cum in cunctis*, Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus Eccleſiis, ubi fieri poterit, magiſtri in Theologia, ſeu doctores, aut licentiati in jure canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & XXII. annis non minores, aſciſcantur.

S E C T I O CI.

Caput IV. Eam te, *ex Decretali ejuſdem Alexandri Epiſcopo Tornacenſi ſcripta, juxta Gonzalez.*

Eam te decet (& infra.) Arctius inhibemus, ne perſonas, quæ in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipſis inſtituas, nec aliqua occaſione, vel etiam literarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quæ ſcientia, moribus, & ætate, Concilii non congruant inſtitutis. Sed etiam habentes plures Eccleſias; quæ ex una non pendeant, tibi liceat, appellatione poſtpoſita, cogere ad unam ipſarum, quam maluerint, dimittendam, niſi ita fuerint tenues in ſubſtantia, quod proprios Sacerdotes non poſſint convenienter alere.

In hac Decretali abſolute, & independenter a quacumque alia re prærequiſita tribuitur ſoli Epiſcopo poteſtas conferendi idoneis parochiales Eccleſias.

Verum hodie ex decreto Trid. *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de Refor.* eidem hujuſmodi facultas reſtricta eſt, ſiquidem tenetur concurſum indicere, & peracto concurrentium examine, una cum Examinatoribus ſynodalibus eligere dumtaxat poteſt ex ab his idoneis repertis, quem cæteris magis idoneum judicaverit, Sed hac de re fuſior inſtituetur ſermo *part. II. ad cit. cap. XVIII.*

Quoad retentionem vero duarum parochialium hic permiſſam in caſu, quod earum redditus ſint ita tenues, ut convenienti parochi ſuſtentationi non ſufficiant, hodie ex ejuſdem Trident. decreto hæc retentio nullatenus permiſſa eſt, ſed providendum ſtatuitur per collationem alicujus ſimplicis beneficii, quod perſonalem reſidentiam non requirat, aut alia ratione, ut in *cap. XIII. ſeſſ. XXIV. de Reform.* ibi.

In parochialibus etiam Eccleſiis, quarum fructus æque adeo exigui ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere; curabit Epiſcopus, ſi per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non poſſit, ut primitiarum, vel decimarum aſſignatione, aut per parochianorum ſymbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat.

Vide etiam *cap. IV. ſeſſ. VII. & cap. XVII. ſeſſ. XXIV. de Reform.*

SECTIO CII.

Caput V. Præterea, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Brixienſi Epiſcopo ſcripta.*

PRæterea licet ad regimen paræcialis Eccleſiæ non debeat aliquis, niſi Subdiaconus ſit ad minus, admitti: diſpenſative tamen in minoribus Ordinibus conſtituti conſueverunt aſſumi: dumtamen tales ſint, quod infra breve tempus poſſint in Presbyteros ordinari.

In hac Decretali ſtatuitur, beneficium curatum nemini eſſe conferendum, niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine conſtitutus ſit, & diſpenſative dumtaxat conferri poſſe Minoriſtæ, dummodo intra breve tempus Presbyter ordinari queat. Hoc breve tempus extenditur ad unum annum dumtaxat, ut declaravit Clem. V. in Clementin. II. *Ut ii hoc eod. tit.*

Verum ex poſteriori jure non opus eſt, ut ſit conſtitutus in Ordinibus ſacris, ſed ſufficit, eum eſſe in tali ætate, ut proximis ſtatutis a jure temporibus, ad eos promoveri poſſit, prout decernitur a Bonif. VIII. in *cap. VIII. Si pro Clericis, de Præbend. in VI.* ibi.

Si pro Clericis pauperibus, vel aliis noſtras literas, ut eis de beneficiis provideas, etiamſi animarum cura ſit annexa eiſdem, recipere te contingat: ipſis, (licet nec in ſacris ſint conſtituti Ordinibus, nec de defectu Ordinum in eiſdem literis mentio habeatur) poteris de beneficiis, curam habentibus, licite providere, nec prætextu dicti defectus tua poterit proviſio impugnari. Oportebit tamen, ut ipſi ad Ordines, quos requirunt collata eis beneficia, ſe faciant in proximis ſtatutis a jure temporibus promoveri.

Imo ex praxi, teſte Fagnano, ad hanc eamdem Alexandri Decretalem num. 8. parochialis Eccleſia conferri poteſt ſine ulla diſpenſatione, etiam prima Tonſura tantum initiato, ſi intra annum, obtentis diſpenſationibus pro temporum interſtitiis, promoveri poſſit ad Presbyteratum; idque probat ex decreto Congreg. Conc. approbato a Clemente VIII, conſulta enim, *an matrimonium contractum coram parocho, adhuc intra annum ad Sacros non promoto, ſed prima tantum Tonſura initiato, ſit validum, nec ne, cenſuit, eſſe validum* —.

Nota, allatæ Bonifacii Decretali in ea parte, qua admittit mandata de providendo, derogatum eſſe a Conc. Trident. ut ſupra notavi Sectione X.

SECTIO CIII.

Caput VII. Ad aures, *ex Decretali Clementis III. Canonico Colonien. reſcripta.*

AD aures noſtras, te ſignificante pervenit, quod cum in arte phyſica eruditus ſis, pluribus juxta ipſius artis traditionem exhibuiſti cum diligentia medicinam, licet plures in contrarium ſucceſſerit: & quibus putabas adhibere medelam, medicinis perceptis, mortis periculum incurrerunt. Verum, quia ad ſacros Ordines deſideras promoveri, ſuper eo nos conſule-

ſulere voluiſti, tibi brèviter reſpond. quod ſi ſuper præmiſſis conſcientia tua te remordeat, ad majores Ordines de noſtro conſilio non aſcendas.

Ex hac quidem Decretali inferretur, Clericum, qui medicam artem apprime callens, eam exercuit diligenter, & juxta regulas, non impediri, quin promoveri poſſit ad ſacros Ordines, licet aliquando mors illorum, quibus mederi ſtuduit, evenerit: potiſſimum, cum conſilium abſtinendi ab aſcenſu ad Ordines, quod hic ſuggerit Clemens, locum tantum habeat, cum medicum conſcientia remordet, ſe ſcilicet in medendo, non adbibuiſſe omnem diligentiam.

Verum quid circa hunc aſcenſum ferat hodierna praxis, exponit Benedictus XIV. *lib.* XIII. *de Synod. Diœceſ. cap.*X. *num.*4. *edit. an.* 1755. -- Si quis adhuc
„ laicus, phyſicum egit, vel etiam chirurgum, dum-
„ modo ſuam ipſe artem optime noverit, omnemque
„ diligentiam. ac ſtudium juxta artis præcepta adhi-
„ buerit in ægris curandis, licet eorum aliquis e vivis
„ exceſſerit, nulla, ſi ſtrictæ Canonum cenſuræ inſi-
„ ſtere velimus, irregularitate innodatur: *Tandem*
„ *phyſici, vel chirurghi, ſi periti ſint in arte, & ni-*
„ *hil omiſerunt de contingentibus, & habuerint ſuper*
„ *hoc ſanam conſcientiam, poterunt promoveri, ſi*
„ *cauſa eorum aliquid in homine contigerit*: ſunt ver-
„ ba S. Petri Cœleſtini in ſuo *Opuſc.*VII. *part.* IV. *Se-*
„ *ction.*I. *cap.*III. *Tom.*XXV. *Biblioth. Patr. pag.*822.
„ Attamen conſtat in hac ipſa facti ſpecie a Congrega-
„ tionibus, & Secretaria Brevium, quaſdam diſpen-
„ ſationes, quas vocant ad cautelam, concedi conſue-
„ viſſe; vel quia hi, qui medicam artem exercuerunt,
„ ſubindeque ad Sacros Ordines promoveri exoptant,
„ licet nullius certæ culpæ meminerint, quæ ipſorum
„ conſcientiam perturbet, cum tamen certo non ſciant,
„ ſemper uſos fuiſſe omnibus ab arte præſcriptis regu-
„ lis ad expellendum morbum, qui ægrotum intere-
„ mit, ſibi tutius conſulere cupientes, Reſcriptum, vel
„ Breve diſpenſationis ab irregularitate ad cautelam
„ ſatagunt obtinere; vel quia non deſunt cautiores E-
„ piſcopi, qui renuunt manus imponere medicam ar-
„ tem profeſſis, niſi aliquod proferant hujuſmodi di-
„ ſpenſationis Breve, ſeu Reſcriptum; verentur enim,
„ ne phyſicus in tanta curationum frequentia quando-
„ que aliquid, quamvis præter animum, deliquerit --.

Hactenus de promovendis ad Sacros Ordines: ſi vero ſermo ſit de iis, qui medicam artem, quam prius exercuerant, etiam poſt ſuſceptos Sacros Ordines, profiteri velint, num.5. hæc ſubdit „ -- juxta veterem
„ Eccleſiæ diſciplinam, vetitam haud fuiſſe artis medi-
„ cæ exercitationem iis, qui in ſacris Ordinibus con-
„ ſtituti eſſent; *Salutat vos Lucas Medicus*; legitur
„ *in Epiſt. ad Coloſ. cap.*IV. *verſ.*XIV. Sanior, ac re-
„ ceptior opinio vult, ibi ab Apoſtolo deſignari S. Lu-
„ cam Evangeliſtam, huncque egiſſe medicum, etiam
„ poſtquam ad ſacerdotalem gradum conſcenderat. In
„ vita S. Juvenalis Narnienſis Epiſcopi, apud Bollan-
„ diſtas, dicitur ille ex Africa Romam acceſſiſſe
„ Presbyter, arte medicus. Teſtatur Rufinus *lib.* X.
„ *cap.*XXX. S. Euſebium Epiſcopum Vercellenſem
„ poſt Alexandrinum Concilium, Orientem, atque
„ Italiam peragraſſe, quo in itinere medici pariter,
„ & Sacerdotis fungebatur officio. Ad veterem hunc
„ morem eo magis comprobandum eruditi viri utuntur
„ quoque binis Theodoreti Epiſtolis, quarum altera eſt
„ 114. altera 115, ad Appellam, quibus commendatur
„ Petrus Sacerdos, qui hanc artem, medicam ſcilicet,
„ cum ratione tractat, & hanc moribus exornat. De-
„ nique inter Edeſſenæ Eccleſiæ Clericos, qui decimæ
„ actioni Chalcedonenſis Concilii in cauſa Ibæ ſubſcri-
„ pſerunt, alter ſic ſubſcriptus legitur: Sabbas Diaconus
„ qui dicor medicus. Verum quia ſubinde Eccleſia,
„ juſtis, ac urgentibus de cauſis, interdicendum cen-
„ ſuit Monachis, & majorum Ordinum Clericis, me-
„ dicæ artis exercitium, uti videre eſt *can.*VI. Conci-
„ lii Rhemenſis, habiti ſub Innocentio II. an. 1131. &
„ *can.* IX. Conc. Lateranenſis, eodem Sedente Ponti-
„ fice, celebrato an. 1139. *in collectione Labbeana*
„ *Tom.*X. *col.*984. *& col.*1004. hæcque diſciplina con-
„ ſtabilita fuit ab Alexandro III. in cap. *Non magnope-*
„ *re*, & ab Honorio III. in cap. *Super ſpecula, ne Cle-*
„ *rici, ac Monachi*, ac denique protracta, & amplia-
„ ta fuit ad Clericos quoſque, minoribus tantum Ordi-
„ nibus initiatos, ſed eccleſiaſticum beneficium poſſi-
„ dentes; hinc ſequitur, neceſſarium nunc eſſe his
„ omnibus Apoſtolicum indultum, ut medendi artem
„ valeant exercere --.

Quod tamen indultum concedi non ſolet ſine juſta cauſa, puta, vel quia locus, in quo promotus in Sacris medicinæ artem exercere petit, eſt penitus deſtitutus ſeculari medico, vel ſi adeſt, numeroſis ægris curandis non ſufficiat, vel etiam quia ille promotus eſt adeo pauper, ut honeſto lucro ex hac arte percipiendo levari poſſit, quouſque eccleſiaſticos redditus, aut beneficium aliquod reſidentiale fuerit aſſecutus.

SECTIO CIV.

CAPUT IX. A MULTIS, *ex Decretali Innocentii III. Mutinenſi Epiſcopo ſcripta.*

A multis multoties, an Subdiaconus in Epiſcopum eligi valeat, hæſitatur. Siquidem Urbanus Papa primus decrevit, ut nullus in Epiſcopum, niſi in Sacris Ordinibus religioſe vivens inventus fuerit, eligatur: Sacros; inquit, Ordines, Diaconatum dicimus, & Presbyteratum: hos ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe. Subdiaconos vero (quia etiam ipſi miniſtrant Altaribus) oportunitate exigente, concedimus in Epiſcopos eligi, ſi tamen præclaræ ſcientiæ, ac religionis exiſtant, quod ipſum non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus. In quibus verbis innuitur, quod Urbanus ad ſtatum

primitivæ Eccleſiæ ſe referens (in quo Subdiaconatus Ordo ſacer minime dicebatur) inſtituit, ut de Subdiacono (niſi utilitatis cauſa , & tunc etiam , niſi de permiſſione Metropolitani, vel Romani Pontificis) non poſſet electio celebrari . Verum cum hodie Subdiaconatus inter Sacros Ordines computetur , ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit . *Erubeſcant impii , & intelligant judicio Spiritus Sancti eos , qui in Sacris Ordinibus Presbyteratu , Diaconatu , & Subdiaconatu ſunt poſiti , ſi caſte non vixerint , excludendos ab omni eorundem graduum dignitate.* Et iterum : *Nemo ad Sacrum Ordinem permittatur accedere , niſi aut virgo , aut probatæ caſtitatis exiſtat , & qui uſque ad Subdiaconatum unicam , & virginem habuerit uxorem .* Et ad ſimilitudinem Diaconi , & Presbyteri Subdiaconus debet continentiam obſervare : ſicut & in ſexta Synodo conſtitutum eſt , ut ſi quis, eorum, qui ad Clerum accedunt , nuptiali jure mulieri voluerit copulari , hoc ante Subdiaconatus Ordinem faciat . Et B. Gregorius ſtatuiſſe legitur, ut nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi , niſi qui ſe caſte victurum promiſerit . Nos volentes ſuper hoc articulo diſceptationis materiam amputare , ſtatuimus , ut Subdiaconus in Epiſcopum valeat libere eligi , ſicut Diaconus , vel Sacerdos .

Circa tempora , ex quibus Subdiaconatus Ordo tam in aliquibus Provinciis , quam in univerſa Eccleſia latina , inter ſacros enumeratus eſt , vide infra ad cap. I. *Epiſcoporum de Clerico venatore* Nota II.

Circa explicitam promiſſionem , ſeu votum ſervandæ caſtitatis , quod in hac Decretali faciendum præcipitur a promovendo ad Ordinem Subdiaconatus , hodie explicitum non exigitur .

Quid autem ſtatutum ſit a Trident. antequam Subdiaconus eligi poſſit Epiſcopus , notabo infra parte II.

SECTIO CV.

Caput XI. Cum contingat , *ex Decretali ejuſdem Innocentii Archiepiſcopo Rhotomagenſi reſcripta .*

CUM contingat interdum , quod laici ad monaſteria convolantes, a ſuis Abbatibus tonſurentur : requiſiti, an clericatus Ordo in Tonſura hujuſmodi conferatur ? ſuper quo tibi reſpond. quod cum in VII. Synodo ſit ſtatutum , ut Lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio monaſterio ſoluinmodo, faciendi, dummodo ipſis ab Epiſcopo (ſecundum morem præficiendorum Abbatum) manus impoſitio facta noſcatur , & conſtet , eum exiſtere Sacerdotem : per primam Tonſuram , juxta formam Eccleſiæ datam, a talibus Clericalis Ordo confertur .

In hac Decretali ſtatuitur . I. poſſe Abbates regulares primam Tonſuram conferre Novitiis ſuorum monaſteriorum , quod ſatis denotatur ab illis verbis — *convolantibus ad eorum monaſteria , ut ibi convertantur, & fiant Monachi* -- quemadmodum explicat Gloſſa ly *convolantes in cap. III. Abbates, de Privileg. in VI.* verbo *Convolaverint* , ubi idem ſtatuitur .

II. Ut eam conferre poſſint , dummodo benedictionem receperint ab Epiſcopo , intra cujus diœceſim eorum ſita ſunt monaſteria .

III. Ut hujuſmodi privilegium extendatur etiam ad Ordinem Lectoratus .

IV. Demum declaratur in collatione primæ Tonſuræ conferri Ordinem clericalem .

Ad I. quod ſpectat , quamvis tam ex hac Decretali , quam ex altera Alexandri IV. relata in cap. III. *Abbates, de Privil. in VI.* poſſit Abbas , ſi ſit Presbyter, & benedictus , conferre primam Tonſuram ſuo Novitio, neque huic privilegio derogatum ſit a Trident cap. X. *ſeſſ.* XXIII. *de Refor.* ut mordicus ſuſtinet Fagnanus in cap. XXVIII. *Nonnulli num. 26. & 27.* ac in cap. XIII. *Cum inter, de ſent. & re judic. num. 6. & ſeqq.* ex ſententia tamen Cong. Conc. relata ab eodem Fagnan. in cit. cap. *Nonnulli*, hodie conſultius eſt, ut ab illius collatione abſtineat . Rationem affert Gloſſa ad cit. cap. *Abbates* verb. *Convolaverint* his verbis -- *datur conſilium , quod hoc non fiat intra annum probationis, quia certum eſt , quod poſtea (Novitius) exire poſſet , & fraus fieret , quæ præcavenda eſt* — .

Hic merito dubitari poteſt , an Novitius ſit proprie *regularis ſubditus Abbatis* , prout exigit Trident. loc. cit. ut liceat Abbati Tonſuram , vel minores Ordines eidem conferre : ſiquidem S. ejuſdem Cong. interrogata , an quidam frater Carolus , qui ſub obedientia Abbatis vivebat , non quidem ut Novitius , ſed ut oblatus in monaſterio , ibique minores Ordines ab eo receperat , licite ab ipſo eoſdem recepiſſet , die 14. Maii 1689. reſpondit *negative* , apud Cardin. Petram *Tom V. Commentar. ad Conſtit. IX. Pii II. num.* 40. ob rationem -- *quia non habuit illum pro ſubdito regulari* (notanda eſt clauſula) cum non profeſſus fuerit tribus votis ſolemnibus , & Concilium præſervavit facultatem ordinandi ad ſubditos regulares -- Ideoque cum Novitius non profeſſus ſit tribus votis ſolemnibus, — nec habendus videtur pro ſubdito , quidquid ſit , quod habeat requiſita ad fruendum privilegiis Religioſorum quoad reliqua , quod enim tam Novitii , quam Oblati gaudeant privilegiis monaſterii , fori , & exemptionis non provenit ex vi regularis vitæ , ſed ex qualitate perſonæ eccleſiaſticæ, quam acquiſiverunt, ex eo quod ſe Eccleſiæ dedicaverunt , inquit laudatus Petra *Tom I. Commentar. ad* Conſtit. *Urbani* II. *Sect.* II. *num.* 21. Tanti ponderis iſta ratio fundata in prædicto Congr. decreto , viſa eſt P. Schimier , ut quamvis *lib. I. Juriſprud.*

prud. tract. IV. *cap.* II. *Sect.* II. §. I. in affirmativam partem inclinaſſet, poſtea in ſupplem. ejuſdem *cap.* II. *q.* 2. *num.* 7. *& ſeqq.* negativæ adhæſit cum Petra loc. mox cit. num. 29. dicente, hanc uti veram tenendam eſſe.

Ad II. quod attinet, jam ſermonem inſtitui ad capit. I. *Statuimus de Supplen. neglig. Prælat.* Sectione LXXIV.

Ad III. quod ſpectat, quamvis tam ex hac Decretali, quam ex Can. XIV. ſeptimæ Synodi (Concilii nempe generalis Niceni II.) ad quem Innocentius hic ſe refert, celebrati an. 787. relato a Gratiano Can. I. *Quoniam diſt.* LXIX. tum etiam ex cit. cap. III. *Abbates* ſolum reperiatur conceſſum Abbatibus, ut conferre poſſint primam Tonſuram, & Ordinem Lectoratus, ex ſententia tamen pene univerſali DD. necnon ex conſuetudine, ac praxi, pluries etiam firmata decretis Sac. Cong. Conc. imo, & Pontificiis Conſtitutionibus, poſſunt præfati Abbates, aliique habentes æquale, ſeu ſimile Indultum Apoſtolicum, ſuis ſubditis regularibus (non tamen aliis, etiam de Ordinarii, vel proprii Superioris licentia) infra propriæ Eccleſiæ, vel monaſterii limites conferre omnes minores Ordines: cum de aliis valeat eadem ratio, ac de Lectoratu, ut hic notat Panormitanus; & ly *ſolummodo* non afficiat Lectoratum, ſed proprium monaſterium. E contrario hoc etiam colligitur ex ſupracit. cap. X. Tridentini; Concilium enim, utens plurali numero: *minores Ordines*, nullam reſtrictionem facit, ibi: *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque &c.*

An autem valeant etiam majores Ordines eiſdem conferre? Quantum ad Sacerdotium controvertitur quidem inter DD. an valeat Pontifex ipſos delegare ad Sacerdotium conferendum; neminem tamen, ne citatum quidem vidi, qui hanc in eis de facto adſtruat facultatem. Plures e contra clariſſimi viri, genuinum: & adhuc ſubſiſtere volunt privilegium, quod in Bulla: *Expoſcit*, 5. *Idus Aprilis* 1489. quoad Subdiaconatum, & Diaconatum Innocentius VIII. fertur conceſſiſſe Abbati generali Ciſtercienſium pro omnibus Monachis ſui Ordinis, & quatuor primariis ejus Abbatibus pro monaſteriorum ſuorum Religioſis, per hæc verba: *Ac ne Monachis dicti Ordinis pro ſuſcipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extra clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur; tibi, & ſucceſſoribus tuis, ut quibuſcumque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum ſucceſſoribus, ut ſuorum monaſteriorum prædictorum Religioſis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines hujuſmodi alias rite conferre poſſitis, indulgemus &c.* Hoc inquam privilegium fuiſſe vere conceſſum, nec a Tridentino poſtea revocatum, imo confirmatum decreto S. Rit. Congreg. ſub Alexand. VII. die 7. Junii 1660. expreſſe declarante, *non comprehendi* in alio decreto diei 27. Septembris præcedentis anni 1659. *Ciſtercienſes Abbates, tamquam privilegiis ſpecialibus ab Apoſtolica Sede condecoratos; quibus S. Cong. derogare numquam ſuis decretis intendit*, luculenter oſtendunt inter alios innumeros *Robertus Sala Ad Res Liturg. Card. Bona lib.* I. *cap.* XXIV. §. XIV. *num.* 6. *Laurentius Berti de Theol. diſcip. lib.* XXXVII. *cap.* XIII. *num.* 4. *Cajetanus de Petio in Addit. Neapoli impreſſis, ad Theol. Moral. Felicis a Poteſt. Append.* XLI. *diſſetr. V. num.* 8. *& in Epiſt. de Prælat. Regul. part.* II. *controver.* II. Scio equidem contra hoc privilegium plura opponi, ſignanter quod in eadem Bulla quædam alia conceſſa referuntur (nempe licitum eſſe etiam alienam eccleſiaſticam ſuppellectilem benedicere) quæ in Caſſinenſibus, ſe iiſdem gaudere affirmantibus, S. Rit. Cong. ſuſpendi mandavit, donec indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum non exhiberetur; quod numquam fuit oſtenſum, ut fuſius refertur in Epiſtola ejuſdem S. Cong. ad ſingulos locorum Ordinarios data ſub die 31. Martii 1744. Verum etiam ad hoc ſcite reſpondet laudatus Sala.

Ad IV. Tandem quod attinet, ex hac quidem Decretali plurimi Canoniſtæ, & potiſſimum Fagnanus hic contra Theologos inferunt, primam Tonſuram eſſe Ordinem, ſibique adſtipulari authumant Bonifacii VIII. Decretalem, relatam in cap. II. *Degradatio de pœnis in VI.* in qua præcipitur, ut Epiſcopus Clericum ſolemniter degradans ab Ordinibus, & gradibus eccleſiaſticis — *gradatim degradationem continuet, & uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione Tonſuræ* — Verum omiſſa interpretatione, quæ communiter allatæ Innocentii Decretali, & aliis quibuſcumque, idem præſeferentibus dari ſolet, quod ſcilicet hic Pontifex acceperit Ordinem clericalem pro ſtatu, quo Tonſuratus a laicis diſtinguitur, & ſegregatur, non autem pro gradu conferente aliquam poteſtatem, mediatam, aut immediatam ad Euchariſtiam conficiendam; videtur huic controverſiæ impoſitum fuiſſe finem a Concilio Trident. a quo *ſeſſ.* IX. *cap.* II. *de Refor.* diſtinguitur prima Tonſura ab Ordinibus

Et *ſeſſ.* XXIII. *cap.* II. *de Sacram. Ordinis*, recenſens omnium Ordinum nomina uſque ab Eccleſiæ initio uſurpata, nullatenus primam Tonſuram inter Ordines adnumerat.

Et iterum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XVII. *de Refor.* diſtinguit primam Tonſuram ab Ordinibus.

Cum ergo in materia doctrinali Tridentinum dicat, ſeptem eſſe Ordines, cujuſcumque nomen recenſendo, neceſſario ſequitur, quaſi definiſſe, primam Tonſuram nullatenus eſſe Ordinem: alias eam inter Ordines non enumerando, dici deberet, aut ignoraſſe deciſionem hic factam ab Innocentio in reſponſo ad dubium ſibi propoſitum ab Archiepiſcopo Rhotomagenſi, quod nefas eſſet aſſerere, aut ab eadem omnino receſſiſſe.

Adduci ſolet a Doctoribus, negantibus Tonſuram eſſe Ordinem, ſequens Caii Papæ decretum, quod legitur in ejuſdem Epiſtola ad Felicem Epiſcopum, quæ fertur data Kal. Martii, Diocletiano VI. & Conſtantio II. Conſulibus, ſeu an. 296. cujus fragmentum refertur a Gratiano *can.* I. *Illud nos diſtin.* LXXVII.

Illud nos ſtatuentes, vobis, & omnibus ſervare mandamus, ut ad Ordines eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia, qui ordinari merentur: ideſt, ſi quis Epiſcopus eſſe meretur; ſit primum Oſtiarius, deinde Lector, poſtea Exorciſta, inde ſacretur Acolytus, demum vero Subdiaconus, deinde Diaconus, & poſtea Presbyter, & exinde, ſi meretur, Epiſcopus ordinetur.

Verum Epiſtola hæc, eſt ſuppoſititia, ut aſſerit Vaneſpen. in *Commentar. ad* 1. *part. Gratiani*, ejuſque Auctorem Iſidorum Mercatorem agnoſcendum probat Berardi in Opere — *Gratiani canones &c. tom.* I. *parte* II. *cap.* XXVI: ideoque non adducenda ad probandum, Tonſuram non eſſe Ordinem. Et cæteroquin ſatis, ſuperque id probatur ex allatis Trident. textibus.

Quid quid autem ſit de utriuſque ſententiæ fundamentis, certum eſt, teſte Fagnano ad hunc eamdem Decretalem n. 132. Tridentinum noluiſſe declarare, Tonſuram eſſe, vel non eſſe Ordinem, *ne condemnaret ſacros Theologos, aut honorabiles Canoniſtas*: concluditque ex allegatis ejuſd. Trident. textibus, poſſe tantum inferri, non declaraſſe eſſe Ordinem, ſed non oppoſitum.

SE-

SECTIO CVI.

CAPUT XIII. ACCEPIMUS, *ex Decretali Innocentii III. Braccharenſi Archiepiſcopo reſcripta, juxta Gonzalez.*

ACcepimns, te noſtris auribus intimante, quod quidam Clerici, qui ad Sacros Ordines ſine titulo ſunt promoti, te ad Eccleſiam Braccharen. ſuper beneficiis obtinendis infeſtant: (& infra.) Licet igitur in ordinationibus Clericorum illam tu, ac Prædeceſſores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur a vobis, ac ideo poſt promotionem eorum exceptionem non poteris prætendere contra illos, niſi forte, poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos: ex ſuperabundanti tamen, quando ſcribere pro talibus nos oportet, facimus in literis noſtris apponi, ut ſi ordinatus, pro quo ſcribimus, idoneus habeatur, & eccleſiaſtico beneficio non indignus, ei ab Ordinatore, vel Succeſſore ipſius competens beneficium tribuatur: cum etſi tecum de jure agere vellemus, te poſſemus merito ad proviſionem eorum compellere, quos a te, vel Prædeceſſoribus tuis ordinatos fuiſſe conſtaret, eo præſertim, quod ad obtinendum eccleſiaſticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad Ordines ſuſcepiſti. Unde graviter ſuſtinere non debes, ſed nobis potius devote inclinare teneris, ſi illos examinari per alios facimus, quos ſine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad proviſionem eorum te compellere velimus. Mandamus igitur, quatenus eis, pro quibus te contigerit recipere noſtra mandata in forma communi, in majori Eccleſia, vel aliis Eccleſiis diœceſis Braccharen. providere non tardes. Exceptiones autem, ſi quas contra tales propoſueris, præcipimus audiendas.

Hæc Decretalis, admittens mandata de providendo, abrogata eſt a Trid. ut notavi ſupra ad cap. XXX. *Capitulum* Sect. X.

Circa vero ordinatos in Sacris, ſicuti & circa regulam, hic firmatam, quod approbatus ad Ordines, intelligatur etiam approbatus ad beneficium, ſpecialis inſtituetur ſermo infra ad cap. XVI. *Cum ſecundum Apoſtolum de Præbend.*

SECTIO CVII.

CAPUT XIV. CUM SIT ARS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii in Concilio generali Lateranen. IV. celebrato an.* 1215.

CUM ſit ars artium regimen animarum, diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant, & informent, vel per ſeipſos, vel per alios idoneos viros ſuper divinis officiis, eccleſiaſticiſque Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Quoniam, ſi de cætero rudes, & ignaros ordinare præſumpſerint, (quod quidem facile poterit deprehendi) & Ordinatores, & ordinatos ultioui gravi decernimus ſubjacere. Sanctius enim eſt, (in ordinatione, maxime Sacerdotum) paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros: quia ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur.

Huic Decretali, præcipienti, non eſſe promovendos ad Presbyteratum, nec Eccleſiis parochialibus, & aliis, animarum curam annexam habentibus præficiendos, niſi ſint ea ætate, ſcientia, & morum probitate præditi, ut Divina Officia exemplariter obire, & Sacramenta recte adminiſtrare valeant, acceſſit Decretum Conc. Trid. decernentis ulterius, ut Eccleſiæ parochiales conferantur prævio examine per concurſum habendo, ut notatum eſt ſupra ad cap. IV. *Eam te* Sectione CI. & præterea antequam promoveantur ad Sacerdotium, ſe per integrum annum, ad minus in Diaconatu exercuerint, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliter Epiſcopo videatur, ut *cap.* XIV. *ſeſſ.* XIII. *de reform.* Textum leges part. II. cum de eod. cap.

Cum autem in hac eadem Decretali ſtatuatur, tam ſcienter Ordinantes non idoneos, ſeu illiteratos, quam hos, gravi dumtaxat ultioni ſubjacere, nullam exprimendo pœnam contra Ordinantem, ſive Epiſcopus ſit, ſive quilibet alius Prælatus, ſi prima tantum Tonſura penitus illiteratum initiaverit, lata eſt a Bonifac. VIII. pœna ſuſpenſionis per annum a collatione dictæ primæ Tonſuræ, ut *cap. IV. Nullus de Temporib. Ordinat. in VI.* cujus textum habes ſupra Sect. XCV.

Si contulerit Ordinem Presbyteratus, ex Epiſtola LXXXV. vel ut alii notant LXXXVII. S. Leonis Magni ad Epiſcopos Africæ, relata a Gratiano *can* XLIII. *Si qui Epiſcopi cauſ.* 1. *q.* 1. amittebat ipſo facto jus ulterius ordinandi. Verum DD. apud *Theſaurum de pœnis Eccleſiaſt. cap. IX. verbo Ordo*, ſentiunt, hanc pœnam hodie

hodie non eſſe receptam in eo rigore, ideoque eſſe ferendæ ſententiæ dumtaxat.

Contra ſic ordinatum vero infligi debet pœna ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, duratura ad tempus, Epiſcopo bene viſum, quod ſolet extendi, quouſque, diſcendo, ſe habilem reddiderit, ut ex decreto Trid. *cap.* III. *ſeſſ.* XIV. *de refor.*

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CVIII.

Caput Unicum, Permittimus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

PErmittimus, ut Epiſcopi cum iis, qui XX. annum compleverint, quod dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, poſſint (ſi aliud non obſtat canonicum impedimentum) libere diſpenſare.

Huic Decretali derogatum eſt a Conc. Trid *cap.* XII. *ſeſſ.* XXIV. *de refor.* ſtatuente, ut ad hujuſmodi dignitates promovendi non ſint minores ætate XXII. annorum.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO CIX.

Caput II. Ut ii, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato an. 1311. Viennæ in Gallia.*

UT ii, qui divinis in cathedralibus, vel collegiatis ſæcularibus, vel regularibus Eccleſiis ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos Sacros Ordines propenſius inducantur: ſtatuimus, ut nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis vocem in capitulo habeat (etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur) niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus. Illi vero, qui dignitates, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus certi Ordines ſunt annexi, pacifice nunc obtinent in eiſdem Eccleſiis, vel obtinuerint in futurum, niſi (juſto impedimento ceſſante) ad hujuſmodi Ordines ſe promoveri fecerint intra annum, extunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant earumdem, ipſiſque diſtributionum, quæ dantur his, qui certis horis interſunt, pars dimidia ſubtrahatur, non obſtantibus quibuslibet conſuetudinibus, vel ſtatutis: pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad Ordines recuſantes ſtatuuntur in jure, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

Huic Decretali derogatum fuerat a Martino V. in Concilio generali Conſtantienſi, inchoato an. 1414. & clauſo 22. Aprilis an. 1418. *ſeſſ. XLIII. tit. de diſpenſat.* in qua ſtatuerat, eſſe ipſo jure beneficiis privatos, ſi intra dictum terminum non promoverentur ad Ordines, iiſdem beneficiis annexos.

Sed hodie attendendum eſt decretum Tridentini, quo *cap. IV. ſeſſ. XXII. de Refor.* decrevit, procedendum eſſe juxta hanc Clementinam, quam innovans, addidit, ut per Ordinarios ſub iiſdem pœnis, in illa contentis, & aliis eorumdem arbitrio imponendis, quiſque eorum cogatur ſtatutis diebus per ſeipſum proprium Ordinem exercere. Textum leges part. II. cum de eod. cap.

Martini tamen ſanctio ſervanda eſt in illis beneficiis, habentibus Ordines annexos, ſed non ſunt in cathedrali, vel collegiata Eccleſia, nec comprehenduntur in *cap. Statutum de Elect. in VI.*

SECTIO CX.

Caput III. Generalem, *ex Decretali ejuſdem Clementis*

GEneralem Eccleſiæ obſervantiam volentes antiquis juribus in hac parte præferri, decernimus, ut (alio non obſtante impedimento) canonico, poſſit quis libere in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigeſimo ad Diaconatus, & in vigeſimo quinto ætatis ſuæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri.

Hæc

Hæc Decretalis, ſtatuens promoveri poſſe ad Subdiaconatum conſtitutum in anno XVIII. & ad Diaconatum in XXI. abrogata eſt a Concilio Trident. *cap. XII. ſeſſ. XXIII. de Ref.* præſcribente annum XXII. pro Subdiaconatu, & XXIII. pro Diaconatu.

Titulus XV. De Sacra Unctione.

SECTIO CXI.

CAPUT I. CUM VENISSET, *ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopum Trinonitanum, Primatem totius Bulgariæ græci Ritus ſcripta juxta Gonzalez.*

CUM veniſſet ad Apoſtolicam Sedem Brandicuberenſis Epiſcopus, clara nobis inſinuatione monſtravit, quod in conſecratione ſua ſacram non acceperat Unctionem; quoniam apud vos non conſuevere Pontifices, cum conſecrantur, inungi. Nos ergo quod illi defuerat, mandavimus in ipſo ſuppleri, facientes caput ejus, & manus per Albanen. Epiſcopum, aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis, ſecundum morem eccleſiaſticum Sacro Chriſmate deliniri (*Quæ ſequuntur non habentur in Codice, quo in ſcholis utimur*;) hoc enim catholica tenet Eccleſia, non ſolum ex præcepto divino, verum etiam Apoſtolorum exemplo. In Exodo quoque legitur præcepiſſe Dominum Moyſi, ut Aaron, & filios ejus inungeret, quatenus ei ſacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine græcus, qui a B. Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & poſtea in Apoſtolatus officio Clementi ſucceſſit, tradidit in ordinatione ſua ungendos Epiſcopos more Apoſtolorum, & Moyſis: quia omnis Sanctificatio in Spiritu Sancto conſiſtit, cujus inviſibilis virtus ſancto eſt Chriſmate permixta.

Caſus, qui fuit in cauſa, cur Innocentius hanc Epiſtolam decretalem ad dictum Archiepiſcopum ſcripſerit, is eſt. Cum Epiſcopus Brandicuberenſis (non Braccharenſis, ut mendoſe legitur in Codice, quo in ſcholis utimur (Braccharenſis enim Eccleſia eſt in Luſitania, non in Bulgaria) ut legatus Regis Bulgarorum pro unione Eccleſiæ latinæ, & græcæ, Romam veniſſet, retulit Innocentio, ſe in ſua conſecratione epiſcopali, ab eodem Archiepiſcopo peracta, quem ipſemet Pontifex Primatem totius Bulgariæ præfecerat, Sacram Unctionem non recepiſſe: ideoque Innocentius inter cætera, eidem Archiepiſcopo exponit, hujuſmodi unctionem adhibendam eſſe etiam a Græcis, tanquam de jure divino. Verum cum certum ſit, hodie in Eccleſia græca non conſecrari Epiſcopos per Unctionem, ſed per ſolam manus impoſitionem, & Evangelii traditionem, ut ex Rituali Græcorum, a Jacobo Goar in latinum translato; Gonzalez ad conciliandam hanc Decretalem cum inveterato contrario Græcorum Ritu, tuetur, ita Innocentium ſanxiſſe poſt unionem utriuſque Eccleſiæ (quam ſuo tempore factam fuiſſe teſtatur in *cap. XI. Scriptum de Elect.*, & *cap. VI. Licet de Baptiſm.*) ne græca in hoc a romana univerſali Eccleſia diſſentiret; additque, tunc temporis, poſtquam Latini Conſtantinopolim in ſuam poteſtatem redegerunt, illam Eccleſiam regi, non per græcum Patriarcham, ſed per latinum.

Hodie igitur, ut dictum eſt, non conſueſcunt Græci in conſecratione Epiſcoporum Sacram Unctionem adhibere; ideoque hæc Decretalis quoad ipſos in hoc locum amplius non habet.

Nec itidem in ea parte, in qua ſtatuitur, munus conſecrationis epiſcopalis pertinere ad Metropolitanum, cum hodie ſpectet ad Summum Pontificem, ut dixi *Titulo XI. de Temporib. Ordinat.* Sect. LXXXII.

Nota I. Quod cum in eadem Decretali, præcipiatur, Epiſcopum ex more in Eccleſia recepto, ordinandum eſſe cum aſſiſtentia duorum Epiſcoporum, ut *can. I. Epiſcopi*, & *can. VII. Epiſcopum diſtin. LXIV.* non ſemel exorta eſt controverſia, an conſecratio ab uno tantum peracta, valida ſit, an potius ſolummodo illicita: & quamvis nulla huculque a S. Sede emanata ſit quæſtionis deciſio; probabilior tamen opinio invaluit, eſſe tantum illicitam: quam amplexati ſunt etiam Romani Pontifices, & in praxim redegerunt: inter quos S. Pius V. Alexander VII. & Clemens XI. qui, teſte Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. edit. 1755. lib. XIII. cap. XIII.* indulſerunt, ut in iis regionibus, in quibus non facile tres Epiſcopi una convenire potuerunt, conſecratio fieret ab uno tantum Epiſcopo, duobus huic aſſiſtentibus Abbatibus, vel duabus dignitatibus, aut etiam duobus ſimplicibus Sacerdotibus: quod nullatenus, ut idem Benedictus animadvertit, indulſiſſent, niſi hujuſmodi opinionem probabiliorem arbitrati fuiſſent.

Quin contrariæ ſententiæ ſectatores objiciant, aſſiſtentiam duorum Epiſcoporum eſſe de jure divino, argumento ſumpto a *can. II. Porro*, quem Gratianus tribuit Pontifici Anacleto, & retulit *diſtin. LXVI.* per hæc verba — *Porro & Hieroſolymitarum primas Archiepiſcopus B. Jacobus, (qui juſtus dicebatur. & ſecundum carnem, Domini nuncupatus eſt frater, a Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet ſuis dantibus formam, ut non minus, quam a tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus, ullatenus Epiſcopus ordinetur, & communi voto ordinario celebretur* — Hic ſiquidem Canon apocryphus eſt, & *puram*, (ut probat hic Berardus de capitibus, Anacleti nomine inſcriptis *tom. II. de Canon. Genovin. Gratiani*) *putamque fabellam continet.* „ Quis enim in ſacra juriſprudentia etiam hoſpes, ſibi „ perſuadere poſſit, Jacobum jamdiu a Chriſto met ipſo inter Apoſtolos habitum, ordinatum deinde fuiſſe „ in Epiſcopum a tribus Coapoſtolis Petro, Jacobo altero, & Joanne? ſane Jacobum a Chriſto Domino „ Epi-

,, Epiſcopatus ſui poteſtatem accepiſſe teſtantur veteres
,, Patres, Epiphanius hæreſi LXXVII. Hieronymus ad
,, Galatas *cap.* I. *Euſebius lib.*VII. *cap.*XIV. *Chyſoſto-*
,, *mus in acta homil.*III. *&* in I. *Chor.homil.*XXXVIII.
,, *& Gregorius Turonenſis hiſtor. lib.* I. *cap.* XXVII.
,, Quod ſi licet adverſus auctorem apochrypharum epi-
,, ſtolarum apochryphis etiam monumentis contendere,
,, quid contra non probat auctor recognitionum Cle-
,, mentis lib.I. ibi -- *Eccleſia Domini in Hyeruſalem conſtituta copioſiſſime multiplicata creſcebat per Jacobum, qui a Domino ordinatus eſt in Epiſcopum, rectiſſimis diſpenſationibus gubernata* --

Nota II. Quod hic Innocentius docet, ſacram Unctionem in conſecratione Epiſcopi eſſe de jure divino. Verum, cum id non definiat, ſed aſſerat dumtaxat, tamquam doctor privatus, innixus Sanctioni Anacleti, quam legerat apud Gratianum (cujus errores tunc temporis detecti non fuerunt) *can.* I. *Ordinationes Epiſcoporum diſtin.* LXXV. deſumpto ex Epiſtola decretali ſecunda ejuſdem Anacleti; nullum inde exurgit legitimum argumentum, eſſe revera de jure Divino; quandoquidem, tam hæc, quam reliquæ duæ Epiſtolæ extantes ſub hujus Pontificis nomine, ſunt putide merces Pſeu Iſidori, ut notat Philippus Labbens in nota marginali ad primam dictarum Epiſtolarum, & noviſſime Berardus loc. cit. Hinc ſequitur juxta receptam Canoniſtarum ſententiam, hujuſmodi Unctionem non neceſſario requiri pro validitate conſecrationis epiſcopalis; ſi enim eſſet de illius eſſentia, & non de ſolemnitate tantum Innocentius hic mandaſſet ex integro fieri conſecrationem laudati Epiſcopi Brandicuberenſis, & non ſuppleri omiſſam Unctionem, Fagnan. *ad idem cap. num.* 5. *& ſeqq.*

Certum eſt autem, epiſcopalem unctionem apud Latinos antiquiſſimam eſſe, & antiquiorem præsbyterali: in aliquibus tamen Eccleſiis citius, in aliis ſerius adhibita, ut contendit Morinus *par.*III. *Exerc.*VI. cap. II.

S E C T I O C X I I.

Proſequitur idem.

CAPUT I. *Cum veniſſet de Sacra Unctione.*

PER frontis Chriſmationem, manus impoſitio deſignatur: quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augumentum datur, & robur, unde cum cæteras Unctiones ſimplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc non niſi ſummus Sacerdos, id eſt Epiſcopus, debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum Vicarii ſunt Epiſcopi,) quod per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dabant.

Hic ſtatuitur, a ſolo Epiſcopo conferri poſſe Sacramentum confirmationis, quod confirmatum, & ſimul explicatum, ac inſuper ampliatum eſt a Conc. Trid. *ſeſſ.VII. Can.III. de Confirmatione.* Explicatum quidem, nam Concilium declaravit, ſolum Epiſcopum eſſe quidem miniſtrum hujus Sacramenti, ſed ordinarium, ad denotandum, quod ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ poſſit eſſe etiam ſimplex Sacerdos. Ampliatum vero; quandoquidem addidit excommunicationem latæ ſententiæ in contrarium aſſerentem, ut ex cit. *Can.III.*

In Conc. Florentino, celebrato ſub Eugenio IV. poſtquam idem Eugenius dixerat, Ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, ſubdit -- *legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ſimplicem Sacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum* -- cujus diſpenſationis Author videtur fuiſſe S Gregorius Magnus, qui in Can. *Pervenit.diſt.XLV.* reſcribens Januario Epiſcopo Caralitano, hoc indultum conceſſit Presbyteris Sardiniæ. S. Gregorium poſtea ſequuti ſunt alii Pontifices, qui diſpenſando, non agunt contra Trident. ut reſolvit S. ejuſdem Cong. 3. Maii 1575. teſte Pignatello *tom.VI. conſult. II.* quia Trident. definivit dumtaxat, Ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, non autem excluſit poſſe eſſe alium miniſtrum extraordinarium ex Pontificia delegatione.

Quod autem ex Sedis Apoſtolicæ indulto poſſit ſimplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre, cum oleo tamen, & Chriſmate ab Epiſcopo benedicto, conſtat ex pluribus conceſſionum, ſive indultorum exemplis, quorum ſeries relata eſt a Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. lib.VII. cap.VII.*, *& VIII.* & ipſemet hoc idem indultum impertitus eſt Cuſtodi, & Guardiano S. Sepulchri, Ordinis Minorum de Obſervantia, ut ex ejus Conſt. *Cum ad infraſcripta 9. Januarii* 1740. ac Conſtit. *Demandatam* 24. *Decembr.* 1743. & Conſtit. *Eo quamvis* 4. *Maii* 1745. declaravit, hanc facultatem auctoritate Sedis Apoſtolicæ delegari poſſe ſimplici Sacerdoti, ubi concurrat neceſſitas, & difficultas ad eundi Epiſcopum.

Confirmationis Sacramentum reſpectu baptizatorum a presbyteris græcis in Iſtructione dicti Benedicti *ad Miſſionarios in univerſo Egypto &c.* cit. Conſt. *Eo quamvis* §. 4. *Quod attinet*; declaratur, quod quamvis græcis incolis Italiæ, & Inſularum adjacentium expreſſe vetita ſit adminiſtratio Confirmationis, illico poſt baptiſmum ab eodem miniſtro facta, ex patientia tamen, & facilitate S. Sedis ab eodem Sacerdote in Oriente ſimultanee Græcis confertur.

In Conſtit. autem ejuſdem Pontificis, *Etſi paſtoralis*, 6. *Maii* 1742. *de Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque ſervandis*, hæc ſtatuuntur §. 3. Ut Epiſcopi latini infantes, ſeu alios in ſuis diœceſibus baptizatos a græcis Presbyteris, abſolute Chriſmate in fonte conſignatos confirment, ſub conditione tamen, ſi veroſimiliter dubitari poſſit, an ab Epiſcopis græcis ordinem baptiſmi juxta eorum Euchologium ſervantibus fuerint baptizati. Sic etiam confirmare debent, ſi ex diſpenſatione Apoſt. græcum aliquem ordinaverit baptizatum a Presbytero græco in Italia, vel adjacentibus Inſulis, ſimiliter ſub conditione, ſi rationabile dubium eſſe poſſit, an ab Epiſcopo græco fuerit baptizatus. Confirmatus vero a ſimplici Sacerdote non eſt cogendus, ut confirmetur ab Epiſcopo, ſi ex tali coactione ſcandala oriri poſſint, monendus tamen eſt a locorum Ordinariis, eum graviter peccare, ſi, cum

poſſit confirmari, renuat, ac negligat. Ubi græcus catholicus Epiſcopus haberi poteſt, latini Ordinarii curare debent, ut ab illo potius, quam a ſe, ut ſupra baptizati confirmentur: §. IV. Ut presbyteri græci cogi nequeant alia olea præter Chriſma ab Epiſcopis latinis accipere; & prohibentur illud accipere ab Epiſcopis Schiſmaticis, & etiam a quocumque alio Epiſcopo latino, ſeu græco catholico, præter ſuum Ordinarium latinum.

Unum hic ſupereſſet reſolvendum, an ſcilicet Sacramentum Confirmationis habeat pro materia ſolam manus impoſitionem, an vero ipſam Unctionem cum Chriſmate. Ratio dubitandi eſt, quia in hac Decretali dicitur - *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio* — & in fine dicitur, quod Apoſtoli — *per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dabant* — quod plane conſonat cum illo Actorum VIII. — *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum* —. Ex quibus verbis ſatis eſſe videtur unica manuum impoſitio; adeoque in hoc etiam eſſe totam materiam eſſentialem hujus Sacramenti.

Verum pro reſolutione difficultatis notandam cenſeo doctrinam D. Th. *tum in ſupplem.* III. *par. de Confirm. art.*II. *ad* I. *cum in* IV. *diſt.* VII. *q.* I. *art.* II. ubi duos caſus diſtinguit: unum ſcilicet, quod Deus extra Sacramentum ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem producebat effectum gratiæ, faciendo, quod deſcenderet plenitudo Spiritus Sancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis, & tunc, inquit S. Doctor, quod nec erat neceſſaria materia ſacramentalis. Alter caſus eſt, quod Apoſtoli conferebant gratiam in exhibitione Sacramenti, non intervenientibus præfatis viſibilibus ſignis, & in iſto caſu, ait, quod utebantur communiter Chriſmate, ideoque materia ſacramentali — En ejus verba in dicta reſpon. ad I. — *Ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spiritus Sancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis .... & ideo non erat neceſſaria materia ſacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculoſe exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apoſtoli communiter Chriſmate, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur* — Impoſitione igitur manuum ſimul, & Chriſmate etiam Apoſtoli utebantur in hujus Sacramenti collatione: proinde utrumque requiritur pro materia adæquata ejuſdem. Nec refert, mentionem fieri quandoque ſolius impoſitionis manuum, quandoque ſolius Chriſmationis, ſeu unctionis in fronte; expreſſa enim nominatio unius, alteram non excludit: imo Chriſmatis nomine comprehenditur etiam manuum impoſitio. Neque audiendi, qui dicunt, impoſitioni manuum ſubſtitutam fuiſſe Chriſmationem, hoc enim falſum eſt, niſi forte intelligatur quantum ad nomen, ſeu denominationem, quatenus idem Confirmationis Sacramentum, quod prius deſignabatur per impoſitionem manus in fronte, nunc appellatur Chriſmatio: & id eſt, quod initio allatæ Decretalis cit. §. dicere voluit Innocentius. Adeatur Auctor de re *Sacram. lib.*III. *q.*3. *cap.*I. & II. Scripturis, & traditione fuſe, æque ac docte ſententiam hanc probans.

Titulus XVI. De Sacramentis non iterandis.

SECTIO CXIII.

CAPUT I. PASTORALIS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Elienſi in Inſula Angliæ orientalis reſcripta, juxta Gonzalez, juxta Alteſerra vero, Archiepiſcopo Trinonitano, Primati totius Bulgariæ.*

PAſtoralis (& infra.) Præterea nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſumptus. Et ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſuppleudum, quod incaute fuerat prætermiſſum.

Nihil quidem novi primæ hujus Decretalis parti acceſſit: verum eam cum ſequenti monito tranſcripſi, ne Tyrones Juris canonici, dum in ipſa legunt, ſupplendam eſſe manuum impoſitionem, ſi forte omiſſa fuerit, in ſuſceptione Ordinis Subdiaconatus, pro certo habeant, dictum Ordinem conferri nedum per calicis vacui, cum patena vacua, & libri Epiſtolarum traditionem, ut præſcribitur *Can.XV.Subdiaconus, diſt.*XXIII. *& in Pontificali Romano, ac Decreto Eugenii IV. de Unione Armenorum* §.*Sextum Sacramentum*, ſed etiam per manus impoſitionem: ſiquidem hic error irrepſit ex incuria typographorum, cum loco *Subdiaconatus* (qui in Eccleſia latina non confertur per manus impoſitionem) legendum ſit *Diaconatus*, ut ſcriptū reperitur in duobus vetuſtioribus Codicibus, juxta hic notata a Correctoribus Romanis in margine Codicis, quo in ſcholis utimur, ut etiam notarunt hic ex Innoc. IV. Panormit. §. *Secundo*, & poſt eum DD. citati a Gonzalez in commentario hujus text. Schimier, & alii quamplures.

Ad ſecundam vero partem, quod ſpectat, cum Innocentius hic non definierit, quænam ſit eſſentialis materia Confirmationis, an ſimplex oleum, vel oleum mixtum balſamo, ab Epiſcopo benedictum, & reſponderit dumtaxat poſtulato, — *caute ſupplendum, quod incaute fuerit prætermiſſum* — an balſamum (ita hanc eamdem partem expendit Natalis Alexander *lib.II. de Confirmat. propoſit. II.*) — ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti, ita ut Confirmatio cum oleo ſolo collata irrita ſit, an præcepti dumtaxat neceſſitate, quemadmodum admixtio aquæ in vino in Sacramento Euchariſtiæ, ſub judice lis eſt, Theologia in varias ſententias abeuntibus. Unde cum res incerta ſit, quæſtione minime finita Eccleſiæ judicio, ſi aliquem oleo ſolo abſque mixtione balſami ab Epiſcopo inungi contingeret,

ret, dubium eſſet Sacramentum, & ſub conditione iterandum, ut colligitur ſaltem ex Innocentii III. Decretali *cap. Paſtoralis extra de Sacramentis non iterandis* quam partis utriuſque Theologi ad opinionis ſuæ præſidium trahunt --: *nos conſulere voluiſti*, (inquit) *an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſumptus: & ſi, Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum* --. Quomodo autem ſuppleri poſſet balſamum benedictum, niſi nova Chriſmatis unctione? Siquidem ſeorſim ab Epiſcopo non benedicitur, ſed oleo admixtum. An vero nova Chriſmatio fieret ſine verbis? ſed tamen non iterabitur Confirmatio ſecundum mentem Innocentii III. quia ut idem Pontifex *cap. Veniens extra de Presbytero non baptizato* ait -- *non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum* --.

Et quamvis Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV. de Unione Armenorum §. *Secundum* expreſſe definierit, materiam -- *eſſe Chriſma confectum ex oleo, & balſamo* -- idem tamen Concilium, inquit Bellarminus *lib. II. de Confirmat.* -- non expreſſit quomodo requiratur balſamum, ſed dixit, materiam eſſe oleum cum balſamo, ut etiam dixerat in Euchariſtia, materiam eſſe vinum cum aqua, & tamen fatentur omnes, aquam non ita eſſe de eſſentia, ut ſine ea irritum ſit Sacramentum --.

Verum licet Eccleſia non damnaverit opinionem aſſerentium, balſamum non eſſe de eſſentia, cum tamen -- Patres omnes (ſunt verba doctiſſimi viri Philippi de Carboneano *in Additionib. ad Theolog. Mural. Gabrielis Antoine in Appendice ad Tractatum de Confirmat.* §. *I.*) qui unctionis hujuſmodi meminerint, vel balſamum expreſſe deſignaverint, vel ſatis illud indicaverint, appellando unctionis materiam Chriſma, unguentorum, & myron, cum denique in Euchologiis omnibus, omnibuſque Ritualibus etiam balſamum pro principi materiæ parte bujus Sacramenti præſcribatur, quaſi certo conſtitui poſſe videtur, balſamum ad Sacramenti eſſentiam pertinere, atque adeo collatum ſine balſamo Sacramentum eſſe irritum, & iterandum; id vero fieri debet ſub conditione, quod contraria opinio ab Eccleſia non ſit damnata --.

In eadem ſententia eſt D. Thomas *par. III. qu. 72. ar. II.* quæ quidem nititur perpetuæ traditioni, & *Epiſtolæ II. S. Fabiani Papæ cap. unico Fabianus*, relata a Labbeo *Tom. I. pag. 659.* ubi ait -- *Ex divina inſtitutione provenire, ut oleum cum balſamo conficiatur* --.

A qua ſententia, tanquam tutiori, non receſſiſſe videtur Congr. Conc. quæ, cum ei die 4. Apr. 1693. propoſitum fuerit dubium, ortum ex ſequenti facti ſpecie, prout reperitur *lib. XLV. decretor. pag. 125.* a me recogniti.

Dubium *cognationis ſpiritualis -- Dum inter Antoniam, & Emanuelem agebatur de contrahendo matrimonio, Antonia vocata non recuſavit tenere filiam prædicti Emanuelis ſuſceptam ex primis nuptiis in Confirmationis Sacram. quod Epiſcopus adminiſtravit, ſumpto oleo Infirmorum loco, & vice olei Sacri Chriſmatis, ideoque detecta hujuſmodi inadvertentia, & errore, udictos omnes confirmatos ad novam Confirmationem vocavit, ac filia d. Emanuelis iterato acceſſit, ſuſceptà ab alia, quam Antonia, qua recuſavit, ne cognationem ſpiritualem contraheret, ad effectum nubendi cum Emanuele, quare dignentur EE. VV. benigniter reſpondere.*

An in caſu prædicto contracta ſit cognatio ſpiritualis, & ita contractum impedimentum contrahendi matrimonium inter Antoniam, & Emanuelem.

Die &c. Sacra &c. reſcripſit *ad mentem* -- quæ fuit ut diſpenſarentur ad cautelam, prout refert *Card. Petra in Comment. ad Conſtit. XIV. Innoc. IV. n. 42.*

S E C T I O C X I V.

Caput III. Presbyter, *ex Decretali Gregorii IX. ad Archiepiſcopum Londonenſem.*

Presbyter, & Diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt: quodſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos caute ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. Suſpenſio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi.

Quamvis in hac Decretali ſtatuatur, non eſſe iterandam ordinationem Presbyteri, & Diaconi, ſi in collatione ipſorum reſpective Ordinum omiſſa fuerit manuum impoſitio, ſed hanc dumtaxat ſtatuto tempore ſupplendam: cum tamen, attenta controverſia inter Canoniſtas, & Theologos, an manuum impoſitio ſit de ſolemnitate tantum, vel potius de eſſentia, non leve ſupereſit dubium, an ordinatio ſit valida, tutius eſt, ut tota iteretur, ſaltem ſub conditione, potiſſimum Presbyteratus, ad obviandum animarum periculis propter Sacramentum Pœnitentiæ, a Sacerdote ſic ordinato adminiſtratum, Fagnan. *ad cap. Cum veniſſet de Sac. Unctione num. 54. & 97.*

Et iſta etiam eſt praxis Congreg. Conc. quæ in ſimilibus caſibus cenſuit, iterandam eſſe ad cautelam, ut accidit in dubio Ordinationis 11. Feb. 1708. lib. 58. decretor. cum quidam Cappuccinus ordinatus fuiſſet per porrectionem Patenæ ſine Hoſtia, idem cenſuit, ut refert Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. edit. an. 1755. lib.* VIII. *cap.* X. in ea facti ſpecie, quo Sacerdotio initiandus, ad alia diſtractus, non acceſſit ad Epiſcopum porrigentem Patenam cum Hoſtia, & Calicem cum Vino.

Neque vero, quod in hac Decretali nulla fiat mentio de traditione inſtrumentorum, ſequitur, in Eccleſia latina Presbyterum, & Diaconum ordinari per ſolam manuum impoſitionem, ut ab initio Eccleſiæ ex ritu ab Apoſtolis introducto, uſque ad ſæculum IX. in univer-

oa Eccleſia, tam latina, quam græca ordinatos fuiſſe, oſtendit Morinus *Exercit. IX. cap. I. num.* 4. quandoquidem a ſæculo X. cæptum eſt ordinari, etiam per traditionem inſtrumentorum, Diaconum videlicet per traditionem libri Evangeliorum, Presbyterum vero per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum Hoſtia.

Quamvis autem Synodus Tridentina materiam, & formam hujuſmodi ordinationum non expræſſerit, Eugenius tamen IV. in Concilio generali Florentino, Ferrariæ inchoato an. 1438., & ob peſtilentiam intra Civitatem Ferrarienſem ingruentem, Florentiam translato, ac ſequenti anno ibidem abſoluto, in decreto pro Armenis de ordinatione loquens, ait -- *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo: ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; Subdioconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem, & ſimiliter de aliis, per rerum, ad miniſteria ſua pertinentium, aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur* --.

Nota, quod cum Gregorius in hac Decretali aſſerat, Sacerdotem, & Diaconum tactu corporali impoſitionem manus in ſua ordinatione recipere, ex ly corporali infertur, tactum in traditione, & acceptatione materiæ Ordinis debere eſſe phyſicum, & non ſufficere moralem, ut aliqui dictitarunt: alias non verificaretur germanus ſenſus illius termini corporali. Imo cum non ſit certum ſed mera opinio, quod ſufficiat tactus moralis, ordinatio exponeretur periculo nullitatis; & in materia Sacramentorum ſequi debemus ſententiam tutam juxta contrarium ſenſum ſequentis Propoſitionis in ordine la I. inter alias proſcriptas ab Innocentio XI. ſub die 2. Martii 1679. -- *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis* --.

Titulus XVII. De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

SECTIO CXV.

Caput I. Ut Filii, *ex Decretali, deſumpta a Can. IX. Concilii Pictavienſis I. celebrati Pictavii in Aquitania an. 1078. tempore Paſchalis II.*

UT Filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes: prælationem vero nullatenus habeant. Sed neque ſervi, niſi a dominis ſuis libertate donentur.

Quamvis in hac Decretali fiat tantum mentio de filiis Presbyterorum, & natis ex fornicatione, qui prohibentur ad Sacros Ordines promoveri, hæc tamen prohibitio a fortiori intelligi debet de filiis natis ex damnato coitu, inceſtu ſcilicet, vel adulterio; cum apud omnes compertum ſit, fornicationem late ſumptam eſſe genus quoddam complectens omnes illicitos concubitus extra matrimonium, ut ex can. *Lex illa* §. *Cum ergo verſ. Fornicatio autem cauſ. XXXVI. q. I.*

Accedit etiam ratio, quod lex ſemper extenditur ad caſum non expreſſum, quoties hic ſi non comprehenderetur ſub lege, ſequeretur abſurdum, uti revera graviſſimum ſequeretur, ſi vigore iſtius Decretalis arcerentur ab Ordinibus nati dumtaxat ex fornicatione, & non ex adulterio, vel inceſtu.

Præterquamquod hæc prohibitio a Decretalibus Bonifacii VIII, relatis *in cap. I. Is qui, & cap. II. Si is hoc eod. tit. in VI.* clare extenſa eſt ad alios quoſcumque illegitime natos, quorum textus leges infra Section. CXXVIII. & CXXIX.

Circa prohibitionem promovendi ſervos, vide notanda ad *Titulum de ſervis non ordinandis* Sect. CXXX.

Nota I. quod ex Conſtit. S. Pii V. 27. Januarii 1571. *Quæ ordini* Clerici prohibentur ſcribere hæredes ſuos filios illegitimos, aut quidquam tam ex Eccleſiæ redditibus, quam ex patrimonialibus bonis proveniens, iiſdem teſtamento relinquere, eorumque filiis, ac deſcendentibus, conſanguineis, & affinibus, ſive dicti filii illegitimi ſuperſtites ſint, ſive ante obierint. Probat tamen Benedictus XIV. *lib.* XIII. *cap.* XXIV. *n.* 21. *de Synod. Diœc.* his filiis deberi alimenta, non minus ex bonis patrimonialibus, quam ex redditibus eccleſiaſticis: & quoad eorum conſanguineos, Pii Conſt. intelligendam eſſe tantum de legato, iis eo conſilio relicto, ut in eorumdem filiorum illegitimorum commodum cedat. Vide *Paſſerin. de Elect. cap. XXV. num.* 231. *& ſeq.*

Nota II. Quod quamvis expoſiti, & ii, de quorum legitimis natalibus dubitatur, juxta quamplures Doctores, habendi, & præſumendi ſint pro legitimis, & ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri poſſint; Cardin. tamen Petra *tom. V. Comment. ad Conſt.* XXII. *Sixti* IV. *num.* 11. ſentit, tenendam eſſe tutiorem opinionem, ideoque, quoad Ordines ſaltem ſuſcipiendos, hos indigere diſpenſatione, cum requiratur probatio legitimitatis; pro qua non ſufficit præſumptio, additque ex decreto Cong. Conc. in Sulmonen. 22. Febr. 1710. ea indigere ad cautelam, ſi adſint conjecturæ hinc inde pro legitimitate, vel illegitimitate.

SECTIO CXVI.

CAPUT II. AD PRÆSENTIAM, *ex Decretali Alexandri III. Linconenſi Epiſcopo ſcripta*.

AD præſentiam noſtram accedens R. Presbyter, tacito, quod eſſet filius Sacerdotis, impetravit a nobis, ut in Eccleſia, in qua pater ejus miniſtravit, exiſteret Capellanus. Ideoque mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod memoratus R. ſit in Sacerdotio genitus, & quod pater in eadem Eccleſia miniſtravit, non obſtantibus prædictis literis noſtris, ipſum amoveas ab eadem.

SECTIO CXVII.

CAPUT III. PRÆSENTIUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri Vigornenſi Epiſcopo ſcripta*.

PRæſentium auctoritate jubemus, ut filios Sacerdotum in Eccleſiis paternis miniſtrare, vel eas qualibet occaſione obtinere nullatenus patiaris: ſed ipſos ab Eccleſiis, in quibus patres eorum miniſtraſſe noſcuntur, ſtudeas penitus amovere.

SECTIO CXVIII.

CAPUT CONQUERENTE, *ex Decretali laudati Alexandri eidem Epiſcopo ſcripta*.

COnquerente nobis M Clerico: (& infra.) Fatern. tuæ mandamus, quatenus ſi publicum eſt, & notorium, patrem R. Clerici habuiſſe in prædicta Eccleſia perſonatum, filium ejus ibidem miniſtrare, aut ejuſdem Eccleſiæ perſonatum habere nullatenus patiaris: & ſi jam inſtitutus eſt ibi, eum inde non differas amovere.

In prima harum Decretalium præcipitur, ut ſi quis per literas Apoſtolicas obtinuerit capellaniam in Eccleſia, in qua ejus pater Sacerdos miniſtravit, ſi conſtiterit, ſe in Sacerdotio patris fuiſſe genitum, removeatur ab eadem capellania.

In ſecunda præcipitur pariter, ut amoveatur a miniſterio in Eccleſia, in qua pater miniſtravit.

In tertia autem ſimiliter amoveri præcipitur, etiam poſt mortem patris, qui in eadem Eccleſia perſonatum habuit, ſi publicum, vel notorium ſit, quod in ejus Sacerdotio fuerit genitus.

Hæ Decretales innovatæ ſunt a Trident. extendente hanc prohibitionem ad filium, nedum Sacerdotis, ſed etiam cujuſcumque Clerici: addente inſuper, ne penſionem quidem ſuper fructibus beneficiorum, quæ ejus pater obtinet, vel obtinuit, habere poſſit, ut in *cap. XV. ſeſſ. XXV. de refor.* Textum leges par. II. cum de eod. cap.

Nota I. Filium illegitimum habere minime poſſe, beneficium in Eccleſis, quæ ſit ſoror alterius Eccleſiæ, in qua pater habeat beneficium. ut firmavit *Rot. in Cæſaraugustana Canonicatus* 2. Julii 1742. §. IV. *& plur. ſequent. cor. clar. mem. Buſſio*. Duæ vero Eccleſiæ dicuntur ſorores, quoties beneficiarii unius poſſunt promiſcue divina officia in altera celebrare, ut reſpondit idem Tribunal. in *d. Cæſarauguſt.* 2. *Julii* 1742. §. II. *&* III. *cor. eod.*

Nota II. Filium illegitimum beneficium habere, nec poſſe in Eccleſia, ad quam pater ratione beneficii alterius Eccleſiæ poteſt certis dumtaxat ſolemnioribus anni diebus accedere; ita ut vere, & proprie dici nequeat ſoror, ut reſcripſit S. Congr. Conc. in Leodien. 31. Auguſti, & 3. Sept. 1583. & relata hac reſolutione, dixit *Rot. in d. Cæſarauguſt. 2. Julii* 1742. §. III.

Nota III. Quod ex decretis Cong. Concil. relat. a Benedicto XIV. *cap.* XXIV. *lib.* XIII. *de Synod. Diæc.* filius illegitimus patris, jam defuncti, neque poteſt audire confeſſiones in Eccleſia, quam pater uti parochus obtinuit. Quod locum habet, etiam ſi parochiam, intermedia perſona, obtinuerit. Non prohibetur autem, quominus poſſit eſſe Capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter Capellanus, itidem amovibilis. Item pater legitimus poteſt obtinere etiam immediate beneficium illegitimi defuncti. Inſuper nepos legitimus ex patre illegitimo progenitus capax eſt beneficii, quod avus antea poſſedit. Capax pariter eſt beneficii filius legitime natus ex patre naturali legitimato.

SE-

SECTIO CXIX.

Caput V. Veniens, *ex Decretali laudati Alexandri Lundonenſi Epiſcopo ſcripta.*

VEniens ad præſentiam noſtram N. Clericus, nobis propoſuit, quod cum illum ad capellam Sancti L. quam ei conceſſiſti, in Presbyterum ordinaſſes, ipſum ea poſtea ſpoliaſti, eo quod pater ejus in præſcripta Eccleſia miniſtravit. Ideoque Fraternit. tuæ mandamus, quatenus ſi tibi innotuerit, quando eam ſibi dediſti, quod pater ejus Presbyter in dicta Eccleſia miniſtraſſet, ipſam ei reſtituas, & in pace dimittas, amoto alio, ſi quem inſtituiſti forſitan in eadem. Verum, ſi hoc ignorans feciſti, ex quo ad Eccleſiam ipſam eum in Presbyterum ordinaſti, eam ſibi reſtituas, donec in alia Eccleſia ſibi provideas, unde honeſte valeat ſuſtentari.

An huic Decretali derogatum fuerit a Tridentino, attendenda ſunt quæ ſubnectuntur tradita a Fag. ex mente Cong. Conc. ad hoc idem cap. num. 19. & ſeqq. ibi — Sed quæritur, an hoc capitulum ſit hodie abrogatum ex jure noviſſimo Conc. Trident. cap. XV. ſeſſ. XXV. de reform. & verius videtur eſſe abrogatum, ut in ſequenti declaratione S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum, videlicet.

An collatio beneficii facta filio illegitimo ſit nulla ipſo jure, præſertim in caſu, quo facta ſit Presbytero, qui, ſi beneficium collatum obtinere non poſſit, in dedecus Ordinis clericalis mendicare cogetur.

Die 22. Martii 1576. Congreg. publica cenſuit collationem beneficiorum factam illegitimo in Eccleſia, in qua pater, fuiſſe nullam ipſo jure, ut probat ad literam *Cap. Ad abolendam de filiis Presbyter*, ibi. *Decernimus, non valere*, an autem illegitimo ſuffragetur cap. *Veniens de filiis Presbyteror.* viſum fuit, hoc caſu clare non ſuffragari ei, quia d. cap. *Veniens* procedit, quando illegitimus fuit promotus ad Presbyteratum ad titulum beneficii in Eccleſia, in qua pater, ut clare verba illius textus oſtendunt: nec Abbas in hoc contrarium vult. In caſu autem præſenti agitur de capellania in Eccleſia, in qua pater, quæ collata fuit illegitimo, poſtquam factus fuit Presbyter, nec in actu promotionis ad Presbyteratum legitur, quod fuerit promotus ad titulum illius capellaniæ. Sed etiam quod coſtaret promotum ad titulum illius capellaniæ, adhuc aliqui ex Cardinalibus, Montaltus, Carafa, Lumellinus videntur ſenſiſſe, cap. *Veniens* fuiſſe correctum a Conc. propter verba generalia, & exuberantia d. cap. XV. Sed dixerunt, quod ſi caſus evenient, quod illegitimus ſit promotus ad beneficii paterni titulum, & velit uti beneficio d. cap. *Veniens*, tunc proponatur in Cong. Conc. & amplius deliberetur. Et cum Conc. cap. XV. prohibeat omnem diſpenſationem, & cap. *Veniens* innitatur diſpenſationi: videtur a Conc. ſublatum. Item propter illa verba, *longiſſime arceatur*. Item propter illa verba, *quoquo modo miniſtrare*. Et ſic etiam prætextu d. cap. *Veniens*, & quamquam dictum fuerit, an ſaltem agendum cum Sanctiſſimo pro gratia: tamen reſponſum eſt, ex quo alteri collatum eſt beneficium, & ſic jus tertio quæſitum, non agendum —.

SECTIO CXX.

Caput VII. Ex transmiſſa, *ex Decretali dicti Alexandri Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Vvigornenſi ſcripta.*

EX tranſmiſſa conqueſtione G. Clerici percepimus, quod ad Abbatis de Caſtris præſentationem, in quodam beneficio Eccleſiæ de N. eum in præſenti recipere diſtuliſti, eo quod pater ejus in præfata Eccleſia miniſtravit: quo defuncto, media interceſſit perſona, cui prædictum beneficium eſt collatum. Ideoque mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prænominatum Guil. ad præfatum beneficium admittere non poſtponas, non ideo minus obſervato Apoſtolici reſcripti decreto, quod ſucceſſionem in Eccleſia Dei hæreditariam deteſtatur.

Ex contrario ſenſu bujus Decretalis clare infertur, filium tam legitimum, quam illegitimum poſſe retinere beneficium in Eccleſia, in qua pater miniſtravit, ſi media interceſſerit perſona. Verum id expreſſe abrogatum eſt a Clemente VII. Conſtit. *ad Canonum Conditorem 3. Junii* 1530. extendente hanc prohibitionem ad quorumcumque Clericorum, etiam Regularium, filios illegitimos, & ad beneficium ſimile, ſive diſſimile, ac etiam ad penſiones beneficiorum, quæ pater obtinet, vel obtinuit ad tempus, ſive in perpetuum: & demum ad quamcumque adminiſtrationem in eadem Eccleſia ibi.

Ad Canonum conditorem non eſt dubium pertinere, cum ſtatuta a ſe, vel Prædeceſſoribus ſuis ad animarum chriſtifidelium ſalutem edita propter eorum abuſum, qui ſucceſſu temporum, malitia hominum ſuccreſcente, magis in dies dignoſcitur obeſſe, quam prodeſſe animad-

madvertit, ne ulterius obeſſe valeat, providere. Sanè poſtquam fel. rec. Alexander Papa III. Prædeceſſor noſter filios, præſertim Sacerdotum, in Eccleſiis paternis ſuccedere prohibuerat, eaſque nihilominus, media intercedente perſona filios ipſos habere diſpoſuerat, cum paſſim Sacerdotes, ut Eccleſiis ſuis eorum filii potirentur, ſatagentes, in Alexandri Prædeceſſ. hujuſmodi diſpoſitione confiſi Eccleſias ſuas, quas ad eorum pervenire filios geſtiebant, in favorem perſonarum, quæ Eccleſias ipſas, etiam illarum poſſeſſione non habita, in ipſorum reſignantium filios, ex fornicatione genitos, illico mox reſignare. Ipſique filii Eccleſias ipſas, diſpenſatione ſuper defectu natalium, quem ex dictis Sacerdotibus reſignantibus geniti, patiebantur, etiam patris nomine expreſſo, obtenta conſequi hactenus conſueverint, profecto pernicioſum ſemper, & abominabile, ac in gravem divinæ Majeſtatis offenſam tendere, videlicet, quod ipſi Presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non ſine turpitudine, ob inordinatum ſpuriorum filiorum amorem detegere non erubeſcerent.

Judicamus propterea, quod ubi tempus, quod omnia palam facit, & præſentium ratio quid in futurum cavendum ſit, admonet, merito admonemur, & ad tollendum hujuſmodi abuſum, neceſſarium arbitrati ſumus ejuſdem Alexandri Prædeceſſ. Canonem corrigere potius, quam talia cum tanto hominum ſcandalo tolerare. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorum conſilio, & unanimi conſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero filii Presbyterorum, ex fornicatione nati, Eccleſias cathedrales, etiam metropolitanas, ac monaſteria, quibus eorum patres præfuerunt, ſeu illa, & illas dignitates, etiam majores, & principales, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, etiam curata, & electiva, & alia quæcumque beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, quæ Presbyteri, & Clerici, ac Religioſi eorum patres in titulum, vel commendam, aut adminiſtrationem, ad tempus, ſeu in perpetuum aliquando obtinuerunt, nullo umquam tempore quoquomodo obtinere poſſint, nec cum eis ſuper hoc diſpenſare intendimus. Et ſi quas diſpenſationes per nos concedi contigerit, tanquam per præoccupationem, & contra mentem noſtram conceſſas, eis nullatenus ſuffragari, taleſque diſpenſationes noſtris volumus exulare temporibus, & quod nobis licere non patimur, noſtris Succeſſoribus indicamus. Non obſtantibus præfati Alexandri Prædeceſſ., & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Huic Clementinæ ſanctioni acceſſit etiam Decretum Conc. Trid. *cap. XV. ſeſſ. XXV. de refor.* idem confirmans. Textum leges part. II. cum de eodem cap.

SECTIO CXXI.

CAPUT VIII. CONSTITUTUS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri Epiſcopo Vvigornenſi ſcripta.*

Conſtitutus in præſentia noſtra G. Clericus, ſupplici nobis inſinuatione monſtravit, quod cum capellam de Stoftorn. canonice fuiſſet adeptus, & eam pluribus annis pacifice poſſediſſet, R. Miles ipſum ea ſine judicio ſpoliavit: cumque memoratus Clericus, exinde apud te depoſuiſſet querelam, objectum fuit ei, quod pater ſuus in capella miniſtravit eadem (& infra.) Fr. tuæ mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod idem Clericus a capella fuerit prædicta per potentiam laicalem ejectus, & quod pater ejus præfatæ capellæ perſona, ſeu perpetuus Vicarius non fuerit (licet in eadem nomine ejuſdem G. quandoque miniſtraverit) ipſam ſibi cum redditibus perceptis reſtituere non omittas.

Circa hanc etiam Decretalem attendenda eſt tranſcripta Clementis VII. Conſtitutio, quam per extenſum habes Sectione præcedenti.

SE.

SECTIO CXXII.

Caput XI. Ad extirpandas, *ex Decretali laudati Alexandri III. Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripta.*

AD extirpandas ſucceſſiones, (& infra.) Frat. tuæ mandamus, quatenus, ſi qui filii Presbyterorum Provinciæ tuæ teneant Eccleſias, in quibus patres eorum tamquam perſonæ, vel Vicarii, nulla perſona media, miniſtrarunt: eos, (ſive geniti ſint in Sacerdotio, ſive non) ab eiſdem Eccleſiis non differas amovere.

Huic pariter Decretali, permittenti, ut filii Presbyterorum retinere poſſent Eccleſias, in quibus eorum patres miniſtraverunt, ſi media interceſſerit perſona, derogatum eſt a Clemente VII. ut ſupra Sectione CXX.

SECTIO CXXIII.

Caput XII. Ad haec, *ex Decretali Clementii III. Archiepiſcopo Caſſilienſi in Hibernia reſcripta.*

AD hæc ex parte tua noſtris auribus eſt relatum: (& infra.) Quod a nobis Frat. tua requiſivit, an a Pontificibus generati valeant ad Sacros Ordines promoveri, ſi ſcientia fuerint, & morum honeſtate probabiles: ſciat Frat. tua, quod ſi ex legitimo ſunt matrimonio procreati, nec aliud canonicum obviat, licite poſſunt ad Sacros Ordines aſcendere, & in eiſdem Eccleſiis, in quibus præſunt, vel præfuerunt genitores eorum, beneficium obtinere.

Huic Decretali, permittenti, filium legitimum Epiſcopi obtinere poſſe beneficium in Eccleſia, in qua pater præeſt, vel præfuit, non facta reſictione, an idem, vel diverſum obtinere poſſit, nulla media intercedente perſona, derogatum eſt a Trid. ſeſſ. XXV. cap. VII. de reform. id prohibente, ſi immediate ſuccedat in eodem, ad tollendam imaginem hæreditariæ ſucceſſionis. Textum leges part. II. cum de eod. cap.

SECTIO CXXIV.

Caput XIII. Michael, *ex Decretali ejuſdem Clementii, ignotum, cui ſcripta.*

MIchael Presbyter de S. Germano, tranſmiſſa nobis conqueſtione monſtravit, quod cum Eccleſiam Sancti I. de Corona tuæ diœceſis canonice ſit adeptus, M. filius Antonii, qui proximo ante ipſum Eccleſiæ habuit perſonatum, ad ſe Vicariam ipſius aſſerit pertinere: (& infr.) Frat. tuæ mandamus, quatenus, ſi conſtiterit tibi, ipſum M. fuiſſe filium Antonii, qui ejuſdem Eccleſiæ habuit proximo perſonatum, ei ſuper eadem Vicaria perpetuum ſilentium imponere non poſtponas.

Hæc Decretalis, idem admittens, ac Decretalis, relata in *cap. VII. Ex tranſmiſſa, & cap. XI. Ad extirpandas*, abrogata eſt, ut ibidem notavi Sect. CXX. & CXXII.

SECTIO CXXV.

Caput XV. Cum decorem, *ex Decretali Innocentii III. ignotum, cui reſcripta.*

CUM decorem domus Dei: (& infra.) Filiis Canonicorum præbendas in eiſdem Eccleſiis conferri non ſinatis, quarum ſunt Canonici patres eorum: cum indecorum ſit, ut in Altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo Unigenitus Dei Filius æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur.

SE-

SECTIO CXXVI.

Caput XVI. Ad abolendam, *ex Decretali, deſumpta ex Can.XXXI. Concilii generalis Lateran.IV. celebrati ſub eodem Innocentio III. an. 1215.*

Ad abolendam peſſimam, (quæ in pluribus inolevit Eccleſiis) corruptelam, firmiter inhibemus, ne Canonicorum filii, maxime ſpurii, Canonici fiant in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres eorum. Et ſi fuerit contra præſumptum, decernimus non valere. Qui vero tales (ut dictum eſt) canonicare præſumpſerint, a ſuis beneficiis ſuſpendantur.

Cum in his duabus Decretalibus prohibeatur Epiſcopis, ne ſinant filiis illegitimis conferri præbendas, & canonicatus in iis Eccleſiis, in quibus eorum patres inſtituti ſunt, infertur ex contrario ſenſu, conferri poſſe in aliis. Verum ex ſequenti Decretali Gregorii IX. relata in *cap.XVIII. Nimis, hoc eod. tit.* ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi dignitates, & beneficia obtinere non poſſunt.

Nimis in tua provincia Eccleſiæ deformatur honeſtas, ex eo, quod filii Sacerdotum, & alii non legitime nati, ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia, curam animarum habentia, ſine diſpenſatione Sedis Apoſt. promoventur. Quocirca mandamus, quatenus prædictis perſonis a perſonatibus, & dignitatibus, & hujuſmodi beneficiis prorſus amotis, ea perſonis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipſorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præſumatur, diſtrictius inhibemus.

Ex Conſtit. Gregorii XII. *Etſi 11. Novembr.* 1374. diſpenſatio papalis obtenta ab illegitimis in forma generali, iiſdem non ſuffragatur, ut poſſint eſſe Canonici Baſilicarum S. Joannis in Laterano, S. Petri, & S. Mariæ Majoris, niſi in ea facta fuerit ſpecialis mentio harum Eccleſiarum.

SECTIO CXXVII.

Caput XVII. Dilectus filius, *ex Decretali Honorii III. Decano &c. Tornacenſis Diœceſis ſcripta.*

Dilectus filius G. Præpoſitus S. Mariæ, tranſmiſſa nobis petitione monſtravit, quod cum Virgilius Presbyter, quandam Eccleſiam, curam animarum habentem, quam nullo medio habuit pater ejus, obtinuit, ipſum monuit, ut reſignaret eandem: ſed idem aſſerens, quod H.Remen. Archiepiſcopus, tunc Apoſt. Sed. Leg. diſpenſavit cum eo, id efficere contradicit. Quocirca mandamus, quatenus, non obſtante diſpenſatione aliqua, quæ a Sede Apoſtolica non manaverit, quod canonicum fuerit (appellatione poſtpoſita) ſtatuatis.

Hæc Decretalis, idem admittens, ac Decretalis relata in *cap.VII. Ex tranſmiſſa*, abrogata eſt a Clemente VII. ut ibi notatum eſt Sect.CXX.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CXXVIII.

Caput I. Is, qui, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Is, qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt (ſi ei aliud canonicum non obſiſtat) ad Ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari. Ad Ordines quoque majores, vel beneficia, curam animarum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus diſpenſare ſine diſpenſatione Sed. Apoſt. promoveri non poteſt.

Ille vero, cum quo per Sedem diſpenſatur eamdem, ut (præmiſſo non obſtante defectu) valeat ad beneficium, etiamſi curam animarum habeat, promoveri: nequit prætextu diſpenſatio-

tionis hujuſmodi (quam exorbitantem a jure oportet, veluti odioſam, reſtringi) niſi unicum beneficium obtinere.

Huic Decretali nihil quidem novi acceſſit, ſed quæri poſſet, an hodie, ſi defectus natalium eſſet occultus, Epiſcopus in vim *cap. VI. Con. Trid. ſeſſ. XXIV. de Refor.* diſpenſare queat ad Ordines majores, & beneficia curata ſuper hac irregularitate.

Planum eſt negativum reſponſum ex ipſomet Tridentini textu, tribuente quidem facultatem Epiſcopo, diſpenſandi ſuper quacumque occulta irregularitate, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, ſed proveniente dumtaxat ex delicto, non ex defectu, qualis eſt defectus natalium, qui non provenit ex delicto proprio, ſed parentum.

SECTIO CXXIX.

CAPUT II. SI IS, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

SI is, cum quo fuit per Sedem Apoſtol. diſpenſatum, ut, non obſtante defectu natalium, quem patitur, ad omnes Ordines promoveri valeat, & obtinere beneficium, etiamſi curam habeat animarum, diſpenſationem aliam (tacito de prædicto defectu) poſtmodum obtineat a Sede præfata, ut duo, aut plura beneficia, ſimilem curam habentia, poſſit recipere, ſi ei alias canonice conferantur, & ea ſimul licite retinere: talis diſpenſatio, (cum non ſit veriſimile, Sedem ipſam cum illo prædictum patiente defectum voluiſſe, ſi hoc fuiſſet expreſſum, eidem in pluralitate beneficiorum hujuſmodi diſpenſare) veluti per ſubreptionem obtenta, nullius penitus eſt momenti.

Super retentione plurium beneficiorum curatorum hodie certe S. Sedes non diſpenſaret, attento ſequenti decreto Trident. cui ita facile derogare non ſolet *cap. IV. ſeſſ. VII. de Refor.* ibi.

Quicumque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia eccleſiaſtica, ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo, contra formam SS. Canonum, & præſertim Conſtitutionis Innocentii III. quæ incipit *De multa*, recipere, aut retinere præſumpſerit; beneficiis ipſis, juxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo juse, etiam præſentis Canonis vigore, privatus exiſtat.

Vide etiam *cap. XIII. ſeſſ. XXIV. de Refor.*

Titulus XVIII. De Servis non ordinandis, & eorum Manumiſſione.

SECTIO CXXX.

Ex integro hnc titulo palam fit, uſque ad Gregorium IX. qui Pontificatum geſſit ab an. 1227. ad 1240. adhuc viguiſſe ſervitutem, irregularitatemque illi affixam, ob quam ſervi, (ii nempe, qui ex conſtitutione gentium, & quidem tyrannica potius, quam juridica, alieno dominio contra naturam ſubjiciuntur) ad Ordines promoveri prohibebantur: quos etiam Eccleſia habere conſueverat, licet non tam ſtricto vinculo, quam apud ſæculares dominos, ut docet Innocentius III. in *cap VI. Eo libentius, hoc eod. tit.* Verum deinceps ſervitutes penitus extinctæ fuerunt, in cujus extinctionis teſtimonium Thomaſſinus *de nova, & veteri Eccleſiæ diſciplina parte II. lib. I. cap. LXXIV. n. 5.* hæc habet — *Altum deinceps in jure canonico ſilentium de ſervitute, & de appicta ei irregularitate. Quin ex adverſo Clemens IV. cum reſciviſſet anno 1266. a Bela Hungariæ Rege rejici Epiſcopum Regni ſui, ea de cauſa, quod origine ſervus eſſet, inclementer ad eum reſcripſit, pro nihilo reputanda hæc jam eſſe diſcrimina, quæ inter homines alius ab aliis humana commenta eſt imprudentia, impareſque eſſe voluit, quos Deus coæquaverat: hominum voluntate præſcribi non potuiſſe contra naturam, quæ humanum genus omne libertate donavit. Denique, quanquam Præſulem illum certo conſtaret, origine ſervum fuiſſe, eam ignobilitatem Pontificatus gloria, & ſplendore abſorptam, devoratamque ita fuiſſe, ut ne memoria quidem ejus ſupereſſe deberet. Nec ei poteſt obeſſe originalis ſervitus, etſi de ipſa conſtaret, quam dignitas epiſcopalis abſorbuit, & eliſit* —.

His ſucceſſere ſervi adſcriptitii, qui domini glebæ, ſeu fundo colendo perpetuo adſcripti, operas ſuas perſonaliter præſtare tenentur; & originarii, ex his nimirum orti, & utrique alio nomine homines proprii dicuntur, prout adhuc hodie, tamquam antiquæ ſervitutis veſtigia, reperiuntur in Pomerania, Weſtphalia, Polonia, & Boemia, ad quos antiquam juris canonici diſpoſitionem de ſervis non ordinandis extendi aſſerit Engel hoc tit. — *juxta tamen terminos habiles, & quantum fieri poteſt, ſaltem ad intereſſe domino reſarciendum . . . & praxis eſt, ut tales homines conſenſum ſuorum dominorum, vel aliquam manumiſſionem, id eſt liberationem in ſcriptis Epiſcopo exhibere debeant* —. Ex Conſtit. S. Pii V. *Dignum 5. Id. Septemb.* 1566. mancipia, quæcum-

cumque ſub jugo ſervitutis quomodolibet alligata, chriſtianam Religionem prius amplexa, confugientia ad Senatum Cameræ Urbis, ejuſque Conſervatores, & libertatem acclamantia, eamdem conſequuntur, & romani cives, liberique homines in omnibus efficiuntur. Idem prius ſtatuerat Paulus III.

Titulus XIX. De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

SECTIO CXXXI.

CAPUT UNICUM MAGNUS EPISCOPUS, *ex Decretali, deſumpta a Concilio I. Carthaginen. celebrato an. 348.*

MAgnus Epiſcopus Auguſtinus dixit; quid dilectioni veſtræ videtur, procuratores, actores, executores, ſeu curatores pupillorum, ſi debeant ordinari? Gratus Epiſcopus dixit: ſi poſt depoſita onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipſorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei (ſi poſtulati fuerint) honore munerari: ſi enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Eccleſia infamatur, univerſi dixerunt; recte ſtatuit Sanctitas veſtra, ideoque iſta eſt noſtra ſententia.

Hujus Decretalis prohibitionem Sixtus V. extendit etiam ad recipiendos ad habitum, & poſſeſſionem regularem Conſtit. *Cum de omnibus 26. Nov. 1687.* & *Ad Ramanum 21. Octob.* 1588. in quibus ſtatuerat, ut nemo ad Religionem quamcumque, nempe virorum, recipiatur, niſi præcedente ſcrutinio, & informatione de vita, & moribus; & quod conſtet, eum neque ære alieno ingenti ſupra vires facultatum ſuarum gravatum eſſe, neque reddendis ratiociniis ita obnoxium, ut ex hujuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eidem illata ſit, vel timendum, ne inferatur: & ſi qui aliter admiſſi fuerint ad habitum, vel profeſſionem, admiſſio, & profeſſio ſit irrita, & expellantur, Religioſi autem quicumque, eorumque Superiores contra prædicta admittentes, incurrant eo ipſo privationem vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, graduum, dignitatum, honorum, & inhabilitatem ad hujuſmodi.

Et licet has Conſtitutiones quoad nullitatem profeſſionis moderaverit Clemens VIII. Conſtit. *In ſuprema 2. Aprilis* 1602., informationem tamen illam præmitti debere voluit ad licitam receptionem; pœnas vero præfatas reſtrinxit ad ſolos Superiores, admittentes contra formam præfatam Sixti V. non tamen locum habere voluit contra alios ſubditos, ut Definitores, & Capitulares, ſuffragium dantes, ut illicita fiat admiſſio ad habitum, vel profeſſionem.

Titulus XX. de Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

SECTIO CXXXII.

CAPUT I. DE PRESBYTERO, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Salernitano reſcripta.*

DE Presbytero Campaniæ, qui duellum ſponte obtulit, & oblatum ſuſcepit, & in eo partem digiti amiſit: reſpondemus, quod cum ipſe non perdiderit tantum de digito, quin ſine ſcandolo poſſit ſolemniter celebrare, ſatis potes poſt peractam pœnitentiam cum eo miſericorditer agere, & permittere, ipſum in ſuo Ordine miniſtrare, licet ejus exceſſus gravis admodum extitiſſet.

Anhodie ſatis ſit injunctio, & adimpletio pœnitentiæ ad hoc, ut Epiſcopus diſpenſare poſſit ſuper hujuſmodi irregularitate, occaſione initi duelli contracta, vide notanda ad cap. I. *Porro de Cleric. pugnan. in duello lib. V.*

SECTIO CXXXIII.

CAPUT II. CUM DE TUA, *ex Decretali ejuſdem Alexandri ad Epiſcopum electum Ciceſtrenſem in Anglia.*

CUM de tua electione quæſtio mota fuiſſet, (& infra.) Tibi, quod in oculo maculam habeas, & filius Canonici fueris, eſt objectum: unde Cantuarienſ. Archiepiſcopo dedimus in mandatis, ut pro eo, quod Canonici filius diceris, in promotione tua ex multa diſpenſatione

procedat. De macula vero, Archiepiſcopo prædicto mandavimus, ut cum conſilio Suffraganeorum ſuorum, quod exinde viſum fuerit, exequatur, in quo tibi ex maxima diſpenſatione curavimus providere.

In hac Decretali ideo Pontifex mandat Archiepiſcopo, ut de conſenſu Epiſcoporum Suffraganeorum ferat judicium, an macula, quam iſte Epiſcopus electus in oculo habebat, irregularitatem induceret, quia tunc temporis electio Epiſcoporum remittebatur examinanda, & confirmanda judicio Metropolitani, & Suffraganeorum; quod jus deinde ſub initio ſæculi XIII. poſt evulgatas Decretales Gregorii IX. ex ipſis Decretalibus conſtat devolutum fuiſſe ad ſolum Metropolitanum; idque inductum, & receptum eſſe credit de Marca *de concordia Sacerdotii, & Imperii lib. VIII. cap. VIII.* ob difficultatem congregandi Epiſcopos comprovinciales. Verum hodie bujuſmodi examinatio, & confirmatio privative ſpectat ad Rom. Pontificem, ut alibi notavi.

Cæterum ſolius Epiſcopi judicio, etiam ex praxi Apoſtol. Sedis, relinquitur, quænam deformitas, aut corporis defectus ſufficiat ad inducendam irregularitatem. Et quamvis circa defectum ſtaturæ parvæ nihil præciſe in jure ſtatutum legatur, cum tamen regula generalis ſit, quod ille defectus irregularitatem inducat, qui congruum Ordinis exercitium impedit, aut notabilem deformitatem, horrorem præſeferentem, & ad riſum moventem, hic etiam defectus remittitur examinandus judicio Epiſcopi, ut ex decreto Congregat. Conc. in *Mexicano* 12. Julii 1721. relato in Theſauro Reſolutionum dictæ Cong. *tom.* II. *pag.* 15. *&* 41.

Staturæ parvæ fuit etiam Paulus Apoſtolus, atque adeo, ut Joannes Chryſoſtomus eum appellaverit *Tricubitalem*: ſic S. Hieronymus, ſic S. Antoninus, qui propterea hoc diminutivo nomine appellatus fuit; ut legitur apud Theophilum Raynan. *tom. XIII. in opere, cui titulus Laus Brevitatis pag. mihi* 485.

Nota, quod quamvis Cong. Concil. licentiam impertiri ſoleat, ut poſtquam quis promotus eſt ſanis oculis ad Presbyteratum, & deinde cæcutiens evaſerit, ſed non omnino cæcus remanſerit, diebus feſtis, ac duplicibus Miſſam votivam B. Virginis, diebus autem profeſtis, pro Defunctis celebrare poſſit cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, numquam tamen conceſſiſſe reperitur facultatem Subdiacono, vel Diacono notabiliter cæcutienti, etſi non omnino cæco, ut promoveri poſſit ad Sacerdotium. Cæcus autem omnino ex decreto ejuſdem Cong. relato a Benedicto XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. XXXIV.* §. *II.* neque admitti poteſt ad primam Tonſuram, ut eccleſiaſtici beneficii capax reddatur.

Titulus XXI. De Bigamis non ordinandis.

SECTIO CXXXIV.

Caput I. Ut Bigami, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Arelatenſi III. juxta Gonzalez.*

Ut Bigami, pænitentes, vel repudiatarum mariti ad Sacerdotium non aſcendant.

De hac ſpecie irregularitatis ex pœnitentia provenientis, teſte cit. Gonzalez, in toto Decretalium Gregorii IX. volumine alius non legitur textus ita expreſſus, ut iſte: quæ ideo bigamis imponebatur, ut animadvertit Baronius ad an. 314. *num.* 91. *non quod ſecundum matrimonium contrahendo peccent, ſed quod ſuam ipſius incontinentiam manifeſtant, & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium inſtituta eſt, licentius uſurpent* — Verum idem hic textus quoad irregularitatem ex pœnitentia provenientem, hodie non amplius locum habet: ſiquidem, ut Gloſſa hic, & Canoniſtæ communiter, intelligitur de pœnitentia ſolemni, peracta juxta diſpoſita in *Can. LXIII. In capite Quadrageſimæ diſtin. L.* a Gratiano Concilio Agathenſi tributo, (ſed illius verba ſunt potius Reginonis, ut probat Berardus *ad Canones Gratiani tom. I. cap. XXIII.* quam pœnitentiam demonſtrat Thomaſſinus *de veter. & nova Eccleſiæ diſcipl. parte I. lib. II. cap. VII. num.* 14. *&* 15. in Oriente deſiiſſe a ſæculo V. ineunte; in Occidente vero incæpiſſe eſſe rariſſimam circa finem ſæculi XII. quæ hodie penitus exolevit.

Adhuc tamen in uſu eſt pœnitentia publica pro aliquibus publicis delictis, quæ licet ante ſæculum XIII. reputata fuerit eadem, ac ſolemnis, tamen hoc eodem ſæculo primum incæpit pro diverſa haberi, Morinus *lib. V. & cap. XXV.*, & hanc injungi oportere declaravit etiam Conc. Trid. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VIII. *de Refor.* Juxta hanc Trident. ſanctionem praxis eſt Sedis Apoſtol., ut in diſpenſationibus matrimonialibus ob prævium inceſtum, mandet executori, ſeu Commiſſario ſuarum literarum, antequam oratores inceſtuoſos diſpenſet ad contrahendum matrimonium, publicam illis pœnitentiam imponat — *quæ alios deterreat a ſimilibus committendis* — Relinquitur autem eidem Commiſſario determinanda pœnitentia in ſpecie pro perſonarum, locorum, & criminis circumſtantiis; ſed talis eſſe debet, ait Corradus *lib.* VIII. *cap.* VI. *num.* 7. — ut omnibus fere locis, ſeu oppido, aut civitati, ubi ipſos oratores hujuſmodi pœnitentiam peragere contingit, innoteſcat — & num 9. teſtatur conſuetudine introductum, ut pro hujuſmodi inceſtu, & exceſſibus in pluribus mundi partibus talis ſceleris reis, vigore dictarum literarum injungatur, ut dum Miſſa ſolemnis celebratur in Eccleſia parochiali, oratores, tam vir, quam fœmina teneat in ſuis manibus candelam accenſam, & num. 15. & 16. dictam pœnitentiam impoſitam tam civilibus, quam vilibus perſonis, nec redimi poſſe pecunia, nec per aliam perſolvi — quod quidem optima ratione ſervatur; quia juxta dictum Iſidori, nullam reus pertimeſcit pœnam, quam ſcit pecunia poſſe redimere per textum in

in *Can. Pauper cauſ.*XI. *q.*3 debent enim qui tale ſcelus perpetrarunt, caſtigari pœnitentiis ſalutaribus, & afflictivis, quæ non debent in aliud gravamen commutari; cum non ſint res, quæ delinquunt, ſed ipſæ perſonæ, & ſic non debent puniri burſæ, ubi ſunt homines puniendi; quia crimina non ſic debent tranſire impunita. Nec eſt in poteſtate Commiſſarii ad matrimonii contrahendi diſpenſationem procedere, niſi prius pœnitentia ab eo injuncta peracta fuerit etiamſi (proſequitur cit. Corradus *num.*53.) orator quoad operam ſuam conferendam voluit præſtare, quantumcumque idoneam cautionem de ea conferenda poſt contractum matrimonium, quia ſicut Ordinis ſuſceptio non debet concedi clerico in publica pœnitentia exiſtenti, ita ad matrimonium tranſire non permittitur, ipſa pœnitentia durante, ut habetur *in Conc. Arelatenſi* II. *can.* XXI.

Theſaurus de pœnis *par.*I. *cap.*II. *&* *cap.*IV. *verbo Homicidium* contra Navarrum, teſtatur, quod etiam S. Pœnitentiaria interdum cogit pœnitentes pro publicis, & ſcandaloſis delictis acceptare publicam pœnitentiam, etiam ſub cautione præſtiti juramenti de ea peragenda: non autem Clericos, ſi pœnitentia eſt ignominioſa, quibus, nec imponi poterat pœnitentia ſolemnis.

Si autem quæras, an quis poſt publicam pœnitentiam peractam, licet non ſolemnem, quæ hodie, ut dixi, obſolevit, fiat irregularis, itaut promoveri nequeat ad Ordines ſine diſpenſatione: dico cum cit. Theſauro *par.*I. *cap.*XXXIII. §. *Tertio pœnitentia* Pœnitentia autem publica non ſolemnis, ſi imponatur propter crimen famoſum, & ita, ut notoria ſit cauſa, ſeu crimen, infamat: ſi autem propter ſuſpicionem delicti, vel ob ſcandalum, non infamat, *Gennen. cap.XXXV. num.* 5. *verſu Non obſtat, quod poſt purgationem*, & Rota *par.*II. *recen. deciſ.XXI. num* 2. Pœnitentia igitur, ſolemnis redderet infamem, etiamſi non eſſet notoria cauſa, quia non niſi pro graviſſimis criminibus imponitur a jure canonico, ut *Biaz ibi Tolet. lib.*I. *c.*LXIII. §. *Quarto ob defectum animæ, text. in Can. Placuit in fin. L. diſtinct. cap. ult. XXVI. q. VI.* at pœnitentia publica, etiam pro levioribus imponi poteſt. Verum ſi ſit quis pœnitentiatus publice ob ſuſpicionem criminis famoſi, ut hæreſis; tunc, ſi cauſa hujus ſuſpicionis fuit publica, erit infamia facti effectus *Gennen. dict. cap.*XLV. *num.*5. quæ infamia facti non efficit irregularem, irregularitate proprie dicta, ſed improprie dicta, quia impedit, ne quis ad Ordines, aut beneficia promoveri licite poſſit: valida tamen erit proviſio, ſed eſt caſſanda. *Garzias de Ben. p.*VII. *cap.*VIII. *num.*47. *&* 48. cum DD. ibi alleg. ſed tollitur infamia hæc per triennalem conſtantem vitæ emendationem, ut *Gennen. ibi Salycet. in leg. Si minorem num.*2. *cod. de in integ. reſt. min. Clarus* §. *final. quæſt.*XXI. *num.*1. *in fin.* Item tollitur per purgationem canonicam, vel per diſpenſationem, ut *Sanch. opuſc. lib.*VI. *cap.*III. *dub V. in fin.* cum ibi alleg. Purgatio autem canonica hodie jam fere tota receſſit ab aula, ut dicam infra, cum de eodem tit.

SECTIO CXXXV.

Caput II, Super eo, *ex Decretali Lucii III. Archiepiſcopo Spalatrenſi in Sclavonia, reſcripta, juxta Gonzalez.*

Super eo, quod tua fraternitas de bigamis requiſivit: reſpondemus, quod Ordinatores eorum poteſtate, & officio ordinandi, & ordinati, ſi ad ſacros Ordines fuerint promoti, eis ideo ſunt privandi, quia in bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros Ordines promoveri, vel in eis, ſi promoti fuerint, remanere. In Ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, ut ordinandi poteſtate, & officio non privetur.

In hac Decretali, ſicut etiam in mox allato capitulo I. & cap. III. de bigamis, deſumpto ex Decretali Cæleſtini III. ac cap. IV. *Nuper* ex Decretali Innocentii III. *hoc eod. tit.* ſtatuitur, quod bigami nequeant ad ſacros dumtaxat Ordines promoveri, & ſi jam promoti fuerint, nec in iis miniſtrent. Verum hodie ex Decreto Conc. Trid. neque promoveri poſſunt etiam ad minores, eorumque miniſteria exercere, ſi in iiſdem conſtituti reperiantur, ut *cap.*XVII. *ſeſſ.* XXIII. *de reform.* ibi.

Quod ſi miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præſto non erunt, ſuffici poſſint etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei; & qui Tonſuram, & habitum clericalem in Eccleſia geſtent.

Immo iidem bigami neque initiari poſſunt prima Tonſura, ut declaravit Cong. Conc. 28. Jan. 1587. approbante Sixto V. ut in poſitione LIV. ad cit. cap. XVII. Trident.

Præterea nedum arcentur ab eorum exercitio, ſed etiam privati ſunt omni privilegio clericali, ut definivit ſequenti Decretali relata in cap. unic. *Altercationis, hoc eod. tit. in VI.* Gregorius X. *in Concil. Lugdunenſi II. celebrato an.* 1274.

Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio clericali declaramus eſſe nudatos: & coercioni fori ſæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante, ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre Tonſuram, vel habitum clericalem.

Et

Et quamvis hæc Gregorii Decretalis indiſtincte loquatur de bigamis, itaut intelli poſſit de conſtitutis tam in ſacris, quam in minoribus, non tamen juxta communem, & veriorem Canoniſtarum ſententiam extenditur ad ſacris inſignitos, rationemque differentiæ aſſignat Fagnanus ad *cap. Nuper hoc eod. tit. num.* 39. ibi — Ratio differentiæ eſt, ut inquit *Gemin.* ibi num. 6. quia in minoribus conſtitutus ſic contrahendo matrimonium, cum ad ſęculum redeat, & non remaneat perſona eccleſiaſtica, privatur fori privilegio; ſed conſtitutus in ſacris, cum propter characterem Ordinis ſacri non poſſit ad ſæculum redire, nec deſinere eſſe perſona eccleſiaſtica, retinet privilegium fori, & *Joan. de Fran.* ibidem eamdem rationem aſſignans, dicit non eſſe juſtum, nec æquum, ut conſtituti in ſacris, in pœnam bigamiæ exuantur privilegio clericali, cum jam religati divino obſequio, ad laicalem ſtatum redire non valeant —.

Dicto privilegio ex decreto ejuſdem Congregat. in *Biſignanen. 2. Decembr. 1617. & 1619. lib. Decretorum* XI. *pag.* 205. *& lib.* XII. *pag.* 10. nudatus eſt etiam græcus bigamus, quacumque conſuetudine non obvante -

Nec audiendi ſunt, qui ſenſerunt, poſſe bigamum bigamiæ veræ, & interpretativæ ab Epiſcopo diſpenſari, ut hoc privilegio frui poſſit; propoſito ſiquidem dubio laudatæ Congreg. an bigamus ex matrimonio cum vidua contracto, qui ante illud minoribus Ordinibus erat initiatus, poſſet ab Epiſcopo diſpenſari, ut habitum clericalem reaſſumeret, & clerici conjugati privilegiis gauderet, die 21. Maii 1644. in Lancianen. lib. XVII. Decretor. pag. 821. reſpondit, *recurrere debere ad Sedem Apoſtolicam*.

Non deſunt tamen Canoniſtæ, & quidem plurimi, hanc diſpenſandi facultatem cum minoriſtis Epiſcopo adſtruentes, ſi irregularitas ex bigamia tam vera, quam interpretativa proveniens, ſit occulta, in vim Tridentini decreti in *cap.* VI. *ſeſſ.* XXIV. *de refor.*

Verum viderint Epiſcopi, an revera dictum decretum locum habere poſſit in hujuſmodi irregularitate, quæ ex delicto non provenit; cum cæteroqui Concilium clare declaret, eis licere — *in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto provenientibus* — dumtaxat — diſpenſare — ut etiam notavi ſupra ad cap. I. *Is qui tit. de filiis Presbyteror.* Sect. CXXVIII.

Ex Conſtit. Sixti V. *Sanctum, & ſalutare* 5. Januar. 1588. Ordinantes bigamum incurrebant ſuſpenſionem ipſo facto — a quorumcumque Ordinum collatione, atque etiam ipſius Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium — ac interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Ordinati vero declarati fuerunt ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores Ordines, earumdem ſuſpenſionum abſolutione Papæ reſervata. Sed hæc Conſtitutio revocata, & redacta fuit ad terminos juris communis a Clemente VIII. ut dicam infra *lib. V. tit.* XXVIII. *de Clerico per ſaltum promoto.*

Unde hodie juxta Fagnanum, & DD. communiter, ſuſpenſio Ordinantia bigamum eſt ferendæ ſententiæ, ſicuti & inhibitio facienda ordinato, ne ſe gerat pro Clerico; ſi tamen in utroque reſpective præſumptio adfuerit.

In bigamia vero ſimilitudinaria v. g. ſi Clericus in ſacris, vel Monachus matrimonium attentatum cum virgine conſummavit, diſpenſare poteſt Epiſcopus, & Prælatus regularis ad exercitium Ordinum, poſt peractam tamen pœnitentiam: cum hoc non oriatur ex defectu, ſed ex delicto, ut *cap.* IV. *Sane de Cleric. conjug. & cap.* I. *Qui Clerici, vel voventes*.

Titulus XXII. De Clericis peregrinis.

SECTIO CXXXVI.

CAPUT I. TUA NOS, *ex Decretali Alexandri III. Guillelmo Epiſcopo Cenomanenſi reſcripta.*

TUa nos duxit fraternitas conſulendos, quid ſit agendum de Clericis, qui in remotis regionibus ordinati, literas eorum oſtendunt, a quibus ſibi proponunt manus impoſitas, & utrum Epiſcoporum ſigilla ſint, quæ repræſentant, incertum exiſtit. Tuæ igitur conſultationi reſpondemus, tutius eſſe, ut in his ſtatuta Patrum veterum obſerventur, quam novum aliquid ſtatuatur. Statutum autem eſt de tranſmarinis, ut ad minus quinque Epiſcoporum ſuper ordinatione ſua teſtimonio muniantur, quod in aliis (ſi ſimiliter ſunt incogniti) credimus obſervandum, ita tamen, ut in ſuſpenſione aliquanto tempore habeantur, in quo plenius de actibus inſtruantur ipſorum. Sed & de inferioribus Ordinibus inquiri oportet, quia poſſet contingere, ut aliquibus prætermiſſis ſaltum feciſſent. His autem peractis, ſi digni inventi fuerint, circa eos poterit diſpenſari.

Rigor hujus Decretalis, in qua ſtatuitur, attendendum eſſe teſtimonium quinque Epiſcoporum, circa validitatem literarum dimiſſorialium, in quibus Ordinarii teſtentur, Clericos peregrinos a ſe ad Ordines fuiſſe promotos, ut iiſdem Clericis receptorum Ordinum miniſterium, potiſſimum Presbyteratus, permitti poſſit, hodie valde temperatus eſt; Concilium enim Trident. poſtquam *cap.* XXII. *In Decreto de obſervan. in celebr. Miſſar.* præceperat Epiſcopis, ut in ſuis diœceſibus interdicerent, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miſſam celebrare liceret, in *c.* XVI. *ſeſſ.* XXIII. *de refor.* nihil aliud ad id ab eo exigendum ſtatuit, quam, ut munitus eſſet literis commendatitiis ſui Ordinarii ibi.

Nul-

Nullus prætérea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.

Quod ſi nec character, nec ſigillum Ordinarii aliquo modo notum ſit, nullatenus erit admittendus ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda. Immo ſine dictis literis, nec admittendus eſt etiam apud Regulares exemptos, quibus Epiſcopus prohibere poteſt, etiam cum cenſurarum inflixione, ne in ſuis Eccleſiis permittant Sacerdotibus exteris Miſſam celebrare, niſi prius hi ab eodem Epiſcopo, viſis eorumdem literis commendatitiis, admiſſi fuerint, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis a Benedicto XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. XXXIV.* §. 1. *& lib. IX. de Synod. Diœc. edit. 1755. cap. XV. num. 5.*

Epiſcopus autem eaſdem literas denegare nequit, ſi petantur ex cauſa rationabili v.g. propter ſalutiferam peregrinationem, domicilium, vel diœceſim mutandam, ut eadem Cong. reſpondit in *Seguen. Decretor. 22. Novembris 1749.* ad ſequens dubium, primo loco ſibi propoſitum, prout legitur in Theſauro Reſolutionum dictæ Cong. — *An Decretum Epiſcopi factum in viſitatione, quo prohibetur, ne Clerici diſcedant a diœceſi ſine licentia ejuſdem Epiſcopi in ſcriptis habenda ſub pœna ſuſpenſionis, ſuſtineatur?* Et quatenus affirmative: *An liceat dicto Epiſcopo ſine juſta cauſa diſceſſum denegare in caſu &c.* — Ad I. *affirmative ad primam partem in caſu, de quo agitur. Negative ad ſecundam, & amplius* —.

SECTIO CXXXVII.

Caput II. Inter quatuor, *ex Decretali Innocentii III. reſcripta Patriarchæ Conſtantinopolitano.*

INter quatuor, (& infra.) Conſuluit nos iterum tua fraternitas, utrum Clericos, ad te ſine ſuorum Ordinatorum literis venientes, & offerentes juramentum, quod ſint in quovis eccleſiaſticorum Ordinum conſtituti, debeas ad ſuperiores Ordines promovere. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod niſi de ipſorum ordinatione canonica, per idonea tibi conſtiterit argumenta, eos nec in illis ſuſcipere, nec ad majores debes Ordines promovere; præſertim antequam converſatio eorum fuerit approbata.

Ex ſenſu contrario hujus Decretalis deducitur, poſſe Epiſcopum promovere ad ulteriores Ordines Clericos peregrinos, ſi ei per legitima documenta conſtiterit ab eorum Ordinariis ad anteriores jam fuiſſe promotos.

Verum, cum hodie id non ſatis ſit, ſed requiratur, ut, aut ordinentur a proprio Epiſcopo, aut etiam ab alio, prævia tamen licentia proprii Epiſcopi, & cum ejus literis dimiſſoriis, ut jam ſupra oſtendimus; ideo hujuſmodi Innocentii ſanctioni penitus derogatum eſt.

SECTIO CXXXVIII.

Caput III. Tuæ fraternitatis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Patriarchæ Hieroſolymitano reſcripta.*

TUæ fraternitatis, (& infra.) Utrum Clericos, qui ad partes hieroſolymitanas ſine commendatitiis literis veniunt, permittere debeas celebrare divina, (& infra.) Reſpondemus, quod niſi legitime tibi conſtiterit, ſive per literas, ſive per teſtes, de illorum ordinatione canonica, qui penitus ſunt ignoti, non debes ipſos permittere in tuis plebibus celebrare. Sed ſi forſitan eorum aliqui ſecreto ex devotione celebrare voluerint, poteris ſuſtinere.

Huic Decretali, permittenti Sacerdotem ignotum, deſtitutum vel literis dimiſſoriis, vel teſtium depoſitione, aſſerentem a proprio Ordinario ſe ad Presbyteratus Ordinem eſſe promotum, ſecreto Miſſam celebrare poſſe ex devotione, derogatum eſt a Tridentin. ut mox dixi Sect. CXXXVI.

Verum tamen eſt, quod ſi caſu aliquo, v. g. injuria belli, naufragio, vel ſpoliatione latronum dictas literas amiſerit, admitti poterit teſtium teſtimonium, de ipſius ordinatione deponentium, dummodo ſint fide digni; *Reiffenſt. & Engel. hoc eod. tit.* Quod ſi, nec per teſtes haberi poſſit, admitti poterit illius juramentum, expetendum tamen ab Epiſcopo, potiſſimum ſi ad loca ſancta, ſeu ad aliquod celebre Sanctuarium acceſſerit, & celebrare velit ex devotione; cum tunc de nullius præjudicio ageretur, nec de ſuſpicione dubitari poſſet. Quamvis enim in ſupra allato cap. *Inter quatuor* ſtatuatur, non eſſe attendendum dictum juramentum: cum tamen ibi ſermo ſit de juramento ſponte oblato ab ipſo Sacerdote, non vero ab Epiſcopo exacto, hoc non intelligitur interdictum.

Nota, quod ſi Sacerdos celebraret ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi, & ſine licentia Epiſcopi loci, in quo ad tempus aliquod moratur, nullam pœnam latæ ſententiæ, aut irregularitatem incurret, dummodo aliquo canonico impedimento non ſit irretitus; eum id in jure expreſſum non reperiatur.

Ti-

SECTIO CXXXIX.

CAPUT I. UT ARCHIDIACONUS, *ex Decretali, quæ aſſeritur deſumpta ex libro Ordinis Romani.*

UT Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat, ſe Vicarium eſſe ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in Urbe poſitorum, quam eorum, qui per paræcias habitare noſcuntur) ad ſe pertinere, ſive de eorum converſatione, ſive honore, & reſtauratione Eccleſiarum, ſive doctrina eccleſiaſticorum, vel cæterarum rerum ſtudio: & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt. Et ut de tertio in tertium annum, ſi Epiſcopus non poteſt, parœciam univerſam circumeat, & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem ſui Epiſcopi corrigat, & emendet.

Huic Decretali, tribuenti Archidiacono facultatem viſitandi diœceſim quolibet triennio, impedito Epiſcopo, derogatum eſt, nedum a contraria conſuetudine, ſed etiam a Tridentino *ſeſſ. XXIV. cap. III. de refor.* præſcribente, viſitationem ſingulis annis faciendam eſſe per Epiſcopum, aut eo impedito, per ſuum generalem Vicarium, vel Viſitatorem, intra annum, vel ſaltem, ſi diœceſis ampla ſit, intra biennium complendam. Præſervatur tamen *cit. cap.* facultas Archidiacono viſitandi per ſe ipſum tantum (non per alium, ut facere poteſt Epiſcopus) eas Eccleſias, quas legitime conſueverit viſitare; ſed cum notario aſſumpto de conſenſu Epiſcopi, & cum onere exhibendi eidem Epiſcopo intra menſem integra viſitationis acta, non obſtantibus exemptionibus, privilegiis, & contraria conſuetudine, etiam immemorabili, ibi.

Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam diœceſim per ſe ipſos, aut, ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi quotannis totam, propter ejus latitudinem, viſitare non poterunt, ſaltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. A Metropolitanis vero, etiam poſt plene viſitatam propriam diœceſim, non viſitentur cathedrales Eccleſiæ, neque diœceſes ſuorum Comprovincialium, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio provinciali. Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Eccleſiis, ubi hactenus viſitationem exercere legitime conſueverunt, debeant quidem, aſſumpto notario de conſenſu Epiſcopi, deinceps per ſe ipſos tantum ibidem viſitare. Viſitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum jus viſitandi habet, prius ab Epiſcopo approbentur: ſed non ideo Epiſcopus, vel, eo impedito, ejus Viſitator, eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur, cui ipſi Archidiaconi, vel alii inferiores, viſitationis factæ intra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus, & privilegiis quibuſcumque.

SECTIO CXL.

CAPUT II. OFFICIUM, *ex Decretali, quæ aſſeritur deſumpta ex Concilio Toletano. ſed in nullo ex Conciliis Toletanis, hucuſque editis, reperitur.*

OFficium vero Archidiaconi eſt Evangelium, quando voluerit, legere, vel alicui de Diaconis præcipere: & quando Epiſcopus Miſſam canit, ad juſſionem illius induant ſe Levitæ veſtimentis ſacris, qualiter cum Pontifice ad Miſſam procedant: (& infra.) Omne eccleſiaſticum officium providendo, lectiones, aut reſponſoria, in matrice Eccleſia dare debet, & auſcultare, in tantum, ut nullus Evangelium, aut Epiſtolam, reſponſoria, vel quamlibet in Eccleſia lectionem legat, vel cantet, donec auſcultetur ab ipſo. Acolytos quoque ipſe ordinet, quis eorum candelabra, quis thuribulum deferre, quiſque Minorum in Eccleſia aliqua officia agere debeat.

SE-

SECTIO CXLI.

Caput III. Ea, quæ, *ex Decretali, deſumpta a lib.I. Epiſt.X. S. Gregorii magni, Honorato Archidiacono Salonitano ſcripta*.

EA, quæ contra: (& infra.) Scire vero te volumus, quod a te diſtricte quæſituri ſumus, quia vel propriæ Eccleſiæ, vel ea, quæ de diverſis Eccleſiis cimelia ſunt collecta, non ſub omni ſolicitudine. & fide ſervantur. Quod ſi quid ex eis, vel negligentia, vel cujuſquam fraude deperit, tu hoc reatu aſtringeris, qui per Archidiaconatus Ordinem cuſtodiæ ejuſdem Eccleſiæ arctius deputaris.

Cum hodie circa officium Archidiaconi, in his duabus Decretalibus explicatum, valde, imo quaſi penitus immutata ſit Eccleſiæ diſciplina, attendenda dumtaxat eſt particularium Cathedralium conſuetudo. Nota nomen *Cimelia* a græca voce *Kimelion* (quod legitur in Decretali Gregorii) hic ſignificare vaſa ſacra, & pretioſa, & etiam oblationes a fidelibus factas Eccleſiæ. Unde *Kimelion* dicitur locus, in quo dictæ oblationes reconduntur.

SECTIO CXLII.

Caput VI. Mandamus, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Conventren. & Abbati monaſterii Ceſtrenſis, Ordinis S. Benedicti. Londonen. Diœceſis in Normania, ſcripta*.

MAndamus, quatenus prohibeatis Ceſtrenſ. Archidianono, ne ad Eccleſias ſui Archidiaconatus viſitandas, niſi ſemel in anno, accedat: niſi forte talis cauſa emerſerit, propter quam ipſum oporteat præfatas Eccleſias ſæpius viſitare.

Hæc Decretalis, tribuens Archidiacono abſolutam facultatem viſitandi Eccleſias ſuo Archidiaconatui ſubjectas, moderata eſt a Trident. cum limitatione, ut ſupra notatum eſt ad caput I. *Ut Archidiaconus* Sectione CXXXIX.

SECTIO CXLIII.

Caput VII. Ad haec, *ex Decretali Innocentii III. ignotum cui reſcripta*.

AD hæc nos dicimus (& infra.) Sane conſuluit nos tuæ fraternitatis devotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipſum cura epiſcopalis ſolicitudinis debeat relevari: & nos, prout poſſumus, reſpondemus, quod Archidiaconus (ſecundum ſtatuta B. Iſidori) imperat Subdiaconis, & Levitis: parœciarum ſolicitudo, & earum ordinatio ad ipſum pertinet: & audire debet jurgia ſingulorum. Archipresbyteri autem, qui a pluribus Decani nuncupantur, ejus juriſdictioni ſe noverint ſubjacere. Secundum vero Romani Ordinis conſtitutionem major poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius reperitur: omnem ſolicitudinem, & curam, tam in Clericis, quam in Eccleſiis eorum, (prout melius ſecundum Deum poterit) impendendo, cum ſuper his ſit redditurus rationem in diſtricti examinis judicio. Item in Epiſtola B. Clementis Papæ Præd. noſt. oculus Epiſcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet: niſi adeo fuerint ardua negotia, quod abſque Majoris ſui præſentia nequeant terminari. In quadam vero noſtra Conſtitutione jam alia vice nos meminimus expreſſiſſe, quod inſtitutio corporalis tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipſum debeat pertinere: examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad ſacros Ordines promovendi: & hoc idem in collationibus beneficiorum credimus obſervandum, ut qui beneficiis eccleſiaſticis præficiendi fuerint, a ſuo prius examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur. Subſequenter poſtea quæſiviſti, utrum Decani rurales, qui pro tempore ſtatuuntur, ad mandatum tuum ſolum, vel Archidiaconi, vel etiam utriuſque inſtitui debeant, vel deſtitui, ſi fuerint amoven-

di. Ad hoc breviter reſpondemus, quod cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, & cum commune eorum Decanus officium exerceat, communiter eſt eligendus, vel etiam amovendus.

In hac Decretali tribuitur Archidiacono facultas.
I. Cognoſcendi cauſas eccleſiaſticas.
II. Examinandi promovendos ad ſacros Ordines, & beneficia.
Ad I. quod ſpectat, derogatum eſt a Trid. *cap. XX. ſeſſ. XXIV. de refor.* quoad cauſas matrimoniales, & criminales, ſtatuente Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni has eſſe relinquendas, licet Archidiaconus de iis cognoſcere vellet in actu viſitationis ſuarum Eccleſiarum, de quibus ſupra. Ex quo Concilii textu etiam cauſæ beneficiales, & aliæ altioris indaginis videntur eſſe ſupra illius Juriſdictionem, ibi.

Ad hæc, cauſæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur.

In aliquibus tamen diœceſibus, ut in Salisburgenſi, Archidiaconis etiam de matrimonialibus, & aliis cauſis in prima inſtantia judicare conceſſum eſt ex ſpeciali commiſſione Epiſcoporum, quam etiam longior conſuetudo confirmavit *Engel. hoc tit. num.* 4.

Quod vero ſpectat ad examen promovendorum ad ſacros Ordines, videtur a Trident. fuiſſe relictum arbitrio Epiſcopi, ut *cap. VII. ſeſſ. XXIII. de reform.* in quo ſtatuitur, ut illud peragat coram adſcitis ſibi prudentibus, & doctis viris, nulla facta mentione de Archidiacono; qui hodie ex mero ritu, & ceremonia interrogatur tantum ab Epiſcopo inter Miſſarum ſolemnia ante ordinationem, an ſciat, ordinandum eſſe dignum, juxta Decret. ejuſd. Innocen. III. *cap. unico de Scrutin. in Ord. faciend.*

Reſpectu examinis promovendorum ad beneficia curata derogatum eſt ab eodem Concilio *cap.* XVIII. *ſeſſ.* XXIV. *de reform.* præcipiente, examinandos eſſe ab Examinatoribus electis in Synodo. Textum leges par. II. eum de cit. cap. XVIII.

Attento hoc Trident. decreto, Archidiaconus, examinare nequit ſimul cum dictis Examinatoribus, ſi non ſit ex deputatis in Synodo, ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnano in hac ead. Decretali num. 25.

SECTIO CXLIV.

CAPUT IX. UT NOSTRUM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Archiepiſcopo mediolanenſi ſcripta.*

UT noſtrum (& infra.) Nec fuit ſufficienter probatum, quod Cancellarius ex officio ſuo exerceat ſpiritualia memorata, cum ea potius de jure communi ad Archidiaconi ſpectent officium: repræſentare videlicet ordinandos Epiſcopo, & illos examinare, ponere Abbates, & Abbatiſſas in ſede.

In hac Decretali declarat Pontifex, de jure communi ſpectare ad Archidiaconum.
I. Præſentare Ordinandos Epiſcopo. II. Illos examinare. III. Inſtallare Abbates, & Abbatiſſas.
Quoad I. attendenda ſunt notata ad *Titulum* XII. *de Scrut. in Ord. facien.* Sect. XCVI.

Quoad II. dic, ut notatum eſt ſupra ad *cap. VII. Ad hæc* Sect. CXLIII.
Quoad III. vero, præciſa conſuetudine, ſiqua f[illegible]taſſe adhuc vigeat in aliquibus diæceſibus, hodie paſſim fieri ſolet vel ab Epiſcopo, vel ab ejus generali Vicario.

SECTIO CXLV.

CAPUT X. DILECTO FILIO, *ex Decretali Honorii III. Abbati monaſterii Arremarenſis, Ordinis S. Benedicti, ac Archidiacono, & Decano S. Stephani Trecenſis Diæceſis ſcripta.*

Textum hujus Decretalis omitto, cum ſit nimis prolixus, cujus ſumma eſt.
Ubi conſuetudinis eſt, etiam Abbates, & Monachi in Archidiaconatu ſiti ſubiiciuntur juriſdictioni Archidiaconi, ita ut teneantur ei obedire in his, quæ pertinent ad juriſdictionem, correctionem, & viſitationem, ſeu jus archidiaconale, videlicet, ut coram eo conquerentibus reſpondeant, citati ad ejus præſentiam veniant, juſtas ſententias obſervent, ejus mandata honeſta, & ſancta ſecundum Deum de correctione exceſſuum, & aliis, quæ Archidiaconi ſolent, & poſſunt rationabiliter injungere, audituri, & ſalva ſua regula, & Abbatis ſui debita obedientia ſervaturi.

Hæc pariter Decretalis, tribuens Archidiacono facultatem hic expreſſam, moderata eſt, ut notavi ſupra ad *cap. I. Ut Archidiaconus*, Sect. CXXXIX.

SE-

Titulus XXIV. De Officio Archipreſbyteri.

SECTIO CXLVI.

CAPUT I. UT ARCHIPRESBYTER, *ex Decretali, quæ aſſeritur deſumpta a Concilio Toletano, ſed in nullo ex Toletanis Conciliis, bucuſque editis, reperitur.*

UT Archipreſbyter ſciat, ſe ſubeſſe Archidiacono, & ejus præceptis, ſicut ſui Epiſcopi, obedire, & quod ſpecialiter ad ejus pertinet miniſterium, ſuper omnes Presbyteros in ordine presbyterali poſitos, curam agere animarum, & aſſidue in Eccleſia ſtare, & in Epiſcopi ſui abſentia, ad vicem ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectam dicat, aut cui ipſe injunxerit.

SECTIO CXLVII.

CAPUT II. MINISTERIUM, *ex Decretali, ab Antonio Auguſtino Leoni IX. tributa.*

MIniſterium Archipresbyteri in eo conſtituitur, ut diligenti cura provideat miniſterium Sacerdotum cardinalium, qui ſolemne debent agere officium in communicatione Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, a ſacroſancto die Dominico incipiendo, per omnes horas canonicas, indeclinabiliter perſeverent, ut opus Dei digne, & ſancte perficiatur ab eo, cui comittitur: (& infra.) Provideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum cardinalium, præceptis ſui obtemperando Epiſcopi, ne aliquando cedant, aut ſcurrilitate torpeant: (& infra). Si Epiſcopus defuerit (exceptis his, quæ prohibita ſunt) Archipresbyter provideat cuncta, quæ in Sacerdotum miniſterio perfici debeant, fontes benedicere, infirmos oleo perungere, pœnitentem infirmum (conſulto Epiſcopo) reconciliare, pænitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere. In præcipuis feſtivitatibus, aut ipſe celebrationem Miſſæ ſolemniter impleat, aut ad ſui juſſionem, cui committitur, peragat venerantor.

SECTIO CXLVIII.

CAPUT III. OFFICIUM, *ex Decretali, tributa a dicto Antonio Auguſtino. eidem Leoni IX.*

OFficium Archipresbyteri de Urbe conſtat, quando ibi Præſul defuerit, vice ejus officium inchoare, benedictiones presbyterales in Eccleſia dare, Miſſam, quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus juſſerit. Quando vero Epiſcopus Miſſam canit, debet præcipere Sacerdotibus, ut induant ſe veſtimentis ſacris, & qualiter ad Miſſam procedant. Debet enim præcipere cuſtodi Eccleſiæ, ut in ſacrario Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit: debet infirmis providere, & providendo, præcipere Sacerdotibus, ne forte ſine confeſſione, vel confirmatione Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti moriantur: confeſſiones peccatorum eorum, qui a foris veniunt, recipere cum omnibus Sacerdotibus, & exinde per proviſionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad chriſtianos quoque faciendos, & baptizandos infantes, & ad ſuccurrendum, omnia a Sacerdotibus per juſſionem illius fiant.

Miniſterium, & auctoritas, quæ in his tribus Decretalibus tribuitur Archipresbytero civitatenſi, ideſt Cathedralis (qui alio nomine vocatur Decanus) hodie non amplius ex his metienda eſt, tum quoad ſubjectionem Archidiacono, tum quoad exercitium ſui miniſterii, ſed metienda eſt ex conſuetudine, quæ una, eademque non obtinet in diverſis Cathedralibus. Sic in Luſitania, tota fere Hiſpania, & Gallia Archipresbyter præcedit Archidiacono, in quo Regno, ſicuti & in Germania habet etiam juriſdictionem nedum in Canonicos

nicos Cathedralis (hi veniunt nomine Sacerdotum cardinalium, de quibus loquitur tranſcriptum cap. II.) ſed etiam in omnes Eccleſiæ Canonicos.

A quo autem hodie contrario uſu receſſum fuiſſe, non ambigitur, eſt.

Receptio confeſſionis (de qua in mox tranſcripta Decretali *Miniſterium*) Sacerdotum ſibi ſubjectorum, quorum ex jure communi Archipresbyter, cui cura animarum committebatur (cui etiam nunc ut plurimum commiſſa eſt) erat ordinarius confeſſarius; cum hodie huic juri derogatum ſit; quandoquidem tam Sacerdotes, quam alii quicumque confiteri poſſunt cuilibet Sacerdoti, ab Epiſcopo ad confeſſiones approbato, ut notabitur infra ad Caput XII. *Omnes utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſs.*

Per illa verba – *cunctis Sacerdotibus pœnitentiam injungere*, intelligi etiam poteſt, quod juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam publici pœnitentes, qui cenſuras incurrerant, recipiebantur ad confeſſionem ab Archipresbytero, miniſterio ſuorum Sacerdotum, quibus præſcribere debebat modum, & menſuram pœnitentiæ injungendæ unicuique ex dictis pœnitentibus, cujus confeſſionem in particulari exceperant.

Titulus XXV. De Officio Primicerii.

SECTIO CXLIX.

Caput Unicum Ut Primicerius, *ex Decretali, deſumpta a libro Ordinis Romani*.

UT Primicerius ſciat, ſe eſſe ſub Archidiacono, ſicut & Archipresbyter, & ad ejus curam ſpecialiter pertinere, ut præſit in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus eccleſiaſticis in ordine poſitis, ut ipſe diſciplinæ, & cuſtodiæ inſiſtat, ſicut pro animabus eorum coram Deo rationem eſt redditurus, & ut ipſe Diaconis donet lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de ſingulis ſtudium habeat, ut in quacumque re capacem ſenſum habuerit, abſque ulla vacet negligentia, aut a quo ipſe juſſerit, inſtruantur.

Cum hodie in aliquibus Cathedralibus ne nomen quidem ſit Archidiaconi, & in aliquibus nomen quidem extet, ſed ſine poteſtate, & juriſdictione, ut notatum eſt ſupra toto Titulo de Archidiacono, nec Primicerius (qui in pleriſque Cathedralibus idem eſt ac Cantor) eidem amplius non ſubeſt.

Ex verbis allatæ Decretalis colligitur, antiquitus in Eccleſiis cathedralibus eumdem fuiſſe Primicerium, qui hodie eſt Scholaſticus, qui ex præcepto Trident. debet eſſe ſaltem licentiatus in theologia, vel jure canonico, quique præterea per ſeipſum, ſi idoneus fuerit, doceat, ſecus per alios idoneos, ita tamen, ut tam ipſe, quam ejus ſubſtituti, nihil aliud doceant, niſi quod videbitur Epiſcopo, ut *cap.* XVIII. *ſeſſ.* XXIII. *de refor.* ibi.

Deinde, ut cum minori impenſa hujuſmodi ſcholis inſtituendis provideatur, ſtatuit Sancta Synodus, ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii, ſcholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt lectionis, vel doctrinæ munus annexum ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum, cogant, & compellant. Quod ſi, judicio Epiſcopi digni non fuerint, alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota: quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ ſcholaſteriæ dicuntur, nonniſi doctoribus, vel magiſtris, aut licentiatis in ſacra Pagina, aut in jure canonico, & alias perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta proviſio, nulla ſit, & invalida: non obſtantibus quibusvis privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus,

Vide nota in cap. I. *Quoniam*, & cap. V. *Super ſpecula de Magiſtris*.

Titulus XXVI. De Officio Sacriſtæ.

SECTIO CL.

Caput Unicum Ut sciat, *ex Decretali, deſumpta ab uno ex Conciliis Toletanis, quod Gonzalez putat ineditum*.

UT ſciat, ſe Sacriſta ſubjectum Archidiacono, & ad ejus curam pertinere cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri eccleſiaſtici, nec non quæ ad luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo.

De

De ſubjectione, qua hic aſſeritur, Sacriſtam obſtrictum eſſe Archidiacono, hodie idem dic, quod de ſubjectione Primicerii, ut mox notatum eſt.

Titulus XXVII. De Officio Cuſtodis.

SECTIO CLI.

CAPUT I. CUSTOS, *ex Decretali, deſumpta a libro Ordinis Romani.*

Cuſtos Eccleſiæ, cui ea, quæ Eccleſiæ competunt, cuſtodienda committuntur, oportet, ut ſui Archidiaconi juſſioni in cunctis obediat, in canonicis horis ſigna tintinnabulorum pulſanda, ipſo Archidiacono jubente, ab eo pulſentur, pallia, vel linteamina Altaris, ſeu cuncta utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat, lampadas, & lanternas in accendendo, ſeu extinguendo pervigil exiſtat, ne aut ſupra modum lucendo oleum depereat, aut minus lucendo obſcurior ſit Eccleſia: ſed omnia cum diſcritione agantur, quæ noſcitur omnium virtutum eſſe mater. Si vero is minus idoneus ad hoc peragendum extiterit, ab Archidiacono coerceatur, ut ſe emendet. Si autem indomitus permanſerit, Archidiaconus, Epiſcopo denunciando, provideat, ut indecente ejecto, aptus domui Dei conſtituatur miniſter, ut omnia in laudem Dei fiant.

SECTIO CLII.

CAPUT II. CUSTOS, *ex Decretali, deſumpta ab uno ex Conciliis Toletanis, quod pariter ineditum exiſtimat Gonzalez.*

Cuſtos ſolicitus debet eſſe de omni ornamento Eccleſiæ, & luminariis, ſive incenſo, necnon panem, & vinum omni tempore præparatum ad Miſſam habere debet, & per ſingulas horas canonicas ſignum ex conſenſu Archid. ſonare, & omnes oblationes, ſeu eleemoſynas, ſeu decimas, (cum ejuſdem tamen conſenſu, abſente Epiſcopo) inter fratres dividat. In his tribus Eccleſiæ columnis (ut ſancta ſanxit Synodus) conſiſtere debet alma Mater Eccleſia, ut ad hoc opus tales ordinentur, quales meliores, & ſanctiores eſſe viderint, ut nulla negligentia in Dei Eccleſia videatur. Hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter, Cuſtos, ſimul juncti, uno animo provide peragant, & perfecte, ut non ſit invidia, neque zelus inter illos.

De obedientia præſtanda Archidiacono a Cuſtode, (qui alicubi idem eſt, ac Theſaurarius) & de conſenſu, quem in his duabus Decretalibus obtinere præciditur ab eodem Archidiacono in ſuo obeundo munere, juxta præſentem diſciplinam idem judicium eſto, quod in duobus præcedentibus Titulis.

Circa ejus tamen officia unum moneo, quod hodie ſemper attendenda ſit Cathedralium conſuetudo.

Titulus XXVIII. De Officio Vicarii.

SECTIO CLIII.

CAPUT V. SUA NOBIS, *ex Decretali Innocentii III.*

In hac Decretali, cujus textum omitto, cum nihil aliud contineat, præter hoc, quod ſcilicet declarat Pontifex, Vicarium Papæ, nulla extra Urbem juriſdictione potiri, niſi hæc ſpecia tim eidem commiſſa fuerit.

Verum hodie ſtatim ac conſtitutus eſt Vicarius, ex variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & noviſſima Benedicti XIV. *Romanæ* 21. Decembr. 1755. juriſdictionem habet extra Urbem uſque ad quadrageſimum ab ea lapidem, juxta modum in eadem Conſtit. præſcriptum.

SECTIO CLIV.

CAPUT VI. EX PARTE TUA, *ex Decretali, Alexandri III. Epiſcopo Hellenſi reſcripta.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis (& infra.) Mandamus, quatenus perpetuos Vicarios, ut in Eccleſiis, in quibus Vicarias obtinent, reſideant, & ſe in presbyteros, (ut eorum cura exigit) faciant promoveri, per ſubtractionem proventuum, vel ipſarum Vicariarum compellas.

Præcipitur in hac Decretali, Vicarios perpetuos Eccleſiarum pa rochialium compellendos eſſe ad reſidentiam per ſubtractionem proventuum Viеariarum.

Quæ de his Viеariis ſtatuerit Conc. Trid. *cap.VII. ſeſſ.VII. de reform.* notabitur infra parte II.

Unum hic addo, quod ex decretis Cong. Conc. relatis hic a Fagnano num. 4. tenentur etiam ad reſidentiam Rectores beneficiorum. & coadjutores perpetui, quibus annexum eſt onus coadjuvandi parochum eadem lege, qua ex Trid. *ſeſſ.XXV. cap.I. de reform.* tenetur parochus,

Titulus XXIX, De Officio, & Poteſtate Judicis delegati.

SECTIO CLV.

CAPUT I. QUIA QUAESITUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri. Epiſcopo Lundonienſi in Anglia reſcripta.*

QUia quæſitum eſt, quid faciendum ſit de poteſtatibus, quæ cum præcipimus alicui juſtitiam exhiberi, minis, ac terroribus conquerentes ſilere compellunt, & ſic mandatum noſtrum eluditur, ſic tibi reſpondemus quod ſicut agentes, & conſentientes pari pœna (ſcripturæ teſtimonio) puniuntur, ſic tam eos, qui trahuntur in cauſam, quam principales eorum fautores (ſi eos manifeſte cognoveris juſtitiam impedire) diſtrictione eccleſiaſtica poteris coercere.

In hac Decretali declaratur, poteſtatem delegati ſe extendere, nedum ad perſonas in delegatione expreſſas, ſed etiam ad eorum defenſores, vel hoſtes qui delegationi obſtant, vel indirecte id agant, ut eadem poteſtas viribus careat; parique pœna puniendos eſſe ſtatuitur.

Contra hujuſmodi impedientes, præter excommunicationem ipſo facto incurrendam, & a nemine abſolvendam, donec parti læſæ ſatisfactum fuerit, inflictam in *cap.IV. Quoniam, de Immunit. eccleſiaſt. in VI.* lata eſt excommunicatio Papæ reſervata, licet ſatisfacta fuerit pars, ut in cap.XIV. Bullæ Cœnæ, cujus textum leges in calce hujus Operis.

SECTIO CLVI.

CAPUT XI. SANE, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Carnotenſi reſcripta.*

SAne, quia nos (& infra.) Tuæ quæſtioni duximus reſpondendum, quod judex a nobis delegatus vices noſtras gerit: unde in cauſa illa ſuperior eſt, & major illis, quorum cauſam ſuſcepit terminandam: ideoque ſi Epiſcopus, vel alia perſona, quæ non ſit de juriſdictione illius, in cauſa, quam ei delegamus, rebellis, aut contumax fuerit, ſecundum qualitatem facti poterit, vel interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia a judice delegato compelli: ita quod judex ſecundum negotii qualitatem temperate procedens, Epiſcopo vel ingreſſum Eccleſiæ, vel ſacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet, ſpecialiter interdicto ſupponat.

Huic Decretali acceſſit Decretalis Alexandri IV. relata in cap.II. *Quia pontificali, hoc eodem tit. in VI.* præſcribens ordinem gradatim ſervandum a delegato Papæ in puniendo Epiſcopum rebellem, vel contumacem in cauſa contra eumdem delegata, ibi.

Quia

Quia pontificali dignitate præditis ob reverentiam ſacri officii, quod exercent, plurimum deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet: ut cum a judicibus, vel Conſervatoribus a Sede Apoſtol. deputatis, contra eos ad coactiones aliquas, ſive pœnas fuerit procedendum, gradus, & modeſtia in hujuſmodi proceſſu ſervetur: ita quod (eis quadam condigna reverentia ſupportatis) ingreſſus primo ipſis Eccleſiæ, vel ſacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab officio ſuſpendatur, & ſubſequenter aggravetur cenſura eccleſiaſtica contra eos. Niſi forte aliter fieri ſuaſerit nimiæ contumaciæ protervitas, ſive culpa.

Verum circa has pœnas Epiſcopo rebelli, aut contumaci infligendas a Delegato Papæ, vel Conſervatoribus attendenda ſunt diſpoſita a *Trid. ſeſſ. XXIV. cap. V. de reform.*

SECTIO CLVII.

CAPUT XII. EX PARTE, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Eboracenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Conventrenſi ſcripta.*

EX parte N. nobis innotuit, quod cum ad te, Frater Conventren. Epiſcope, noſtras literas impetraverit, ut ei Archidiaconatum, quem in Eccleſia tua primo vacare contingeret, aſſignares: R. adverſarius ejus alias ad te, Frater Eboracen. literas impetravit, nulla de prioribus habita mentione, ut ſi avunculus ſuus Archidiaconatum, quem habebat in Eccleſia eadem, vellet omnino dimittere, ipſum ei faceres aſſignari. Quoniam igitur, ſi memores fuiſſemus, nos pro prædicto N. literas direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus: mandamus, quatenus præfato N. Archidiaconatum ipſius Eccleſiæ (ſi vacat) non obſtantibus poſterioribus literis, aſſignetis.

Huic Decretali, admittenti mandata de providendo, ſeu expectativas ſuper beneficiis vacaturis, derogatum eſt a Triden. ut notavi ad cap. XXX. *Capitulum*, Sectione X.

Ulterius, cum in ea non improbetur ſucceſſio immediata collateralium, ſeu tranſverſalium in beneficiis: quandoquidem hic nepos obtinuit beneficium vacans per reſignationem avunculi, id hodie reprobatum eſt a S. Pio V. prohibente, ne Epiſcopus conferat beneficium reſignatum conſanguineis reſignaotis, ut infra notabitur.

SECTIO CLVIII.

CAPUT XIV. QUONIAM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Abbati, & Conventui majoris monaſterii D. Martini in Civitate Turonenſi.*

QUoniam Abbas Leiceſtriæ, qui, ſuſcepto mandato noſtro, partibus diem ad agendum præfixit Abbatem Vinceſtriæ de novo ſubſtitutum judici præmortuo, illi mandato noſtro porrecto, quia ſub expreſſis nominibus locorum, non perſonarum commiſſio emanavit, ſibi ſocium in cauſæ cognitione adjunxit, nos ſententiam illorum (ſicut eſt juſta) latam, & firmam habemus.

Huic Decretali, declaranti delegationem factam dignitati, non expreſſo nomine, tranſire ad ſucceſſorem, derogatum eſt a *Trid. cap. X. ſeſſ. XXV. de refor.* ſtatuente, cauſas eccleſiaſticas, ac ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes delegandas in partibus committi debere præter Ordinarios, judicibus a Synodo deſignatis. Textum leges parte II. ad cit. cap. X.

SECTIO CLIX.

CAPUT XVIII. CUM TE CONSULENTE, *ex Decretali ejuſdem Alexandri quamvis Gonzalez, credat eſſe Lucii III. contra aſſertum Innocentii III. ut patebit ex ejus Decretali mox tranſcribendam.*

CUM te conſulente (& infra,) Si ſuper cauſa, quæ tibi ex noſtra delegatione committitur, a perſonis eccleſiaſticis, una, vel pluribus, quibus (ut parcas laboribus partium, & expenſis) cognitionem ipſius cauſæ, & teſtium examinationem (ſententia tibi reſervata) committis, appellatio fuerit interpoſita, hujuſmodi appellationis intuitu cauſam ipſam indifinitam relinquere non teneris.

Huic Decretali acceſſit Decretalis Innocentii III. relata in cap. XXVII. *Super quæſtionum, hoc eod. tit.* in qua ſupplentur caſus in ea non comprehenſi, partim limitando, partim explicando.

Super quæſtionum articulis, de quibus nos conſulere voluiſti, taliter reſpon. quod per Conſtitutionem noſtram conſultationi Alex. Papæ nullatenus derogatur, ſed illa per iſtam exponitur, imo in iſta verius, quæ in illa fuerant prætermiſſa ſupplentur. Ipſe namque reſpondit, quod ſi ſuper cauſa, quæ alicui ex Apoſtolica delegatione committitur a perſonis eccleſiaſticis, una, vel pluribus, quibus delegatus, (ut parcat laboribus partium, & expenſis) cauſæ cognitionem ipſius, & teſtium examinationem, ſententia ſibi reſervata, committit, appellatio fuerit interpoſita: hujuſmodi appellationis intuitu cauſam indiffinitam relinquere non tenetur. Nos autem ſtatuimus, quod licet is, cui cauſa committitur, remota appellat. non poſſit, eam aliis, ſine provocationis obſtaculo delegare, ſi tamen delegatus a nobis, vel judex quicumque, non tam cognitorem, quam executorem ad aliquem certum articulum quempiam deputaverit, ab eo, (niſi modum excedat) non liceat appellari, dummodo de partium deputetur, vel recipiatur aſſenſu. Quod ſi delegatus a nobis, vel litis exordium, vel cauſæ finem, nedum totum negotium ei duxerit committendum, ab ipſo, tamquam a judice licite provocetur: cum & lis ante judicem debeat conteſtari, & cauſa per judicem diffiniri. Intentionis igitur noſtræ fuit (ſicut ex tenore Conſtitutionis præmiſſæ poteſt liquide deprehendi) quod, ut judicialis auctoritas liberius valeat exerceri, delegatus a nobis licite poſſit, & principium, & finem, & medium cauſæ ſibi commiſſæ, non ſolum conjunctim, ſed etiam diviſim alii delegare, non obſtante, quod dicitur, quod judex debet cognoſcere per ſe ipſum in principio, in medio, & in fine: cum antequam ferat ſententiam, univerſa, quæ acta ſunt, in judicio inveſtigare debeat diligenter.

Verum cum totam cauſam committit alicui, vel principium, aut finem ipſius, ab eo, tamquam a judice, poteſt licite provocari. Cum autem alicui medium tantum committit, ab ipſo tamquam ab auditore provocari non poteſt, niſi mandati fines excedat, vel merito ſit ſuſpectus, unde ne valeat recuſari, provide ſtatuimus, ut de partium detur, vel recipiatur aſſenſu. Porro cum delegatus a nobis juriſdictionem ſuam in alium transfert totam, ſi fuerit appellandum, non ad eum, ſed ad nos appellari debebit. Cum autem ſibi aliquid de juriſdictione reſervat, ſi cauſa ſit ei, appellatione remota, commiſſa, non ad nos, ſed ad eum poterit de jure appellari. Unde ſi forſan appelletur ab eo, cui medium cauſæ committitur, ſive cognitor, aut executor dicatur, vel (quod melius eſt) auditor, pro eo quod vel mandati fines excedat, vel merito ſit ſuſpectus: nihilominus tamen delegatus a nobis, juxta conſultationem præmiſſam, cauſam poterit diffinire, ut parcatur loboribus partium, & expenſis. Eum vero, quem delegatus a nobis deputaverit auditorem, neutra partium poterit recuſare, niſi coram eo juſtam recuſationis cauſam oſtendat. Si vero duo ſunt a Principe delegati, & unus committit vices ſuas alteri, ille non poteſt, nec debet, appellatione remota, procedere, nec cauſam alii delegare, quamvis in commiſſione facta duobus contineatur expreſſum, ut, appel. rem. alter poſſit procedere ſine reliquo, ſi non poſſunt ambo pariter intereſſe. Quia quod poteſt ex ſola juriſdictione, ſibi a Principe delegata, non poteſt cum juriſdictione ſibi a condelegato commiſſa. Unde ſi ab eo fuerit appellatum, licet aliquibus viſum fuerit, quod ad condelegatum valeat appellari, nobis tamen videtur, quod ad primum dumtaxat appellandum eſt delegantem, propter rationem ſuperius aſſignatam.

Ejus ergo appellatio, de quo tua Fraternitas nobis ſcripſit, ſi noſtræ Conſtitutionis occaſione ad noſtram audientiam appellavit, pro eo quod delegatus a nobis reſervata ſibi diffinitiva ſen-

ſententia, audientiam cauſæ commiſit quibuſdam, qui de partium aſſenſu nec dati ſunt, nec recepti: niſi contra eos juſtam recuſationis cauſam oſtenderit, vel paratus fuerit oſtendere coram judice delegato, non debuit impedire, quominus procederent auditores. Qui etiamſi, tamquam ſuſpecti, fuiſſent merito recuſati, delegatus tamen a nobis nihilominus potuiſſet, ſublato appellationis diffugio, cauſam judicialiter expedire. Quod si juſtam recuſationis cauſam noluit admittere delegatus, ſed coram ſuſpectis eum litigare cogebat, a tali gravamine licite potuit ad noſtram audientiam appellare; quodque poſt appellationem hujuſmodi eſt præſumptum, judicari debet irritum, & inane.

S E C T I O C L X.

Caput XIX. Relatum, *ex Decretali Lucii III. juxta Gonzalez, Archiepiſcopo Cantuarienſi, ejuſque Suffraganeis reſcripta.*

Relatum eſt (& infra.) Nos itaque conſult. veſtræ reſp., quod si lis fuerit ante Prædec. noſtri obitum conteſtata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit. Si vero ante litis conteſtationem deceſſit, non eſt a judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujuſmodi procedendum.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi ante litis conteſtationem, ideſt ante ſubſecutam reſponſionem rei, ad petitionem actoris animo litigandi factam, delegans e vita deceſſerit, Delegatus procedere nequeat in cauſa ſibi delegata, cum juriſdictio aliter non perpetuetur.

Videtur huic ſanctioni adverſari Decretalis Urbani III. relata in cap. XX. *Gratum, hoc eod. tit.* in qua Pontifex declarat, juriſdictionem delegatam non expirare morte delegantis, ſi cæpta eſt exerceri per citationem, per quam ſolam juxta Sacros Canones perpetuatur, cum citatio ſit principium, & fundamentum juriſdictionis contentioſæ, ibi.

Gratum gerimus (& infra.) Sane conſuluit nos devotio veſtra, an ante obitum delegantis propoſito citationis edicto, lite vero poſt mortem conteſtata, nihilominus debeat in cauſa procedere delegatus. Et utrum is intelligatur appellationi renunciaſſe, qui ea interpoſita ad producendos teſtes, inducias poſtulavit, & demum productioni, & allegationi renuncians, atteſtationes petiit ſolemniter publicari. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod cum in caſu priori, citatione facta, negotium ſit quaſi cœptum, & maxime si delegatus non ſit certus de obitu delegantis, poteſt, & debet in cauſa procedi, tenebitque, quod juſtitia fuerit prævia diffinitum. In ſecundo vero caſu videtur ab appellatione receſſum, si ſecundum ea, quæ præmiſſa ſunt, eum, qui appellaverit, conſtiterit proceſſiſſe.

Dici tamen poſſet, non ideo Lucii Decretalem correctam fuiſſe per illam Urbani, quia Lucius ob certas forte circumſtantias in ſpeciali caſu, ſibi propoſito, reſcripſit, non ſecundum Canones, ſed ſecundum legas civiles, juxta quas lis non dicitur cæpta, niſi per illius conteſtationem, *L. Amplius X. Rem ratam habere Auth. de Litig. §. Omnem coll.* 8. Cæterum notat in hac Urbani Decretali WagnereK ſecundum utrumque Jus ſufficere citationem ad perpetuandam juriſdictionem delegati juxta Gloſſ. in *L. Ut quia, de Juriſd. omnium Judic.*, & clarius Bartolus ibid.

Hoc inſuper ſubdit „ -- ſufficit autem, citationem „ emanaſſe a Judice, ſive per nuntium, ſive per literas, quorum alterutrum requiri notatur in *Clementin. de Judic.*, ſive per edictum publice propoſitum, „ ſi neſciatur, quis ſit citandus, quod etiam nunc hoc „ hodie habet locum per *cap. Significavit, cap. Albericus, & cap. fin. Qui matrim. accuſ. poſ.*

Cæterum Gonzalez ſentit, idem ſtatui ab Urbano, ac Lucio III. cum oſtendat in *cap. Gratum*, non agi de ſimplici citatione, ſed de citatione per edictum peremptorium, & trinam citationem, quæ inducit litis conteſtationem.

S E C T I O C L X I.

Caput XXI. Prudentiam, *ex Decretali Cæleſtini III. Rhotomagenſi Decano reſcripta.*

Hujus Decretalis textum tranſcribere omitto, cum ſit nimium prolixus; ejus autem ſumma eſt.

I. Præſcribit Pontifex -- *cum tribus cauſa committitur, ita ut ſi omnes intereſſe non poſſint, duo eam nihilominus exequantur* -- ſi aliquis ex dictis per nuntium, vel excuſatorem cum literis deſtinatum non oſtenderit, ſe intereſſe non poſſe, vel de hoc canonice non conſtet, reliqui ad cognitionem cauſæ procedere non de-

debent; quod ſi proceſſerint, nihil reputabuntur egiſſe: ab antiquo enim Sedes Apoſtolica cauſarum cognitionem – *duobus, quam uni, tribus quam duobus* – libentius delegare conſuevit.

II. Si appoſitum fuerit – *ut ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus eam exequuntur, ſi aliquis illorum noluerit intereſſe, duo quidem procedant* – ſed tertius graviſſime eſt arguendus ob mandatum Apoſtolicum non impletum. Idem obſervandum eſt, quando cauſa committitur duobus, cum ſimili clauſula.

III. Si reus actori objiciat, eum in judicio ſtare non poſſe, quia eſſet excommunicatus, neque id, quod objicit, ſtatim, vel intra terminum competenter probaverit, actor audiendus eſt.

IV. Si quolibet legitimo modo conſtiterit, actorem eſſe excommunicatum, abſolvi poteſt a delegatis ſecundum formam Eccleſiæ; ita tamen, ut ſi propter aliam juſtam cauſam a judice ordinario, vel delegato fuerit excommunicatus, ad excommunicatorem remittatur, qui ſi per malitiam id recuſet, delegati illum abſolvant, niſi excommunicatio ſit Papæ reſervata: explorati enim juris eſt, ut delegatis – *quibus principale committitur, etiam acceſſorium committatur*.

V. Si abſolutus fuerit a delegatis cum prævio juramento deſtando mandatis Eccleſiæ, ſtare debet coram excommunicatoribus ſuper cauſa, pro qua fuit excommunicatus, niſi ſpecialiter illud negotium aliis Judicibus a Pontifice delegatum fuerit. Si excommunicatores malitioſe rem differant, delegati illum abſolvant.

Huic Decretali, præſcribenti ſupradictas regulas obſervandas, quando Papa committit cauſam, cum clauſula copulativa, acceſſit ſequens Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. VIII. hoc eod. tit. in VI.* addentis tres regulas obſervandas, quando eam committit, cum clauſula disjunctiva.

Cum plures ſub illa forma, ut omnes, aut duo, vel unus eorum mandatum Apoſtolicum exequantur, aut alia conſimili, judices, vel executores a Sede Apoſtolica deputari contingit: ipſorum quilibet injunctum poteſt libere adimplere mandatum. Porro uno eorum negotium inchoante commiſſum, alii nequibunt ſe ulterius intromittere de eodem, niſi vel infirmitate, vel alia juſta cauſa illum contingeret impediri: aut ſi nollet, vel malit ipſe in eo procedere recuſaret. Juriſdictione vero perpetuata, mandatore vivente, per unum (eo caſu, quo poteſt) ex judicibus delegatis perpetuata intelligitur quoad omnes.

SECTIO CLXII.

CAPUT XXVIII. PASTORALIS, *ex Decretali Innocentii III, Epiſcopo Helienſi reſcripta.*

PAſtoralis.... Quia vero ſæpe contingit, quod executio ſententiæ Ordinario demandatur: quæſiviſti, an, ſi ipſam injuſtam eſſe cognoverit, debeat eam executioni mandare? an ſit ei potius ſubſiſtendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, ſed executio tantum demandatur eidem: reſpondemus, quod cum Ordinarius teneatur obſequi delegato, etſi ſciat, ſententiam illam injuſtam, exequi nihilominus tenetur eamdem, niſi apud eum efficere poſſit, ut ab hoc onere ipſum abſolvat.

Nihil novi huic Decretali acceſſit: verum, ne tyrones in ſtudio Juris canonici hic legentes – *Judicem ordinarium, cui delegatus Papæ injunxit ſententiæ executionem, teneri eam exequi, licet ſciat eſſe injuſtum* – eodem decipiantur errore, quo decepti Branchoſten. Enantioph. Centur. IV. Aſſert. XIII., & Cohier. *lib. I. de Reptib. inſtit. cap. XII.* auſi ſunt aſſerere, hanc Innocentii deciſionem eſſe juri contrariam, & æquitati adverſam, qui ſit ejus verus intellectus, expono. Non loquitur hic Pontifex de executore mixto, cui ſcilicet una cum executione commiſſa ſit etiam cauſæ cognitio, ſed de mero tantum, qui non debet diſcutere illius ſententiam, an juſta, vel injuſta ſit, *L. III. C. Si adverſus rem judic.*

Ulterius juxta Gloſſam magnam hic, & DD. communiter, hæc Innocentiana deciſio intelligenda eſt de ſententia injuſta tantum (ita Reiffenſtuel ad hanc Decretalem §. V. *num.* 106.) *quatenus eſt lata contra jus litigantis, a quo iſte non appellavit intra legitimum tempus, ſicque tranſit in rem judicatum: talis enim ſententia eſt valida, & quamvis ſit injuſta, hoc eſt lata contra jus condemnati, tamen ex quo iſte non appellavit intra decennium, ſicque ſententia tranſit in rem judicatam de rigore juris (niſi forſan Ordinarius, ab hoc onere liberari obtinuerit, ut dictum) & ut aliquis ſit finis litium, ea eſt executioni mandanda.*

Subdit etiam num. 107. neque peccare, neque cooperare peccato judicis delegati, male judicantis, neque etiam injuriam inferre injuſte condemnato, & numer. 108. addit, quod ſi certo ſciat, ſententiam non ſolum eſſe injuſtam, ex ratione ſupra allata, ſed etiam eſſe invalidam, non debere eam exequi, quia tunc delegatus præciperet ſine juriſdictione.

Ad obtinendam autem abſolutionem ab hoc onere poſſet ordinarius judex inſtare apud delegatum precibus dumtaxat, ut differat, non vero ei jubenti contumaciter repugnare, ut notat hic le Grauffre ex *cap. XXIV. Cum contingat, de Reſcript.*

SE-

SECTIO CLXIII.

Caput XLI. Cum vigesimum, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui reſcripta*.

CUM vigeſimum annum peregeris, dari potuiſti in ætate hujuſmodi delegatus. Cæterum conſtituto intra ætatem eamdem (niſi partes ſcienter conſentirent in eum, qui annum XVIII. tranſcendiſſet) facta delegatio ab alio, quam a Principe, non teneret.

In hac Decretali ſtatuitur, ut qui XX. ætatis annos expleverit, a quocumque delegari poſſit, ſicuti & major XVIII. ea conſenſu partium: his vero minor delegari nequeat, niſi a Principe.

Verum hodie, ſi agatur de delegatis a Sede Apoſtol. quoad ipſorum qualitates, attendenda eſt, nedum Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. XI. Statutum, de Reſcriptis in VI.* ſed etiam decretum Tridentin. *ſeſſ.* XXV. *cap.* X. *de refor.* & ulterius Conſtitutio Benedicti XIV. *Quamvis paterna* 26. *Aug.* 1741. ut notabitur parte II. eum de cit. cap. X.

Hoc unum hic addo, qualitates præſcriptas a Bonifacio, Tridentino, & Benedicto non requiri in ſubdelegato a delegato Sedis Apoſtol. ut apposite notat ad cit. Bonifacii Decretalem, innovatam a Trident. Stephanus Vveymps num. 21. ibi — „ Negari enim non poteſt, quin ad unum aliquem particularem articulum delegari recte poſſit is, qui dignitatem non habet, dummodo de cætero ſit idoneus, & legalis: puta ad teſtium examinationem, ad inſtrumentorum collationem, vel ad alium ſimilem actum. Et cum per talem ſubdelegationem tota jurisdictio Apoſtolica non transferatur; immo poſſit talis articulus expediri abſque ulla cauſæ cognitione, non immerito tollerantur in exercitio illius etiam ſimplices Clerici, ac perſonæ privatæ, quæ nullam habent dignitatem. Quod ipſum uſus, & fori praxis quotidiana teſtatum faciunt —.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CLXIV.

Caput I. Statuimus, *ex Decretali Bonifacii VIII. vel ut alii, Innocentii IV. in Concil. generali Lugdunenſi I. celebrato an.* 1245.

STatuimus, ut Conſervatores, quos plerumque concedimus, a manifeſtis injuriis, & violentiis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos. Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem.

Quid novi huic Decretali acceſſerit circa Conſervatores, notabitur infra parte II. eum de c. V. *ſeſ.* XIV.

SECTIO CLXV.

Caput VII. Si delegatus, *ex Decretali, Bonifacii VIII.*

SI delegatus, quoties eum abeſſe contigerit, tibi commiſerit vices ſuas, poteris, eo rebus humanis exempto (cum & tunc cenſeatur abeſſe) commiſſum tibi negotium (dum tamen illo vivente, juriſdictione uti cœperis) libere diffinire. Idem poteris, quando tibi vices, etiam ſub ea forma commiſit, donec eas duceret revocandas, nam talis commiſſio, per quam cenſetur etiam ſententiæ prolatio (niſi antea fuerit revocata) committi, nequaquam morte committentis expirat, ea quo res integra non exiſtit. Ad eum quoque, qui vices ſuas committit, donec revocet, vel qui executionem ſententiæ tantum, aut quidquid aliud de juriſdictione ſibi reſervat, non ad delegantem primum appellari debebit, etiam ſi poſt ſententiam fuerit appellandum.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, ut quando delegatus Papæ non ſubdelegavit in totum, ſi appellandum ſit a ſubdelegato, appellari debeat non ad Papam, ſed ad ipſum delegatum, limitata fuit ab eodem Bonifacio, decernente, appellationem interponendam eſſe ad ipſum Papam in iis caſibus, in quibus delegatus, qui ſubdelegavit, ſit excommunicatus, vel mortuus, ut in altera ejuſdem Decretali, relata *hoc eodem tit. cap. XIV.*, ibi.

Si

Si à ſubdelegato, cui delegatus non in totum commiſerat vices ſuas, ex eo fuerit appellandum, quia exceptionem coram ſe propoſitam, quod antequam per eum, vel per ipſum delegatum in aliquo proceſſum fuiſſet, delegans in viam fuerat univerſæ carnis ingreſſus, admittere recuſavit; non ad delegatum (cum juriſdictionem negatur habere) ſed ad delegantem potius appellari debebit. Idem fiet in aliis caſibus, in quibus delegatus juriſdictionem habere negatur; alias ſi appellari deberet ad ipſum, eſſet appellans, (qui ſic fateri videretur eumdem juriſdictionem habere, quod ante negaverat) contrarius ſibi ipſi.

SECTIO CLXVI.

Caput XII. Is, cui, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

IS, cui ab Apoſtolica Sede committitur certæ perſonæ proviſio de beneficio in certa Eccleſia, diœceſi, vel provincia facienda, poteſt alii committere licite vices ſuas. Sed ſi (non expreſſa certa perſona) committatur eidem, ut alicui perſonæ idoneæ de certa Eccleſia, vel de beneficio debeat providere (quia circa eligendam perſonam ejus induſtria tunc videtur electa) proviſionem ſibi commiſſam alteri demandare non poteſt, niſi forma commiſſionis habeat, ut per ſe, vel per alium id valeat expedire.

Huic Decretali, admittenti mandata de providendo, derogatum eſt a Triden., ut ſupra notavi ad cap. XXX. *Capitulum*, Sectione X.

SECTIO CLXVII.

Caput XV. Hac constitutione, *ex Decretali laudati Bonifacii*.

HAC conſtitutione perpetuo valitura ſancimus, ut Conſervatores, qui aliquibus (ut a manifeſtis injuriis, & violentiis tueantur eoſdem) plerumque a Sede Apoſtolica conceduntur, de cætero deputari non poſſint, niſi Epiſcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, ſeu dignitates, vel perſonatus in cathedralibus, vel collegiatis Eccleſiis obtinentes, nullusque deputati ſibi conſervatoris eſſe valeat conſervator. Nec aliquis (Regibus, & Reginis, qui ſicut dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogativa gratiæ ipſos convenit anteferri, dumtaxat exceptis) deinceps Conſervatorem habeat eum, qui ſub ipſius juriſdictione, dominio, vel diſtrictu eccleſiaſtico, vel temporali conſiſtat. Conſervatores autem hujuſmodi extra civitates, ſeu diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſum eorumdem trahere non præſumant. Vices quoque ſuas (citationibus ſententiarum denunciationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli committere poſſint, niſi hoc eis competierit ex beneficio literarum: ſed nec tunc, niſi intra civitates, ſeu diœceſes, in quibus deputati fuerint, & perſonis tantum, quæ ſuperius ſunt expreſſæ,

Ut autem Conſervatores limites ſibi traditæ poteſtatis (quos frequenter excedunt) metu pœnæ diligenter obſervent, decernimus, ut ſi de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violentiis, ſcienter ſe intromiſerint, ſeu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi. Pars vero, quæ hoc fieri procurabit, ſententiam excommunicationis incurrat, a qua non poſſit abſolvi, niſi ei, quem ſic fatigavit indebite, primo ſatisfaciat integraliter de expenſis. Officium autem quorumcumque Conſervatorum, ipſo jure, quoad non cœpta negotia per obitum concedentis volumus expirare. Circa munera vero, & expenſas, aſſeſſores, ac notarios, & perſonas teſtimonii cauſa vocandas, illa præcipimus in hujuſmodi Conſervatoribus per omnia obſervari, quæ in delegatis judicibus conſtitutio a nobis ſuper his edita obſervanda decrevit. Quidquid autem contra præmiſſa, vel eorum aliquod attentari contigerit, omnino decernimus irritum, & inane,

Quid novi acceſſerit huic Decretali circa Conſervatores, ſpecialis inſtituetur ſermo parte II. cum de *cap.* V. *ſeſſ.* XIV. *de refor-*

Eo-

SECTIO CLXVIII.

Caput Unicum Judices, *ex Decretali Clementis V. in Conc. generali Vienenſi, celebrato an. 1311. Viennæ in Gallia.*

JUdices ſuper receptione teſtium in cauſa civili, necnon executores ad providendum aliquibus, ſi per inquiſitionem ſolertem eos eſſe vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ repererint, a Sede Apoſtol. deputati, aliis poſſint committere licite vices ſuas.

Huic Decretali, admittenti mandata de providendo, derogatum eſt a Conc. Triden., ut ſupra notavi ad cap. XXX. *Capitulum*, Sect. X.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO CLXIX.

Caput Unicum, Sedes Apostolica, *ex Decretali Joannis XXII.*

Summa hujus Decretalis, cujus textum tranſcribere omitto, eſt.

Literæ Apoſtolicæ, impetratæ ad gratias, ſeu ad lites in aliquibus civitatibus, ſeu diœceſibus, dum erant integræ, non obſtante diviſione facta de ipſis in duas, ſeu plures civitates, ſeu diœceſes, propter divini cultus augumentum, & populi incrementum, habeant ſub eiſdem modo, & forma illum vigorem in ſic diviſis, ac etiam reſpectu earumdem executorum, ſeu judicum, quem habebant in illis, dum integræ remanebant.

Diviſio diœceſum, de qua in hac Decretali, hodie fieri amplius non ſolet.

Huic eidem Decretali, admittenti inſuper mandata de providendo, derogatum eſt a Conc. Trid ut mox notatum.

Titulus XXX. De Officio Legati.

SECTIO CLXX.

Caput I. Cum non ignoretis, *ex Decretali Alexandri III. Univerſis Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ ſcripta.*

CUM non ignoretis, Cantuar. Archiepiſcopum vobis non ſolum metropolitico, ſed etiam legationis jure præeſſe (& infra.) Sane licet idem Archiepiſcopus metropolitico jure audire non debeat cauſas de Epiſcopatibus veſtris, niſi per appellationem deferantur ad eum, legationis tamen obtentu univerſas, quæ per appel., vel querimoniam perveniunt ad ſuam audientiam, audire poteſt, & debet, ſicut qui in provincia ſua vices noſtras gerere comprobatur.

Hæc Decretalis, concedens poteſtatem appellandi ad legatum Papæ, etiam per ſimplicem querelam, moderata eſt a Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XX. *de reform.* præcipiente, ne Legati, & Nuncii Apoſtolici procedant in cauſis ſubditorum, niſi prius requiſito Epiſcopo, ad quem ſtatuit, cauſas omnes ſpectare in prima inſtantia, ſub pœna nullitatis actorum, ſatisfactioniſque damni, partibus illati. Excipiuntur tamen cauſæ poſſeſſionis beneficiorum reſervatorum, ſeu a Pontifice conceſſorum, ut dicetur, parte II. cum de cit. cap. XX.

SECTIO CLXXI.

Caput IV. Quod Translationem, *ex Decretali Innocentii III. Cincio, Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato in Sicilia ſcripta.*

QUod translationem (& infra.) Licet in Regno Siciliæ generalis tibi ſit commiſſa legatio, ad eam tamen ſine ſpeciali mandato noſtro non debuiſti manus extendere, quæ in ſignum

gnum privilegii ſingularis ſunt tantum Summo Pontifici reſervata : etſi quædam ex his , quæ de ſpeciali conceſſione ſæpe fuere Legatis indulta (ut illorum videlicet abſolutio , qui propter ſacrilegas manuum injectiones in Clericos , incidunt in Canonem promulgatæ ſententiæ) videantur ex ipſo legationis officio jam licere Legatis : an exiſtimas , quia vices noſtras tamquam Legato tibi commiſimus exequendas, quod Panormit. Eccleſiam poſſes ſubjicere Meſſan. , ut illam præficeres iſti , conceſſo ſibi privilegio primatiæ ? an putas ex eadem cauſa tibi licere duos Epiſcopatus unire , vel unum dividere ſine licentia ſpeciali .

Huie Decretali , quoad facultatem abſolvendi ab excommunicatione ob Clerici percuſſionem incurſam , hie Legato tributa, nihil quidem novi aeeeſſit: verum pro tutiori regula in praxi ſervanda notandum eſt , non ideo juxta communiorem ſententiam eidem tributam eiſe facultatem abſolvendi ab aliis caſibus Papæ reſervatis , ut probat Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. *part. I. cap.XXIV.* §. *de Legato*. Putat tamen idem Theſaurus -- Eum poſſe abſolvere a eaſibus Papæ reſervatis , conceſſis Epiſcopo a Triden. *ſeſſ.*XXIV. *cap.*VI. ſervata forma ibi præſeripta , quia Legatus concurrit eum quolibet Ordinario , & dicitur Ordinarius in tota ſua provincia *cap. I. de off. leg. & cap. II. eod. tit. in VI.* & habet omnem juriſdictionem , quam habet Epiſcopus , *Sanchez lib.*VIII. *de Matrim. diſt.*IX. *num.* 25. --

Dicta tamen facultas conceſſa in cit. eap. VI. intelligenda eſt , ſe extendere ad caſus Papæ reſervatos ante Triden. , non vero poſt , ut probabitur parte II. cum de eodem cap-VI.

Quod extra controverſiam eſt , Legatus , & Nuneius Apoſtolicus abſque ſpeciali facultate abſolvere nequit ab exeommunicatione ob violationem immunitatis eccleſiaſticæ , ut declaravit S. Cong. Immunitatis in *Papien.* 11. *Julii* 1676. *lib. I. Decret. Altovit. pagina* 130a. quæ injunxit Epiſcopo, ut denuo auctoritate ejuſdem Cong. abſolveret jam abſolutum ab Eminentiſſimo Legato ſine faeultate Apoſtoliea .

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CLXXII.

CAPUT I. OFFICII , *ex Decretali Innocentii IV.*

OFficii noſtri debitum remediis invigilat ſubditorum , quia dum eorum excutimus onera , dum ſcandala removemus , nos in eorum quiete quieſcimus , & fovemur in pace . Proinde præſenti decreto ſtatuimus , ut Eccleſiæ Romanæ Legati , quantumcumque plenam legationem obtineant , ſive a nobis miſſi fuerint , ſive ſuarum prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vendicent dignitatem , ex ipſius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant poteſtatem , niſi hoc alicui ſpecialiter duxerimus indulgendum . Quod in Fratribus noſtris legatione fungentibus nolumus obſervari : quia ſicut honoris prærogativa lætantur , ſic eos auctoritate jungi volumus ampliori ,

Hæc Decretalis , tribuens Cardinalibus , Papæ a latere Legatis faeultatem conferendi beneficia, declarata , & limitata eſt a Bonifaeio VIII. quoad beneficia expreſſa in ſequenti ejus Deeretali , relata in *cap. IV. hoc eod. tit. in VI.* illis prohibente ſub pœna nullitatis , ne conferant , aut ſibi reſervent eathedrales , aut collegiatas Eccleſias , vel ipſarum Cathedralium dignitates electivas , majores poſt pontificalem , ibi.

Deliberatione provida duximus inhibendum , ne aliquis Apoſtol. Sedis Legatus , quantumcumque legationem obtinere plenariam dignoſcatur , cathedrales , vel regulares , aut collegiatas Eccleſias , ſeu ipſarum Eccleſiarum cathedralium dignitates, ad quas hi, qui præficiuntur eiſdem , majores in earum capitulis poſt Epiſcopos exiſtentes , habent per viam electionis aſſumi , ſuæ ordinationi , collationi , proviſioni , electioni , aut diſpoſitioni , quomodocumque reſervet : nec de ipſis ordinandis , conferendis , vel diſponendis , ſe aliquatenus intromittat , neque aliquod , quominus hi , ad quos pertinuerit, eligere , aut poſtulare , libere valeant , cum vacabunt , obſtaculum quomodolibet interponat : decernentes quidquid contra hoc actum extiterit , eo ipſo irritum , & inane .

Prohibemus inſuper , ne Legatus ipſe in genere , aut in ſpecie cuicumque concedat , ut ab iis , qui beneficia intra legationem ejuſdem habentes , ea in illius manibus voluerint libere reſignare , ipſorum reſignatione recepta , illa valeat idoneis conferre perſonis , cum per hoc aperiri poſſet via contra lateranen. Concilium ad beneficia vacatura . Nos enim conceſſionem , quam contra hoc contigerit attentari , quidquid ex ea , vel ob eam ſecutum extiterit , nullam prorſus habere ſtatuimus roboris firmitatem , volentes non ſolum ad futura , ſed etiam ad præterita , & adhuc pendentia negotia hoc extendi .

SECTIO CLXXIII.

Caput III. Præsenti, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

Huic Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, admittenti reſervationes factas aLegatis a latere ad beneficia vacatura, derogatum eſt a Triden., ut ſupra notavi ad cap.XXX. *Capitulum*, Sectione X.

SECTIO CLXXIV.

APPENDIX

Ad hunc Titulum, in quo referuntur nonnulla, quæ tam ex poſterioribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quam ex Sacrarum Congregationum Decretis, ad Legatos a latere ſpectant, &c.

I. OFfendentes Legatos, & Nuncios Sedis Apoſt. incurrunt ipſo facto excommunicationem, Papæ reſervatam, ut ex Conſtit. Greg. XIII. *Conſueverunt* §. XI. *& ex cap.*XI. *Bullæ Cænæ*, cujus textum leges in calce hujus Operis.

II. Quæ juriſdictio eis concedi ſolebat, vide Conſtit. Innocentii VI. *Cum onus* 31. *Maii* 1353.

III. Et quæ legatione fungenti Romæ, cum Papa ab ea diſcedit, vide Conſtit. Pauli III. *Licet potestatis*, 22. *Martii* 1530. & Conſtit. Clem. VIII. *Licet*. 3. *Apr.* 1598.

IV. Simpliciter, & de plano manu regia procedunt in iis, quæ ſpectant ad bonum regimen communitatum ſtatus eccleſiaſtici, non obſtante quolibet decreto, indulto &c. Cammerarii, Theſaurarii, Auditoris Cameræ &c. ex Conſtit. Clemen. VIII. *Pro commiſſo* 15. *Auguſti* 1592. §. XXIV.

V. Non poſſunt dare licentiam Fratribus Mendicantibus, ut tranſeant ad Religionem non Mendicantium, excepta Carthuſianorum, *Extravag. de Regularibus tranſeuntibus &c. cap. Viam*.

VI. Non poſſunt remittere bannitos, ſeu homicidas, nec facere compoſitionem cum eis ex Conſtitut. Pii IV. *In eminenti* 6. *Januar.* 1561.

VII. Nec poſſunt impedire, aut turbare Epiſcopos in cauſis beneficialibus, matrimonialibus, & aliis eccleſiaſticis; nec procedere contra Clericos, niſi Epiſcopo prius requiſito, eoque negligente, alias acta, & proceſſus ſunt nulla, & tenentur ad reſtitutionem, & damna. Conc. Triden. *cap.*XX. *ſeſ.* XXIV. *de reform.*

VIII. Non poſſunt pro ſe, vel ſuis conſanguineis procurare a Principibus favores, vel eis uti ad conſequendas dignitates, ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ex Conſtitut. Pii IV. *Et ſi* 18. *Maii* 1565.

IX. In provinciis ditionis eccleſiaſticæ nequeunt concedere in emphyteuſim, aut feudum bona devoluta Cameræ Apoſtolicæ: neque reſtitutionem in integrum adverſus caducitates incurſas, aut purgationes moræ, nec condonationes, aut compoſitiones ſuper reſponſionibus non ſolutis, ex Conſtit. Benedicti XIV. *Concreditum* 12. *Jun.* 1748.

X. Poſſunt tamen ex eadem Conſtit. concedere renovationes, adveniente tempore, de quo conventum fuerit in prioribus inveſtituris, ſub certis conditionibus, ibidem præſcriptis. Item conſenſum præſtare nomine Cameræ Apoſt. in alienationibus bonorum ubi facultas ita alienandi conceſſa eſt, ut in Ducatu Ferrariæ.

XI. Non poſſunt concedere facultatem extrahendi reum a loco immuni, nec conſignandi curiæ ſæculari ex decreto Cong. Immunit. in *Bononien.* 19. *Auguſti* 1630. *lib. II. decret. Paulue. pag.* 53. Quare Eminentiſſimus Legatus extrahere faciens homicidas ab Eccleſia, mandet reponi, eadem S.Cong. in *Ferrarien.* 29. *Decembr.* 1635. *lib. Scripturar. veterum pag.* 77. Eminentiſſimo Legato, petenti facultatem a Sanctiſſimo procedendi contra Sacerdotem, indicatum ut mandantem occiſionem, Sacra Cong. reſpondit non expedire, ead. Sac. Cong. in *Bonon.* 15. *Jun.* 1688. *lib. decret. Mart. pag.* 303.

XII. *Die* 17. *Auguſti* 1720. *lib. VI. Decretor. Ricci fol.* 185. Cervien. Legato Ferrarien. dum fuit conceſſa facultas, ut ſe abſolvere faceret a cenſuris privatim a proprio confeſſario, quas incurrerat ob abſolutionem ab Eminentia ſua datam cuidam cenſurato ab Epiſcopo Cervien., cui Legato Sac. Cong. pariter ſignificavit, id non ſpectare ad ipſum, ſed tantum ad Sac. Cong, ſive ad Sanctiſſimum, quando agitur de cenſuris incurſis ſuper læſione Immunitatis.

XIII. *Die* 16. *Novembris* 1720. *lib. VI. Decretor. fol.* 210 Ravennaten, datur facultas confeſſario Eminentiſſimi Legati pro ipſius abſolutione a cenſuris incurſis ob ordinem ab eo datum birruariis perquirendi in monaſteriis, & Eccleſiis Canonicorum Lateranenſium, & Camaldulenſium, perſonam ream gravis delicti.

XIV. *Die* 24. *Martii* 1722. *lib. VII. Decretor. Ricci fol.* 22. *a terg.* Bononien. Legato, neque vigore facultatum conceſſarum in Brevibus Legationis, neque vigore literarum requiſitoriarum alicujus Ordinarii licet devenire ad capturam Sacerdotis inquiſiti a ſuo Ordinario, & degentis extra diœceſim: ſed quatenus devenerit ad dictam capturam, carceratus eſt conſignandus Ordinario loci, ubi degit.

XV. Legati, ſive eorum Vice-Legati, non requiſito, ac etiam negligente Epiſcopo, de ſolo conſenſu par-

Digitized by Google

partium, non poſſunt avvocare cauſas in prima inſtantia, ſpectantes ad eumdem Epiſcopum; neque conſentiente Epiſcopo, reluctantibus partibus ex decretis Cong. Conc. in *Faventina menſe Octobri* 1585. *lib. Decret. IV. pag.* 75. & in *Pharaonen.* 1596. *Decretor. lib VIII. pag.*174.

XVI. Non poſſunt committere cauſas in ſecunda inſtantia ſuis Auditoribus contra diſpoſita a Trident. in *cap.*II. *ſeſſ.* XIII. *de refor.*, niſi hoc in facultatibus ſuis ſpecialiter contineatur in *Tullen.* 19. *Decembris* 1596. *Decretor. lib.VIII. pag.*198.

XVII. Nec cognoſcere cauſam in prima inſtantia ſuorum familiarum, ſi actores ſint, contra ſubditum Epiſcopi *in Meſſanen.* 12. *Aprilis* 1601. *Decret. lib.IX. pag.*137. *&* 138.

XVIII. Nec inſtituere concurſum ſuper parochiali vacante per liberam reſignationem in ipſorum manibus: ſed habito concurſu coram Epiſcopo, debent Eccleſiam conferre ei, quem idem Epiſcopus digniorem judicaverit. *Dubia ad cap.* XIV. *ſeſſ.* XXIV. *de reform. ad* I. *&* II. *Poſit.* 100.

XIX. Neque poſſunt, conſentientibus partibus, ſed non Epiſcopo, cognoſcere cauſas eccleſiaſticorum in prima inſtantia tam reales, quam perſonales, tam executivas, & in quibus intrat obligatio cameralis, quam ordinarias ad forum eccleſiaſticum ſpectantes in *Ravennaten. Juriſdictionis* 4. *Maii* 1675. *Decretor. lib.* XXIX. *pag.* 79. *& in Piſauren.* 14. *Martii*, *&* 2. *Maii* 1648. *Decretor. lib.*XVIII. *pag.*453., *&* 474.

XX. Neque concedere poſſunt privilegium exemptionis a juriſdictione Ordinarii Doctoribus, Curialibus, & Advocatis Collegii Raven. in cauſis primæ inſtantiæ ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus in *Ravennaten. Juriſdictionis* 17. *Novembris* 1696. *ad* I. *Decret. lib.*XLVI.

XXI. Neque concedere poſſunt mulieribus facultatem ingrediendi clauſtra virorum regularium, nec cuiquam ingrediendi monaſteria monialium, & reſpective ab his egrediendi ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. *Regularis diſciplinæ*, *& Salutare* 13. *Januar.* 1742.

XXII. Neque dare licentiam deferendi arma prohibita, ex Conſtitutionibus Pii IV., & V. ut infra notabitur *tit. de vita*, *& honeſtat. Cleric. cap.II.*

XXIII. Neque diſpenſare Presbyteris actu celebrantibus, ut fictum capillitium deferant, ut infra notabitur cit. *tit. ad cap.IV. & V.*

XXIV. Poſſunt cognoſcere cauſas appellationis, interpoſitæ ad Sedem Apoſtol., ut notatum eſt in *Poſit.*41. *in Dubio ad cap.*VII. *ſeſſ.*XXII. *de refor.* ſervata tamen forma diſpoſitionis ejuſd. cap. VII.

XXV. Poſſunt itidem aſſiſtere matrimonio, ita ut hoc coram ipſis contracto, validum pluries declaraverit Cong. C., & ſignanter in *Nullius* 4. Jul. 1602. *ut in lib.X. Decret. fol.* 36., *& in alia Nullius* 3. *Junii* 1628., *ut in lib.* XIII. *Decret. fol.* 467. *& in Dub. Juriſdict.* 22. *Martii* 1681. *ut in lib.* XXXI. *Decret. fol.* 363. *apud Urſayam Tom.* I. *parte* II. *diſceptat.* II. *num.* 156. ubi plures citantur Doctores, & tenent alii paſſim.

Titulus XXXI. De Officio Judicis Ordinarii.

S E C T I O C L X X V.

Caput I. Perniciosa, *ex Decretali, deſumpta a Synodo Trecenſi, celebrata apud Trecas in Gallia, a Joanne Papa VIII. an.*872.

Perniciosa (& infra.) Habeant igitur Epiſcopi ſingularium urbium in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare, ſecundum quod Canones cenſent, abſque impedimento alicujus. Et cum opus fuerit, publicum convocent auxilium, non ad præjudicandum, ſed potius ad ea, quæ Deo ſunt placita, proſequendum.

Huic Decretali, tribuenti Epiſcopo liberam poteſtatem puniendi adulteras, & concubinarios, nullam ſpeciatim deſignando pœnam iiſdem infligendam, acceſſit Decretum Conc. Trid. quo *cap.*VIII. *ſeſſ.* XXIV. *de reform. matrim.* certas pœnas contra prædictos conſtituit, de quibus dicetur infra parte II. cum de eodem cap.

S E C T I O C L X X V I.

Caput II. Si Sacerdos, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Norvicenſi ſcripta.*

Si Sacerdos ſciat pro certo, aliquem eſſe reum alicujus criminis, vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit, niſi judiciario ordine quis probare poſſit, non debet eum arguere nominatim, ſed indeterminate; ſicut dixit Chriſtus; *unus veſtrum me traditurus eſt*. Sed ſi ille, cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit, ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a communione, licet ſciat,

eum

eum eſſe reum quia non ut judex ſcit, ſed ut Deus: ſed debet eum admonere, ne ſe ingerat, quia nec Chriſtus Judam a communione removit.

In hac Decretali tribuitur parocho (qui hic venit nomine Sacerdotis) poteſtas excommunicandi ſuum parochianum. Verum quo jure id ipſi competat, patebit ſequenti Sectione.

SECTIO CLXXVII.

CAPUT III. CUM AB ECCLESIARUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Petro Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo Florentino) ſcripta.*

CUM ab Eccleſiarum Prælatis eccleſiaſtica ſententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet, & firma conſiſtere, & uſque ad dignam ſatisfactionem inviolabiliter obſervari. Quapropter mandamus, quatenus, ſi quando plebanus Sancti P. in Clericos, vel laicos paræcianos ſuos interdicti, vel excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam facias inviolabiliter obſervari, & eam ſine congrua ſatisfactione, & abſque ejuſdem plebani conſcientia non relaxes.

In hac pariter Decretali adſtruitur parocho poteſtas ferendi in Clericos, & laicos ſuos parochianos interdicti, & excommunicationis ſententiam, quamque Epiſcopus, abſque illius ſcientia relaxare non poſſit.

Verum dicendum eſt cum Abbate hic *num. 1. ver. Non iſte Plebanus, & in cap. Si Sacerdos num. 10. & Fagnan. ad hoc idem cap.* III. tam in caſu iſtius, quam alterius mox tranſcriptæ Decretalia, id ei competiiſſe de jure ſpeciali, ideſt ex privilegio, vel præſcriptione, quod tamen contraria conſuetudine abolitum eſt: cum de cætero, quamvis parochus habeat curam, & Juriſdictionem ordinariam fori pænitentialis, ſeu interni, tam in Clericos, quam in laicos ſuos parochianos, ex communiori tamen, & in praxi recepta ſententia, quam cum *S. Thoma in ſupplemento parte* III. *q. 22. art.* I. mordicus ſuſtinent Theologi, & Canoniſtæ, nullam habet Juriſdictionem fori contentioſi, ſeu externi, quidquid ſenſerit *Petrus Mingonius in ſua diſceptatione de eminentiori parochorum dignitate ſupra Canonicos, typis edita Florentiæ anno* 1732. in qua, innixus huic Alexandri. Decretali, aſſerere conatur, iiſdem competere juriſdictionem ordinariam, etiam in foro externo, quæ tamen valde confutata eſt a *Joanne Dominico Lario in diſertatione, Piſis impreſſa an.* 1733.

SECTIO CLXXVIII.

CAPUT IV. CUM VOS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis ſcripta.*

CUM vos plerumque oporteat ordinationem Eccleſiarum differre, pro eo, quod quandoque perſonæ vobis minus idoneæ præſentantur, aut inter vos, & præſentatores alia de cauſa radix diſſentionis emerſerit (& infra.) Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus, ſi quando in vacantibus Eccleſiis, in quibus eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet, vel quia perſonæ minus idoneæ præſentantur, vel alia de cauſa, de jure perſonas non potueritis in eis inſtituere: appellatione remota, ponatis œconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in Eccleſiarum utilitatem expendere, aut futuris perſonis fideliter reſervare.

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis, ſi Eccleſia, & quidem parochialis, vacans, ſit juris patronatus eccleſiaſtici, & illius proviſio ex cauſa differatur, deducitur, Epiſcopum non poſſe in ea ponere œconomum, ſed ejuſdem cuſtodiam interim pertinère ad patronum, quouſque de parocho provideatur.

Verum huic diſpoſitioni derogatum eſt a Concil. Triden. præcipiente *cap.* IX. *ſeſſ* XXV. *de reform.* ne patroni, ſive laici, ſive eccleſiaſtici, ſe ingerant in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum quorumcumque beneficiorum, licet vere eſſent de jure patronatus ipſorum ex fundatione, & donatione, ſed ut illos libere dimittant rectori, ſeu beneficiato, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.

Præcipit inſuper Triden. *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de reform.* conſtituendum eſſe ab Epiſcopo ſtatim poſt notitiam vacationis Eccleſiæ parochialis œconomum, ſeu vicarium, qui ejuſdem Eccleſiæ onera interim ſuſtineat, ejuſque cuſtodiam, & adminiſtrationem habeat, ſive hæc ſit liberæ collationis, ſive juris patronatus, tam eccleſiaſtici, quam laicalis, ſive etiam vacet per obitum, & reſignationem in Curia, ſeu aliter generaliter, vel ſpecialiter reſervata, vel affecta ſit, etiam S. R. E. Cardinalibus, ſeu Abbatibus, vel capitulis.

Hoc idem præſtandum eſt a Vicario capitulari, ſede vacante. Idem ab Epiſcopo viciniori, ſi ſola collatio parochialis vacantis competat Abbatibus.

Hac conciliari ſanctione derogatum eſt etiam opinioni Gloſſ. penult. in hoc eodem cap. *ver. œconomus*, quam ſequitur *Joan. And. hic num.* 16. ſententis, deputationem œconomi Eccleſiæ parochialis non indiſtincte pertinere ad Epiſcopum, ſed ad eum, ad quem pertinet inſtitutio. Quæ quidem facultas tunc ſolum competit inferiori Prælato ex decreto Cong. Concil. relat. a Fagnan. in cap. *Cum contingat* XIII. *de for. compet. num.* 31. *&* 38. quando habet omnimodam juriſdictionem epiſcopalem, nec alicui ſubditur, & eſt immediate ſubjectus Sedi Apoſtol. & nullius diœceſis, & habet populum, ac territorium, & jus congregandi Synodum, ac legitime conſtet, eam congregaſſe.

Circa judicium de idoneitate perſonarum, quæ a patronis præſentantur ad curam animarum, de quibus in allata Decretali, inſtituetur ſermo parte II. cum *de cit. cap.* XVIII.

Circa fructus vero Eccleſiæ vacantis, erogandos vel in utilitatem ejuſdem Eccleſiæ, vel reſervandos ſucceſſori, ut in eadem Decretali ſtatuitur, vide notanda infra ad cap. IX. *Præſenti* hoc eod. tit. in VI. Sectione CLXXXVIII.

SECTIO CLXXIX.

CAPUT VII. QUANTO, *ex Decretali Innocentii III. Auſcitano Archiepiſcopo, in Aquitania ſcripta.*

QUanto devotio Religioſorum (& infra.) Ad audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod Monachi, Canonici, & alii Regulares tuæ provinciæ, cum deberent potius in clauſtro juxta regularia conſtituta divinis obſequiis vigilare, de obedientiis, & redditibus, quorum curam geſſerunt, pecunia congregata, clauſtrum abhorrentes, per curias Principum, & potentum diſcurrere non verentur (& infra.) Mandamus, quatenus quoſcumque tales inveneris, niſi ad commonitionem tuam reſipuerint, ut proprium in manibus Prælatorum ſuorum ſine difficultate reſignent, convertendum in utilitatem domus, ſecundum Abbatis conſilium, & regularem vitam obſervent: ſi Prælati eorum poſt tuam commonitionem id exequi negligenter omiſerint, per ſuſpenſionem officii, & beneficii, appellatione remota, compellas.

Quid novi huic Decretali acceſſerit circa officium revocandi ad clauſtra Regulares vagabundos, fugitivos, & apoſtatas, inſtituetur ſermo parte II. cum de cap. XIV. *Trident. ſeſſ.* XXV. *de regul.* ubi leges decretum Cong. Conc. juſſu Urbani VIII. editum ſub die 21. Septembris 1624. relatum in Bullario Cherubini, in Conſtit. la XXVI. inter alias ejuſdem Urbani.

SECTIO CLXXX.

CAPUT X. QUOD SEDAM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Turonenſi Archiepiſcopo reſcripta.*

QUod Sedem Apoſtolicam (& infra.) Nos ſiquidem conſuluiſti, utrum, ſi aliqua infirmitate, vel alia juſta cauſa detentus, aliquem Suffraganeorum tuorum conſecrare non poſſes, alicui Cœpiſcoporum tuorum vices tuas committere licitum tibi eſſet (& infra.) Conſult. tuæ taliter reſpondemus, quod in tali articulo conſtituto, & tuas vices (ut dictum eſt) tibi committere licet, & conſecrandus munus debet ab eo conſecrationis accipere, cui eas duxeris committendas, dummodo catholicus habeatur, & impedimentum ei ex ſubtractione gratiæ Apoſt. Sedis non obſiſtat.

Circa conſecrationem Epiſcopi Suffraganei faciendam a Metropolitano, vel eo impedito, ab aliquo ex ejus Suffraganeis de ipſius commiſſione, ut in hac Decretali diſponitur, cum hodie Epiſcoporum conſecratio fieri debeat ex commiſſione Summi Pontificis, attendenda ſunt jam notata ad *cap.* VII. *Nec Epiſcopi*, *de temporib. ordinat.* Sectione LXXXII.

SECTIO CLXXXI.

Caput XIII. Irrefragabili, *ex Decretali ejuſdem Innocentii in Concilio Generali Lateranenſi IV.*

IRrefragabili conſtitutione ſancimus, ut Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maxime Clericorum, & reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Ut autem correctionis, & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire, niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam. Exceſſus tamen Canonicorum cathedralis Eccleſiæ, qui conſueverunt corrigi per capitulum, per ipſum in illis Eccleſiis, qui talem hactenus conſuetudinem habuerunt, ad commonitionem, vel juſſionem Epiſcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum: alioquin ex tunc Epiſcopus, Deum habens præ oculis, ipſos, ut animarum cura requirit, per cenſuram eccleſiaſt. corrigere non poſtponat. Cæterum, ſi Canonici abſque manifeſta, & rationabili cauſa (maxime in contemptum Epiſcopi) ceſſaverint a Divinis, Epiſcopus, ſi voluerit, nihilominus celebret in Eccleſia cathedrali; & Metropolitanus ad querelam ipſius, tamquam ſuper hoc delegatus a nobis, taliter eos per cenſuram eccleſiaſt. cognita veritate, caſtiget, quod pœnæ metu talia de cætero non præſumant. Provideant itaque diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum, ad quæſtum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant, ſed iſtud ſtudioſe, ac fideliter exequantur, ſi canonicam velint effugere ultionem: quoniam ſuper his Sedes Apoſt.; auctore Domino, attentiſſime vigilabit.

Hæc Decretalis, concedens in §. *Exceſſus* facultatem Epiſcpo corrigendi exceſſus Canonicorum in illis Cathedralibus, ubi conſueverunt corrigi per capitulum, ſolum poſt præmiſſam monitionem, & elapſum terminum, eidem capitulo ab eo præfixum, & non antea, correcta eſt, ſeu ampliata a Trident. *ſeſſ.* VI. *cap.* IV. *de reform.* tribuente hanc facultatem Epiſcopis intra viſitationem, ut aut per ſe ſolos, aut adjunctis aliis ſibi beneviſis, dictos exceſſus corrigant, etiam non præmiſſa monitione, & non præfixo termino, nec data negligentia capituli in corrigendo, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, aut exemptione. Textum leges par. II. cum de eod. cap.

Extra viſitationem vero ex *cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. Epiſcopus, vel ejus Vicarius procedere poteſt contra eoſdem Canonicos uſque ad finem cauſæ incluſive, cum conſilio tamen, & aſſenſo duorum capitularium, initio cujuslibet anni a capitulo eligendorum juxta formam ibi præſcriptam.

Sed ſi agatur de criminibus incontinentiæ, aliiſque, depoſitionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, poteſt ſolus Epiſcopus ex *cit. cap. VI.* ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere, ſervata in reliquis forma ibi præſcripta. Textum cit. cap. VI. leges par. II. cum de eod. cap.

Decreto tamen de duobus capitularibus adjunctis non eſſe locum, niſi cum agitur de capitulo ab Epiſcopi juriſdictione exempto, ſemper cenſuit Cong. Conc. ut colligitur ex variis ejuſdem reſponis ad poſtulata Epiſcoporum, relatis a Benedicto XIV. *de Synodo Diœc. lib.* XIII. *cap.* IX. *num.* 7. *& ſeqq. edit. an.* 1755. Et nota, quod Epiſcopus poteſt intra viſitationem per ſe ſolum corrigere exceſſus Canonicorum in vim cit. *cap. IV.* nullis capitularibus ſibi adjunctis, ut etiam declaravit Gregor. XIII. approbando ſententiam Congreg. Conc. circa hanc quæſtionem, teſte Fagnan. in cap. *Ut juxta hoc eod. tit. num.* 39. Nota etiam pro concilatione cit. *cap. IV. ſeſſ. VI.* cum *cap. III. ſeſſ. XXIV.* quod Epiſcopus volens viſitare ſeorſim capitulum exemptum in vim d. *cap. IV.* id exequi debeat per ſe ipſum: viſitare vero volens totam diœceſim, aut partem ejus in vim cit. *cap.* III. *ſeſſ.* XXIV. poſſit, ſi legitime impeditus fuerit, hanc viſitationem explere per ſuum generalem Vicarium, aut viſitatorem, ut perpendit Cong. Conc. in *cauſa Hiſpalen.* 12. *Martii* 1593. *lib.* VII. *decret. pag.* 94. *relat. in cit. lib.* XIII. *de Synod. cap.* IX. *n.* 6.

SECTIO CLXXXII.

Caput XIV. Quoniam, *ex Decretali ejuſdem Innocentii in eod. Conc. Lateranen. quæ reperitur in Can. IX. dicti Concilii.*

QUoniam in pleriſque partibus intra eamdem civitatem, atque diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios ritus, & mores: diſtricte præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi civitatum, ſive diœceſum provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum, & linguarum divina illis officia celebrent, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter, & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una, eademque civitas, ſive diœceſis diverſos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diver-

ſa capita, quaſi monſtrum. Sed ſi propter prædictas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci catholicum Præſulem nationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens & ſubjectus. Unde ſi quis aliter ſe ingeſſerit, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum, & ſi nec ſic reſipuerit, ab omni miniſterio eccleſiaſtico deponendum, adhibito (ſi neceſſe fuerit) brachio ſæculari ad tantam inſolentiam repellendam.

A canonica diſciplina in hac Decretali præſcripta, receſſum quidem aliquando fuit ob temporum circumſtantias, & privilegia a Romanis Pontificibus, Græcis in latinorum Epiſcoporum diœceſibus habitantibus conceſſo, per quod a localium Epiſcoporum juriſdictione exempti, Rom. Pontifici immediate ſubjicerentur. Verum cum ex hac immediata ſubjectione plurima diſſidia exorta fuerint, Pius IV. derogando privilegiis per ejus Prædeceſſores conceſſis, decrevit, ut Græci, Siciliam, citra, & ultra pharum incolentes, ſubjecti eſſe deberent juriſdictioni Ordinariorum illarum diœceſum, in quibus habitarent, circa ea omnia, quæ ad divinum cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, expiationem hæreſum, viſitationem Eccleſiarum, & eccleſiaſticam diſciplinam pertinerent, ut in ejus Conſtit. *Romanus Pontifex* 16 *Februarii* 1564. quam confirmavit Benedictus XIV. Conſtit., *Etſi paſtoralis* 26. *Maii* 2742. *in qua* §. IX. *num.* 19. eadem lege obſtringi declarat Græcos tam laicos, quam eccleſiaſticos, ſæculares, & regulares. Plura hac de re vide *lib.* II. *de Synod. Diœc. cap.* XII. *edit. anni* 1755.

SECTIO CLXXXIII.

CAPUT XV. INTER cætera, *ex Decretali laudati Innocentii III. in eodem Conc. Lateranenſi.*

INter cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi chriſtiani pabulum verbi Dei permaxime ſibi noſcitur eſſe neceſſarium; quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde cum ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omnino, nec de cætero tollerandum) per ſe ipſos non ſufficiunt miniſtrare Verbum Dei populo, maxime per amplas diœceſes, & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi, viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere, & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas, vice ipſorum (cum per ſe iidem nequiverint) ſolicite viſitantes, eas verbo ædificent, & exemplo, quibus ipſi, cum indiguerint, congrue neceſſaria ſubminiſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incepto. Unde præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores, & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus, & pænitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc adimplere neglexerit, diſtricte ſubjaceat ultioni.

Circa prædicationem Verbi Dei, quod eſt præcipuum Epiſcoporum munus, de quo in hac Decretali, conforme eſt decretum Trident. in *cap. II. ſeſſ. V. de refor.*

Quod ſpectat ad Concionatorum approbationem faciendam ab Epiſcopo, hæc Decretalis ampliata eſt ab eodem Concilio, a quo *cap. IV. ſeſſ. XXIV. de refor.* ſtatuitur, ut approbari debeant nedum deputati pro Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, ſed etiam pro quibuſcumque aliis Eccleſiis, tam ſæcularibus, quam regularibus: de qua fuſior inſtituetur ſermo part. II.

Circa deputationem Confeſſariorum, ſeu Pœnitentiariorum, quam hic Pontifex ab Epiſcopo fieri præcipit, inſtituetur pariter ſermo eadem parte II. cum de *cap. VIII. ſeſſ. XXIV. de Refor.*

SECTIO CLXXXIV.

CAPUT XVI, CONQUERENTE, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Aſſiſienſi ſcriptu.*

COnquerente œconomo monaſterii S. Benedicti montis Subaſii, nobis innotuit, quod tu juribus epiſcopalibus non contentus, quæ in Eccleſiis, ſeu capellis ejuſdem monaſterii debes

debes habere, a quibuſdam earum procurationem exigis, quas ad dandam procurationem minime ſufficere proponebat, petens, ut ſpecificares, quæ tibi ratione juris epiſcopalis competerent in eiſdem, quorum quibuſdam ſpecificatis, lis fuit legitime conteſtata. Nos autem, inſpectis probationibus, & quæ ab utraque parte fuere propoſita, intellectis, decrevimus, ut in Eccleſiis, ſeu capellis tuæ diœceſis ad monaſterium ipſum ſpectantibus, habeas canonicam obedientiam, ſubjectionem, & reverentiam, inſtitutionem, & deſtitutionem, correctionem, & reformationem, & cenſuram eccleſiaſticam, juriſdictionem quoque cauſarum omnium ad forum eccleſiaſticum de jure ſpectantium, pænitentias, & Sacramentorum omnium, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda, collationem, ſynodum, & ſynodatici, ſeu cathedratici nomine duos ſolidos, quartam decimationum, & mortuariorum, viſitationem quoque annuam: ita quod cum ad eas viſitandas acceſſeris, non amplius procurationis nomine requiras ab eis, niſi quantum (penſatis facultatibus earumdem) moderate poterunt exhibere, ne plus cæteris capellis ejuſdem diœceſis in procurationibus onerentur (& infra.) Tu autem his juribus in præfatis Eccleſiis contentus exiſtens, non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranen. Concilii, ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum, ſicut ab aliis Eccleſiis ejuſdem diœceſis, pro neceſſitate temporis, ſuſtinemus.

Circa viſitationem Eccleſiarum Regularium, eorumque correctionem, & cætera in hac Decretali contenta reſpectu eorumdem Regularium, die, ut in nota ad cap. ſequens.

SECTIO CLXXXV.

Caput XVII. Ut juxta, *ex Decretali ejuſdem Honorii III. Abbati, & Conventui S. Remigii, Ordinis S. Benedicti in Gallia ſcripta.*

Ut juxta (& infra.) Attendentes igitur, quod indecens eſt, ut Remen. Archiepiſcopo in monaſterio veſtro viſitationis officium exercente, ſæculares interſint, per quos poſſit in clauſtro diſſolutionis materia provenire, firmiter inhibemus, ut nullos de cætero ſæculares in capitulum (niſi duos, vel tres de Canonicis Eccleſiæ ſuæ in decenti habitu, aliis quos expedire viderit, Religioſis adjunctis) ſecum viſitationis tempore introducat.

Hæc Decretalis locum habebat reſpectu illorum Regularium dumtaxat, qui immediate ſubjecti erant omnimodæ juriſdictioni Ordinarii locorum. Cum autem hodie Regulares immediate ſubjecti ſint Sedi Apoſtol., exempti ſunt a viſitatione Ordinarii, iis monaſteriis exceptis, de quibus ſermo erit infra parte II.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CLXXXVI.

Caput II. Si Canonici, *ex Decretali Gregorii X. in Concilio generali Lugdunenſi II. celebrato anno 1274.*

Hujus Decretalis textum tranſcribere omitto, ejus tamen ſumma eſt.

Canonici, qui a Divinis ceſſare poſſunt conſuetudine, vel alio jure, ſi ceſſare volunt, cauſam ſuæ ceſſationis exprimant in inſtrumento publico, vel patentibus literis, ſuo, vel alio authentico ſigillo munitis, & exhibeant illud ei, contra quem ceſſant. Hoc prætermiſſo, vel expreſſa cauſa non reperta legitima, quidquid medio tempore perceperint ab Eccleſia, reſtituant, & quæ percipere debent, non percipiant, & ſatisfaciant de injuriis illi, contra quem ceſſant. Cauſa legitima reperta, tenetur ille ad intereſſe Canonicis, & ad certam quantitatem Eccleſiæ, Superioris taxandam arbitrio. Ultimo reprobatur conſuetudo, qua imagines Sanctorum in dicta ceſſatione, ſpinis, & urticis ſupponebantur: & ſtatuitur, contrarium facientes graviter puniendos.

Huic Decretali acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata *hoc eod. tit. cap.* VIII. *Quamvis*, addens tam huic, quam Decretali Innocentii III. relatæ in cap. XIII. *Irrefragabili, hoc eod. tit. in antiquis*, novam formam in ceſſatione a Divinis ſervandam.

Verum, ut notat hic Vuagnerek — Cum appareat, ceſſationem a Divinis eſſe rem multis difficultatibus intricatam, ideoque non abſque cauſa videri in deſuetudinem abiiſſe —.

SECTIO CLXXXVII.

Caput III. Ordinarii, *ex Decretali ejuſdem Gregorii in eodem Concilio*.

Ordinarii locorum ſubditos ſuos, plures dignitates, vel Eccleſias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, ſeu perſonatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura ſimilis eſt annexa, diſtricte compellant diſpenſationes, auctoritate quarum hujuſmodi Eccleſias, perſonatus, ſeu dignitates canonice tenere ſe aſſerunt, intra tempus pro facti qualitate, ipſorum Ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quod ſi forte, juſto impedimento ceſſante, nullam diſpenſationem intra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ, beneficia, perſonatus, ſeu dignitates, quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicite detineri conſtabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere perſonis idoneis conferantur. Cæterum, ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis hujuſmodi, quæ canonice obtinet, moleſtetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter, nec animarum cura in eiſdem Eccleſiis, perſonatibus, ſeu dignitatibus negligatur: nec beneficia ipſa debitis obſequiis defraudentur. Si vero de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad Sedem Apoſtol. recurrendum, cujus eſt æſtimare, quem modum ſui beneficii eſſe velit. In conferendis inſuper perſonatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis, curam habentibus animarum annexam, iidem Ordinarii diligentiam illam obſervent, ut perſonatum, dignitatem, vel aliud beneficium, ſimilem curam habens animarum, alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam eis ſuper obtinentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur. Qua etiam oſtenſa, ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eamdem, quod is, cui eſt collatio facienda, hujuſmodi perſonatum, dignitatem, vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel ſi ea, quæ ſic obtinet, libere, ac ſponte reſignet; aliter autem de perſonatibus, dignitatibus, & beneficiis talibus facta collatio, nullius penitus ſit momenti.

Huic Decretali, mandanti Ordinariis compellere obtinentes plura curata, aut alia incompatibilis beneficia in primo genere ad exhibendam diſpenſationem pro eorumdem retentione, in illoſque procedere, ac ſi nullam diſpenſationem haberent, ſi eam non oſtenderint intra tempus ab ipſis Ordinariis conſtitutum, acceſſit Decretalis Joannis XXII. relata in cap. II. *Ut quos, hoc eod. tit. in Extravagant. commun.* addens §. *Ut autem*, pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto ab iiſdem Ordinariis incurrenda, ſi non procuraverint, ut ab obtinentibus beneficia incompatibilia in primo genere, diſpenſationes Apoſtolicæ exhibeantur, ibi.

Ut autem præmiſſorum fructus facilius ſubſequatur, omnibus, & ſingulis Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, quam eos (ſi in exequendis ſubſequentibus negligentes fuerint) incurrere volumus ipſo facto, diſtricte præcipimus, & mandamus, ut ſub certa, & formidabili pœna eorum arbitrio infligenda, ſubditis ſuis plures dignitates, & perſonatus, aut Eccleſias, quibus cura imminet animarum, aut dignitatem, vel perſonatum cum alio beneficio, cui cura ſimilis ſit annexa, obtinentibus, injungere debeant, quod diſpenſationes, auctoritate quarum hujuſmodi Eccleſias, perſonatus, vel dignitates obtinent, ſi quas habent, necnon, & titulos Eccleſiarum, dignitatum, vel perſonatuum eorumdem, intra tempus pro facti qualitate, ipſorum Ordinariorum moderandum arbitrio, Ordinariis ipſis, vel iis, quem, vel quos ad hoc duxerint deputandos, exhibere procurent: de proceſſibus habendis ſuper his exhibitis, propoſitis, & productis, reddituri abſque moræ diſpendio per ſcripta publica conficienda ſuper his Sedem Apoſtolicam certiorem.

Hanc Joannis Conſtitutionem opinatur Theſaurus *de Pœnis Eccleſiaſt. verb. Intruſus cap. IV.* non videri editam per modum legis univerſalis, ſed edicti pro ea vice. Verum cum inſerta ſit in Codice ſexti Decretalium, juſſu Bonifacii VIII. collectarum, non video, cur hodie non habeat vim legis univerſalis.

Subdit etiam, pœnam ibidem inflictam, non videri uſu receptam, neque a Tridentino innovatam: quæ quidem pœnæ innovatio in *cap. V. ſeſſ. VII. de Refor.* non legitur: legitur vero in eod. cap. innovata, tranſcripta Decretalis Gregorii, eam extendendo ad beneficia incompatibilia, etiam in ſecundo genere, addendo, ut quouſque obtinentes plura beneficia incompatibilia non exhibeant diſpenſationes Apoſtolicas, Ordinarii provideant Eccleſiæ de Vicario, cum congrua aſſignatione fructuum ejuſdem Eccleſiæ, ibi.

Ordinarii locorum, quoſcumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtricte compellant, & alias procedant, juxta conſtitutionem Gregorii X. in generali Lugdunenſi Concilio editam, quæ incipit, *Ordina-*

dinarii, quam eadem S. Synodus innovandam cenſet, & innovat: addens inſuper, quod ipſi Ordinarii, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipſa debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuſcumque, etiam cum judicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmiſſis nomini ſuffragantibus.

Nota I. Juxta laudatum Theſaurum loc. cit. cum DD. ibidem allatis, poſſe Epiſcopum cogere per edictum, ut omnes beneficiati intra certum tempus oſtendant titulum ſuorum beneficiorum, ſub pœna privationis eorumdem, ipſo facto incurrenda, ob præſumptam intruſionem: nec eis ſuffragari contra hujuſmodi edictum regulam de triennali.

Nota II. Incompatibilitem beneficiorum, in primo genere tunc dari, quando ipſo jure unum ab altero excluditur, ita ut primum vacet ipſo jure, obtento ſecundo, ſive illa repugnantia proveniat ex jure naturali, ſive eccleſiaſtico: in ſecundo vero genere, quando due beneficia licite non compatiuntur in eadem perſona, ita ut teneatur in conſcientia alterum dimittere, non tamen ut vacet ipſo jure. Vide Theſ. *de Pœnis eccleſ.* cap. VII. verb. *Beneficium*, in quo recenſentur beneficia incompatibilia tam in primo, quam in ſecundo genere.

SECTIO CLXXXVIII.

CAPUT IX. PRÆSENTI, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

PRæſenti prohibemus edicto, ne Epiſcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, ſeu quivis alii regulares, vel ſæculares Prælati, aut eccleſiaſticæ quæcumque perſonæ, vacantibus dignitatibus, perſonatibus, prioratibus, vel Eccleſiis quibuſcumque ſibi ſubjectis, ſeu ad collationem, ordinationem, præſentationem, vel cuſtodiam pertinentibus, eorumdem bona (morientibus eorum Rectoribus, vel miniſtris) in ipſis inventa, ſive vacationis ipſorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent ſucceſſoribus fideliter reſervari, occupare, aut in uſus ſuos convertere quomodolibet præſumant, niſi de ſpeciali privilegio, vel conſuetudine jam præſcripta legitime, ſeu alia cauſa rationabili hoc eiſdem competere dignoſcatur. Alioquin Epiſcopi, & eorum Superiores ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri vero a beneficio, & officio, tamdiu eo ipſo noverint ſe ſuſpenſos, quouſque reſtitutionem fecerint de prædictis. Porro ubi ex privilegio, vel conſuetudine, ſeu alia de cauſa rationabili ſibi aliquis prædictorum aſſerit bona competere ſupradicta, hoc de illis bonis ſolum debet intelligi, quæ ſolutis debitis, ſiqua ſint, & iis, quæ fuerint neceſſaria pro ſervitoribus, & miniſtris, ac incumbentibus oneribus, uſque ad novos redditus ſupportandis congrue reſervatis, ex ipſis reperta fuerint ſupereſſe. Sane Conſtitutionem, quam ſuperius ſpecialiter edidimus contra capitula, collegia, conventus, ſeu ſingulares perſonas, bona cathedralium, vel regularium, aut collegiatarum Eccleſiarum vacantium occupantes per Conſtitutionem præſentem (quam in dignitatibus, perſonatibus, prioratibus, & Eccleſiis aliis locum habere cenſemus) nolumus in aliquo derogari.

Licet ex hac, ſicuti & ex altera Bonifacii Decretali, relata in *cap. XL. Quia ſæpe de elect.* fructus Eccleſiæ, & beneficii vacantis per œconomum ab Epiſcopo, vel capitulo deputandum, percipiendi ſint, & vel in utilitatem ipſius Eccleſiæ, cjuſque onera ſupportanda, vel ſaltem ſucceſſori in beneficio ſervandi ſint, quod idem jam ſtatuerat Alexander III. in *cap. IV. Cum vos de offic. Jud. Ordin.* ex novo tamen jure, ex pluribus ſcilicet Summorum Pontificum Conſtitutionibus, in multis, exceptis expenſis pro ſupportandis ejuſdem Eccleſiæ, & beneficii oneribus, facta eſt dictorum fructuum applicatio Jure ſpolii Cameræ Apoſtolicæ.

Prædictæ autem Conſtitutiones, hujuſmodi ſpolium ſtatuentes, inter alias ſunt.

I. Pauli III. *Romani Pontificis*, 23. Martii 1542.

II. Julii III. *Cum ſicut*, 26. Junii 1550.

III. Pii IV. *Sedis Apoſtolicæ*, 3. Aprilis *Grave nobis*, 16. Maii, *& Decens*, 5. Novemb. 1560. *Cupientes*, 25. Aprilis 1561., *In ſuprema*, 25. Novembr. 1564.

IV. S. Pii V. *Romani Pontificis*, 30. Aug. 1567. *Attendentes*, 5. Januarii 1568.

V. Gregorii XIII. *Officii*, 21. Januarii 1577.

VI. Sixti V. *In conferendis*, 23. Jan. 1590.

VII. Pauli V. *In eminenti*, 8. Apr. 1605.

VIII. Urbani VIII. *Æternus*, 5. Apr. 1628.

IX. Benedicti XIV. *Apoſtolicæ ſervitutis*, 25. Februarii 1741. in qua §. I. & III. confirmatur ſupra allata Pii IV. Conſtitutio *Decens*, contra Clericos negociatores, & extenditur pœna ſpolii ad eos etiam, qui ab illo exempti ſunt per indulta perſonalia, aut generalia ad effectum teſtandi, vel traſmittendi: ita ut omnia, & ſingula eorum bona ab eis, etſi alieno nomine, illicite acquiſita, dicto ſpolio ſubjecta omnino ſint.

Diſcretam, & congruam notionem ſummæ cujuſlibet

libet, ex cæteris allatis Conſtitutionibus, Et potiſſimum Sixti V. tam quoad bonorum capita, quam quoad perſonarum diverſitatem, ne longus ſim, ſpoliorum Collectoribus, ac Subcollectoribus remitto.

Circa tamen Conſtit. Gregorii XIII. *Officii*, in qua declaratur, ſpolia Regularium vagantium, & morientium extra clauſtra, niſi habeant facultatem teſtandi, pertinere ad Cameram Apoſtolicam, (prout ſtatuit etiam Sixtus V. in allata Conſtit. *In conferendis* §. *VII.*) ne Ordines regulares damnum aliquod injuſte patiantur in caſu hujuſmodi ſpoliorum contra mentem ejuſdem Gregorii, ex Subcollectorum, vel inperitia, vel indiſcreto zelo in favorem Cameræ, opportune ſubjicienda duxi appoſite notata a Lucio Ferraris Propta Bibliotheca verb. *Spolium*, *num.6. & 7.* = ,, Advertit tamen Paſſerinus *De ſtatu hominum tom. III. part.189. art.VIII. num.529.* talem Conſtitutionem non habere locum de omnibus bonis Religioſorum, ſed de illis ſolum, quæ acquiſierunt extra clauſtra degentes; de his bonis loquitur Conſtitut. XIV. & Pauli IV. incipiens *Poſtquam*; & patet etiam ex cit. Conſtit. Gregorii XIII. ubi dicitur, tempore, quo extra clauſtra hujuſmodi fuiſſent acquiſita, & tandem §. III. *Statuit*, ut bona omnia per Regulares degentes extra clauſtra acquiſita ſpectent ad Cameram Apoſtolicam, ideo, quæ Religioſus acquiſivit, antequam egrederetur de clauſtro, concludit dictus Paſſerinus, Religioni manere, nam fuerunt jam illi acquiſita.

,, Hinc a fortiori manent Religioni, & illi debentur bona illorum Religioſorum, qui cum legitima facultate ſuorum Superiorum itinera arripientes, vel apud parentes, amicos, & benefactores, religioſas vacationes obeuntes, per accidens ibi decedunt. Et ita cenſuit, *Sacra Congreg. Epiſcop. & Regular. in Vercellenſ.* 11. April. 1600. & 30. Junii 1604. apud Pignatell. *tom.VIII. conſul.LXXXV.* allegans ad rem alia Decreta S. Congregationis S.Officii = .

Et in additione ad idem verbum *Spolium*, *n. 39.* hæc habet = ,, num.6. addendum eſt, quod ſic in terminis reſolvit *Sacra Congregatio Spoliorum in Piſtorien. die 11. Decembris 1731.* quod nempe dicta Conſtitutio Gregorii XIII. loquatur, & intelligenda ſit ſolum de bonis de novo acquiſitis a Regularibus tempore, quo degebant extra clauſtra, & non de illis, quæ jam acquiſierant antequam e clauſtris egrederentur: ſicuti nec de illis bonis patrimonialibus, quæ Regulares ante ingreſſum in Religionem renunciaſſent cum pacto reverſivo in caſu reditus ad ſæculum ex indulto Apoſtolico. Cum enim D. Sigiſmundus de Celſis, Canonicus Regularis Lateranenſis ex Indulto Apoſtolico proviſus de Canonicatu in Cathedrali Piſtorienſi, ſimilem feciſſet renunciationem ante ingreſſum in Religionem, articulo acriter diſcuſſo, prodiit reſolutio dictæ S.Congreg. contra Reverendam Cameram ſub hac formula: *nihil conſtare pro Camera*. Et ſic etiam cenſuit *Rota dec.121. numero 18. & ſequent. part.VI. recent.* & eadem *Sac. Cong. Spoliorum in Bononien.* 15. *Septembr.* 1703. apud Scarfanton. *par.III. addit.* XX. *num.* 17. 27. & 28. ac per tot. ubi plura tradit ad rem ſcitu digniſſima, & pluribus adductis recte declarat, quod Camera Apoſtolica ſuccedit Regulari extra clauſtra de licentia ſuorum Superiorum in bonis quæſitis per eum extra eadem clauſtra; in bonis autem intra clauſtra quæſitis, ſuccedit Religio, quæ pariformiter ſuccedit in bonis acquiſitis a Religioſo vagante extra clauſta, & poſtea ad monaſterium reverſo, in eoque mortuo; quia Conſtit. Gregorii loquitur ſolum de Religioſis extra clauſtra vagantibus, & extra ea decedentibus, ut recte obſervant Navar. in ſumma Bullar. *p. II. Canon. IX. Ricc. part. deciſ. 376. & deciſ.177. Canon. CCLVI. n.* 8. cum aliis ab ipſo allegatis *loc. cit. num.29. 30. & 31.* = .

Et quidem, ſi attendantur clariſſima verba dictæ gregorianæ Conſtit. quæ hic ideo tranſcribo, interpretatione non indigent,

Nuper accepimus, quod etſi fel. rec. Pius Papa IV: Prædeceſſor noſter Conſtitutionem, & quæcunque in illa continerentur per piæ mem. Paulum Papam IV. etiam Prædeceſſorem noſtrum contra Apoſtatas editam, per quam inter cætera decrevit, bona quæcunque, mobilia, & immobilia, ac cenſus, redditus, & proventus, jura, & actiones, per regularem Ordinem profeſſos, extra clauſtra ſuorum regularium locorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum degentes, tempore quo extra clauſtra hujuſmodi fuiſſent acquiſita, etiamſi acquiſitiones hujuſmodi ab ipſis profeſſis ex redditibus beneficiorum eccleſiaſticorum, cum cura, vel ſine cura per eos obtentorum, ſeu detentorum. aut ex propria induſtria, ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſive ſucceſſione ab inteſtato quorumvis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum, aut quorumcumque aliorum factæ eſſent, non Fiſco, aut Cameræ Apoſtolicæ, ſed Religioni, aut monaſteriis, in quo, ſeu quibus primo profeſſi fuiſſent, eo ipſo applicata eſſe, et cenſeri debere, ad juris, & ſacrarum Conſtitutionum formam reduxerit.

Necnon præfata bona Regularium extra clauſtra, ut præfertur, degentium, ſive Mendicantium, ſive non Mendicantium, aut Militiarum profeſſorum, etiamſi loca, & canonicales portiones, aut dignitates in cathedralibus, vel collegiatis Eccleſis cujusvis Ordinis regularibus obtinuerint, ac epiſcopali, archiepiſcopali, patriarchali, primitiali, vel quavis alia præfulſerint dignitate, poſt eorum obitum ad eandem Cameram Apoſtolicam, & juxta Conſtitutionem fel. rec. Pauli Papæ III. ſuper ſpoliis ſub Dat. videlicet, 3. nonas Januar. Pontificat. ſui anno III. promulgatam, legitime ſpectent, & pertineant, idque per Romanos Pontifices Prædeceſ. noſtros, ac nos, dum Collector generalis ad recuperandum ſpolia Regularium ſpecifice deputatus fuit, aperte demoſtratum extiterit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera merito ſemper fuerit, nihilominus nonnulli vano ſub dictæ Conſtitutionis Pauli IV. Prædeceſ. præfati prætextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint,

Nos

Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimovere, ſimulque æquitate, & juſtitia ſuadentibus, ejuſdem Cameræ indemnitati, ne in dies moleſtiis, & incommodis afficiatur, conſulere volentes, præſentium auctoritate, declaramus, res, & bona quæcunque per dictos Regulares extra clauſtra Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, & quorumcumque regularium locorum degentes, quocunque jure, & actione, ſive ex cauſa teſtati, ſive inteſtati acquiſita, & in poſterum acquirenda, vel ad eos delata in quibuſvis provinciis, dominiis, regnis, & locis conſiſtant, niſi iidem, ad quos illa ſpectaverint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eaque legitime uſi fuerint, ad eandem Cameram pleno jure pertinuiſſe, & ſpectare, ac bona quæcunque eorundem ſub ſpoliorum nomine comprehenſa per ipſam Cameram, ejuſque nomine a quibuſcumque illa quandoque occupantibus, & detinentibus recuperari, ac vindicari potuiſſe, & poſſe.

Quia vero non ita facile ſemper probari poſſet, Regularium bona extra clauſtra decedentium acquiſita fuiſſe eo tempore, quo intra ea manebant, ad evitandas controverſias inter Ordines regulares, & ſpoliorum Collectores, non abſre eſſet, conficere authenticum inventarium rerum omnium acquiſitarum ante exitum ab iiſdem clauſtris: potiſſimum ſi per longum tempus, extra illa Regulares degere contingeret.

Nota I. per hanc Conſtitutionem confirmatam fuiſſe Conſtitutionem Pii IV. *Sedis Apoſtolica*, in qua derogaverat Conſtitutioni Pauli IV. *Poſtquam*, 20. Julii 1558. ſtatuentis, bona acquiſita a Regularibus extra clauſtra decedentibus, non Cameræ Apoſtolicæ, ſed religioni adjudicanda eſſe.

Nota II. a jure ſpolii exemptos eſſe.

I. Cardinales, ubicumque exiſtant, & decedant, ex Conſtit. Pii IV. *Romanus Pontifex*, 5. Februarii 1560. & ex latiori Indulto, quod ipſis a Papa concedi ſolet.

II. Curiales, & Prælatos, habentes poteſtatem teſtandi, *ex cit. Conſtit. Pii IV. Decens*.

III. Conclaviſtas, ex Conſtit. *Gregorii XV. Romanus*, §. *X.*

IV. Clericos eccleſiaſticos redditus poſſidentes, ſive romanos, ſive curiales, ſive incolas, decedentes Romæ, & in ejus Diſtrictu intra ſpatium decem milliariorum, qui etiam habent facultatem teſtandi, ex cit. Conſtit. *Pauli V. In eminenti*, §. *IV. & Conſtit. Alexandri VII. Nos volentes*.

V. Poſſidentes penſionem, vel beneficium, non excedens fructus ducatorum aurei triginta de Camera, ex cit. *Conſtit. S. Pii V. Romani Pontificis*; dummodo abſtinuerint ab omni illicita negotiatione.

In hac Conſtitutione declaratur etiam, exempta eſſe a ſpolio paramenta Eccleſiæ, vaſa, libros Eccleſiæ, Gradualia, Miſſalia, & alias res ſacras, etiam aurei, & argenti, ac quæcumque alia bona, quæ, per quoſcumque Epiſcopos acquiſita, ad uſum divinum, etiam in eorum privatis ædibus, & capellis, vel oratoriis, tempore eorum obitus reperiuntur. Quæ neque comprehenduntur ſub quavis facultate teſtandi, & alias diſponendi; ſed ea omnia ad eorum Eccleſias ſpectant, idque proportionabiliter habita ratione fructuum, & temporis, quo beneficium, aut beneficia, ſi plura habuerint, poſſederunt. Si autem paramenta, & vaſa ſacra, aliaque argenta, & ſupellectilia ad uſum capellæ, & cultum divinum deſtinata, acquiſita fuerint ab Epiſcopo, ex priori Eccleſia, debentur poſt illius obitum huic, non Eccleſiæ, ad quam fuit tranſlatus, ex decreto Congreg. Conc. *in Triviceans 6.* Julii 1726. *in Theſauro Reſolut. ejuſdem Congreg. tomo III. pag.* 333. *&* 341.

VI. Spolia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Inſula Sardiniæ, & extra, non tamen in Italia decedentium, non ſubjacent ſpolio, nec debentur eorum ſucceſſoribus, ſed applicantur eorumdem reſpectivis Eccleſiis pro fabrica, & manutentione, vigore Brevis S. Pii V. confirmati a Clemente VIII. *Rota par. IV. Recent. tom. III. decif.* 560. *n.* 7. *& ſeqq.*

VII. Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos inferiores Regni Neapolitani, quorum ſpolia Innocentius XII. ſpectare decernit ad eorum Eccleſias, quibus præſederint, & illis non indigentibus, ad Eccleſias parochiales, eorum regimini commiſſas Conſtit. *Irrefragabili*, 28. Januarii 1693. quam, ampliando, confirmavit Benedictus XIII etiamſi hi moriantur extra reſidentiam Conſtit. *Romanum decet*, 12. Octobris 1726.

VIII. Clericos beneficiatos in ſtatu Mediolanenſi quorum bona ex conſuetudine tranſeunt ad hæredes, *Rota loc. cit. decif.* 529. *n.* 15.

IX. Canonicos S. Salvatoris Bononiæ, quorum bona ſpectant ad eorum Religionem, *Rota part. XIV. decif.* 563. *num.* 14.

X. Æquites Hieroſolymitanos, quorum pariter bona ſpectant ad Religionem, *Rota parte VII. Recentior. decif.* 51. *num.* 11.

Nota III. cum Azorio, *par. II. lib. VIII. cap. IV.* ex Navar. *de Spoliis Clericor.* §. *XIV.* In tota Germania, Gallia, Luſitania uſu eſſe receptum, ut nulla beneficiatorum, etiam Epiſcoporum bona tamquam Spolia ad Cameram Apoſtolicam pertineant. In Regno vero Caſtellæ in Hiſpania ſola Epiſcoporum Spolia Papæ ſolvuntur: aliorum vero beneficiatorum non item. In Italia vero, tum Epiſcoporum, tum aliorum quorumlibet beneficiatorum Spolia Cameræ Apoſtolicæ debentur.

Nota IV. ex cit. Conſtit. Urbani VIII. *Æternus*, §. *VI.* declaratum eſſe, quæcumque indulta, facultates, ſeu privilegia, etiam per modum legis, aut ſpecialiter conceſſa diſponendi, ſive inter vivos, ſive per ultimam voluntatem, vel tranſmittendi ab inteſtato, aut ſuccedendi circa bona ex eccleſiaſticis redditibus acquiſita, non extendi ad fructus inexactos, etiamſi talia emolumenta inexacta, v. g. affictus, penſiones &c. deberentur defuncto, ratione fructuum jam perceptorum: unde in hac re limitatur etiam dicta Conſtitutio, ſeu privilegium, Romanis a Paulo V. conceſſum: non tamen derogat Conſtitutioni prædictæ Pii V. ſcilicet exemptioni a jure Spolii, quoad acquiſita, ex penſionibus, ducatos XXX. non excedentibus, quia Conſtitutio Urbani VIII. non loquitur de iis, qui ipſo jure ſunt liberi a jure Spolii Cameræ Apoſtolicæ. Unde hodie penſiones inexactæ, etiam termino maturato, vel quæ debentur pro rata fructuum jam perceptorum hæredibus penſionarii, termino non maturato, juxta

Rotam coram Cavaler. deciſ. 129. & Burat. deciſ. 67. num.3., debentur Cameræ Apoſtolicæ, ſi penſio excedit ducatos XXX.

Pro coronide hujus ſectionis, ne eccleſiaſticorum proventuum poſſeſſores, quicumque illi ſint, ſibimet aucupent occaſionem exagerandi importunam Collectorum Spolii exactionem, meminerint hujus aurei moniti, quod ad hanc removendam ipſis ſuppediat Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. III. cap. VIII. nu. 6.* „ = Quorum (Collectorum Spolii) importunam, „ quam exagerant, exactionem facile Clerici eludere „ queunt, ſi ſcilicet bona Eccleſiæ, quæ ſuperſunt, „ pauperibus erogent, neque in commodum congre„ gent cognatorum; uti bene perpendit Cardinalis „ Baronius = *ad an. 397. num. 64.* = ubi loquens de „ his Collectoribus, inquit: = *De quorum importu„ na exactione cum multi querantur, hos facile vita„ bunt, & prudenter certe deludent, qui bona Ec„ cleſiæ, quæ ſuperſunt, non congregarint, ſed in „ pauperes erogarint* = .

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO CLXXXIX.

Caput I. Debent, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Summa, hujus Decretalis, cujus textum tranſcribere omitto, eſt.

Epiſcopus monaſterium viſitans, non tenetur accipere Monachos illius monaſterii pro tabellionibus, etiam ſi hoc haberet conſuetudo; nec in actu viſitationis debet eſſe ſolus, ſed duos, vel tres Clericos cum notario, qui ſimiliter ſit Clericus, ſecum aſſumat.

Circa viſitationem monaſteriorum ab Epiſcopo peragendam, de qua in hac Decretali, hodie attendenda ſunt notata ſupra ad caput VII. *Ut juxta*, Sectione CLXXXV.

SECTIO CXC.

APPENDIX I.

Ad hunc Titulum, in qua referuntur ea, quæ Concilium Triden. permittit Epiſcopis in exemptos, tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis, quæque antea eis non dicta fuerant propter exemptiones ab eadem Sede, alioque modo quæſitas, &c.

I. Poſſunt compellere Abbates, qui negligunt inſtituere lectionem Sacræ Scripturæ in monaſteriis, ubi commode fieri poteſt, *cap. I. ſeſſ. V. de reform.*

II. Metropolitani poſſunt compellere Abbates monaſteriorum nullius diœceſis in eorum provinciis, non curantes, ut prædicetur in Eccleſiis parochialibus, quæ ab iſtis monaſteriis dependent, *cap. II. eadem ſeſſ. §. Si qua.*

III. Item Epiſcopi procedere debent juxta juris diſpoſitionem, locive conſuetudinem, contra Prædicatores, etiam exemptos, ſi hæreſes prædicaverint, dictis *ſeſſ. & cap. §. Si vero.*

IV. Deputare debent idoneos Vicarios in Eccleſiis curatis, poſſeſſis ab exemptis in caſu non reſidentiæ, ad tempus permiſſæ, illiſque aſſignare congruam fructuum portionem *cap. II. ſeſſ. VI. de Refor.*

V. Poſſunt quemlibet Clericum ſæcularem, ac regularem extra monaſterium degentem viſitare, punire, & corrigere, ſi deliquerint *cap. III. ſeſſ. VI. de Refor.*

Quod etiam locum habet quoad Regulares translatos ad alterum Ordinem, niſi in hoc ſub ſui ſuperioris obedientia in clauſtro perpetuo maneant juxta cap. XI. ejuſdem Trident. *ſeſſ. XIV. de refor.* ut declaravit Benedict. XIV. *Conſtit. Pontificia commendatione*, 27. Maii 1746.

VI. Item viſitare capitula, quocumque modo exempta, quoties expediens judicabunt *cap. IV. eadem ſeſſ.*

VII. Item examinare uniones perpetuas a quadraginta annis citra factas, & quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtemptæ fuerint, irritas declarare, *cap. VI. ſeſſ. VII. de refor.*

VIII. Item viſitare Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, ſingulis annis, opportuniſque remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, quæque debitis obſequiis defraudantur, minime defraudentur, *cap. VIII. ſeſſ. VII. de refor.*

IX. Convenire debent exemptos coram ſe in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, etiamſi habeant judicem a Sede Apoſtol. deputatum in partibus, ſicuti, & in aliis cauſis, ſi talem judicem non habuerint, *cap. XIV. ejuſdem ſeſſ. VII.*

X. Summarie cognoſcere debent per ſe ipſos de ſubreptione, & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione criminis publici, de quo inquirere cœperunt, vel remiſſione pœnæ, ad quam condemnaverant, cum falſis precibus impetrata ſit, *cap. V. ſeſſ. XIII. de reformat.*

XI. Item poſſunt, & debent corrigere quoſcumque Clericos exemptos, alias ſibi ſubditos, etiam extra viſitationem, *cap. IV. ſeſſ. XIV. de refor.*

XII. Dividere debent tertiam partem fructuum, con-

convertendam in diſtributiones inter eos, qui Divinis officiis interſunt, ſervata debita proportione perſonarum, & horarum, cæteroſque non intereſſentes iiſdem diſtributionibus privare, *cap. III. ſeſſ. XXII. de reformat.*

XIII. Debent commendata beneficia, quæcumque ſint, etiam exempta, viſitare, & jubere circa ea, quod neceſſarium judicabunt, niſi ſint in monaſteriis, quæ ſunt capita Ordinum, vel quæ iſtis ſubſunt, *cap. VIII. ſeſſ. XXI. de reform. & cap. XX. ſeſſ. XXV. de regul.*

XIV. Augere debent Sacerdotum numerum in parochialibus Eccleſiis, in quibus major requiritur, & parochias erigere, cum diſtantia, vel difficultas locorum id poſtulat, *cap. IV. ead. ſeſſ. XXI.*

XV. Item unire Eccleſias cujuſcumque generis propter paupertatem, cæteraſque cauſas, a jure probatas, *cap. V. ſeſſ. XXI.*

XVI. Item ſummarie cognoſcere de diſpenſationibus a Sede Apoſtol. gratioſe commiſſis, executioni dandis ſcilicet ſine plena cauſæ cognitione, an ſubreptitiæ, vel obreptitiæ ſint, ſicuti & de commutationibus ultimarum voluntatum, *cap. V. ſeſſ. XXII.*

XVII. Item dare parochis imperitis (alias honeſtæ vitæ,) coadjutores pro tempore, hiſque aſſignare fructuum partem pro ſufficienti victu; alios vero parochos turpiter, & ſcandaloſe viventes caſtigare, & ſi in nequitia perſeverent, etiam beneficiis privare, *cap. VI. ead. ſeſſ. XXI.*

XVIII. Debent ultimarum voluntatum diſpoſitiones ſummarie, & extrajudicialiter cognoſcere, antequam earum commutationes executioni demandentur *cap. VI. ſeſſ. XXII.*

XIX. Item transferre beneficia ſimplicia, ex Eccleſiis collapſis, quæ ob paupertatem inſtaurari nequeunt, in matrices, aliaſve Eccleſias, cum ſuis oneribus, licet ſint juris patronatus: Eccleſias autem parochiales collapſas reficere debent ex quibuſcumque illarum fructibus, & his deficientibus, parochianos, congruis juris remediis ad illas reſtaurandas compellere, invocato ad hoc brachii ſæcularis auxilio. Quod ſi propter nimiam eorumdem parochianorum egeſtatem id fieri nequeat, debent modo ſupradicto transferre, *cap. VII. ſeſſ. XXI.*

XX. Poſſunt examinare notarios, quacumque auctoritate creatos, idoneoſque non repertos, ab officio privare, perpetuo, vel ad tempus quoad cauſas eccleſiaſticas, & ſpirituales, *cap. X. ſeſſ. XXII.*

XXI. Debet Epiſcopus vicinior viſitare Eccleſias ſæculares nullius diœceſis, ſi id conſtet: alioquin viſitari debent ab eo, qui ſemel in Concilio provinciali, a Prælato loci illius electus fuerit, *cap. IX. ſeſſione XXIV.*

XXII. Poſſunt Epiſcopi in omnibus his, quæ ad viſitationem, morumque correctionem ſpectant, ordinare, moderare, punire, & corrigere, quæ pro utilitate diœceſis neceſſaria videbuntur, *cap. X. eadem ſeſſ.*

XXIII. Epiſcopis ſubjiciuntur exempti, propter officia in honorem tantum data, *cap. XI. eadem ſeſſ.*

XXIV. Poſſunt cognoſcere de ſubreptione, vel obreptione facultatum Apoſtolicarum, quibus conceditur, ut ab ingredientibus in beneficia jura temporalia exigantur, ſi hæc in uſus pios non convertantur, *cap. XIV. eadem ſeſſ.*

XXV. Metropolitani poſſunt Monachos, qui capitulis generalibus non ſubſunt, quique Congregationes, quæ talia capitula habent, præſideſque, vel viſitatores facere negligunt, pro prædictis cauſis convocare: quod ſi dicti Monachi, Metropolitano inſtante, memorata exequi non curent, ſubduntur Epiſcopis, in quorum diœceſibus eorum monaſteria ſita ſint, *cap. VIII ſeſſ. XXV. de regul.*

XXVI. Debent Epiſcopi in monaſteriis exemptis Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, reſtituere clauſuram, ſi violata fuerit, & conſervare non violatam, *cap. V. ead. ſeſs. XXV. de regul.*

XXVII. Debent gubernare monaſteria Monialium Sedi Apoſtol. immediate ſubjecta, in quorum diœceſibus ſita ſunt, *cap. IX. ead. ſeſs.*

XXVIII. Debent ſuſpendere, quoaduſque eis videbitur, a beneficiis Clericos publice concubinarios, privareque tertia parte fructuum beneficiorum ſuorum, ſi moniti concubinas non dimittunt, *cap. XIV. ſeſs. XXV. de refor.*

XXIX. Debent Epiſcopi revocare patronatus alicui beneficio acquiſitos a quadraginta annis citra ex augumento, ſeu ex nova conſtructione, vel ex ſimili cauſa, ſi repererint ob evidentem beneficii neceſſitatem, non eſſe conſtitutos, licet Apoſtolica auctoritate conſtituti ſint, *cap. IX. ſeſs. XXV. de reform. §. Similiter quoque.*

SECTIO CXCI.

APPENDIX II.

In qua, præter allata in ſuperiori Appendice num. III. V. XXV. & XXVI.

Referuntur ſequentia, in quibus Regulares exempti ſubjiciuntur Epiſcopo, etiamſi degant numero ſex, quorum quatuor ſint Sacerdotes XL. annorum completorum, & duo Converſi in conventibus intra Italiam, & Inſulas adjacentes erectis ante decretum Urb. VIII. ante diem nempe 21. Junii 1625., & etiam numero duodecim in conventibus poſt dictum diem erectis: ſi enim in minori reſpective numero in præfatis conventibus degant, jam ſubiiciuntur viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato juxta dicti Urbani, & Innocentii X. decretum, *Ut in parvis*, 10. Feb. 1654. confirmatum, & innovatum una cum altero Gregorii XV. *Cum alias*, 17. Aug. 1622. ab Innocentio XII. Conſti. *Nuper*, 23. Decemb. 1697. §. XV. cum certis tamen limitationibus, notandis parte II. cum de *cap. VIII. ſeſ. XXI. de refor.* Quomodocumque igitur exempti ſint, ſubiiciuntur tamen Epiſcopo.

I. Quoad viſitationem, correctionem, & juriſdictionem, ſi animarum curam exerceant perſonarum ſæcularium; quæ non ſunt de monaſteriorum familia: ſicuti & quoad examen Vicarii, etiam amovibilis,

per ipſos in propriis Eccleſiis parochialibus conſtituendis. Excipiuntur tamen monaſterium Cluniacenſe cum ſuis limitibus, & monaſteria, in quibus Abbates, & capita Ordinum reſidere ſolent: atque ea, in quibus Superiores juriſdictionem epiſcopalem in parochos, & parochianos habent: qualia ſunt loca nullius diœceſis, in quæ loca, aut perſonas non intendit Tridentinum Epiſcopi juriſdictionem minuere, ſed tantum non augere, *cap. XI. ſeſs. XXV. de regal.*

Circa hanc ſubjectionem videnda eſt Conſtitutio Benedicti XIV. *Firmandis 8. Idus Martii* 1744. in qua §. XI. declarat etiam, quod ſi Epiſcopus, dictum parochum, ſeu Vicarium removendum eſſe judicaverit, removere poſſit abſque Superioris regularis conſenſu, ſicuti & hic ejuſdem Epiſcopi conſenſu non requiſito.

II. Quoad acceſſum ad Synodum diœceſanam, tam ſi non ſubdantur capitulis generalibus, quam ſi curam gerant Eccleſiarum parochialium, aliarumve ſæcularium, etiam annexarum, ex eodem Trident. *cap. II. ſeſs. XXIV. de reform.*

III. Quoad ſæcularium confeſſiones audiendas, etiam Sacerdotum, atque Monialium ſibi ſubjectarum: ſicuti & quoad punitionem pro fractione ſigilli ſacramentalis ex eod. Trident. *ſeſs. XXIII. cap. XV. & ex Conſtit. Gregorii XV. Inſcrutabili*, 5. *Febr.* 1622. & Clementis X. *Superna*, 11. *Kal. Julii* 1670. Necnon quoad deputationem Confeſſarii extraordinarii iiſdem ſibi ſubjectis Monialibus per eorum Superiores exhibendi duabus, aut tribus vicibus in ſingulos annos, juxta Trident. *cap. X. ſeſſ. XXV. de regul.* ſi neglexerint exhibere: in quo caſu liberum eſt Epiſcopo etiam exhibere quamlibet presbyterum ſæcularem, vel alterius Ordinis Regularem, quemadmodum exhibere poſſent, & ipſi Superiores regulares ex Conſtitut. Benedicti XIV. *Paſtoralis curæ*, §. *Sane*, *ſub die* 5. *Aug.* 1748.

IV. Quoad prædicationem verbi Dei: in propriis quidem Eccleſiis, ſi prædicaverint ſine Epiſcopi benedictione; in alienis vero, præter ſuorum Superiorum licentiam, ſi ſine ejuſdem Epiſcopi approbatione ex eod. Trident. *cap. II. ſeſſ. V. & cap. IV. ſeſſ. XXV. de refor.* ac dictis Conſtit. Gregorii, & Clementis.

V. Quoad Ordines recipiendos, tam circa ætatem, quam circa interſtitia, & examen ſubeundum, ex eod. Trident. *cap.* XII. *ſeſſ.* XXIII. *de reform.*

VI. Quoad Quæſtorum officium exercendum, ex *cap.* I. *ſeſs.* XXI. *de reform.*

VII. Quoad punitionem, ſi vagentur extra clauſtra ſine ſuorum Superiorum mandato, in ſcriptis obtento: ac ſi miſſi ad univerſitates, ſtudiorum cauſa, non habitent in conventibus: quemadmodum ſi ſcandaloſe extra clauſtra delinquentes, inſtante Epiſcopo, puniti non fuerint a ſuis Superioribus intra terminum, ab eodem Epiſcopo præfigendum, de qua punitione certiorari debet, ex *cap.* IV. *&* XIV. *ſeſs.* XXV. *de regular.*

Ita etiam carcerari poſſunt, ſi comprehenſi in delicto, timeatur de fuga, juxta *cap.* VIII. *ejuſd. ſeſs.*, & recta mittendi ſunt ad ſuos Superiores, una cum probationibus, etiam non compilato proceſſu, ex decreto Congreg. Conc. relato a Fagnan. in cap. XIX. *Grave gerimus*, *de offic. ordin. num.* 69. Item puniri poſſunt, ſi inceſſerint ſine ſocio, vel de nocte, aut indecenter veſtiti, ac etiam publice deferentes arma, juxta declarationes Cong. Epiſcopor., & Regular. *in Andrien.* 15. *Decem.* 1584. *& in Ravennaten.* 12. *Septembris* 1594. ac Cong. Conc. *in Turritana* 3. *Feb.* 1635.

Pari modo puniri poſſunt juxta cit. *cap.* XIV. *Tridentini*, ſi deliquerint in propria Eccleſia, januis apertis, ut ſcandalo fuerint populo, ex declaratione ejuſdem Cong. ad *Dubium in Poſit.* 142. *ad d. cap. XIV.*

Circa punitionem ſcandaloſe viventium extra clauſtra, vide notanda in hac ead. Appendice poſt numero LVIII. §. *Circa tamen*.

VIII. Quoad acceſſum ad publicas ſupplicationes, ex mandato Epiſcopi, exceptis Regularibus viventibus in ſtrictiori clauſura, ex *cap.* XIII. *ſeſſ. XXV. de regul.*

Exceptis etiam iis, quorum monaſteria diſtant a civitate ultra medium milliare, ex declaratione Gregorii XIII. ut notatum legitur in libris publicis Cong. Conc. ad cit. *cap. XIII.* teſte Fagnan. *ad cap. XVII. Nimis prava*, *de exceſs. Prælat. num.* 11.

IX. Quoad compoſitionem controverſiarum exortarum inter unum, & alterum Ordinem regularem, ac inter eoſdem Regulares, & Clericos ſæculares, appellatione remota, circa præcedentiam in proceſſionibus publicis, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliiſque ſimilibus, ex *eod. cap. XIII.*

X. Quoad obſervationem dierum feſtorum ex ejuſdem Epiſcopi præcepto obſervandorum ex *cap. XII. ejuſdem ſeſſ. XXV.*

XI. Quoad cenſurarum publicationem faciendam ex mandato dicti Epiſcopi in eorum Eccleſiis, earumdemque cenſurarum obſervationem, etiam ſi Mendicantes ſint, ex cit. *cap. XII. Trident. & cap. VIII. Epiſcoporum de privileg. in VI.* Nec illis ſuffragatur confirmatio privilegiorum a S. Pio V. conceſſa, cum redacta ſit ad terminos Conc. Triden. ex decreto Cong ejuſd. Conc. in Giennen. *obſervat. interdicti* menſe Novemb. 1584. lib. IV. decretor. pag. 7., & Ventimilien. Decembr. 1586. ad XVIII. lib. V pag. 72.

XII. Quoad obſervantiam interdictorum, quæ Epiſcopus promulgaverit, ex cit. *cap. XII. & Clementina I. de ſenten. excommun.* & ex decreto Cong. Concil. in *Cæſaraugustana interdicti* 21. *Junii* 1695. quo declaratum fuit teneri ad illorum obſervantiam, etiam milites Hieroſolymitanos, ac ex cit. Giennen. & Ventimilian.

XIII. Quoad ſolemnem, aut publicam expoſitionem SS. Sacramenti abſque Epiſcopi licentia, ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnan. in *cap. XIX. Grave*, *de Offic. Jud. ordin. n.* 77. & pluribus decretis Cong. Epiſcop. & Regul. ac Conc. relatis a Lucio Ferraris *Prompta Biblioth. verb. Eucharistia num.* 57.

XIV. Quoad retentionem lampadis accenſæ ante tabernaculum SS. Sacramenti, ex Trident. *in decreto de evitand. in celebrat. Miſſ. ſeſſ. XXII.* nec ſufficit illam accenſam retinere in choro, ex decreto *Cong. Rituum* 21. *Auguſti* 1699.

XV. Quoad obſervanda, & evitanda in celebratione Miſſarum, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, ex cit. Trident. decreto, & Cong. Conc. in *Vercellen.* 21. *Martii* 1643.

XVI. Quoad appoſitionem inſolitæ imaginis in eorum Eccleſiis, novarum Reliquiarum expoſitionem, ac novorum miraculorum publicationem ſine Epiſcopi approbatione, ex Trident. in decreto de *Invoc. & venerat. &c. ſeſſ. XXV.*

XVII. Quoad publicationem Indulgentiarum, ex eodem Trident. *cap.* IX *ſeſ.* XXV. *de reform.*

XVIII. Quoad facultatem abſolvendi a caſibus ipſi Epiſcopo reſervatis, ex Conſtit. Clementis X. *Superna* §. *VII.*, 11. *Kal. Junii* 1670.

XIX. Quoad ingreſſum Superiorum intra clauſuram monialium iiſdem ſubjectarum abſque neceſſitate, &

hac

Digitized by Google

hac interveniente, ſi ingreſſi fuerint ſine præſentia Epiſcopi, vel alterius eccleſiaſticæ perſonæ, ab eo ad hoc ſpecialiter delegatæ, ex Conſtit. Gregorii XIII. *Dubiis* 23. *Decemb.* 1581., & Alexandri VII. *Felici* 13. *Kal. Novemb.* 1664.

XX. Quoad dictum ingreſſum pluſquam ſemel in anno ex cauſa viſitationis: ſicut & quoad introductionem occaſione hujuſmodi ingreſſus, plurium ſociorum ſui Ordinis, quam duorum, ſi agatur de Superiore generali; & pluſquam unius, ſi agatur de Superiore, alio a generali. Item quoad ſumptionem refectionis intra eamdem clauſuram, quæ interdicta eſt, tam Superiori viſitanti, quam ejus ſociis, ex cit. Alexandri Conſt. *Felici*.

XXI. Quoad electionem Abbatiſſæ Monialium, iiſdem Regularibus ſubjectarum, cui Epiſcopus intereſſe poteſt, vel per ſe, vel per alium, ſi velit, ex Conſtit. Gregorii XV. *Inſcrutabili*, 5. *Febr.* 1622.

XXII. Quoad punitionem, etiam ſub pœna excommunicationis, privationiſque vocis activæ, & paſſivæ, ferendæ ſententiæ, etiam contra æquites Hieroſolymitanos, propter acceſſum, & locutionem eis interdictam ſub mortali culpa, licet per quodcumque modicum temporis ſpatium, & ob quamcumque honeſtam cauſam, cum quibuſcumque Monialibus, aliiſque intra earum monaſteria degentibus, ſine legitima licentia, ex decretis Cong. Epiſcopor. & Regular. juſſu Sixti V. editis nonis Maii 1590. & Urbani VIII. 12. Kal. Decemb. 1623. ac Cong. Conc. num approbatione Clem. IX. *ſub die* 11. *Maii*, *&* 16. *Novem.* 1669. atque *in Spoletnna Acceſſus ad monaſteria* 26. *Maii* 1672. *ac in Bergomen.* 11. *Maii* 1678. Cujus autem Superioris licentia requiratur, dicetur infra in fine hujus Appendicis, §. *Quod ſpectat*.

XXIII. Quoad pernoctationem confeſſarii Monialium in domo, quæ per parietes, & tecta non ſit penitus diſtincta, & ſeparata ab earum monaſteriis, ex cit. Conſtit. Alexandri VII.

XXIV. Quoad explorationem voluntatis puellæ, tam ante habitus ſuſceptionem, quam ante profeſſionem, ſub pœna ſuſpenſionis Abbatiſſæ Monialium eis ſubjectarum, arbitrio Epiſcopi infligendæ, ſi ante menſem de futura profeſſione eum certiorem non fecerit, ex *cap. XVII. & XVIII. Seſſ. XXV. de Regul.* & ex decretis Cong. Conc. *in Limann* 19. *Novembr.* 1625. *in Burgen.* 4. *Decem.* 1627. in *Dertonen.* 16. *Decembris* 1645.

XXV. Quoad invaliditatem renunciationis, vel obligationis novitiorum, etiam in favorem cauſæ piæ, ante duos proximos profeſſioni menſes ſine Epiſcopi licentia exaratæ: ac etiam quoad compulſionem per cenſuras eccleſiaſticas, tam, ne quid de novitii, novitiæve bonis detur monaſterio ante illius profeſſionem, quam ut, ſi quid datum fuerit, eis ad ſæculum redeuntibus reſtituatur ex *cap. XVI. ejuſdem ſeſſ.*

XXVI. Quoad deductionem cauſarum faciendam ante quinquennium a die profeſſionis computandum, nedum coram Superiori regulari, ſed etiam coram Epiſcopo a religioſo volente habitum dimittere, vel eum eo a Religione diſcedere prætextu nullitatis profeſſionis, ex *cap. XIX. ejuſdem ſeſſ.*

XXVII. Quoad executionem decretorum Conc. Trid. *de reform* circa Regulares, etiam exemptos, ex *cap. XXII. ejuſdem ſeſſ.*

XXVIII. Quoad executionem voluntatis teſtatorum, & redditionem rationis, ſi ipſis Regularibus commiſſa fuerit executio, ex Clementina *Religioſi de teſtamen.* Adeatur Fagnanus in cap. *Tua nobis num.* 19. *&* 49.

XXIX. Quoad viſitationem Confraternitatum, in eorum Eccleſiis erectarum, & redditionem rationis propter adminiſtrationem dictarum Confraternitatum, & Hoſpitalium, ex *cap. VIII. & IX. ſeſſ. XXII. de reform.* & ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnano *loc. cit. num.* 47.

XXX. Quoad erectionem Confraternitatum ſine conſenſu Epiſcopi, ex Conſtit. Clementis VIII. *Quæcumque* 7. *Decembr.* 1604. §. *II.*

XXXI. Quoad conſtructionem Oratoriorum, vel Capellarum in locis non exemptis ſine licentia Epiſcopi, & celebrationem Miſſarum in iiſdem, aliter conſtructis, quocumque tempore, & potiſſimum tempore generalis interdicti, ex *cap. IV. Auctoritate de privil. in VI.* ſicuti & quoad punitionem propter celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel poſtquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Miſſa, in Apoſtolico indulto conceſſa, ex decreto Cong. Conc. in Neapolitana 30. Maii 1699. & ex decreto Clem. XI. *de Oratoriis privatis*, *Quoniam Sancta* 15. *Decembr.* 1703.

Quemadmodum propter erectionem Altaris portatilis in domo privatorum, ut ibi celebrent, & Viaticum miniſtrent Religioſo infirmo ſine Epiſcopi, vel parochi licentia, ex decreto Cong. Conc. in *Meſſanen.* 28. *Septemb.* 1698.

XXXII. Quoad declarationem de incurſu in excommunicationem, ſi abſque licentia Epiſcopi, vel parochi miniſtraverint laicis infirmis, etiam hoſpitantibus in eorum conventibus, Viaticum, & Extremam Unctionem, ex *Clementina I. Religioſi de privil.* & etiam ex pluribus declarationibus Cong. Conc. *in Nullius*, 19. *Sept.* 1637. *in Cremonen.* 27. *Febr.* 1645. *in Ripana* 3. *Febr.* 1694. *& in Neapolit.* 5. *Junii* 1710.

XXXIII. Quoad punitionem propter ſollicitationem in confeſſione, ſicuti ſi docuerint, pœnitentes non teneri ad denunciationem confeſſarii ſollicitantis, ex Conſtit. Gregorii XV. *Univerſi dominici*, 30. *Aug.* 1622. *& Benedicti XIV. Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. *Jun.* 1741.

XXXIV. Quoad cauſas fidei, *ex Trident. cap. II. ſeſſ. V. de reform.* & ex Conſtit. Pauli V. *Romanus Pontifex*, 1. *Septembris* 1606. & ex cit. Conſtitut. *Gregorii* XV.

XXXV. Quoad judicium ſubeundum, ſi degunt extra monaſteria, ratione delicti, contractus, & rei, de qua agitur: item quoad cognitionem cauſarum civilium mercedum, & miſerabilium perſonarum, ſed quoad delictum excipiuntur, ſi certum ab Apoſtolica Sede judicem obtinuerunt, *ex Trident. cap. XIV. ſeſſ. VII. & ex cap.* 1. *Volentes de privil. in VI.*

XXXVI. Quoad cognitionem, & diffinitionem cauſarum, quæ cognoſci debuiſſent ab eorum judicibus conſervatoribus, ſi his auſi fuerint aliter uti, quam juxta formam præſcriptam a Gregorio XV. Conſt. *Sanctiſſimus* 20. *Septembr.* 1621.

XXXVII. Quoad abſolutionem a ſuſpenſione incurſa ob benedictionem nuptialem datam ſponſis alterius parochi ſine hujus licentia, *ex Trid. cap. VII. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.*

XXXVIII. Quoad denunciationem publice faciendam ab Epiſcopo, quoties ei conſtiterit, Regulares incurriſſe cenſuras, quæ ipſo facto incurruntur; dummodo hæc denunciatio animarum ſaluti profutura videatur, *ex Clementina I. Religioſi de privil.*

Quoad

XXXIX. Quoad violationem immunitatia eccleſiaſticæ, ex Conſtit. Gregorii XIV. *Cum alias* 24. *Maii* 1591. & Benedicti XIII. *Ex qao* 6. *Id. Janii* 1725., & ex decreto Cong. Immunitatis 3. *Febr.* 1637. & *in Papien.* 28. *Julii* 1736.

XL. Quoad offenſionem ipſi Epiſcopo a Regularibus, etiam S. Jos Hieroſolymitani, illatam, & quoad impedimentum juriſdictionis Prælatorum, ne munus ſuum exequantur, ex decreto Cong. Conc. approbato a Gregorio XIII. relato a Fagnan. in cap. *Grave gerimus de Offic. Ordia. aam.* 79.

XLI. Quoad læſionem miniſtrorum, & officialium curiæ epiſcopalis, ex decreto *Cong. Epiſc. & Regal.* 27. *Martii* 1692.

XLII. Quoad præſtanda Epiſcopo debita obſequia, & baldachini erectionem in ejus acceſſu ad illorum Eccleſias, pro ibi celebrandis Pontificalibua: quod ſi facere renuant, poteſt idem Epiſcopus abſque alia monitione interdictum Eccleſiæ indicere, & denunciare, ex decreto Cong. Conc. *in Veaafraua iaterdicti* 26. *Januar.* 1697.

XLIII. Quoad punitionem delicti commiſſi contra perſonas infra ſepta, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem monaſteriorum Monialium, ipſis Regularibus ſubjectarum, ex Conſtit. Gregor XV. *Inſcrutabili*, 5. *Febr.* 1622.

XLIV. Quoad coercitionem per cenſuras propter benedictionem eccleſiaſticorum, & ſacrorum paramentorum ab ipſis factam pro uſu aliarum Eccleſiarum, ex decreto *Cong. Ritaam ia decretis generalibat a.* 18. *emanatis* 27. *Septembr.* 1659., & 20. *Jalii* 1660. *confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII.*

XLV. Quoad probibitionem, ne in eorum Eccleſiis canantur cantilenæ, & laudes idiomate italico, ex decreto ejuſdem Congregat. *in Novariea.* 7. *Auguſti* 1618. *in Hiſpalen.* 3. *Septembris* 1695. & 24. *Novembr.* 1696.

XLVI. Quoad ſpectantia ad venerationem eorum, qui cum ſanctitatis opinione, vel fama martyrii ex hac vita migrarunt, ex Conſtit. Urbani VIII. *Cæleſtis Hieruſalem*, 5. *Julii* 1633.

XLVII. Quoad punitionem aſſerentium, Beatam Virginem conceptam eſſe cum peccato originali, ex Conſtit. Gregorii XV. *Sanctiſſimus* 24. *Maii* 1622. & *Alex. VII. Solicitado* 8. *Decemb.* 1661.

XLVIII. Quoad punitionem propter Miſſæ celebrationem, & eaceptionem confeſſionis ſacramentalis, antequam promoti fuerint ad ſacrum presbyteratua ordinem, ex Conſtit. Gregorii XIII. *Officii*, 6. *Auguſti* 1574. Clementia VIII. *Etſi alias* 1. *Dec.* 1601. Urbani VIII. *Apoſtolatus officium*, 23. *Mart.* 1628., ac Benedicti XIV. *Sacerdos in æteraum*, 20. *Aprilis* 1744.

XLIX. Quoad receptionem in eorum Eccleſiis parochialibus Miſſionariorum, quos Epiſcopus miſerit, tamquam prænuncios viſitationis a ſe explendæ, ex Conſtit. Benedicti XIV. *Firmandis*, §. V. 6. *Novem.* 1744.

L. Quoad punitionem (& quidem privative quoad ipſorum Superiores) propter tonſionem, aut falſificationem, aut adolterationem monetarum: necnon propter falſificationem, & alterationem cedularum Montia Pietatis, & menſæ nummariæ S. Spiritus; ſicuti & ſi haa ſic falſificataa, & alteratas expenderint, ex Conſtit. Urbani VIII. *Superaa* 13. *Novembris* 1627. & Benedicti XIV. *Ad curam noſtram*, 31. *Octobris* 1756.

LI. Quoad punitionem, (& privative quoad eorum Superiores), propter aſſiſtentiam præſtitam in celebratione matrimonii ſine prævia Epiſcopi, ſive parochi contrahentium licentia, ea Conſt. Gregor. XV. *Inſcrutabili*, 5. *Feb.* 1622.

LII. Quoad munua eaorcizandi, ſive in eorum, ſive in aliena Eccleſia, ſive extra, ſive intra conventum abſque Epiſcopi licentia, ſub pœnia ab eodem infligendis, ex decreto Cong. Epiſcopor. 22. Februarii 1625. & Conſtit. Benedicti XIV, *Magao cam animi noſtri*, §. XXXIV. 2. *Jaaii* 1751.

LIII. Quoad punitionem, ſi libros de rebus ſacris, alioſque impreſſerint, vel imprimi fecerint ſine nomine auctoris, aut illos vendiderint, vel apud ſe retinuerint abſque Epiſcopi, & ſuorum Superiorum examine, & approbatione, juxta decretum Concilii Lateranenſia V. innovatum, & confirmatum a Trident. *ſeſſ. IV. ia decreto de edit. & aſu Sacror. Librer.* & ex Conſt. Leonia X. *Iater ſolicitudiaes*, 4. *Maii* 1515. ac Urb. VIII. *Sanctiſſimas*, 18. *Sept.* 1625.

LIV. Quoad taxationem numeri in monaſteriis Monialium eiſdem ſubjectarum, faciendam juxta *cap.* III. *ſeſs.* XXV. *de regul.* quæ ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnano *iu cap.* XIX. *Grave gerimus de Offic. Ordin. aum.* 52. pertinet ad Epiſcopum ſimul cum eorum Superiore, ac Conſt. Greg. XIII. *Deo ſacris*, 30. *Decem.* 1572.

LV Quoad erectionem novorum conventuum tam virorum, quam mulierum, ex cit. *cap.* III. *Trid.* & Conſtit. Clementia VIII. *Quoniam*, 26. *Aug.* 1603. Greg. XV. *Cum alias*, 17. *Aug.* 1622. & Urbani VIII. *Romauus Poatifex*, 28. *Aag.* 1624.

LVI. Quoad judicium ferendum ſuper prætenſa nullitate profeſſionia, una cum eorum Superiore locali tamquam conjudicibus; & ſi agatur de Monialibus, una cum Superiore monaſterii, cui univerſum illius regimen commiſſum eſt, ex *cap.* XIX. *ſeſs.* XXV. *de regul.* & Conſtit. Benedicti XIV. *Si dataw*, 4. *Mart.* 1748. quod Tridentini decretum Cong. Conc. teſte Fagnan. *loc. cit. num.* 72. declaravit locum habere, tam ſi profeſſus nullitatem allegat, quam ſi Religio velit illum expellere, tamquam nulliter profeſſum.

Quamvis nomine Superioris intelligatur ſuperior localis conventus, in quo reclamans aſſignatus eſt de familia, & non ſupremus Ordinis, ut declaravit ead. Cong. in *Mateu. & Romaua*, 7. *Apr.* 1629. deduci tamen poteſt cauſa coram Provinciale, vel Generali, ſi ita Ordinis conſtitutiones diſponant, Reiffenſt. *lib.* III. *tit.* XXXI. *de regul.* §. VII. *num.* 197.

LVII. Quoad pœnam ſubeundam, centum nempe ducatorum, ſi die Sabbatì majoris hebdomadæ pulſaverint in eorum Eccleſiis campanas, antequam pulſaverit campana cathedralis, vel majoris Eccleſiæ, ex Conſt. Leonis X. *Dam intra*, 19. *Decemb.* 1516. § XIV.

LVIII. Quoad omnimodam juriſdictionem, & ſubjectionem Apoſtatarum, & etiam legitime ejectorum, ex Conſtit. Urbani VIII. *Sacra Congregatio*, 21. *Septembr.* 1624.

Hæc ſunt cauſarum capita, quæ hic referre placuit, ne Regulares pro caſuum contingentia Epiſcopi juriſdictioni ſe gratia opponant.

Circa tamen illius facultatem puniendi eoſdem intra clauſtra viventes, & extra quomodolibet delinquentes, attendenda ſunt animadverſa a P. Gaudentio de Janua *tom. II. de Viſitatioae Prælatorum Regularium cap. IV. dub.* X. *n.* 46. ibi = „ Nihilominus pro Regularibus omnibua, abſque diſtinctione inter Mendicantes, & non Mendicantes, ſi intra clauſtra vi-

„ vivant, quamvis extra clauſtra quomodolibet de-
„ linquant: quod ſubſunt juriſdictioni, & punitioni
„ propriorum Superiorum privative; niſi, quatenus,
„ negligentibus Superioribus ſontes punire ſcandalo-
„ ſos, juriſdictio ad Epiſcopos devolvatur in terminis
„ Conc. Triden., adeſt apertus Motus proprius Bene-
„ dicti S. Mem. XIII. editus quidem ad dirimendas
„ litea, quoad hoc, inter Neapolitanum Nuncium,
„ & Abbatem generalem pro tempore Montis Virgi-
„ nis; ſed pro omnibus Regularibus, & Epiſcopis,
„ ex altera parte, vigorem eumdem præſeferens, ut
„ evidens erit legenti =.

In prædicto autem Motu proprio typis edito Romæ in Typografia Cameræ Apoſtolicæ, ſub *die 29. Martii* 1729. hæc leguntur „ = Et auctoritate noſtra
„ Apoſtolica declaramus, & decernimus, privilegia
„ conceſſa dicto Reverendiſſimo Nuncio in Regno
„ Neapolitano per eumdem Clementem VIII. non ali-
„ ter intelligi poſſe, & debere, quam de facultate
„ procedendi contra *cujuſcumque Ordinis Regulares*
„ *exemptos, qui tamen ſint devii, & errantes, &*
„ *extra clauſtra in delicto deprehendatur*, nullam pro-
„ pterea ipſi competiiſſe, neque competere facultatem
„ procedendi privative, neque cumulative contra
„ *Monachos, & Regulares degentes in conventibus,*
„ *& monaſteriis ſub obedientia Abbatum, aliorumque*
„ *Superiorum*, & cum aliis requiſitis, per Concil.
„ Triden. præſcriptis; reſpectu enim iſtorum, *totam*
„ *juriſdictionem privative ſpectare ad Superiores re-*
„ *gulares, etiamſi Monachi, ſeu Regulares extra*
„ *clauſtra ita notorie deliquerint, ut populo ſcanda-*
„ *lum publice oriatur*. Juxta diſpoſitionem Concilii
„ Trident. in ſupra relato cap., & in caſu negligentiæ
„ Superiorum regularium, eſſe locum præfixioni ter-
„ mini, ſicut ab Epiſcopo; ita etiam a Reverendiſ-
„ ſimo Nuncio, ut eo tranſacto, juriſdictio ad ipſum
„ devolvatur, juxta cenſuram Concilii prædicti =.

„ = Nec in Conſtitutione (ita proſequitur Gau-
„ dentius) fel. record Clementis XII. *Romanus Pon-*
„ *tifex*, 7. *Kal. Aprilis* 1732. cum aliis ibi recenſitis
„ Bullis, legitur hic Motus proprius revocatus, utpo-
„ te Conc. Trident. omnino conformis = . Inſuper fa-
„ cultas puniendi Regularem vere degentem, & præ-
„ varicantem ſcandaloſe extra clauſtra competit ſane
„ Epiſcopo, ut præmiſſum eſt, num. 43. *V. Inſuper*,
„ ſed cumulative cum Superiore ejuſdem delinquentis,
„ non privative, quia privativam non exprimit Tri-
„ dentinum, nec aliud Sedis Apoſtolicæ decretum,
„ ut advertit Lauretus de Franchis *prima par. contra-*
„ *verſ.*, *in addit. num.* 117., allegans plurimos; ita
„ quod regularis ipſe Superior poſſet cauſam utique
„ prævenire, & contra captum, ſive habitum reum
„ procedere, juxta Conſtitutiones Ordinis punien-
„ dum, *Anacletus Reiffenſtuel.*, *cit. n.* 115. *de Offic.*
„ *Jud. Ord.*

An autem liceat Epiſcopo contra eoſdem Regulares procedere per cenſuras excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, reſpective tam localis, quam perſonalis, in iis caſibus, in quibus ei indulta legitur facultas illos puniendi, non levis eſt controverſia inter Doctores. Veriorem tamen ſententiam, & in praxi retinendam, tamquam juri communi, & regularium Ordinum conſervando decori magis conformem probat Paſſarinus *de Statu Hominum tom. III. q.* 189. *art. X. Inſpect. XI. q. II. num.* 763., & poſt eum laudatus Gaudentius cum communiori loc. cit. num. 48. & ſeqq., ut per eas ſcilicet procedere poſſit in iis dumtaxat caſibus in quibus vel a Tridentino, vel a Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſacrarumque Congregationum decretis expreſſa eidem tributa legitur facultas procedendi per cenſuras: ubi enim Tridentinum (idem dic de pontificiis decretis) voluit, ut procederet per cenſuras, expreſſit, ubi noluit, non expreſſit; hinc uterque infert, ex trita regula diſcretivæ locutionis, excludendos eſſe caſus non expreſſos, cum potiſſimum ſimus in odioſis. Quare curæ erit Epiſcopi inſpicere, quibus clauſulis tributa ſibi ſit facultas procedendi contra Regulares, ne illius limites excedat, & ne plus quam par eſt, Ordinibus regularibus odioſus reddatur.

Quod ſpectat ad locutionem cum Monialibus interdictam Regularibus ſine legitima licentia, de qua ſupra num. XXII. notandum, quod hæc, ſi attendatur decretum Sixti V. relatum cit. num. dari dumtaxat poterat a Sac. Congregatione: ſi vero attendatur alterum Urbani VIII. relatum pariter d. num., quo illud Sixti reformatur, dari tantum poterat ab Ordinario Regularibus conjunctis cum monialibus, aut cum aliis intra clauſuram degentibus in primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu, quater in anno, pro die, & hora certa, & extra Adventum, Quadrageſimam, Feriam ſextam, Sabbatum, Vigilias, & dies Feſtos: quæ licentia ſubſcribi debebat etiam a Superiore regulari pro Monialibus Regularium regimini ſubjectis, & regiſtrari in libris cancellariæ Ordinarii, ac earum confeſſario conſignari, qui una cum auſcultatricibus locutioni præſens eſſe tenebatur: attento tamen poſteriori Congreg. Conc. decreto circa ſequens primum Dubium in genere, & terminis indefinitis ſibi propoſitum, videtur, non ita hodie reſtrictam eſſe Ordinariorum facultatem, quin dictam licentiam indiſcriminatim, & illimitate impertiri poſſint, ut etiam argumentatur Gaudentius *tom. I. de Viſit. Prælator. Eccleſiaſt. cap. IV. dub. XI. ſect. IV. num.* 28.

Spoletana Acceſſus ad Monaſteria.

Et ſi Sacra Cong. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ſub die 11. *Maii* 1669. *aperte declaraverit, Regulares, qui ad monaſteria Monialium abſque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, hancque declarationem Sanctiſſimus Dominus approbaverit, ac typis dari, ſervarique juſſerit: quin tamen nonnulli ſunt, qui declarationem hujuſmodi perperam interpretantes, verumque ſenſum ſubvertentes, varia confingendo ſophiſmata, aſſerunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, & declarationem præfatam non obligare ſub mortali contendunt, ad omnem tollendam dubietatem reſolvendum.*

Primo. *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus ſine licentia Epiſcopi peccent mortaliter?*

Secundo. *An peccent mortaliter, ſaltem ſtante d. declaratione Sac. Cong. Concilii cum approbatione Sanctiſſimi?*

Die 26. *Nov.* 1672. *ead. S. Cong. ad utrumque reſpondit affirmative, etiam ex rationabili cauſa, quando non adeſt licentia &c.*

P. Card. de Alteriis Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepiſcopus Brancacius Epiſcop. Viterb. Secret.

Hoc

Hoc decretum per extenſum refertur a Monacello *par. I. in Appendice pag.*310.

Notandum eſt hic pro coronide hujus Appendicis, quod licet Regulares vigore ſuorum privilegiorum generaliter loquendo, non poſſint per cenſuras puniri, poſſunt tamen iis plecti ab Epiſcopis, ſive agatur de caſibus, in quibus iidem Regulares incidunt in cenſuras a jure inflictas, ſive de caſibus, in quibus ipſis Epiſcopis ſubjiciuntur.

Si agatur de primis, declarari poſſunt, eos incidiſſe in dictas cenſuras: dummodo incurſio ſit notoria. Ad ſtabiliendam autem notorietatem non ſufficit, quod hæc oriatur tantum ex facto coram populo geſto, ſed requiritur, quod tale ſit, ut nullo modo defendi poſſit, vel ex jure, vel ex ipſo facto, ut cum communi probat Card. Petra in *Commentor. ad Conſtit. XI. Alexandri IV. ſect. unic. num.7. ad* 11.

Si vero agatur de ſecundis caſibus, puniri poſſunt per cenſuras, nedum quando, aut a Trident. aut ab Apoſtolicis Conſt. tributa eſt Epiſcopis expreſſa facultas, eos per has cogendi, & puniendi, ſed etiam quando nulla facta eſt illarum expreſſio, = quia cenſetur data facultas eoſdem coercendi, & puniendi omnibus pœnis canonicis; alias eſſet juriſdictio fruſtratoria, = ut cum communi pariter firmat idem Petra loc. cit. a n.19. ad 34. ex pluribus decretis Cong. Conc. ac Benedictus XIV. *de Synod. Diæc. lib.IX. cap.X. edit. an* 1755. *num.*5. ibi = „ Atque generatim loquendo *in his, in* „ *quibus a jure communi, a S. Conc. Trident. a Conſti-* „ *tutionibus Apoſtol. tributa eſt Epiſcopo juriſdictio* „ *in Regulares, poteſt illas etiam per cenſuras eccle-* „ *ſiaſticas compellere*: quod totidem verbis ab eadem „ S. Cong. reſcriptum legimus ad Epiſcopum Nebien- „ ſem *die 7. Feb.* 1632. *lib. XIV. decretor. pag.*571. „ *a tergo*.

Monet tamen Epiſcopos laudatus Petra num. 35. ut parce utantur hujuſmodi facultate = „ & quatenus „ fieri poteſt, in ſubſidium, quatenus alio modo occurri facile non poſſit, & quatenus agatur de re, „ id exigente, nam non cenſetur pro re levi id con- „ cedi = .

Animadvertit tandem num.28. quod ſi, tam Tridentinum, quam Apoſtolicæ Conſtitutiones, injungunt aliquid Regularibus = nulla facta montione coercitionis, vel pœnarum, = non poſſe Epiſcopos illos delinquentes cenſuris punire, cum tunc præceptum dirigatur ad ipſos Regulares, ab eo puniendos eſſe, cui ſunt ſubjecti, a propriis ſcilicet Superioribus.

Non deſunt tamen DD. ſatis communiter ſuſtinentes, non poſſe Epiſcopum procedere per cenſuras contra eoſdem Regulares, niſi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, quoties hi gaudent ſpeciali privilegio, ne excommunicentur, nec ſuſpendantur ab Epiſcopo (ut ſunt Mendicantes, & PP. Societatis Jeſu) inter quos DD. noviſſime *de Ligorio de cenſuris lib. VII. cap.*1. *dub.IV. art. IV. num.* 241. in quo circa finem videtur ſentire, ut neque tamquam delegatus Sedis Apoſtol. procedere poſſit per cenſuras; quoties tale ſpeciale privilegium iidem Regulares obtinuerint poſt dictas Conſtitutionis.

APPENDIX III.

Hactenus de iis, in quibus Regulares exempti ſubduntur Epiſcopis. Nunc recenſentur nonnulla, in quibus minime eis ſubduntur.

I. IN audiendis confeſſionibus Religioſorum proprii Ordinis, pro quibus Epiſcopi approbatione non indigent, Tridentinum enim *cap.*XV. *ſeſſ.* XXIII. *de refor.* cum ſtatuerit, neminem audire poſſe confeſſionem abſque Epiſcopi approbatione, hanc prohibitionem reſtrinxit ad confeſſionem dumtaxat ſæcularium, etiam Sacerdotum, non vero Religioſorum, nec circa hos quidquam innovavit: ideoque eam emittere poſſunt coram confeſſariis ab eorum Superioribus deſignatis, coram quibus ante Trident. poterant ex propriæ Religionis ſtatutis, & jure communi. Excipiuntur tamen Moniales iiſdem Regularibus ſubjectæ, quarum confeſſiones hodie audire nequeunt ſine Epiſcopi diœceſani approbatione, ex Conſtit. Greg. XV. I*nſcrutabili*, & Clem. X. *Superna*.

II. Nec pro audiendis confeſſionibus illorum ſæcularium, qui ipſis inſerviunt, ac ſimul ſunt vere de familia, ac continui commenſales eorum monaſteriorum, aut collegiorum, quas excipere poſſunt confeſſarii a Superioribus regularibus approbati, ex cit. Conſtit. Clem. X. *Superna*, 11. *Kal. Julii* 1670.

III. Non poſſunt Epiſcopi Regularibus approbatis pro audiendis ſæcularium confeſſionibus limitare aut tempus, etiam paſchale, aut certa loca, aut perſonarum genus in iis excipiendis, nec prohibere, ne infirmorum confeſſiones audiant abſque ſua, aut parochi licentia. Poſſunt tamen eis præcipere ſub pœna ſuſpenſionis ab iiſdem confeſſionibus audiendis, ſi poſt auditam eorumdem infirmorum confeſſionem, illico eorum parochum certiorem non redderent, aut oretenus, aut per ſcripturam apud ipſos infirmos relinquendam, ex eadem Conſtit. *Superna*, (Romæ id culpabiliter non facientes, hanc ſuſpenſionem incurrunt ipſo facto.) Prædictæ limitationes prohibitæ etiam fuerunt ipſis Epiſcopis a Cong. Conc. cum approbatione Greg. XV. & Urbani VIII. in reſponſo ad II. dubium inter alia ſibi propoſita, relata in calce Conſtit. dicti Greg. I*nſcrutabili*, 5. *Feb*, 1612.

Circa tamen locum, & tempus, in quo audiri nequeunt mulierum confeſſiones, ex epiſtola enciclica Cong. S. Inquiſitionis, ſub die 14. Decem. 1694. prohibere poſſunt Epiſcopi confeſſariis, etiam regularibus, ne eas audiant extra confeſſionale, nec in ejus parte anteriori, ſed a latere cum crate perforata, & hoc ſitum ſit in loco publico, ut videri ab omnibus poſſit. Ex decreto autem S. Cong. ſub die 21. Jan. 1620. = *Mulierum confeſſiones poſt crepuſculum veſpertinum, & ante auroram ſine neceſſitate audiri non debent.*

IV. Nec poſſunt, inconſulta Sede Apoſtol. omnibus ſimul unius conventus confeſſariis, jam a ſe, vel a ſuis Anteceſſoribus approbatis, adimere facultatem audiendi confeſſiones, licet ex rationabili cauſa aliquos ſuſpendere eis liceat, ex cit. Conſtit. *Superna*. Si tamen omnes ſimul ſuſpenderentur, crederem eos interim

rim tuto audire non poſſe confeſſiones, cum cenſuræ, etiam nullæ, puta ex defectu juriſdictionis, timendæ ſint, ſaltem in foro externo, propter ſcandalum, populo non certiorato de earum nullitate.

V. Nec poſſunt viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus cura animarum ſæcularium non incumbit, aut loca, ubi in dictis Eccleſiis aſſervatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur ſæcularium confeſſiones, ut ex reſponſo Cong. Conc. ad I. dubium inter alia relata poſt mox cit. Conſtit. Gregorii: excipiuntur tamen mulierum confeſſiones, ut ſupra.

VI. Nec poſſunt confirmare Abbatiſſas Monialium Regularibus ſubjectarum, ex reſponſo laudatæ Cong. ad dubium V. relatum, ut ſupra.

VII. Nec poſſunt punire eoſdem Regulares, degentes in parochiis monaſterio unitis, ſi non delinquant circa curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, ex declaratione dictæ Cong. Conc. relata a Fagnano in cap. XIX. *Grave gerimus*, *num.35. de offic. Ordinarii*.

VIII. Non poſſunt confeſſarios regulares cogere, ut accedant ad conferentias caſuum conſcientiæ, ut ex ſequenti decreto Cong. relato a Lucio Ferraris *Prompta Bibliotheca verbo Regulares artic. II.* num.61. = *Cum conventus ſuppreſſi, & poſtea reſtituti, in quibus non degunt de familia duodecim Religioſi, ſint vigore Decreti, Ut in parvis Innoc. X. ſubjecti viſitationi, correctioni, & ordinariæ juriſdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari: An Religioſi confeſſores, & non parochi, in hujuſmodi conventibus degentes compelli poſſint ab iiſdem Ordinariis, ut accedant ad conferentias caſuum conſcientiæ? Propoſita hoc dubio in S. Cong. ſuper ſtatu Regularium, habita in Palatio Vaticano die 15. Januarii 1682. Em. PP. cenſuerunt, Ordinarios locorum poſſe quidem hortari, non autem compellere Religioſos confeſſares, non parochos, ad accedendum ad conferentiam caſuum conſcientiæ* =.

Epiſcopi tamen illarum diœceſum, quas complectitur Concilium Romanum, celebratum ſub Benedicto XIII. an. 1725. eos ſuſpendere poſſunt ab audiendis confeſſionibus, ſi ad dictas conferentias non accedant, ſicuti & ad Sacrorum Rituum diſceptationes, quater habendas quolibet menſe, necnon ad lectionem Sacræ Scripturæ, diebus, & horis ab Epiſcopo præficiendis, quatenus hæc omnia in eorum monaſteriis non habeantur, ut *tit. I. cap. IX. & tit. XV. cap. IX.* ejuſdem Concilii.

IX. Non poſſunt prætendere, ut in viſitatione clauſuræ Monialium, Regularibus ſubjectarum, ſibi erigatur baldachinum, ſed ut ſtratum dumtaxat præparetur, ex decreto Cong. Conc. 19. Januar. 1686. relato ab eodem Ferraris *loc. cit. num.66.*

X. Non poſſunt convenire Regulares intra clauſtra degentes, & habentes ſuos Conſervatores, legitime electos, in cauſis civilibus, cum conveniri tantum debeant coram dictis Conſervatoribus, aut ſuis Superioribus, ex decreto dictæ Cong relato a Fagnano in cap. XI. *Tuarum de privileg.* & Conſtit. Pauli V. *Religioſorum*, 14. *Auguſti* 1607.

XI. Non poſſunt eos compellere ad exhibendos libros ſacriſtiæ, in quibus adnotantur celebrationes Miſſarum, ut inde conſtare poſſit de integra ſatisfactione obligationis debitæ ex legato pio, ex decreto laudatæ Cong. *in Urbinaten.* 10. *Martii* 1663. *ad cap.* XVIII. *Trident. ſeſſ.* XXI. *lib.* XXIII. *decretor. pagina* 456.

XII. Non poſſunt viſitare domum annexam Eccleſiæ parochiali, & a monaſterio ſejunctam, in qua regulares parochi habitant, ex decreto dictæ Cong. relati a Fagnano in *cit. cap. Grave gerimus*, *n.26.*

XIII. Non poſſunt declarare Regularem, ſicuti & quemcumque alium ab illorum juriſdictione exemptum, percuſſorem clerici, eſſe excommunicatum vitandum, ſi percuſſio ſit tantum publica. Poſſunt tamen eum excommunicatum denunciare juxta ſequentes reſolutiones præfatæ Cong. relatas a Card. Petra *in Comment. ad cit. Conſtit.* XI. *Alexandr. IV. ſect. unic. num.12.* = *In Montulen. Juriſdictionis* 13. *Septembr.* 1675. *lib* XXXIX. *decretorum pag.* 147. *a ter. ubi ad dubium* = *An Epiſcopus potuerit declarare incurſum in cenſuras contentas in can. ſi quis ſuadente diabolo* XVII. *quæſt.* IV. *Sacerdotem N. Subcollectorem, qui lethale vulnus publice intulit alteri Sacerdoti.* Reſpondit: *Negative quoad declarationem; poſſe autem denunciare, juxta declarationem alias editam die* 21. *Julii* 1663. *ſequentis tenoris. Marſicen. Juriſdictionis. Ut ſubditos ſuos a commercio, & communione cum iis, qui excommunicationis titulo ſunt obſtricti legitime retrahere poſſit, prout eccleſiaſtica diſciplina poſtulare videtur, ſupplex quærit Epiſcopus: An ſibi liceat, Collectores D. Nuncii Apoſtolici publicos, & notorios Clericorum percuſſores, quamvis ab Ordinarii juriſdictione exemptos, excommunicatos denunciare. Sac. Cong. cenſuit: Licere. Similiter in Eyſteten.* 28. *Auguſti* 1649 *lib.* XVIII. *decretor. pag.* 667. *cenſuit, Commendatarem oppidi Elligani Ordinis Theutonici, una cum complicibus, incidiſſe ipſa jure in cenſuras ob retentionem, & carcerationem Sacerdotis N. illoſque potuiſſe ab Epiſcopo nedum moneri, verum etiam denunciari, ut ab aliis evitentur* =.

Si vero percuſſio ſit notoria poſſunt etiam declarare excommunicatum, ut ex pluribus decretis ejuſdem Cong. a dicto Petra relatis loc. cit. num. 13. *& noviſſime in cauſa Mediolanen. cenſurarum*, mox referenda in reſponſo ad II. dubium.

Nota I. Quod quamvis quamplures DD. potiſſimum Regulares ſuſtinere conentur, Regularem percuſſorem clerici ſæcularis abſolvi debere non ab Epiſcopo, cui percuſſus eſt ſubditus, ſed a proprio Superiori regulari, a Generali ſcilicet, aut Provinciali, innixi privilegio a Bonifacio IX. conceſſo Religioni Prædicatorum, & per communicationem aliis Ordinibus regularibus, in quo iiſdem conceditur facultas = *abſolvendi in utroque foro ſuos ſubditos injicientes manus violentas in Confratres, vel alios quoſcumque Clericos, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem, & enormem læſionem* = aſſerentes hujus privilegii revocationem non conſtare neque ex Trident. neque ex Apoſtolicis Conſtitutionibus: ſi tamen attendatur menſ. dictæ Congreg. Conc. contrarium tenendum eſt; cum enim duo monachi Montis Oliveti, die 26. Decembris 1718. manus violentas injecerint in Sacerdotem ſæcularem, cumque abſoluti fuiſſent ab eorum Abbate, concordatis ſequentibus dubiis in cit. *Mediolanen. cenſurarum* ſub die 2. Decemb. 1719. relatis tom. I. Theſauri Reſolut. præfatæ Congreg. pag. 258. ad V. reſpondit id ei *non licuiſſe*.

I. *An acta, hactenus facta per Curiam archiepiſcopalem Mediolanen. contra Rev. Patrem Antonium Petragroſſa, & Fr. Alexandrum Monachos, ſuſtineantur, in caſu &c.*

II. *An liceat eidem Curiæ archiepiſcopali declarare, vel ſaltem denunciare excommunicatos, in vim Ca-*

Canon. ſi quis ſuadeate , dictos Monaches in caſu &c. & quateaus aegative.

III. *An conſtet de ſufficienti punitione facta per dictam Abbatem regularem , in caſu &c. & quatenus negative.*

IV. *An , quomodu , & quibus pœais ſit procedendum contra dictos Monachos , in caſa &c.*

V. *An licuerit eidem Abbati regalari abſolvere prædictos Munachos a cenſuris , ſiqaas incarrerint in vim dicti Canon. ſi quis ſaadente , in caſa &c.*

Ad I. affirmative, excepto monitorio , expedito die 14. Feb. 1718. necaon excepta citatione , expedita die 2. Junii ejuſdem aaai. Ad II. licere (revovata tamen citatione juxta inſtructionem) declarare Fratrem Alexandrum , necnoa P. Aatonium , quatenus delictum habeatur pro notorio , & quatenus habeatar tantum pro pablico , licere deanuciare , ideſt præcipiende ſais parochis , & ſabditis uaiverſis , ne eos admittant intra Eccleſias ſibi ſubjectas , & non coaverſeatur cum iiſdem. Ad III. negative. Ad IV. detrudendes nomine S. Cong. in carcerem ſerwalem , & per Abbatem certioretur Emineatiſſimas Epiſcepus de pœaa delinquentibus impoſita. Ad V. negative.

Nota II. cum Matthæuccio *Official. Curiæ cap.* XXXIX. *quoad privilegium Canonis a n. 18. ad 21.* I. Quod Regulares ejuſdem Ordinis , ſe invicem percutientes ſive intra , ſive extra clauſtra , etiam enormiter , vigore privilegiorum , aut io recto , aut per participatiooem , eum clauſula *pariformiter , & æque principaliter* Ordinibus regularibus conceſſorum , abſolvi poſſunt ab eorum Generali , aut Provinciali , vel ab his deputato , non vero a Superiore loeali , juxta Fratrum minorum ſtatuta : quoad alios vero Regulares etiam a Superiore locali , ut tenet Biſelli *ia Theologia moralis ſum. part. III. tract. II.* I. *Append.* Sed circa hanc facultatem unaquæque Religio ea uti debet juxta ſpecialia ſua privilegia , & ſtatuta. II. Quod pariter abſolvi poſſunt a proprio Superiore , ut ſupra , etiam ſi percuſſerint Religioſum alterius Ordinis , ex cap. XXXII. *Cum illorum* , §. *Si vero de ſent. excom.* ſed præſente hujus Prælato , ut illatam iojuriam condonet , & de ſatisfactione condigna arbitretur. Quamvis Diana Reſol. LXXVIII. id limitet , ſi percuſſio nempe non fuerit enormis ; ſi vero fuerit enormis , ſuſtinet , abſolvendum eſſe a Sede Apoſtol. per literas ad S. Pœnitentiariam , abſque acceſſu ad eamdem Sedem. III. Quod etiam Moniales, Regularibus ſubjectæ , ſe invicem percutientes, abſolvi poſſunt, vel ab Epiſcopo, vel ab earum Prælatis , aut a proprio confeſſario de ipſorum commiſſione, cum privilegia Regularibus conceſſa , communicentur Monialibus ſibi ſubjectis.

XIV. Non poſſunt Epiſcopi examinare ſententiam expulſionis a Religione , latam a Judice regulari , & de ejus juſtitia , vel injuſtitia judicare : in decreto enim S. Congregationis Conc. de Apoſtatis, & ejectis §. VII. præcipitur , ut Provincialis , aut alius Superior , ad quem ſpectat ſententiam expulſionis ferre , teneatur hanc Ordinario dumtaxat notificare , ut expulſum tamquam ſibi ſubditum de novo factum agnoſcat , gubernet, & puniat: ita de Ameno *tom. I. tit. V. verb. Paaaram genera , a. 159. & 160.*

XV. Nec ex eadem ratione poſſunt cenſuris compellere Superiores , reluctantes recipere expulſos , licet correctos , cum hoc ſpectet ad Sacram Congregat. vel Summum Pontificem , cui Regulares immediate ſunt ſubjecti : non obſtante Decretali Greg. IX. relata in *cap.* XXV. *de regul.* in qua ſtatuitur , quod ſi ejecti, & emendati in monaſteriis ſuis recipi poſſunt , tunc Superiores Ordinis , monitione prævia per eccleſiaſticas cenſuras compellantur ad ipſorum receptionem ; ſi vero in iis recipi nequeant , collocentur in alio monaſterio ejuſdem Ordinis : quia in ea ſermo eſt de Monachis non exemptis ; ſi enim de iis non ageretur , non poſſent Epiſcopi expulſum ab uno monaſterio in alio collocare, ut eum communi firmat laudatus de Ameno *de Incorrigibilium expulſione tum. II. par. III. q. I. n. 3. & q. 10. num. 72.*

Titulus XXXII. De Officio Judicis.

SECTIO CXCII.

Caput I. Ex literis , *ex Decretali Honorii III. Archiepiſcopo Salernitano , & Abbati S. Laurentii in Apulia , Ordinis S. Benedicti , reſcripta.*

EX literis veſtris accepimus , quod cum cauſam , quæ inter Abbatem , & conventum Foſſæ Novæ ex parte una , & Abbatem , & conventum monaſterii Canen. ex altera , ſuper quibuſdam poſſeſſionibus monaſterii S. Petri de Almaphia vertebatur (& infra.) Quia pars prædicti monaſterii propoſuit , quod habere non poterat Advocatum , veſtrum ſuper hoc implorando officium ; tu , frater Archiepiſcope , eidem de Magiſtro R. Clerico tuo , ad exhibendum in cauſa ipſa patrocinium , providiſti . Verum frater Stephanus Canen. Monachus propoſuit , in præjudicium ejuſdem manaſterii factum eſſe, eo quod dictus R. Clericus domeſticus tuus erat (& infra.) Mandamus , quatenus, hoc non obſtante , in negotio ipſo (ratione prævia) procedatis.

Ex hac Decretali eruitur , quod , ſi una ex partibus litigaotibus implorat pro ſua defenſione officium judicis, hic teneatur ei Advocatum deputare. Verum licet olim id in uſu fuerit , quando ſcilicet Advocatis ex publico ærario ſalaria dabantur juxta *L. Ne quidquam ff. de Offic. Proconſalis* §. *Advocatos* , & §. *An prætor ff. de Poſtulan.* hodie tamen , cum ſalaria iſta ceſſaverint , quiſque ſibi providere debet , prout poteſt : niſi agatur de litigantibus pauperibus , quibus & hodie judex aſſignare debet Advocatum fere ubique locorum cum

cum ſalario, aut ex publico ærario, aut ex piorum teſtatorum relictis deſtinandum, ut in Regno Neapolitano, in Galliis, & Germania, ac in hac ipſa Urbe Romæ, in qua hunc ad finem inſtituta eſt Congregatio S. Ivonis, & Prælatura Amadori.

Ex Conſtit. Benedicti XIV. *Romana* 21. *Decembris* 1744. Officium Judicis implorari non poteſt in ditione eccleſiaſtica ad interponenda decreta voluntariæ juriſdictionis in contractibus mulierum, minorum, & impuberum, niſi judex laurea doctorali in aliqua publica, & approbata ſtudiorum Univerſitate ſit inſignitus, ſub pœnis, ipſo facto incurrendis, nullitatis decreti, & infamiæ reſpectu ipſius judicis, & perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia, & magiſtratus, aliiſque afflictivis Sed. Apoſt. arbitrio infligendis. Ubi vero deſit judex laicus ſic laureatus, decreta hujuſmodi interponenda ſunt ab Epiſcopo, ſive ab illius generali Vicario, vel alio loci ordinario judice eccleſiaſtico, etiamſi agatur de bonis laicalibus, & inter mere laicos. Romæ vero interponenda ſunt tantum a judicibus ordinariis, & quidem per ſe ipſos; ideſt I. A Cardinali Vicario, ejuſque Viceſgerente, & Locumtenente in civilibus. II. A Gubernatore, & ejus Locumtenente in civilibus. III. Ab Auditore generali Cam. Apoſt., & duobus ejus Locumtenentibus in civilibus. IV. A Senatore, ac duobus ejus Collateralibus. V. A pauperum Advocato pro ſolis pauperibus, & domi ſuæ tantum, vel in carceribus, & gratis omnino, etiamſi aliquid ſponte ipſi detur. Inſuper pro validitate hujuſmodi decretorum exprimenda ſunt in inſtrumento utilitas contractus, & jura, ſeu ſcripturæ, ex quibus evincitur talis utilitas; interpoſito judicium juramento ſuper viſura dictorum jurium a ſe facta, ſub pœna judicibus, & eorum notariis impoſita, refectionis damnorum directe, & in ſolidum cum altera parte contradicente, & nullitatis contractus, non obſtante quocumque juramento a mulieribus, minoribus, & impuberibus interpoſito, prout in cit. Conſtit. ibi.

§. XLVII. Idcirco, ut eorum indemnitati efficaciter conſulatur, volumus in primis, ut in poſterum nulli ex Gubernatoribus, Prætoribus, Vice-Ducibus, Vicariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis officialibus, qui actu Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum Status noſtri eccleſiaſtici, & præſertim Baronalium, regimen, aut publicum in eiſdem munus, & officium exercent, decretum aliquod voluntariæ juriſdictionis interponere liceat in contractibus mulierum, minorum, vel impuberum, niſi laurea doctorali in aliqua publica, & approbata ſtudiorum univerſitate fuerint inſigniti, & ſuper hoc in Cancellaria, ſive actis illius Civitatis, Terræ, ſive Loci, publicum, & legale documentum intra menſem a die publicationis hujus noſtræ Conſtit. computandum, & reſpective, qui in futurum deputabuntur, in principio ſui magiſtratus, coram notario, & teſtibus in forma legitima depoſuerint: alias decreta ab ipſis interpoſita nullius ſint roboris, & momenti, & ipſe judex pœnam infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia, & magiſtratus, aliaſque etiam corporis afflictivas arbitrio noſtro infligendas, ipſo jure incurrat, ſublata quavis conſuetudine in contrarium. Ne autem in humilibus oppidis, ſeu locis, propterea quod ibi Prætor, aut alius officialis laurea doctorali ſit deſtitutus, mulieres, vel minores impuberes contrahere, vel diſtrahere pro ipſorum indigentia penitus impediantur; volumus eo caſu, conſtituimus, & mandamus, ut pro neceſſaria decreti interpoſitione, ad Epiſcopum, vel alium ejuſdem loci, ſeu oppidi Ordinarium eccleſiaſticum, ſive ad illius Vicarium generalem recurratur, etiamſi agatur de bonis laicalibus, & inter mere laicos.

§. XLIX. Ut autem tam in Urbe, quam in reliquo ſtatu eccleſiaſtico, ubi nempe, præter alias ſolemnitates, juſta quoque cauſa cum decreto Judicis pro actus validitate requiritur; decreta ejuſmodi non inconſulto, neque oſcitanter interponantur: ſtatuimus, & mandamus, ut judices prædicti, tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, quibus, ut ſupra, ſive in Urbe, ſive extra, facultatem hanc reſervavimus, ac eorum quilibet, antequam deveniant ad actualem decreti interpoſitionem, in ipſo corpore inſtrumenti exprimere primo loco teneantur ſpecialem, certamque cauſam, ſive unam, ſive plures, propter quas contractus, ſive diſtractus, aut quilibet alius actus, quo mulier, pupillus, aut minor obligatur, videatur potius utilis, quam damnoſus.

§. L. Rurſus, ac ſecundo loco, diſertis itidem verbis exprimere teneantur cum quibus juribus, & ſcripturis, ſive publicis, ſive privatis, cauſam, ſeu cauſas ejuſmodi verificaverint, diſtincte, & ſingillatim enunciando, quoad jura, vel inſtrumenta publica cujuslibet eorum diem, menſem, annum, & notarium; quo vero ad ſcripturas privatas, mandando eas in ipſo inſtrumento per notarium originaliter inſeri, atque alligari.

§. LI. Ac tertio demum, non ſolum jura, & ſcripturas ejuſmodi tam publicas, quam privatas per ſe ipſos legere, recognoſcere, ac ea majori, qua in Domino poterunt, diligentia, examinare, & conſiderare teneantur, ſoluta a contrahentibus pro tranſportatione ad domum judicis conſueta mercede pro viatico, ſeu viaticis notariorum, ſed etiam, quod illa per ſe ipſos

Digitized by Google

legerint, recognoverint, & majori, qua potuerunt, attentione, conſideraverint, medio juramento affirmare.

§. LII. His autem omnibus adimpletis, ſicuti tam judicem, quam notarium ab omni prorſus periculo litis, & moleſtiarum eximimus, & liberamus; ita e contrario, quatenus judex, & reſpective notarius, in aliquo præmiſſorum defecerint, ideſt judex, vel certam, & ſpecialem cauſam exprimere, vel jura, & ſcripturas, illam verificantia diſtincte, ut ſupra, enunciare, vel ſupra illorum recognitione, & examine juramentum proprium interponere; notarius vero ſcripturas illas, quæ numero privatarum accenſentur, inſerere, & colligare prætermiſerint, damna omnia, & intereſſe mulieribus, minoribus, ac pupillis de proprio, directe, & in ſolidum cum altera parte, quæ cum eis contraxit, reſarcire, ac reparare teneantur. Et nihilominus obligatio mulieris, minoris, aut impuberis ſit ipſo jure nulla, & irrita, non obſtante quocumque juramento, quod tali caſu per fraudem, ac dolum extortum cenſeatur.

Titulus XXXIII. De Majoritate, & obedientia.

SECTIO CXCIII.

CAPUT VI. SOLITAE, *ex Decretali Innocentii III. ad Alexium Commenum Imperatorum Conſtantinopolitanum miſſa.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, demonſtrat Pontifex, Epiſcopum non debere ſubeſſe Principibus, ſed præeſſe.

Conformis eſt ſenſus Conc. Triden. injungentia Epiſcopis, *cap.* XVII. *ſeſſ.* XXV. *de refor.* ut dignitatem ſuam cuſtodiant: nec cum Regum miniſtris, Regulis, aut Baronibus indigna dimiſſione ſe gerant.

SECTIO CXCIV.

CAPUT VII. PER TUAS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Florentino, reſcripta.*

PER tuas nobis literas (& infra.) Poſtulaſti per Sedis Apoſt. oraculum edoceri, utrum quis per Ordinem Subdiaconatus a Romano Pontifice ſuſceptum, a debita tibi reverentia ſubtrahatur? Ad quod breviter reſpondemus, quod, etſi decens ſit, ut illis, quantum convenit, a te inter alios tibi ſubditos deferatur, quos benignitas Apoſtolica collatione ipſius Ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia, quam alias tibi debent, minime abſolvantur. ..

Juxta magis receptam Canoniſtarum ſententiam, licet ordinatus a Papa, non eximatur a tali juriſdictione; ſi tamen ſuſpendendus, vel deponendus eſſet ab Ordine, per Papam collato, ad hunc tranſmitti deberet proceſſus ab Epiſcopo conſtructus, pro ſententiæ prolatione, propter obſequium Summo Pontifici debitum, Hallier. *par. II. ſect. V. cap. III. art. IX.* §. I. *n.* 6.

SECTIO CXCV.

CAPUT IX. QUOD SUPER, *ex Decretali laudati Innocentii Cantuarienſi Archiepiſcopo reſcripta.*

QUod ſuper his &c. Abbates, & Sacerdotes diœceſana tibi lege ſubditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt (dummodo in ipſa Synodo non ducas aliquid ſtatuendum, quod canonicis obviet inſtitutis) per cenſuras eccleſ. ad Synodum ipſam venire compellas, & debitam tibi obedientiam, & reverentiam exhibere.

Quoad

Quoad onus accedendi ad Synodum, ad hanc accedere tenentur.

I. Abbates ſæculares, intra Epiſcopi diœceſim exiſtentes, nec ullo exemptionis prætextu poſſunt ſe ab eo eximere, & pœnis a jure ſtatutis coerceri poſſunt ab Epiſcopo, ſi accedere noluerint, ut notat Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib.* III *cap.* I. *num.* 3.

II. Præpoſitus, qui ex privilegio Pii IV. & ex antiqua conſuetudine habet præterea uſum mitræ, & paſtoralis, & una cum eo Canonici, ex decreto Cong. Conc. 5. Aprilis 1732., & 29. Aug. 1733.

III. Abbates regulares, generali capitulo non ſubjecti, ex Trident. *cap.* II. *ſeſſ.* XXIV. *de refor.*

IV. Regulares, curam animarum habentes, ſive ſubjecti ſint capitulo generali, ſive non, cit. cap. II.

Eximuntur tamen ab hoc onere Abbates, qui ſubduntur capitulis generalibus, cit. cap. II. ſicuti & Abbates meliori exemptione præditi, habentes nempe territorium ſeparatum cum vera qualitate *Nullius*, laudatus Benedict. *loc. cit. num.* 16.

SECTIO CXCVI.

CAPUT X. CUM IN ECCLESIIS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. S. Stephani, & S. Proculi Abbatibus bononienſibus ſcripta.*

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, ſtatuitur, ut Canonici regulares, inobedientes Priori ſuo, ab ipſo excommunicari poſſint, & ſi incorrigibiles fuerint, de Fratruum conſenſu expelli debeant.

Quid novi huic ſanctioni acceſſerit, inſtituetur ſermo infra *cap. VIII. Ea, quæ, de Statu Monachorum.*

SECTIO CXCVII.

CAPUT XI. HIS, QUAE, *ex Decretali Honorii III. Gallo Presbytero Cardinali, & capitulo S. Laurentii in Damaſo ſcripta.*

HIs, quæ pro Eccleſia S. Laurentii in Damaſo ex parte una, & capellis ſibi ſubjectis ex altera ſuper ſcrutinio, aliiſque articulis fuere propoſita, diligenter auditis, ſententiando, decrevimus, ut earumdem capellarum Presbyteri, & Clerici, Cardinali, qui nunc eſt in ipſa Eccleſia, & qui fuerint per tempora, manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem exhibeant, & ad Eccleſiam ipſam pro ſcrutinio, baptiſmo, & capitulo celebrandis conveniant temporibus conſuetis, correctionem ipſius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis ſententias, quas tulerit in eos, & Eccleſias eorumdem inviolabiliter obſervantes. Quando autem Eccleſia ipſa Cardinali vacabit, capellani, & Clerici memorati eidem Eccleſiæ reverenter exhibeant omnia ſupradicta, excepto quod de correctione, & excommunicatione, & ſuſpenſione ipſorum pro bono pacis noſtræ providentiæ reſervamus.

In hac Decretali ſtatuitur inter cætera.

I. Ut Presbyteri, & Clerici Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo temporibus conſuetis conveniant cum ipſius Eccleſiæ Cardinali Titulari pro ſcrutinio, baptiſmo, & capitulo celebrandis.

II. Ut inviolabiliter obſervent ſententias excommunicatiunis, interdicti, & ſuſpenſionis in eos, & in eorumdem Eccleſias ab ipſo latas.

III. Ut, vacante titulo per obitum Titularis, ſuccedant in omnia ejus jura, excepta facultate corrigendi, excommunicandi, & ſuſpendendi.

Ad ſcrutinium, quod ſpectat, hic hujus nomine intelliguntur cathechiſmi, & exorciſmi, qui olim in majori hebdomada fieri conſueverunt baptizandis, per viginti dies ante baptiſmi collationem in Sabbatho Sancto peragendam, ut ex Can. LV. *Ante viginti de conſecrat. diſt. IV. & Can. XII. Placuit. cauſ. X. qu.* 1. quod hodie in deſuetuditem abiit: hæc tamen omnia Romæ præſtantur inpræſens a deputatis in Collegio Cathecumenorum.

Quod ſpectat ad cenſurarum hic expreſſarum fulminationem, ſecundum præſentem Eccleſiæ diſciplinam attendenda eſt Conſtitutio Innocentii XII. *Romanus Pontifex*, 5. *Kal. Octobris 1692* in ejus Bullario parvo *la* CVIII. in ordine, (ut etiam notavit Hieronymus Plati *in Synopſi Privilegior. Cardinal. num.* 23.) in qua declarat, Cardinalibus Titularibus in eorum Eccleſiis competere dumtaxat facultatem in iis, quæ concernunt ſervitium earumdem Eccleſiarum, ibi.

Poſtremo declaramus per præſentes noſtras literas, nullatenus ademptam eſſe Cardinalibus, Archypresbyteris, Titularibus, ſeu Protectoribus, eorumque Vicariis, aliiſque deputatis facultatem, ſeu juriſdictionem in iis, quæ ſervitium Eccleſiæ, ſeu loci pii, circa tamen diſciplinam eccleſiaſticam, & morum correctionem dumtaxat concernunt.

Ad

Ad tramites hujus Conſtitutionis ita ratiocinatur Pitonius *de Controverſ. Patron. allegat. XLI. nu. 51.*
,, = Quæ quidem Conſtitutio ſilere facit hanc quæſtio-
,, nem ſuper juriſdictione epiſcopali per Cardinales
,, Titulares prætenſa, eo ipſo, quod eorum faculta-
,, tem reſtringit ad ea, quæ reſpiciunt ſervitium Ec-
,, cleſiæ. cum illa taxativa, *dumtaxat*: quæ omnem
,, aliam juriſdictionis ſpeciem excludit &c. per quæ
,, verba Conſtitutionis Innocentianæ non ſolum ex-
,, cluditur juriſdictio in populum, & parochianos,
,, ſed etiam tribuitur ſola juriſdictio domeſtica in re-
,, ſpicientibus ſervitium Eccleſiæ circa diſciplinam,
,, & correctionem morum, quæ competit omnibus ca-
,, pitulis Eccleſiarum, ſeu earum Vicariis, Præpoſi-
,, tis, Prioribus, ſeu Archipreſbyteris in forma ex-
,, trajudiciali pro recto Eccleſiæ gubernio, nempe
,, faciendo ordinationes, & ſtatuta in concernentibus
,, diſciplinam eccleſiaſticam, & contravenientes abſque
,, ſtrepitu, & figura judicii, multando per ſubtractio-
,, nem diſtributionum, & fructuum, vocis in capitu-
,, lo, aliaſque ſimiles multas domeſticas, & extraju-
,, diciales &c. neque extenditur hæc facultas ad exceſ-
,, ſus graves, & ad tribunal contentioſum, ubi deli-
,, cta caſtigantur ad vindictam publicam =.

Reſpectu vero titulorum Eccleſiarum ſub cuſtodia, & regimine Regularium exiſtentium, hæc habet idem Plati *loc. cit. num. 24.* = ,, Quo vero ad Eccle-
,, ſias regulares eorum titulorum hanc materiam
,, late examinat, & diſcutit Cardinalis de Luca *de Ju-*
,, *riſdict. diſcurſ. 34. per tot.* ubi auctoritatem Cardi-
,, nalium Titularium coarctat ad Eccleſias materiales
,, tantum, in quibus ad evitandam juriſdictionum con-
,, fuſionem, pro meliori regimine ſervatur in praxi
,, ut nos etiam vidimus, quod Cardinales in eis ince-
,, dant cum Rocchetto diſcooperto, & mozzetta, eo,
,, modo, quo in ſignum juriſdictionis incedit Papa per
,, univerſum orbem, & Epiſcopus in ſua diœceſi;
,, habent baldachinum erectum, ſedent ſub throno,
,, etiam cum circulo, & ſubordinata aſſiſtentia Epi-
,, ſcoporum, & Prælatorum, ſolemnem benedictio-
,, nem impertiuntur, & Indulgentias centum dierum
,, publicant, etiamſi ſint Cardinales Diaconi, prout
,, deciſum refert Cardinalis de Luca *in adnot. ad dict.*
,, *diſcurſ. 34.* per Sacram Cong. Rituum de menſe
,, Septembris 1668. approbante Clemente IX. Ponti-
,, fice maximo =.

Quod tandem ſpectat ad ſucceſſionem capituli, vacante titulo, de qua in allata Decretali, ab an. 1431. ſuccedit Cardinalis, Urbis pro tempore Vicarius, ut ex ſequenti Conſtitutione Eugenii IV. per extenſum relata *Tom. II. cui Titulus Jura Vicariatus pag.* 2. penes ſecretariam Tribunalis ejuſdem Vicarii.

Eugenius IV. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ven. Fratr. Gaſparo Archiepiſcopo Cantan. noſtro in ſpiritualibus in Urbe Vicario, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Cum nonnullæ Urbis Eccleſiæ pro Titulis S. R. E. Cardinalium ab antiquis temporibus conſtitutæ propriis Cardinalibus carere noſcantur ad præſens: Nos, ne Eccleſiæ ipſæ propterea ſpiritualibus, vel temporalibus ſubjiciantur incommodis, ſed gubernatoris diligentia provide earum conſulatur utilitatibus, providere volentes, de tuæ quoque fidelitatis, ac circumſpectionis induſtria gerentes in Domino fiduciam pleniorem.

§: II. Tibi gubernationem, & adminiſtrationem Eccleſiarum prædictarum, ac membrorum, & locorum ipſarum, & cujuslibet earum in ſpiritualibus, & temporalibus, uſque ad noſtrum, & Sedis Apoſt. beneplacitum, auctoritate Apoſtolica committimus exercendas.

§. III. Ordinandi, mandandi, præcipiendi, viſitandi, & corrigendi, & alia omnia, & ſingula faciendi, gerendi, & exercendi, quæ circa gubernationem, & adminiſtrationem hujuſmodi neceſſaria fuerint, vel etiam opportuna.

§. IV. Contradictores quoque per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtol. ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtol. non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, plenam, & liberam concedentes tibi tenore præſentium poteſtatem.

§. V. Quo circa fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſic te in præmiſſis laudabiliter geras; quod inde tibi perennis mercedis acquiras præmium, ac nôſtram, & hujuſmodi Sedis gratiam uberius merearis. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1431. Kal, Febr. Pontrificatus noſtri anno I.

Quæ quidem facultas in hac Conſtitutione Urbis Vicario tributa, eſt etiam hodie in viridi obſervantia, ut ex pluribus actis congeſtis *Tom. I. Jura Vicariatus, pag. 326. penes dictam Secretariam*, & noviſſime ab eodem Vicario habitis in Eccleſia a Sanctæ Ceciliæ per obitum Cardinalis Imperiali Titularis.

Quoad collationem beneficiorum in Eccleſiis ſæcularibus exiſtentium, in tranſcripta Decretali conceſſam, attendenda eſt limitatio in Regula VIII. Cancellariæ præſcripta.

SE

SECTIO CXCVIII.

Caput XIII. Dilecti filii, *ex Decretali Gregorii IX. Patriarchæ Gradenſi ſcripta*.

Dilecti filii Archiepiſcopi, & capitulum Caſtellan. ſuam ad nos querimoniam detulerunt, quod cum a Caſtellano Epiſcopo exigeres juramentum præter formam canonicam, quam cæteri Suffraganei Metropolitanis ſuis conſuevere præſtare : iidem conſpicientes ex hoc Eccleſiæ ſuæ præjudicium generari, ad Sedem Apoſtol. appellarunt (& infra.) Cum igitur non deceat alii te feciſſe, quod ab alio fieri tibi nolles; mandamus, quatenus contentus forma canonica, quam nos a Cœpiſcopis noſtris, nobis immediate ſubjectis, recipimus, nihil amplius a Caſtellano Epiſcopo obtentu alicujus conſuetudinis exigas, prætextu præſtiti juramenti ; ſciens nos, eumdem Epiſcopum ab hujuſmodi juramento, quoad alios articulos abſolviſſe, vel denunciaſſe potius non teneri.

Juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, adhuc vigentem ſæculo XIII. exigi poterat per Metropolitanum ab Epiſcopis Suffraganeis idem juramentum, quod præſtare debebant, & debent Epiſcopi ad ordinationem Pontificis Romani immediate ſpectantes, iis conceptum verbis, prout legitur in *cap.* IV. *Ego N. Epiſcopus, de jure jurando*, ut palam facit tranſcripta Decretalia, & Gloſſographus verbo *Forma*.

Poſtquam vero omnium Epiſcopatuum proviſio ad Sedem Apoſtol. excluſis Metropolitanis, & Epiſcopis comprovincialibus, translata fuit, atque ſolius ejuſdem Sedis auctoritate reſpective confirmari, & conſecrari cœperunt, etiam ab omnibus Epiſcopis tamquam ordinationi prædictæ Sedis immediate ſubjectis, juramentum hoc Rom. Pontifici præſtari debet : non tamen hodie juxta formam præſcriptam in *cit. cap.* IV. ſed juxta formulam a Clemente VIII. reformatam, & extenſam, ac Pontificali Romano inſertam.

SECTIO CXCIX.

Caput XIV. Cum olim, *ex Decretali ejuſdem Gregorii Priori Fratrum Prædicatorum, & Archid. Regienſis ſcripta*.

Cum olim cauſa (& infra.) Quo circa mandamus, quatenus, licet conventus monaſterii S. Salvatoris meſſanenſ. ſint ipſo jure hac vice eligendi poteſtate privati, de gratia tamen eligendi, ſeu poſtulandi detis ipſis auctoritate noſtra liberam facultatem; mandantes eiſdem, ut cum Eccleſia meſſan. vacet ad præſens, electionem ſuam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam, præſentent capitulo meſſan.

Huic Decretali, in qua ſtatuitur, capitulum Cathedralia, ſede vacante, poſſe per ſe ipſum juriſdictionem ad ſe devolutam exercere, derogatum eſt, a Trident. *cap.* XVI. *ſeſſ.* XXIV. *de refor.* præcipiente, ut intra octiduum a morte Epiſcopi, vel Metropolitani, eligatur Vicarius, alioquin hujuſmodi electio devolvatur ad Metropolitanum, & ſi Eccleſia fuerit metropolitana, devolvatur ad antiquiorem Suffraganeum ; ſi vero fuerit exempta, ad propinquiorem Epiſcopum.

Ex decretis Cong. Conc. relatis a Fagnan in *cap. His, quæ* XI. *hoc eod. tit. num.* 68. *& ſeqq.* eligi debet unus Vicarius, & non plures (niſi quoad electionem plurium vigeret immemorabilis conſuetudo) non ad tempus duraturus, ſed pro toto tempore vacationis, cum juriſdictione non cumulativa, ſed privativa, nec removendus, niſi cauſa cognita ab eadem Cong., & in caſu abſentiæ, ipſe, non capitulum, alium loco ſui deputare poteſt.

SECTIO CC.

Caput XVI. Cum inferior, *ex Decretali laudati Gregorii Archiepiſcopo Colocenſi ſcripta*.

Cum inferior Superiorem ſolvere nequeat, vel ligare, ſed Superior inferiorem liget regulariter, & abſolvat, & ſatis obſonum videatur, ut filius poteſtatem habeat in parentem: miramur, quod cum tu monaſterium in Cheur conſtitutum in Firmienſi Archidiaconatu tuæ diœceſis in Eccleſiam erexeris cathedralem, Archid. Firmienſis in tantam prorupit temeritatis auda-

audaciam, ut in Epiſcopum ibi conſecratum, & Eccleſiam, ſuam juriſdictionem exercere præſumat (& infra.) Mandamus, quatenus præfato Archidiacono, a cujus juriſdictione dictum Epiſcopum denunciamus exemptum, id diſtricte ſtudeas inhibere. Proviſo, ut ſi ex hoc Archidiaconi Firmien. jura læduntur, in diœceſi tua (ubi expedire videris) abſque alieni juris præjudicio, recompenſationem illi facias congruentem.

Ex hac Decretali inferri videtur, poſſe Archiepiſcopum novam Cathedralem erigere.

Verum, cum hoc privative ſpectet ad Romanum Pontificem, *ut ex cap. I. Novit ille. Ne ſede vacante, & Epiſtola LV. Gregorii* VII. *Lib.* II. *Epiſtol. ejuſdem,* in qua declarat = *quod ſolus Romanus Pontifex dicatur univerſalis &c. quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & e contra divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire* = dicendum eſt hujuſmodi crectionem factam fuiſſe ab Archiepiſcopo, non auctoritate ordinaria, ſed ex commiſſione ejuſdem Gregorii IX. hujus Decretalis conditoris, ut notat hic Gonzalez num. 10.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCI.

CAPUT UNICUM EPISCOPALI, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Epiſcopali ſede vacante, poteſt capitulum, ſeu is, ad quem epiſcopalis juriſdictio tunc temporis noſcitur pertinere, iis, quibus poſſet Epiſcopus, ſi viveret ab excommunicationis ſententia, ſive juris, ſive hominis fuerit, abſolutionis beneficium impertiri; niſi ei fuerit a Sede Apoſtol. ſpecialiter interdicta poteſtas.

Non levis eſt controverſia inter Canoniſtas, an capitulo, ſede vacante, & hodie Vicario capitulari, in vim hujus Decretalis competat facultas abſolvendi a caſibus occultis Papæ reſervatis, prout competit Epiſcopo in vim *cap. VI. Trident. ſeſſ. XXIV. de refor.* Paſſerinus ad hanc eamdem Bonifacii Decretalem *num.* 7. *& ſeqq.* mordicus ſuſtinet negativam ſententiam, ea ductus ratione, quia poteſtas in cit. *cap. VI.* Epiſcopo tributa, non eſt ordinaria, ſed ex privilegio, ſeu conceſſione ſpeciali, tamquam a Sede Apoſtolica Delegato, aſſeritque a Sac. Congr. deciſum eſſe, capitulum non ſuccedere Epiſcopo in ſibi delegatis a Sede Apoſtolica.

Quidquid autem ſit de hac controverſia, certum eſt, Vicarium capitularem abſolvere non poſſe a caſibus occultis, Papæ reſervatis poſt Tridentinum, ſicuti nec poteſt Epiſcopus in vim dicti *cap. VI.* ut declaraſſe refert Gregorium XIII. ex ſententia Sacr. Cong. ejuſdem Concilii Galemart ad cit. cap. per hæc verba = Item „ quærentibus, an idem Decretum (ideſt cap. VI.) „ locum habeat in caſibus poſt Concilium Triden. ex „ nova lege Sedi Apoſtol. reſervatis, S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, reſpon„ dit, non habere locum = . Sed de hoc fuſior inſtituetur ſermo parte II. cum de cit. *cap. VI.*

APPENDIX

AD HUNC TITULUM DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

Cum ad majoritatem ſpectent gradus præcedentiæ inter perſonas eccleſiaſticas, recenſentur ii, quibus hæc præcedentia competit ex Remigio Maſchat *in Inſtit. Canonic. hoc eod. tit. num.* 3. = „ Papa an„ tecellit omnes in Eccleſia, tanquam Paſtor univer„ ſalis, II. Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, & Dia„ coni ex diſpoſitione Bonif. VIII., & Clem. V. qui„ bus etiam Urban. VIII. 1630. die 10. Junii titulum „ eminentiæ attribuit, cum alias dicti fuerint illuſtriſſi„ mi. III. Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, „ Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, qui „ deinde tribus prioribus prælatus eſt. IV. Primates, „ Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, & tandem cæ„ teri Clerici. V. In diœceſi primum locum obtinet Epi„ ſcopus: hunc de jure communi ſequitur Vicarius „ generalis, Archidiaconus, Archipresbyter, & „ alii Canonici: ſede autem vacante Vicarius ſequitur „ Decanum, qui primam dignitatem obtinet in Ec„ cleſia cathedrali. At de conſuetudine præſertim „ Germaniæ, Vicarius, ſi Canonicus eſt, obtinet lo„ cum ſui Canonicatus: ſi vero non eſt Canonicus, ſe„ quitur Canonicos: deinde veniunt Canonici colle„ giati, decani rurales, parochi, & reliquus Clerus „ ſæcularis. VI. Clerum ſæcularem excipit Clerus re„ gu-

,, gularis, in quo de jure præcedentiam habent Cano-
,, nici, & Clerici regulares, tum Monachi, ac dein-
,, de Mendicantes. De conſuetudine ſæpe aliud obſer-
,, vatur. VII. In concurſu Cleri ſæcularis, & regu-
,, laris Abbates, & Prælati regulares præcedunt Ca-
,, nonicos etiam Cathedralis ſolitarie incedentes, quia
,, his præeminent juriſdictione, licet conſuetudo aliud
,, habeat *in* certis locis. Si autem Canonici collegiali-
,, ter incedant, cum ſuo Epiſcopo, præcedentiam ha-
,, bent ante Abbates, & Prælatos regulares, quia
,, hoc modo repræſentant Eccleſiam cathedralem, quæ
,, dignior eſt abbatiali; hæc vero poſt epiſcopalem di-
,, gnior eſt aliis dignitatibus, & Eccleſiis *Can. XII. Si*
,, *quis 16. q. 7.* = .

Circa præcedentiam Protonotariorum Apoſtolicorum hæc habet laudatus Remigius *loc. cit. num.* 4. =
,, Proto-Notarii, ſeu primi Notarii *participantes*,
,, ſunt perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ,
,, ſpeciale officium in Curia romana obtinentes: erant-
,, que olim ſeptem per ſeptem Urbis Regiones deputa-
,, ti ad conſcribenda geſta Martyrum: hodie vero ſunt
,, duodecim, ex Conſt. Sixti V. incip. *Rom. Pontifex*,
,, & alia: *Laudabiiis*, quorum officium eſt adnotare
,, ea, quæ in publicis Conſiſtoriis geruntur, & confi-
,, cere inſtrumenta authentica, ſi rogentur. Hi ex pri-
,, vilegio dicti Pontificis exempti ſunt a juriſdictione
,, cujuſcunque Ordinarii. Poſt Epiſcopus proximum
,, dignitatis locum obtinent, & facultatem creandi
,, doctores, & notarios publicos, legitimandi ſpurios
,, ad ſucceſſiones hæreditarias, arma deferendi,
,, teſtandi de bis mille ducatis proventumm eccleſiaſti-
,, corum = .

Ex Conſtitut. Bened. XIV. *Inter conſpicuos*, 29. *Aug.* 1744. §. 23. Nequeunt promovere abſentes ad gradus doctoratus; præſentes vero in Urbe, nonniſi ſex in ſinguos annos, ſervatis conditionibus ibidem præſcriptis.

Proto-Notarii honorarii, ſeu titulares, ſeu non
,, *participantes* ſunt, qui præciſe honorem hujus nomi-
,, nis obtinent cum certis privilegiis; ut deferendi ro-
,, chetum, & mantelletum coloris nigri, vel viola-
,, cei, utendi pileo ſuper ſuis inſignibus, exequendi
,, literas apoſtolicas &c. & hi præferuntur quidem aliis
,, Clericis, nullam dignitatem obtinentibus: non tamen
,, Prælatis regularibus, ut Generalibus, Provincia-
,, libus, & localibus; cum hi ob juriſdictionem fori
,, externi ſint proprie dignitates eccleſiaſticæ. Plura
,, de his vide apud Barboſam *lib. 1. cap. 13. jur. eccle-*
,, *ſiaſtic. univer.*

Circa præcedentiam inter reliquos Clericos hæc acquiritur: I. (ita proſequitur idem Maſchat. num. 5.
,, = Ex titulo *altioris Ordinis*, vi cujus Sacerdos præ-
,, ferendus eſt Diacono, *c. 15. h. t.* ſed hoc non ob-
,, ſervatur inter Canonicos, qui præcedentiam deſu-
,, munt ex antiquitate ob conſuetudinem approbatam
,, *c. fin. de conſuetud. in VI.* II. Ex titulo dignioris
,, Ordinantis, ut ordinatus a Papa, reliquis præfera-
,, tur, *cap. 7. hoc tit.* III. Ex titulo *prioritatis tempo-*
,, *ris*, qualiter ſeniores parochi præferuntur juniori-
,, bus *c. 1. h. t.* IV. Ex privilegio, ſicut Patriarchatus
,, Conſtantinopolitanus tribus prioribus prælatus eſt in
,, Concil. Conſtantinop. *I. Can. 5.* qui Canon, prius
,, ab Eccleſia Romana rejectus, deinde tamen appro-
,, batus eſt, *c. 23. de privil.*

Circa præcedentiam inter Regulares utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis, hæc ſemper deſumenda erit a die profeſſionis, & non receptionis habitus, ut ex decreto Cong. Epiſcop. & Reg. in *Ravennaten.* 12. *Septembr.* 1588. *& in Auguſtinianor. Lombardiæ 7. Januarii* 1654. Si duo ſimul admiſſi fuerint, vel ad habitum, vel ad profeſſionem, etiamſi admiſſio facta fuerit in alio monaſterio, ille præcedet, qui prius in capitulo acceptatus fuerit, quamvis quis vellet cedere juri ſuo, non obſtante qualibet contraria conſuetudine, quæ declaratur abuſus d. Cong. in *Neapolitana* 23. *Novem.* 1592. *in Mexicana, Jan.* 1594. *in Anconitana*, 14. *Jun.* 1595. *In Aſſiſien. 13. Martii, & 3. Octob.* 1603. relat. a Ferraris *Prompta Bibliotheca in opere, & ſupplemen. verb. Præcedentia*, & Cong. Conc. pro monialibus 1608. in Paduana relat. a Barboſa *in ſumma Apoſtol. deciſ. verbo Præcedentia, num.* 29. Ratificans profeſſionem nulliter emiſſam, præcedet a die ratificatæ profeſſionis, Cong. Conc. 1. Octobr. 1672. *in dub. præcedentiæ relat. a Card Petr. comment. ad Conſt. VIII. Eugen. IV. num.* 17. Profeſſus bona fide ante tempus, præcedet a fine 16. annorum, *Cong. Epiſc. in Baſilianenſium*, 13. *Nov.* 1648. *relat. a Ferraris loco cit.* Laicus factus Clericus ex diſpenſatione Apoſtol. præcedet a die profeſſionis clericalis, *eadem Congr. relat. a Ferraris ibidem*.

Circa præcedentiam tam inter Canonicos, parochos, cæteroſque Cleri ſæcularis, quam inter Canonicos regulares, Monachos, & Mendicantes in Proceſſionibus, & Synodis, necnon confratres Confraternitatum, vide fuſe allata ab eod. Ferraris *loc. cit.*, & ſignanter Conſtit. Gregorii XIII., & Urbani VIII., ac quamplura decreta Cong. Rituum, ibidem relata. Sed de præcedentia in Proceſſionibus inſtituetur ſermo par. II. cum de *cap. XIII. Trident. ſeſſ. XXV. de Regul.*

Notandum eſt autem circa præcedentiam debitam perſonis eccleſiaſticis ratione dignitatis, hanc in aliquibus circumſtantiis non deberi a perſonis, licet ſint inferioris ordinis, aut dignitatis, vel ratione juriſdictionis, vel officii, vel repreſentationis, ut notarunt Hoſtienſis, Joan. Andræas, Brutrius, & Ancharanus ad *cap. I. Cum certum de Majorit. & obedien. num.* 2. *verſ. Verum ſi ſubtiliter, Gloſſ. ad cap. XV. Statuimus eod. tit. verb. Conſueta, ut & Gonzalez cum Cujacio ad cap. I. ut Presbyter de offic. Archipresbyt.* conciliando ob dictas circumſtantias, & qualitates cum cit. *cap. Statuimus, & cap. unic. Ut Primicerius, de offic. Primicer. & cum Can. X. Concilii Emeritani, necnon cum can. XX.V. Legimus, & Can. XXV. diſt. XCII.*

Sic Archidiaconus, licet inferior ſit Archipresbytero ratione ordinis, ratione tamen juriſdictionis eum præcedit; quidquid ſit, an illi hoc competat ex proprio jure, aut ex conſuetudine, ut ex hac, & uſurpatione proveniſſe probat in Hiſpania Hallier *Hierach. Juriſd. lib. IV. art. III.*

Sic præcedit etiam Epiſcopos, & Archiepiſcopos, qui vel ratione officii, vel repræſentationis gerit vices alterius perſonæ his ſuperioris.

Nec abſonum id videri debet, cum diverſis reſpectibus poſſit quis eſſe inferior, & ſuperior alio. *L. 1. Cod. de offic. Vic.* ut probat etiam Benedictus XIV. *in Epiſtola ad Archiepiſcopum Metropolitanum Ruſſiæ, & ad Proto Archimandritam, Archimandritas, Abbates, & Monachos S. Baſilii Ruthenorum, Inter plures* 11. *Maii* 1754. §. *XVI.* ibi.

Nec enim abſonum vobis videri debet, quod unus alterum præcedat in aliquibus circumſtantiis, in aliis vero idem alteri præcedentiam concedat. Id etiam ante oculos noſtros paſſim factitari conſpicimus. Siquidem inter Canonicos Baſilicarum Urbis, cum aliqui ſint epiſcopali, & archiepiſcopali dignitate inſigniti, hi quidem reliquos omnes Canonicos præcedunt. Vicarius autem, *repræſentans perſonam Cardinalis Archipresbyteri*, qui Baſilicæ caput eſt, quamvis idem ſimplex Prælatus ſit abſque ordine epiſcopali, tamen in choro, & in omnibus actibus capitularibus prædictos Canonicos Epiſcopos præcedit: extra chorum vero, & extra actus capitulares infra eoſdem incedit, & ſedet. In Collegio pariter Advocatorum conſiſtorialium aliquis nonnumquam reperitur epiſcopali gradu præfulgens: ſedet hic in actibus collegialibus ſupra reliquos omnes Advocatos, non vero ſupra Decanum, quamvis hic plerumque *ſimplex Clericus exiſtat*: quia nimirum is *eſt totius Collegii caput*: qui tamen extra Collegium, & extra actus collegiales, Epiſcopo conſiſtorialis aulæ Advocato in omnibus decedit.

Hac motus ratione idem Benedictus, cum quidam Epiſcopi, more Convictorum in Collegio eccleſiaſtico de Urbe degentes, contendiſſent, me Rectoris munus in eodem obeuntem antecellere, poſt relationem hujus prætenſæ præcedentiæ ipſi factam a bon.mem. Cardin. Guadagni, ejuſdem Collegii Protectore, ſub die 12. Auguſti 1756. declaravit, hanc tam iis, quam aliis quibuſcumque Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui in poſterum ibidem moram facturi eſſent, minime competere, ſed mihi, & cuicumque Rectori pro tempore, tamquam capiti Collegii, repræſentanti perſonam Eminentiſſimi Protectoris, ut ex ſequenti authentico decreto, aſſervato in Archivio ejuſdem Collegii.

Ex audientia Sanctiſſimi.

Die 12. Auguſti 1756.

Cum Rector Collegii eccleſiaſtici ſit caput ejuſdem Collegii, & repræſentet perſonam noſtram, & Protectoris pro tempore dicti Collegii, Sanctiſſimus declaravit, eidem actuali Rectori, aliiſque pro tempore exiſtentibus competiiſſe, & competere præcedentiam intra idem Collegium, tam in ſedendo, quam in quibuſcumque actibus, tum in Oratorio, tum in communi menſa, aliiſque Collegii locis ſupra quoſcumque Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ibidem more Convictorum degentes, & qui fortaſſe in poſterum degent. Quantum autem ad delationem ciborum in publica menſa, mandavit ſeparatim deferendos eſſe, primum Rectori pro tempore, & poſtea eiſdem Archiepiſcopis, vel Epiſcopis in diſco, continente tot numero ſeparata obſonia, quot erunt Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, comprehenſo Rectore: Patribus vero œconomo, & confeſſario pro tempore ejuſdem Collegii deferendos eſſe ante omnes alios Convictores.

Tabula autem, in qua ſedebit Rector, ſit ſeparata, & media inter tabulas, in quibus ſedebunt tum prædicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quam œconomus, & confeſſarius, itant illi ſedeant in tabula a dextris, iſti in tabula a ſiniſtris ſita ante omnes Convictores.

Et ita auctoritate Sanctiſſimi inviolabiliter ſervari mandamus.

Loco ✠ Sigilli.
J. A. Card. Guadagni Protector.

Ad Papæ majoritatem, & obedientiam ſpectat, ut omnes per univerſum Orbem Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ ſtatutis temporibus, a Sixto V. *Conſtit. Romanus Pontifex* 20. *Decembr.* 1585. ex veteri Eccleſiæ more *Can. IV. Juxta diſt. XCIII.* viſitare debent limina Apoſtolorum, & ſuarum Eccleſiarum ſtatum referre juxta inſtructionem S. Cong. Conc. impreſſam *in appendice tom. I. Bullarii Benedicti XIV. num.* 1. Ad hujuſmodi viſitationem teneri etiam Epiſcopos Titulares, ac etiam Adminiſtratores datos alicui Epiſcopo in legitima ætate nondum conſtituto, non vero Coadjutores, probat idem Bened. *lib. XIII. de Synod. Diœc. cap. VI. num.* 5. *edit. an.* 1755. *cum Fagnan. & Thomaſſino*, ſi non ratione relationis ſtatus Eccleſiarum, quas actu non habent, ſaltem ratione debitæ Romano Pontifici ſubmiſſionis, & obedientiæ; qui eſt alter finis demandatæ viſitationis: quod tamen non videtur uſu receptum.

Sixti Conſtit. confirmavit dictus Benedict. 23. Novembris 1740. Conſtitut. *Quod Sancta*, eamque extendit ad omnes, & quoſcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, alioſque quocumque nomine, ac titulo inſignitos, etiam S. R. E. Cardinales, tam ſæculares, quam regulares, juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, jam promotos, & promovendos; qui antequam ſuorum monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum poſſeſſionem adipiſcantur, juramentum præſtare debent, juxta formulam in d. Conſtit. deſcriptam, in manibus Cardinalis Decani, ſi præſentes ſint in curia, ſin minus in manibus Nuncii, aut Legati Apoſtol. & ſi hic abſens fuerit, in manibus alicujus Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, eorum arbitrio eligendi, ſe ejuſmodi viſitationem perſonaliter peracturos, ac de ſibi commiſſa monaſteriorum, & Eccleſiarum procuratione relationem Romano pro tempore exiſtenti Pontifici reddituros ſingulis trienniis, a die captæ poſſeſſionis incipiendis, ſi ſint Itali, vel ex Inſulis, & provinciis Italiæ adjacentibus: reliqui vero quinto quoque anno: quibus reſpective temporibus completis, repetere toties, quoties tenentur, ſub pœnis Papæ reſervatis ipſo facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem, & viſitationem; videlicet ab ingreſſu Eccleſiæ, & adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum, interim exigendorum ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo viciniore monaſterio, aut Eccleſiæ Nullius, & inſumendorum in opus fabricæ, ſeu ornamentorum Eccleſiæ emptionem, prout magis exegerit neceſſitas.

Si vero legitime impediti fuerint, jurare debent, ſe prædicta omnia adimpleturos per nuncium in dignitate eccleſiaſtica ſeculari, vel regulari conſtitutum, qui ſit de gremio ſuorum monaſteriorum, vel Eccleſiarum; aut per aliquem Sacerdotem ſæcularem, vel regularem;

rem; qui tamen docere debent de impedimento legitimis probationibus Cardinali S. Cong. Conc. Præfecto exhibendis.

Circa hanc viſitationem quoad omnes Epiſcopos, vide late ſcripta a Fagnan. in *cap. IV. Ego N. Epiſcopus, de jure juran.*

Titulus XXXIV. De Treuga, & Pace.

SECTIO CCII.

CAPUT I. TREUGAS, *ex Decretali Alexandri III. in Conc. generali Lateranenſi III. celebrato an.* 1179.

TReugas a quarta feria poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam feriam in ortu ſolis, ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treugas frangere præſumpſerit, poſt tertiam admonitionem, ſi non ſatisfecerit, ſuus Epiſcopus ſententiam excommunicationis dictet in eum, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annunciet: quorum nullus excommunicatum in communionem recipiat, imo ſcriptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem hoc violare præſumpſerit, Ordinis ſui periculo ſubjaceat. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus, ut Epiſcopi ad ſolum Deum, & ad ſalutem populi habentes reſpectum, omni trepidatione ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam, mutuum ſibi conſilium, & auxilium præbeant; neque hoc alicujus amore, vel odio prætermittant. Quod ſi quis in hoc opere trepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

SECTIO CCIII.

CAPUT II. INNOVAMUS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri in eodem Concilio.*

INnovamus, ut Presbyteri, monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes, vel redeuntes, vel in agricoltura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur.

Hæ duæ Decretales, ſtatuentes quibus diebus abſtinendum ſit a bello, & quæ perſonæ, hoc durante, ſecuritate gaudere debeant, hodie, experientia teſte, una cum ſuis pœnis in iis ſtatutis amplius non tenent; vel quia non fuerunt uſu receptæ, vel quia nimis admodum refriguit chriſtiana charitas, una cum reverentia erga divinum cultum, ac res, & perſonas Deo ſacratas: ob quam cauſam hoſtes, tam pontificia, quam cæſarea ſtatuta parvidendant.

Gonzalez Tellez tamen in *Commentar. ad primam allatam Decretalem num. 9. & 18.* aliam rationem aſſignat, pluribuſque argumentis probat, cur treugæ, ſeu induciæ canonicæ non amplius ſint in uſu: quia ſcilicet emanarunt non contra bellum juſtis de cauſis, & publica auctoritate indictum, ſed contra bella privata, quæ olim, & potiſſimum tempore Conc. Lateranenſis III. ſatis effervescebant, & nec legibus probata erant, nec omnino improbata reperiebantur: ideoque cum iſta ceſſaverint, ceſſarunt una cum pœnis canonicæ induciarum leges.

Cum circa treugam, & pacem Pius IV per ſuas literas in forma motus proprii ſtatuiſſet, ut eorum fractores, & fidejuſſores allegare non poſſent, quod offenſa ex nova cauſa proceſſiſſet, nec allegata cuiquam ſuffragaretur, Pius V. ſimili motu proprio, incipien: *Cum ob innumeras die 20. Junii* 1571. ita declaravit, & moderavit prædictas ſui Anteceſſoris literas, ibi.

Dudum ſiquidem fel. record. Pius Papa IV. Prædeceſſor noſter, cupiens criminibus, & exceſſibus, qui in dies oriebantur, providere, per quaſdam ſuas in forma Motus proprii editas literas inter alia ſtatuit, quod in cauſis treugarum, & pacis fractarum, ipſi fractores, vel eorum fidejuſſores allegare non poſſent, quod offenſa ex nova cauſa proceſſiſſet, nec allegata cuiquam ſuffragaretur ..... Nos, conſiderantes a ratione, & jure debito alienum eſſe, eos, qui criminis innoxii fuerint, eorumque fidejuſſores ſi treugæ, pax, ſeu fidejuſſiones de non offendendo, poſtea ex nova emergente occaſione factæ fuerint, earum occaſione gravari debere, cum præcipue paces, treugæ, ſeu fidejuſſiones hujuſmodi de non offendendo, non ad offenſionem ex futuris cauſis, ſed ex præteritis tantum oriantur, literas præfatas, quoad præmiſſa

R 2 revo-

revocantes, caſſantes, & moderantes, effectumque ſuum ſortiri in præmiſſis non poſſe decernentes: Motu ſimili &c. novam cauſam in pacis, treugarum, ſeu fidejuſſionum hujuſmodi fractione principales tantum videlicet, qui fuerunt cauſa pacis, treugarum, ſeu fidejuſſionum de non offendendo hujuſmodi fractarum, ſeu frangendarum præſtitarum, ſeu præſtandarum, ſi ipſi aliquo modo, ſeu aliquis eorum in dictis fractionibus intervenerint, ſeu intervenerit, videlicet, ſi aliquis ex dictis principalibus, aliiſque ex comprehenſis in pace, treuga, ſeu fidejuſſione de non offendendo, offenderit, vel ipſo ab aliquo ex ipſis comprehenſis offendatur, non excuſare. Si vero ſupradicti principales, ſeu aliquis eorum in fractione pacis, treugæ, ſeu fidejuſſionis hujuſmodi, ut ſupra, non intervenerint, ſeu intervenerit, ipſos, eorumque conſanguineos, & fidejuſſores, cæteroſque in pace, treuga, ſeu fidejuſſione de non offendendo comprehenſos, & quemlibet eorum novam cauſam hujuſmodi allegare poſſe, & ea probata, excuſari debere, & quoque modo gravari, perturbari, aut inquietari non poſſe, neque debere, idque tam in cauſis motis, & indeciſis pendentibus, quam etiam finitis, & in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodo ſententiæ deſuper latæ totaliter non ſint executioni demandatæ) locum ſibi vendicare poſſe, & debere declaramus.

Hoc eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO CCIV.

Caput II. Vices illius, *ex Extravaganti Sixti IV.*

In hac Conſtitutione Sixtus incidenter edixit, jure cautum eſſe, ut parochiani diebus feſtis, & dominicis, juſto ceſſante impedimento, Miſſam audire teneantur in propria parochiali Eccleſia, ibi.

Quodque Fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos, non teneri audire Miſſam in eorum parochiis diebus feſtivis, & Dominicis, cum jure ſit cautum, illis diebus parochianos teneri audire Miſſam in eorum parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.

Verum cum hæc juris ſanctio habeatur in cap. II. *Ut Dominicis tit. XXIX. de Parochiis*, quæ eidem pontificiæ declarationi acceſſerint, oſtendam, eum de eod. cap.

Titulus XXXV. De Pactis in VI.

SECTIO CCV.

Caput I. Pactum, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Pactum cum Rectore parochialis Eccleſiæ factum a vobis, ne aliquos, vel certos ipſius Eccleſiæ parochianos recipiatis ad eccleſiaſticam ſepulturam, omnino ſervare debetis, quamquam ſepultura libera ſit monaſterio veſtro ab Apoſtol. Sede indulta, & illi apud vos elegerint ſepeliri; cum per dictum pactum indulto hujuſmodi derogetur.

Huic ſanctioni acceſſit Decretalis Leonis X. in Concilio generali Lateranenſi V. relata in *cap. I. hoc eod. tit. in VII. Decretalium Clementis VIII.* declarans hujuſmodi pacta, & conventiones valere debere, quouſque per ſubſequens capitulum generale, vel provinciale refutatæ non fuerint, ibi.

Pacta, & conventiones inter Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, niſi per ſubſecutum capitulum proximum generale, vel provinciale refutata, & per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore fuerit.

Tranſcriptæ Bonifacii Decretali Paſſerinus ad ſequens *cap. III. hoc eod. tit. num. 11.* derogatum eſſe probat, quia poſt dictum Bonifacium = „ Regularibus, „ Mendicantibus, præcipue quantum ad jura funerum „ conceſſa fuerunt privilegia ampliſſima, nedum cum „ expreſſa derogatione Conſtit. ejuſdem Bonif. *Super cathe-*

,, *Cathedram,* & *Clemen. Dudum de ſepult.* ſed etiam ,, ſtatutorum, & conſuetudinum juratarum per clau- ,, ſulam = *Necnon ſtatutis*, & *conſuetudinibus*, ,, *etiam juramento, confirmatione Apoſtol.*, *vel qua-* ,, *vis alia firmitate roboratis* = quæ clauſula in mul- ,, tis privilegiis habetur expreſſa, ut in Conſtit. Pau- ,, li IV. *Ex Apoſtolicæ Sedis*, *data Martii* 1556. quæ ,, habetur in Bullario Prædicatorum pag. 258. & in ,, qua Pontifex, oedum antiqua privilegia confirmat, ,, & innovat, ſed alia de novo concedit. Unde etiam ,, per hanc clauſul. derogatur pactis juratis, quia conſue- ,, tudines non ſunt Juratæ, niſi ex aliquo pacto jurato. ,, Unde per hujuſmodi privilegia derogatur tam cap. ,, *Pactum* I. quam præſenti cap. *Quia ex eo* III. *in hoc* ,, *tit.* quateous ſunt contraria dictis privilegiis = .

SECTIO CCVI.

CAPUT III. QUIA EX EO, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

QUia ex eo, quod Fratres Prædicatores, & Minores, & alii Mendicantes compoſitiones, & pacta cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus, & perſonis Eccleſiarum, civitatum, caſtrorum, villarum, & locorum, in quibus domus, ſeu habitationes eorum exiſtunt, ſuper juribus parochialibus, vel aliis quibuſcumque articulis, ab eis, vel eorum anteceſſoribus inita, ſive facta, ſervare recuſant: & eo prætextu infringere moliuntur, quia magiſtri, aut miniſtri, vel prioris, Generalium, ſeu Provincialium, eorumdem non affuit aſſenſus in ipſia, nec approbata per ipſorum, Generalia, vel Provincialia capitula extiterunt: multa in diverſis mundi partibus inſurgunt ſcandala, & ipſorum Fratrum (quos decet puritatem omnimodam in ſuis obſervare actionibus, & ab his abſtinere propenſius, per quæ poſſit aliis exempli perniciés generari) famæ detrahitur plurimum, & honori. Nos his occurrere paternæ ſolicitudinis ſtudio intendentes, præſenti decreto ſancimus, compoſitiones, & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus, & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conventualibus Prioribus, ſeu Guardianis facta, vel approbata de ſuorum conventuum conſilio, & aſſenſu (dum tamen alias ſint licita, & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuo inviolabiliter obſervari: non obſtante, quod magiſtri, vel miniſtri, aut Prioris, Generalium, ſeu Provincialium prædictorum non intervenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum, generalibus, vel provincialibus capitulis extiterint approbata: ſeu quod Sedes Apoſtolica in his, quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.

Hæc Decretalis edita eſt ad explicationem, & extenſionem alterius mox tranſcriptæ ejuſdem Pontificis. Cum enim regulares mendicantes recuſarent ſervare pacta, de quibus hic ſermo eſt, quia facta non fuerant de conſenſu Generalis, ſeu Provincialium, nec a capitulis approbata, his non obſtantibus, Bonifacius, ſervanda eſſe hic ſtatuit.

Verum & huic Decretali derogatum eſt per Extravagantem *Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienandis*: cum enim jura perpetua, qualia ſunt privilegia funerandi, Regularibus conceſſa, computentur inter bona immobilia, illorum ceſſio, & renunciatio fieri nequit juxta eamdem Extravagantem, ſine beneplacito Apoſtolico, etiamſi interveniat conſenſus inferiorum Superiorum.

Ita etiam declaravit Cong. Conc. ex decreto, juſſu Urbani VIII. edito 7. Septemb. 1624. quoad omnes Regulares, etiam Militares, exiſtentea intra fines Europæ: unde ſervari debet dicta Extravagans, & Clementina I. *cit. tit. de reb. Eccleſ. non alienandis*.

Titulus XXXVII. De Poſtulando.

SECTIO CCVII.

CAPUT I. CLERICI, *ex Decretali Conc. Lateranenſis III. celebrati ſub Alex. III. an.* 1179.

CLerici in Subdiaconatu, & ſupra, & in Ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendiis eccleſiaſticis ſuſtententur, coram ſæculari Judice Advocati in negociis ſæcularibus fieri non præſumant, niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt.

Hæc

Hæc Decretalia, prohibens Clericis, aut in ſacris Ordinibus conſtitutis, qui dumtaxat redditibus Eccleſiæ, ſeu beneficii ſuſtentantur, aſſumere patrocinium cauſarum coram judice ſæculari extra caſus hic expreſſos, ampliata eſt a Greg. IX. ſequenti Decretali, relata in *cap. III. hoc eod. tit.* extendente hujuſmodi prohibitionem ad quemlibet Sacerdotem, etiamſi ex redditibus Eccleſiæ non ſuſtentetur, ut eam legenti patet.

Cum Sacerdotis ſit officium, nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe, nonniſi pro ſeipſo, vel Eccleſia ſua, vel (ſi neceſſitas immineat) pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus ſibi licitum eſt poſtulare, & infra. Clericus autem, qui contra Eccleſiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus, vel procurator eſſe præſumit, tamquam ingratus poteſt (maxime ſi Clericus ſit ejuſdem Eccleſiæ) beneficio hujuſmodi ſpoliari.

Circa advocationem cauſarum coram judice laico a Sacerdotibus aliquando exercitam nimis indiſtincte locuti fuerant Octavianus Veſtrius *in ſua Tract. lib. III. cap. IV. num. 4.* & Stephanus Gratiani *diſcept. foren. cap. LVII. n. 38.* & Majolus *de Regul. lib. V. cap. XIX. num. 4.* aſſerentes, ex tolerantia Pontificia ſervatum eſſe, ut Clerici in Rom. Curia advocationis, & procurationis publica munera exerceant contra juris regulas, quaſi impune, & ſine ulla limitatione id permittatur, cum cæteroqui certis dumtaxat conditionibus hujuſmodi facultas concedatur; prout animadvetit etiam hac in re Benedict. XIV. *de Synod. Diœc. edit. an.* 1755. *lib. XIII. cap. X. num.* 12. per hæc verba ibi = „ Sacerdoti enim ſæculari, qui ſcientiæ, & juris peritiæ famam ſibi comparavit, indulgetur, ut in tribunalibus, etiam laicalibus, poſſit tam civiles, quam criminales cauſas agere, prout Advocati laici ſolent, dummodo in criminalibus judiciis ad defenſionem tantummodo ſcribat, & agat; nec ei interdicitur, quin laborum præmium poſſit expoſcere; ſuperadditur tamen, euſque advocationis exercitium eidem permitti, quouſque certos eccleſiaſticos redditus in congruam ſuſtentationem, aut beneficium reſidentiale fuerit aſſecutus. Unde patet, diſpenſationem in hunc finem ipſi concedi, ut habeat, „ unde honeſtum ſibi victum valeat comparare = .

Titulus XXXVIII. De Procuratoribus.

SECTIO CCVIII.

CAPUT III. EX INSINUATIONE, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

Huic Decretali, cujus textum tranſcribere omitto permittenti pluralitatem beneficiorum, derogatum eſt, ut ſupra notavi ad *cap. LIV. Dudum, de Elect.* Sectione XLIX.

SECTIO CCIX.

CAPUT XIV. NON INJUSTE, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui ſcripta.*

NOn injuſte judex proceſſit, qui filiumfamilias in Procuratorem admiſit, quamvis ad futuras controverſias conſtitutum.

Huic Decretali, in qua ſine ulla limitatione ſtatuitur, conſtitui poſſe Procuratorem ad judicia filiumfamilias, nec eſſe a judice reiciendum, acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. V. Qui generaliter hoc eod. tit. in VI.* declarans, conſtitui poſſe ſine conſenſu patris, nedum ad judicia, ſed etiam ad negocia; cum hac tamen diſtinctione, quod ſi deputetur ad negocia, debeat eſſe major XVII. annis, ſi vero ad judicia XXV. ibi.

Qui generaliter conſtituitur ad negotia Procurator, agere, ac experiri poteſt, exceptis his caſibus, qui mandatum exigunt ſpeciale. Nedum vero ad negocia, ſed etiam ad judicia poteſt filiusfamilias abſque patris aſſenſu fieri Procurator. Licet autem quis poſt XVII. annum Procurator ad negocia licite deputetur, ad judicia tamen, niſi major XXV. annis fuerit, deputari nequibit.

SE-

SECTIO CCX.

Caput IX. Procurator, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Procurator non aliter cenſetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale; & quamvis alias is, qui conſtituitur ad negotia Procurator alium dare poſſit, in hoc tamen caſu (propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere) non poterit deputare alium, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum. Sane ſi Procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxerit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.

Statuit hic Pontifex, validum eſſe matrimonium contractum per procuratorem cum ſpeciali mandato ad hoc conſtitutum; cui ſanctioni non defuerunt auctorea, qui ſenſerint, derogatum fuiſſe a Conc. Tridentin. *cap. I. ſeſſ. XXV. de refor. matrim.* præcipiente, ut contrahatur coram parocho, & teſtibus, cumque hi, quando contrahitur per procuratorem, neque oculis ſuis conſpiciant contrahentes, neque auribus ſuis ex eorum ore percipiant conſenſum, inde inferunt, non eſſe validum.

Verum cum Concilium addiderit tantum præſentiam parochi, & teſtium, noluit de medio tollere hujus antiqui juris diſpoſitionem, dummodo procurator coram iiſdem contrahentium conſenſum exprimat, juxta tritas regulas in *cap. Poteſt quis*, & in *cap. Qui facit, de regul. juris in VI.* = *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum* = *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur* =. Et hæc ne dum eſt communis opinio, & in praxi ubique recepta, ſed etiam Apoſtolica auctoritate firmata ex Ritnali Romano, juſſu Pauli V. edito *tit. de Sacram. matrim.*

Hic quæri poſſet, an qui matrimonium per procuratorem contraxerunt, illud iterum ipſimet coram parocho, & teſtibus contrahere, vel ſaltem ratum habere debeant.

Quidquid pro parte affirmativa nonnulli ſenſerint, communia tamen ſententia eſt, alterutrum prudenter conſuli, non autem neceſſarium eſſe, ut probat Benedictus XIV. cum DD. cumulate citatia *lib. XIII. cap. XXIII. n. 9. de Synodo Diæc. edit. an. 1755.*

Titulus XXXIX De Syndico.

SECTIO CCXI.

Caput Unicum, Sicut Studii, *ex Decretali divi Gregorii Magni, ad Petrum Subdiaconum defenſorem Siciliæ.*

Sicut ſtudii noſtri eſſe debet a litigiis forenſibus monachos ſubmovere, ita neceſſe eſt noſtra proviſione, quemadmodum negotia eorum diſponi debeant, ordinare. Pro qua re tibi præcipimus, quatenus cum Fauſto loqui debeas, cui (ſi voluerit) conſtituto ſalario, monaſterii generaliter debeas negotia commendare. Expedit enim pro parvo incommodo, a ſtrepitu cauſarum ſervos Dei eſſe quietos.

Diſpoſitio hujus Decretalis, qua præcipitur, conſtituendum eſſe in monaſteriis cum certo ſalario ſyndicum (qui hic venit nomine procuratoris) ad cauſas omnes judiciales eorumdem monaſteriorum, & quidem civiles, in foro pertractandas, extenſa eſt ab Innocentio III. ad Canonicos regulares ſequenti Decretali, Archiepiſcopo compoſtellano reſcripta, & relata in cap. II. *Ex parte, de Poſtulando.*

Ex parte tua nobis fuit propoſitum, quod quidam Canonici Regulares, non ſolum in eccleſiaſticis, verum etiam in forenſibus cauſis, præſumunt advocati officium exercere. Cumque objicitur eis, quod non debent eſſe forenſis, vel eccleſiaſtici negotii ſuſceptores, vel executores, niſi forte id monaſterii expoſcat utilitas; Abbate nihilominus imperante, ad ſuam proponunt inſolertiam excuſandam, quod capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de Monachis, non de Canonicis Regularibus loquitur manifeſte. Unde conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod idem judicium de Canonicis Regularibus, quod de monachis,

quan-

quantum ad ſupradicta credimus obſervandum, licet de monachis in Canone ſpecialiter ſit expreſſum.

Ex hac Decretali tamen eruitur, non prohiberi quoties id exigat utilitas, vel neceſſitas monaſterii, Regularibus per ſe ipſos cauſas forenſes peragere.

Titulus XL. De iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt.

SECTIO CCXII.

CAPUT I. PERLATUM, *ex Decretali Alexandri III. ſcripta Epiſcopo Oſciæ in Celtiberia Hiſpaniæ citerioris in Regno Aragoniæ, & Priori S. Mariæ Cæſaraugnſtæ in eodem Regno.*

PErlatum eſt ad audientiam noſtram, quod cum quidam nobilis, & potens M. uxorem ſuam ſuſpectam haberet, milites ſui ejus præcepto eam ad quandam ſylvam ducentes, evaginato gladio occidere voluerunt: ſed tandem pietate ducti, ſub tali conditione pepercerunt eidem, quod in monaſterio de Colobris habitum ſuſciperet monachalem (& infra.) Epiſcopi vero miſſi a viro, ut ei velum imponerent; quia juvenis erat, & filium parvulum habebat, mutationem vitæ ſuæ ſuſpectam habentes, ſeorſum convenerunt eandem, quæ rem patefaciens, quod mortis timore monaſterium intrabat, propoſuit: & quod inde quandocumque poſſet, exiret: ſed alter Epiſcoporum (ut viri tyrannidi ſatisfacere videretur) mulieri velum imponere ſimulavit. Tandem viro de medio ſublato, prædicta mulier de monaſterio exiens, alium maritum accepit, quos Calacuritanus Epiſcopus ad inſtantiam ſororum, vinculo excommunicationis adſtrinxit, (& infra.) Ideoque mandamus, quatenus prædictam mulierem, & virum (recepto ſacramento, quod veſtro debeant ſtare mandato) ab excommunicationis vinculo abſolvatis: deinde, tam mulierem, quam prioriſſam, & moniales præſcripti monaſterii, ante veſtram præſentiam convocantes, ſi legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem Religionem intraſſe, aut quod fecit, poſtmodum ratum habuiſſe, ipſam ad monaſterium redire, & habitum depoſitum reaſſumere cenſura eccleſiaſtica compellatis.

Huic Decretali, in qua declaravit Pontifex, mulierem iſtam non fuiſſe cogendam, ut rediret ad monaſterium, ſed remanere potuiſſe in ſæculo, donec cauſa illius prætenſæ nullitatis profeſſionis diſcuteretur, hodie non eſt amplius locus, cum hujuſmodi diſpoſitio abrogata ſit a Conc. Trid. *cap. XIX. ſeſſ. XXV. de regul.* in quo ſtatuitur, ut quicumque Regularis prætendens, ſe per vim, & metum profeſſionem emeſſiſſe, non audiatur, niſi infra quinquennium cauſam nullitatis deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed cogatur ad monaſtrium redire: & ulterius puniri debeat tamquam apoſtata.

Sed hac de re fuſior inſtituetur ſermo par. II.

Vide interim notanda ad *cap. I. Nullus tit. de Regularib.*

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCXIII.

CAPUT UNICUM, ABSOLUTIONIS, *ex Decretali Gregori X. edita in Concilio generali Lugdunenſi II. celebrato an. 1274.*

ABſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, vel quamcunque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti, per vim, vel metum extorta præſentis Conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos, qui abſolutionem, ſeu revocationem hujuſmodi vi, vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Hæc

Hæc Decretalis ampliata fuit a Bulla, die Cœnæ Domini legi ſolita; quamdoquidem cenſura excommunicationis hic lata contra extorquentes abſolutionem a cenſuris, non eſt reſervata, & incurritur dumtaxat ab ipſis eam extorqnentibus; ibi vero reſervatur Papæ, & extenditur etiam ad cooperantes, ut ex §.XIV. ejuſdem Bullæ, quem leges in calce hujus Operis.

Nota, hanc excommunicationem incurri ab extorquente abſolutionem etiam ab excommunicatione minori, non vero incurri a cogente metu levi, *Theſaurus de Panis cap. XX. verb. Cenſura*.

Titulus XLII. De alienatione Judicii mutandi cauſa facta.

SECTIO CCXIV.

Nihil quidem novi ex jure canonico huic titulo acceſſit: ad eum tamen reduci poſſet hoc ſequens Decretum Innocentii XII. ſub die 4. Junii 1692. relatum in ejus Bullario parvo num. 59.

UT occurratur impetrantium calliditati, qua ſæpius, vel iidem oratores, vel eorum procuratores, ac ſolicitatores, ſive alii quicumque agentium, aut expeditorum nomine nuncupati, literas gratiæ, vel juſtitiæ, cum valde notabili ipſius juſtitiæ, ac publici boni, & quandoque animarum etiam præjudicio in Aula, & Curia Romana ſubripere conantur, Sanctiſſimus Dominus noſter Innocentius Divina Providentia Papa XII. expreſſe præcepit, & mandavit: quod, ſi quis in poſterum preces, ſive ſupplices libellos in materia gratiæ, vel juſtitiæ alicui ex Sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulerit, ſeu præſentaverit, itaut ab eadem Sacra Congreg., vel in totum, vel in parte fuerint rejectæ, aut alias ipſa S. Congreg., mediante præfata præſentatione precum præventa, manus quomodocumque deſuper appoſuerit, nequeat ullo modo idem negocium, cauſam, vel petitionem ad alteram ex SS. Congregationibus, etiam mediante reſcripto Sanctitatis ſuæ (quod in hoc caſu importune, & ſubreptitie Sanctitas ſua cenſeri voluit extortum) ſub quovis prætextu, cauſa, vel quæſito colore, etiam ſimplicitatis, & ignorantiæ, deferre, vel alias primam Congregationem ſponte a principio aditam declinare, alias reſcripta, decreta quæcumque, indulta, gratiæ, literæ, reſolutiones, vel proviſiones a ſecunda, ſive altera Congregatione impetrata, vel impetranda, necnon literæ Apoſtolicæ, quas illorum, vel illarum vigore deſuper expediri contingeret, haberi debeant omnino pro ſubreptitie extortis, nulliuſque penitus ſint roboris, vel momenti, nec ullatenus in judicio, vel extra ſuffragari poſſint, & valeant, perinde ac ſi numquam emanaſſent.

Præter dictam nullitatem præcipit, ut, nedum attentantes contra hoc Decretum puniri poſſint pœna carceris, vel alia arbitrio alterutrius Congregationis ſed etiam.

Quod procuratores, ſolicitatores, agentes, & expeditores hujuſmodi, ubi ipſi ſint, qui ignara parte, ſeu principali, attentaverint, omnino teneantur ad refectionem omnium expenſarum, atque damnorum, quas, vel quæ per ſuos principales hac de cauſa pati contingeret, vel contigiſſet, atque ad id ſummarie per eundem Secretarium, facto tamen, ut ſupra, verbo in ipſa Congregatione, opportunis juris, & facti remediis compelli poſſint, & debeant.

Titulus XLIII. De Arbitris.

SECTIO CCXV.

CAPUT I. SANE, *deſumptum ex Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, approbato in Concilio Carthaginenſi, habito an.* 419.

SAne (& infra.) Si autem ex communi placito Epiſcoporum, inter quos cauſa verſatur, arbitros elegerint, aut unus eligatur, aut tres, ut ſi tres elegerint, aut omnium ſequantur ſententiam, aut duorum.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi duo ex tribus electis arbitris, diſſentiente tertio, ſententiam tulerint, hæc valeat. Quia vero indiſtincte loquitur, an ſcilicet ille tertius diſſentiens debeat eſſe præſens, vel abſens in examine, ac diſcuſſione cauſæ, & interpretes cum Gloſſa hic, ſentiant, requiri, ut ſit præſens ad tramites juris civilis *ff. eod. tit. L. Si in tres*, *quæ aliàs eſt §. ſub L. Item ſi unus*, declarata eſt a Bonifacio VIII. qui, derogando eidem juri civili, definivit, ſententiam ferri poſſe a duobus reliquis, etiam abſente tertio, ut ex ſequenti Decretali, relata in cap. II. *Ut quæſtionibus hoc eod. tit. in VI.*

Ut quæſtionibus (quæ plerumque propter arbitrorum voluntariam, ſeu malitioſam abſentiam remanent indeciſæ) finis celerius imponatur; ſtatuimus, ut ſi ex tribus arbitris a partibus electis, eorum aliquis ab aliis legitimè requiſitus ad examinandum, vel definiendum una cum eis negotium, ſuper quo in ipſos extitit compromiſſum, non curaverit (ceſſante impedimento legitimo) convenire: duo præſentes, penes quos (licet lex civilis aliud innuere videatur) totalem, eo caſu remanere decernimus poteſtatem, poſſint (malitioſa, ſeu voluntaria illius abſentia non obſtante) dictum examinare negotium, & libere definire, ſicut poſſent, illo præſente, nec volente, cum eis in unam ſententiam concordare: ut ſic ipſius abſentia, præſentia repleta divina, eum reputari faciat pro præſente. Circa judices vero antiqua jura nolumus immutari.

SECTIO CCXVI.

Caput II. Non sine, *ex Decretali Alexandri III. Eboracenſi Archiepiſcopo ſcripta.*

Non ſine multa neceſſitate A. Presbyter nobis propoſuit, quod cum in Eccleſia S. Alphridi per manum R. Archidiac. de Suella perſonæ illius Eccleſiæ, capellanus inſtitutus fuiſſet, eodem R. mortuo, M. nepos ejus, qui ſibi in Eccleſia jam dicta ſucceſſit, eumdem Presbyterum capellanum ibidem iterum ordinavit (& infra.) Cum autem idem Presbyter extra provinciam exulans, de ſuo beneficio non poſſet juſtitiam obtinere, nec ſuam ulterius inopiam ſuſtinere, per dolum, & fraudem ipſius M. ab eo eſt ſacramentum extortum, ut arbitrium Clericorum duorum exinde ſuſciperet, & ſervaret: qui jam dicto M. faventes, Presbytero præceperunt, ut quinque marchas ab eodem ſuſciperet, & toti cederet quæſtioni. Quoniam igitur non decet, te aliquatenus ſuſtinere, ut quod perperam arbitrati ſunt, debeat incorrectum relinqui: mandamus, quatenus, ſi ſe cognoverint præfati Clerici tam nequiter arbitratos fuiſſe, dictum Presbyterum ab obſervantia juramenti auctoritate noſtra prorſus abſolvas: vel ſi arbitrium ipſum noveris æquitate ſubnixum, ad obſervantiam ipſius utramque partem, appellatione remota, compellas.

Huic Decretali, non improbanti ſucceſſionem immediatam collateralium, ſeu transverſalium in beneficiis, derogatum eſt, ut ſupra notavi ad *cap. XII. Ex parte de offic. & poteſt. Judic. deleg.* Sect. CLVII.

Finis Decretalium ex Libro I. excerptarum.

PARS

PARS PRIMA

EX LIBRO II. DECRETALIUM

Titulus I. de Judiciis.

SECTIO CCXVII.

Caput I. De Quodvultdeo, *tranſcriptum ex Concilio Africano, Milevitano ſcilicet, juxta Gonzalez, celebrato an.* 402. *6. Kal. Septembr. temporibus Arcadii, & Honorii.*

De Quodvultdeo Centurienſi Epiſcopo, quem cum adverſarius ipſius eum petiiſſet ad Concilium introduci, interrogatus, an cum eo vellet experiri, primo id promiſerat, & altera die reſpondit, hoc ſibi non placere, atque diſceſſit. Placuit, ut nullus eidem communicet, donec, ſatisfactione præmiſſa, fuerit abſolutus: nam adimi ſibi Epiſcopatum, ante cauſæ ejus exitum nulli poteſt de jure videri.

Hic tribuitur Concilio provinciali facultas cognoſcendi cauſas criminales Epiſcoporum, etiam depoſitione, aut privatione dignas: prout idem ſtatuebatur *Can. V. Accuſatus* cum quatuor ſeqq. *cauſ. III. q.6.* Verum hodie hæc facultas ſublata eſt, & Summo Pontifici reſervata a Conc. Trident. tum *cap.* VIII. *ſeſſ.* XIII. *de refor.* tum *cap.* V. *ſeſſ.* XXIV. hujus textum, leges infra part. II. cum de hoc eod. cap. inſtituetur ſermo.

SECTIO CCXVIII.

Caput IV. Etsi, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Salernitano reſcripta.*

Etſi Clerici coram judice ſæculari convicti fuerint, vel confeſſi de crimine, non ſunt propter hoc a ſuo Epiſcopo aliquatenus condemnandi: ſicut enim ſententia non a ſuo judice lata, non tenet, ita & facta confeſſio coram ipſo. Si vero coram Epiſcopo de criminibus in jure confeſſi ſunt, ſeu legitima probatione convicti, dummodo ſint talia crimina, propter quæ ſuſpendi debeant, vel deponi, non immerito ſuſpendendi ſunt a ſuis Ordinibus, vel ab Altaris miniſterio perpetuo removendi. De adulteriis vero, & aliis criminibus, quæ ſunt minora, poteſt Epiſcopus cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare: ſed non debet quemlibet depoſitum pro ſuis exceſſibus (cum ſuo ſit functus officio, nec duplici debeat ipſum contritione conterere) judici tradere ſæculari.

Hic irrita dumtaxat declaratur ſententia, lata contra Clericos a judice ſæculari; nulla tamen in hunc infligitur pœna, quæ quidem eſt excommunicatio, Papæ reſervata in Bulla, die Cœnæ Domini legi ſolita, ut oſtendam in notis ad *cap. XVII. Qualiter*, Sectione CCXXII.

SECTIO CCXIX.

Caput X. Cum non ab homine, *ex Decretali Celeſtini III. Brunduſienſi Archiepiſcopo reſcripta.*

Cum non ab homine (& infra.) A nobis fuit ex parte tua quæſitum, utrum liceat Regi, vel alicui ſæculari perſonæ judicare Clericos cujuſcumque Ordinis, ſive in furto, ſive in homicidio, vel perjurio, ſeu quibuſcumque fuerint criminibus deprehenſi. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus: quod ſi Clericus in quocumque Ordine conſtitutus, in furto, vel homici-

micidio, vel perjurio, ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitime, atque convictus, ab eccleſiaſtico judice deponendus eſt: qui ſi depoſitus, incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde, contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri. Poſtmodum vero ſi in profundum malorum veniens, contempſerit, cum Eccleſia non habeat ultra, quid faciat, ne poſſit eſſe ultra perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem; ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi procedendum ſit contra Clericum, reum delicti, depoſitione digni, ſerventur quatuor ſequentes gradus, I. ut deponatur, II. ut ſi non ſe corrigit, & delictum iteret, hec depoſitionem ſervet, aut deteriora crimina perpetret, excommunicetur, III. ut, creſcente contumacia, anathematizetur, quæ anathematizatio, licet non habeat majorem effectum, quam excommunicatio, cum eadem ſit ac anathema, ſit tamen publice, & cum certis ſolemnitatibus, adſtantibus ſcilicet XII. Sacerdotibus cum candelis accenſis, quas poſt ſententiam prolatam extingunt, & projectas conculcant, qui eſt modus, & forma publicæ excommunicationis *Can. CVI. Debent Cauſ. XI. q. III. IV.* Demum ſi non reſipuerit, quin potius in profundum malorum devenerit, ne ſit perditio, & damnificatio plurimorum, tradatur Curię ſæculari, digna pœna plectendus.

Hic tamen quartus gradus tunc locum habere debet, quando Eccleſia, non propter deffectum aliarum pœnarum, vel poteſtatis, ſed propter potentiam ejuſdem Clerici criminoſi non poſſet illum coercere: quo caſu verificatur quod eadem Eccleſia *non habens ultra quid facere.*

Non obſtante autem gradatione hic præſcripta, non deſunt plures Doctores, qui juxta animadverſa a Benedicto XIV. *lib. IX. cap. VI. de Synod. Diœc. num. 9. & ſeq. edit. an. 1755.* = ita hanc Decretalem inter-
,, pretantur, ut per eam minime prohiberi opinentur,
,, ne Clericus parricidii, homicidii inſidioſi, aut ſa-
,, crilegi, vel alterius atrociſſimi criminis reus, præ-
,, dictis pœnarum gradibus non ſervatis, ſtatim tradi
,, poſſit Curiæ ſæculari. Ita ad præd. cap. docuere
,, *Aufrerius num. 10. Alciatus num. 22. Martinus*
,, *del Rio diſquiſit. magicar. lib. 5. Sect. XVI. §. Si*
,, *quæras, quid judici liceat*, aliique relati a Farinac-
,, cio *Prax. crim. quæſt. 8. num. 81.*

,, Verum communis Doctorum ſententia indubi-
,, tanter affirmat, ad actualem Clerici, cujuſcumque
,, criminis rei, degradationem, præter enumeratos
,, caſus, a jure ſpeciatim expreſſos, non poſſe procedi,
,, niſi ille ſit incorrigibilis, hoc eſt, uti a Cœleſtino
,, audivimus, niſi Eccleſiæ monita, ſibique gradatim
,, inflictas canonicas depoſitionis, & excommunica-
,, tionis pœnas, pervicaciter contempſerit: ſuperflu-
,, um quippe fuiſſet, in quædam peculiaria Clerico-
,, rum flagitia degradationis pœnam nominatim decer-
,, nere, ſi hæc potuiſſet cuicumque Clerico flagitioſo
,, ſtatim irrogari. Neque ad rem facit immanius ſce-
,, lus eſſe parricidium, quam forte ſit aliquod ex iis
,, exceptis, ob quod Clericus, nulla præmiſſa canoni-
,, carum pœnarum gradatione, permittitur ſtatim tra-
,, di Curiæ ſæculari: etenim leges pœnales non com-
,, plectuntur delicta, quæ non exprimunt, etiamſi ſint
,, expreſſis graviora: quod argumento *cap. In pœnis*
,, *de regul. jur. in VI.* probant *Caſtro de lege pœnali*
,, *lib. 1. cap. 7. docum. 3. & Suarez libr. 6. de legib.*
,, *cap. 3. num. 5.* Quare Innocentius III qui ſtatim poſt
,, Cœleſtinum III. Pontificatum tenuit, interrogatus
,, ab Epiſcopo Londinenſi, quid agendum foret de Cle-
,, ricis in latrociniis, aliiſque magnis ſceleribus depre-
,, henſis, eos deponendos quidem, ſeu verbaliter tan-
,, tum degradandos, non tamen Curiæ ſæculari tra-
,, dendos, reſcripſit *in cap. Tuæ 6.* de pœnis = *Ad il-*
,, *lud, quod a nobis tertio requiſiſti, qualiter Clerici*
,, *in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi*
,, *puniri debeant; reſpondemus, quod a ſuis Ordinibus*
,, *degradati, detrudi debeant in arctis monaſteriis ad*
,, *pœnitentiam peragendam* =. Et Bonifacius VIII. in
,, cap. *Felicis hoc eod. tit. in VI.* etſi hoſtiliter inſectan-
,, tes, aut percutientes S. R. E. Cardinalem, reos de-
,, claret criminis læſæ majeſtatis, & veluti tales infa-
,, mes, atque inteſtabiles pronunciet, variiſque pœnis
,, addicat, non tamen, ſi fuerint Clerici, actuali de-
,, gradatione plectendos ſtatuit.

,, Inſtar igitur regulæ ſit, neminem Clericorum,
,, quantumvis flagitioſum, poſſe ab Epiſcopo actu degra-
,, dari, & Curiæ ſæculari tradi, niſi poſt ei inflictas alias
,, pœnas in cit. cap. *Cum ab homine* præſcriptas, depre-
,, henſus fuerit inemendabilis, aut niſi ſit reus alicu-
,, jus ex enumeratis criminibus a jure communi, vel
,, a pontificiis ſanctionibus nominatim expreſſis: que-
,, madmodum docent Hoſtienſis *in cap. I. num. 2. de ho-*
,, *micid. Berojas in cap. At ſi Clerici, nu. 181 de ju-*
,, *diciis verb. Mihi autem, Covar. lib. 2. var. cap.*
,, 20. *num. 7. Farinaccius cit. prax. criminal. quæſt. 8.*
,, *num. 81. Fagnanus in cit. cap. Cum non ab homine,*
,, *num. 6. Pignatellus tom. 7. conſult. 33. num. 25. &*
,, *ſeq.* aliique apud *Raynaldum ad Bannimenta Bonon.*
,, *cap. V. §. I. a num. 154.* Ab hac regula, communi
,, uſu recepta, non recedat Epiſcopus: neque ad com-
,, peſcenda ſcelera, quæ frequenter a ſuæ diœceſis
,, Clericis forte perpetrantur, fas ſibi eſſe putet in
,, ſua Synodo ſolemnis, & actualis degradationis pœ-
,, nam in illorum ſontes decernere: id quippe cum ſit
,, contra Canones, unice pertinet ad Romanum Pon-
,, tificem, cujus certe ſupremam Juriſdictionem inva-
,, dit, qui ſua auctoritate maleficis Clericis eamdem
,, pœnam irrogare præſumit. Quod ſi alicubi tanta
,, ſit alicujus enormis criminis frequentia, & expe-
,, rientia compertum jam ſit, alias pœnas haud ſuffi-
,, cientes eſſe ad Clericos ab illo deterrendos, poterit
,, Epiſcopus Summum Pontificem rogare, ut in Cle-
,, ricos, vel ſemel illud deinceps perpetrantes, de-
,, cernat actualis degradationis ſententiam, eamque a
,, Summo Pontifice latam in ſua Synodo, ad omnium
,, terrorem promulgare; ſicuti faciendum monent
,, *Farinaccius cit. quæſt. 8. & Panimoll. deciſ. 14. ad-*
,, *not. 1. num. 25.* =.

Circa ſtatutam procedendi formam contra Clericum, reum criminis depoſitione digni, notat ad hanc eamdem Decretalem Fagnanus *num. 35.* locum habere
= Quando proceditur propter crimen: tunc enim Cle-
,, ricus criminoſus primo deponitur, ſecundo excom-
,, municatur, tertio anathematizatur, & quarto loco
,, per Curiam ſæcularem comprimitur, ut dictum eſt.
,, Secus vero, ſi pœna incipiat a contumacia, quia

,, tunc

„ tunc procedendum eſt de ordine inverſo : nam primo Clericus contumax ſuſpenditur , ſecundo excommunicatur , tertio deponitur , quarto , & ultimo traditur Curiæ ſæculari = .

SECTIO CCXX.

Caput XIII. Novit ille , *ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopos , & Epiſcopos per Franciam conſtitutos .*

Hanc Decretalem , cum nimis prolixa ſit , tranſcribere omitto : caſus autem in ea contentus , is eſt , quod fracto pacis fœdere a Rege Galliæ, juramento firmato tam ab ipſo , quam a Rege Angliæ , hic ob violatam ſibi fidem jurisjurandi religione interpoſita , ad Innocentium , tamquam ad competentem judicem cauſam detulit, ut illum ad juratam fidem ſervandam compelleret . Ex quo facto hæc firmatur regula , quod , quando agitur de cauſa reali , quæcumque illa ſit , & quaſcumque reſpiciat perſonas , cui adjectum ſit juramentum , illius cognitio privative ſpectet ad judicem eccleſiaſticum , ſi de ejuſdem juramenti fractione agatur , ut in præſenti caſu , quemadmodum clare patet ex ſequentibus Innocentii verbis , in cit. cap. *Novit* .

Poſtremo cum inter Reges ipſos (Galliæ , & Angliæ) reformata fuerint pacis fœdera , & utrinque præſtito proprio juramento firmata , quæ tamen uſque ad tempus prætaxatum ſervata non fuerint ; numquid non poterimus de juramenti religione cognoſcere , quod ad judicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere , ut rupta pacis fœdera reformentur .

Hanc eandem regulam tamquam certam ſtatuit Bonifacius VIII. in Decretali , relata in *cap. III. Cum C. laicus de for. compet. in VI.* ubi aperte declarat , potuiſſe Clericum convenire laicum coram judice eccleſiaſtico , pro quo fidejuſſerat , juramento ab hoc interpoſito , ſe dictum Clericum ſervaturum indemnem , ibi.

Cum C. laicus , pro quo ſolviſti certam pecuniæ quantitatem , in qua pro eo te fidejuſſorio nomine obligaveras , te ſervare recuſet indemnem, contra juramentum a ſe præſtitum temere veniendo : ipſum coram eccleſiaſtico judice , ad cujus forum ratione juramenti cauſæ hujuſmodi cognitio noſcitur pertinere , de jure poteris convenire : ut ipſum , monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam , quod te ſuper prædictis , ut tenetur , ſervet indemnem , prævia ratione compellat .

Verum quid de hodierna praxi laudatæ regulæ in aliquibus Regnis ſcripſerit Benedictus XIV. *lib. IX. cap. IX. de Synod. Diœc. num.* 8. de his iiſdem Decretalibus ſermonem habens , hic tranſcribo .

„ Hoc porro titulo omnes fere quæſtiones ſuper civilibus contractibus ad judicem eccleſiaſticum olim „ devolvebantur : quoniam , inquit Monacius *ad leg.* „ 8. *Cod. de epiſcopali audientia* , = numquam fere „ omittebant tabelliones adjicere præſtitum a contra„ hentibus ſacramentum de ſervandis , quæ pepigiſ„ ſent = Et nihilominus tam ſancte hæc diſciplina plu„ ribus ſeculis retenta eſt , ut Principes laici non auſi „ ſint illam infringere ; nec alium ſibi modum ſuppe„ tere exiſtimaverint impediendi , ne hac ratione „ omnes cauſæ a ſuis foris ablegarentur . quam prohi„ bere , ne deinceps contractus , pacta , aliaque ne„ gotis firmarentur juramento ; quod in Luſitania , „ aliiſque in locis , legibus cautum , refert *Pelicianus* „ *de Olivo for. Eccleſ. par. I. quaſt. XXX.* ubi ſimul „ has leges irritas contendit . In Gallia tamen , ſi ve„ ra narrat ſæpius citatus *Alteſerra de Eccleſ. juriſdic.* „ *lib. VI. cap. X.* non ſolum interdictum fuit , ne dein„ ceps juramentum apponeretur contractibus , ſed ſi„ mul ſancitum , ut contra legum prohibitionem ap„ poſitum , vires amplius non haberet cauſam pertra„ hendi ad forum eccleſiaſticum = Olim tanta erat , „ (ſcribit Alteſerra ,) Jurisjurandi religio , ut jusju„ randum omnibus contractibus apponeretur , quo fi„ des contractus religione jurisjurandi tutior eſſet . „ Hac occaſione uſu evenit , ſi fides ſecularibus , ut „ Epiſcopi cognoſcerent de contractibus , & de feu„ dis , propter juramenti vinculum in his interpoſitum, „ *cap. Novit , de judiciis* . Hac de cauſa vetitum , ne „ Jusjurandum contractibus apponeretur , neve ulla „ ejus ratio in judiciis haberetur , ne hoc obtentu ſe„ cularis juriſdictio evacuaretur , quoniam jusjuran„ dum non debet eſſe vinculum iniquitatis = .

SECTIO CCXXI.

Caput XVI. Cum deputati, *ex Decretali Innocentii III. ſcripta Magiſtro, & Fratribus Ordinis militaris Templariorum.*

CUM deputati (& infra .) Accepimus, quod quidam tam ſæculares, quam eccleſiaſtici judices illos, quos habetis in domibus veſtris Præceptores, in cauſis ad proſequendam ſuam juſtitiam non admittunt, tanquam licitum non ſit eis ſuper litigioſis negotiis curam agere, qui pacificis decreverunt ſtudiis inhærere, illud allegantes in repulſione ipſorum, quod eorum ipſis generatio non eſt nota: qui undecunque venerint gratia divina vocati, dum laudabiliter exequantur officium ſui Ordinis ex ſuperabundati requiritur ſuæ natio nationis. Ne quis igitur in proſecutione cauſarum Præceptores eoſdem ab agendo, vel reſpondendo occaſione hujuſmodi repellat, auctoritate Apoſtol. inhibemus.

Hæc Decretalis, in qua Innocentius prohibuit, ne Præceptores Templariorum repellerentur ab agendo, vel reſpondendo in judicio, hodie locum amplius non habet, cum hic Ordo extinctus fuerit a Clemente V. in Concilio Viennenſi 10. Maii 1311. illiuſque quamplurima bona conceſſa, & unita fuerunt Ordini Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, ut ex ejuſdem Pontificis Conſtit. *Ad providam*, promulgata prius in eodem Conc. dictæ extinctionis ſententia.

SECTIO CCXXII.

Caput XVII. Qualiter, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Vercellenſi Epiſcopo ſcripta.*

QUaliter, & quando (& infra .) Præcipiatis ex parte noſtra Prælatis, ut laicis, de Clericis conquerentibus plenam faciant juſtitiam exhiberi. Non obſtantibus appellationibus fruſtratoriis, quas in eorum gravamine Clerici frequenter opponunt, nec pro defectu juſtitiæ Clerici trahantur a laicis ad judicium ſæculare, quod omnino fieri prohibemus.

Hæc Decretalia innovata eſt a Concil. Tridentin. *cap.V. ſeſſ.XXIV. de refor. §. Cætera*. Ampliata inſuper eſt a Bulla in die Cœnæ Domini legi ſolita, quam vide in fine hujus Operis: quandoquidem hic prohibetur dumtaxat, ne Clerici trahantur ad forum ſæculare, nulla adjecta pœna, ibi autem §. XIV. XV. & XVI. infligitur excommunicatio latæ ſententiæ, Papæ reſervata, in trahentes ad dictum forum eoſdem Clericos.

SECTIO CCXXIII.

Caput XX. Venerabilis, *ex Decretali Honorii III. ad Magiſtrum Tancredi Archidiaconum Bononienſem.*

VEnerabilis frater noſter Archiepiſcopus Ravennat. propoſuit coram nobis, quod cum deciſio cauſæ, quæ inter ipſum, & Communitatem Cervienſem, ſuper juriſdictione Civitatis Cerviæ, & quibuſdam aliis articulis vertitur, ſit per ſubterfugia, & cavillationes eorum per triennium prorogata, dicti Cervienſes aſſerentes, inſtantiam judicii per decurſum triennii periiſſe, reſpondere ſub tuo examine recuſaverunt (& infra . Mandamus, quatenus, exceptione hujuſmodi non obſtante, in negotio iſto procedas juxta traditam tibi formam.

In hac Decretali ſtatuit Honorius, inſtantiam judicii non perire per lapſum triennii. Verum huic ſanctioni derogatum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ. XXIV. cap.XX. de reform.* præcipiente, cauſaa omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum eccleſiaſticum pertinentes, terminandas eſſe intra biennium, (adinſtar juris civilis, quod in cauſis criminalibus præfixit biennium *L. Forma C. Ut intra cert. temp. quæſtio crimin. &c.* licet in civilibus triennium indulſerit *L. Properandum in princ. C. de judic.*

Quæ conciliaris ſanctio declarata eſt a Gregor. XIII., & reſpective ampliata a Clemente VIII., ut oſtendam part.II. cum de eit. cap.XX.

In foro attamen non obſtante hac conciliari diſpoſitione, invaluit opinio, ut inſtantia de jure canonico ſit perpetua, ut reſpondit *Rota in Tuder. Parochialis S.* Cri-

Criſtinæ de Valeixe, 3. *Martii* 1732, §. *III. cor. Eminentiſſimo Creſcentio*, inter impreſſas *deciſ.* 156. *n.* 6. & aliis allegatis *in Barchinonen. Juriſdictionis ſuper attentatis* 28. *Martii* 1757. *coram clar. mem. Baſſio*.

Hæc vero perpetuitas non excedit triginta annos, quod cæteroquin in jure novum haud eſt. Duobus vero caſibus ante ipſum triginta annorum inſtantia perimitur. Unus eſt, ſi acceſſerit ſententia, litem deſertam declarans. Alter eſt, ſi elapſum ſit decennium, ſimulque indubie conſtet de malo jure ejus, qui litem inſtituit, ut firmavit Rota in *Ferrarien. Capellaniæ* 21. *Martii* 1727. §. *Quod vero cor. bon. mem. Criſpolto*, & *in Pampilonen. Beneficii de Villafranch.* 23. *Januarii* 1730. §. *Quæ cum ita ſe habeant cor. clar. mem. Ciacio*.

Effectus autem hujus opinionis eſt, quod gratiæ, quæ a S. Sede conceduntur ob litis pendentiam, ut ſubrogatio gratioſa in juribus defuncti collitigantis, & gratia derogatoria juriſpatronatus in totum ſuſtineantur, ſi a litis introductione elapſi non ſint triginta anni, & neutra concurrat modo dicta limitatio.

Fundamentum hujus opinionis hoc aliquibus videtur eſſe, quod licet Concilium ſtatuerit, quod cauſæ = *ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur* = in caſu tamen contrario neutiquam diſpoſuit, ut inſtantia perimeretur, ſed = *poſt id ſpatium* (dixit) *liberum ſit partibus, vel alteri illarum judices ſuperiores, alios tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent* =. Sibi igitur imputare debent partes, quæ non curarunt, ut cauſæ a judicibus ſuperioribus, prout preſcripſit Concilium, non fuerint terminatæ.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCXXIV.

Caput II. Mulieres, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

MUlieres, quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immiſceri, auctoritate literarum Sedis Apoſtol., vel Legatorum ipſius, aut alia quacumque, ad judicium perſonaliter evocari, vel trahi invitas, cauſa ferendi teſtimonium, aut alia qualibet, quæ in jure non exprimitur, prohibemus. Sed cum neceſſarium fuerit teſtimonium earumdem, judex (in expenſis partis producentis eaſdem) tabellionem, aut aliam perſonam idoneam, ad eas transmittat: vel ſi forte talis caſus occurrerit, quo, jure prohibente, receptio teſtium alteri committi non poſſit, judex tunc propter hoc perſonaliter ad illas accedat: aut ſi talis ſit perſonæ judicantis conditio, quod id per ipſum non deceat fieri, vel non poſſit, mittat ad eas: proviſo, quod caſus hujuſmodi, (videlicet ut judex vadat perſonaliter) non fingatur, nec fraus interveniat in hac parte. Alioquin fictor hujuſmodi, vel fraudator, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Cæterum fœminæ, religioſæ præſertim, quæ debent ſub clauſura morari, extra ſuum monaſterium, vel clauſuram non vocentur ad judicium, vel trahantur ex quavis cauſa perſonaliter, etiamſi ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque, ut ipſo jure ſit irritum, & inane, ſi quid contra præmiſſa contigerit attentari.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quia aliqua ei acceſſerit variatio, ſed ut in medium proferatur, quæ ſit Doctorum controverſia circa illius praxim. Geminianus, & Francus hic, innixi opinioni receptæ a Gloſſ. in Clementina II. *Diſpendioſam*, verb. *Uſuris*, *hoc tit.* ſentiunt, eam procedere de judicibus tam Clericis, quam laicis in terris Eccleſiæ dumtaxat, quia, inquiunt, jura canonica pœnalia, vel a jure communi exorbitantia, ſimpliciter loquentia de judicibus circa praxim judiciorum regulandam, eſſe intelligenda ſolum de judicibus, eidem Eccleſiæ ſubjectis. Theſaurus vero de pœnis verb. *Teſtimonium cap. I. cum Suareſio*, & *Claro* contrarium tenet (& quidem pro veriori): *quia lex canonica, ſtatuens aliquid ad vitandum periculum peccati, generaliter intelligenda eſt pro utroque foro*.

Quidquid autem ſit de hac controverſia, certum eſt, excommunicationem, hic inflictam abſolvi poſſe a quolibet confeſſario, cum non ſit reſervata, neque itidem eam a judice incurri ob fictionem cauſæ, niſi revera ſequatur acceſſus ad domum mulieris; incurreretur tamen, etiamſi, hoc habito, non ſequeretur examen. Neque inſuper incurreretur, ſi per alium, inſcio judice, ficta fuiſſet cauſa, *Navar. Manual. Confeſſ. cap.* 27. *num.* 125.

Notat denique hic Francus num. 1. cum Gloſſ. verb. *Exprimitur*, prohibitionem de non trahendis mulieribus invitis ad judicium, eſſe intelligendam de mulieribus honeſtis, non vero de inhoneſte viventibus, quæ indiſtincte poſſunt capi, & trahi ad judicium, etiam pro cauſis civilibus. Circa quam praxim vid. Urſayam *Inſtit. Criminal. lib. IV. tit. III. n.* 20. & 21.

SECTIO CCXXV.

Caput II. Diſpendioſam, *ex Conſtitutione Clementis V. extra Concilium Viennenſe.*

DIſpendioſam prorogationem litium, quam interdum ex ſubtili ordinis judiciarii obſervatione cauſarum docet experientia provenire, reſtringere in ſubſcriptis caſibus cupientes; ſtatuimus, ut in cauſis ſuper electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus, aut ſuper dignitatibus, perſonatibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, ſeu quibusvis beneficiis eccleſiaſticis, aut ſuper decimis, ad quarum etiam præſtationem poſſunt, qui tenentur ad eas, præmoniti, cenſura eccleſiaſtica coerceri, necnon ſuper matrimoniis, vel uſuris, & eas quoquomodo tangentibus ventilandis, procedi valeat, de cætero ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii, & figura. Volentes non ſolum ad futura negotia, ſed ad præſentia, & adhuc etiam per appellationem pendentia hoc extendi.

In decidendis cauſis hic enunciatis ſtatuit Clemens, ut procedatur 1 *ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii, & figura*; verba hæc declarata ſunt ab eodem in cap. II. *Sæpe contingit, de verb. ſignific.* ut ſequitur.

Sæpe contingit, quod cauſas committimus, & in earum aliquibus ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii procedi mandamus: de quorum ſignificatione verborum a multis contenditur, & qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujnſmodi, quantum nobis eſt poſſibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut judex, cui taliter cauſam committimus, neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, in tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum a jure, procedere valeat. Amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias, & fruſtatorias repellendo, partium, advocatorum, & procuratorum contentiones, & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrænando. Non ſic tamen judex litem abbreviet, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ admittantur. Citationem vero, ac præſtationem juramenti de calumnia, vel malitia, ſive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi intelligimus non excludi. Verum, quia juxta petitionis formam pronuntiatio ſequi debet pro parte agentis, & etiam rei, ſi quid petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio petitio facienda, ſive in ſcriptis, ſive verbo, actis tamen continuo, (ut ſuper quibus poſitiones, & articuli formari debeant, poſſit haberi plenior certitudo, & ut fiat definitio clarior) inſerenda. Et quia poſitiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confeſſiones, & articulos ad clariorem probationem uſus longævus in cauſis admiſit: Nos uſum hujuſmodi obſervari volentes, ſtatuimus, ut judex ſic deputatus a nobis, (niſi alind de partium voluntate procedat) ad dandum ſimul utroſque terminum dare poſſit, & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes uti volunt in cauſa poſt datlonem articulorum diem certum, quandocunque ſibi videbitur, valeat aſſignare: eo ſalvo, quod ubi remiſſionem fieri contingeret, pro teſtibus producendis, poſſint etiam inſtrumenta produci, aſſignatione hujuſmodi non obſtante. Interrogabit etiam partes ſive ad earum inſtantiam, ſive ex officio, ubicunque hoc æquitas ſuadebit: ſententiam vero definitivam, citatis ad id, licet non peremptorie, partibus in ſcriptis, & prout magis ſibi placuerit, ſtans, vel ſedens proferat; etiam (ſi ei videbitur,) concluſione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendnm. Quæ omnia etiam in illis caſibus, in quibus per aliam conſtitutionem noſtram, vel alias procedi poteſt ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, volumus obſervari. Si tamen in præmiſſis caſibus ſolemnis ordo judiciarius in toto, vel in parte, non contradicentibus partibus, obſervetur, non erit proceſſus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. Data Avinione 13. Kalen. Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hac eadem norma præſcripta procedendum eſt in cauſis inter Ordines Mendicantium, & Eccleſiarum Prælatos, enumeratis in Extravaganti Joannis XXII. inter communes cap. unico, *Frequentes, hoc eod. tit.* & in Decretali Bonifac. VIII. *Super cathedram*, ad ipſos Mendicantes pertinente, inſerta in Clementina, *Dudum*

dum II. de Sepulturis, & in cit. cap. *Frequentes* confirmata: in quibus præcipitur, ut in iis, *quæ judicialem requirunt indaginem*, procedatur *ſummarie*, *& ſimpliciter de plano ſine ſtrepitu judicii, & figura*.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO CCXXVI.

Caput I. Dudum, *ex Decretali Clementis V. qua moderatur Decretalis Bonifacii VIII. incipien.* Rem non novam, *quæ tamen nec in libro VI. Decretalium reperitur inſerta, utpote emanata poſt editionem collectionis ab eodem vulgatæ, nec in Bullario Cherubini; ideo hanc eandem Clementis Decretalem hic tranſcribo, ut intelligatur, & tenor Decretalis Bonifacianæ, & dictæ moderationis Clementinæ.*

DUdum Bonifacius Papa VIII. Prædeceſſor noſter, conſtituit, ut citationes auctoritate Apoſtol. de perſonis quibuſcunque, ac etiam undecunque, adinſtar edictorum in Albo Prætoris propoſitorum, etiam extra dies ſolemnes, in quibus Romani Pontifices proceſſus conſueverunt facere generales, ipſo Papa ſpecialiter, & ex certa ſcientia id mandante, factæ in Apoſtolicarum audientia publica literarum, vel in papali palatio publice, poſtmodum majoris Eccleſiæ loci, in quo Romanus Pontifex cum ſua curia reſidebit, januis affigendæ, ſic valeant, atque arctent citatos poſt lapſum terminum, quem, conſiderata diſtantia locorum, citationibus ipſis apponi convenit competentem, ac ſi ad eos perſonaliter devenifſent. Quia vero ſtatutum ipſu rationabiliter editum propter malitiam temporis tunc inſtantis, nonnullis nimis rigoroſum videtur: nos rigorem ipſum manſuetudine temperantes, idem ſtatutum, & præfatum modum citandi reſtringimus ad illos tantum, & in illis locum volumus ſibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant per ſe, vel per alios quoquo modo, ne ad eos citatio poſſit pervenire, vel quorum domicilia, ſive loca non poſſint tute, libereve adiri. Porro ei, quod circa citationes abſentium tam diebus ſolemnibus, quam aliis Eccleſia Romana diverſis ex cauſis interdum facere conſuevit, per præſentem Conſtitutionem, ſeu moderationem in nullo volumus derogari.

Titulus II. De Foro competenti.

SECTIO CCXXVII.

Caput I. Si quis, *tranſcriptum ex Concilio Chalcedonenſi.*

SI quis Clericus adverſus Clericum negocium habeat, non deſerat Epiſcopum proprium, ſed prius apud ipſum actio ventiletur, vel certe conſilio ejuſdem apud alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtinebunt.

Verus intellectus hujus textus, eſt, ut Clericus, cauſam habens, ſeu litigans cum alio Clerico, de conſenſu proprii Epiſcopi prorogare poſſit juriſdictionem in alios Judices eccleſiaſticos, quos utraque pars elegerit, non laicos, ut perperam addidit Cujacius contra fidem omnium canonicorum Codicum, motus fortaſſe ex Can. III. *Clericum*, deſumpto a Gratiano ex falſa epiſtola II. Marcellini Papæ, & relato cauſ. XI. qu. I. Circa falſitatem hujus Canonis hæc habet Vaneſpen. in Commentario ad II. partem Gratiani, eadem cauſa = „ Non majoris eſt ponderis Can. III. deſumptus ex falſa Decretali Marcellini Papæ, quem reperiri in Conc. Aurelianenſi III. notant Correctores Romani, ſed clauſula poſteriori non nihil mutata; hic enim apud Gratianum legitur = nec laico quemlibet Clericum liceat accuſare = In Conc. autem legitur Can. XXXII. „ = Neque laico, inconſulto Sacerdote, Clericum in ſeculare judicium liceat exhibere = quæ lectionis varietas evidenter diverſum ſenſum Canoni affingit, notatque cit. Florens, quod verba, prout a Gratiano exhibentur = repugnant plane diſciplinæ eccleſiaſticæ illorum temporum, & Canonibus generalibus Conciliorum, ipſique rationi. Uti etiam a Gratiano exhibentur, ſignificatur, quod laicus, ut actor, nequeat Clericum, inconſulto Epiſcopo, ad judicem publicum, ſeu civilem vocare, quod diſciplinæ eorum temporum contrarium eſſe recte notavit cit. auctor, at prout legitur in Concilio, evidenter agitur de Clerico actore, qui laicum coram Judice civili convenire vult, quod, inconſulto Epiſcopo, fieri veta- „ tur

„ tur conformiter ad ætatis illius diſciplinam, quæ Clericis non permittebat pro rebus temporalibus, inconſulto Epiſcopo, ad publicos judices ſuos debitores trahere „.

SECTIO CCXXVIII.

Caput II. Nullus, *exſcriptum ex Concilio Pariſienſi, juxta Burchardum, celebrato an. 614. tempore Clotarii II. Regis, quod tamen reperitur in Capitularibus Caroli, & Ludovici lib. VI. cap. 44.*

Nullus judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut juniores Eccleſiæ, (in aliquibus Codicibus legitur *minores*, non *juniores*) ſine permiſſu Pontificis per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens emendet.

Hic infligitur excommunicatio in judices ſeculares, judicare, & condemnare præſumentes ſine licentia Papæ quoſcumque Clericos in cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, & quidem ferendæ ſententiæ (juxta magis receptam Canoniſtarum ſententiam, ut apud Fagnan. hic num 13.) duratura, quouſque ſe emendent, ſeu judicatum retractent. Verum hodie ex Conſtit. Martini V. *Ad reprimendas*, Kal. Feb. 1428. incurritur ipſo facto, & eſt Papæ reſervata, extenditurque ad ſequentes enunciatas perſonas, ibi §. IV.

Et nihilominus omnes, & ſingulos judices, & executores, communitates, dominia laicos, & laicales perſonas, poſtquam exceptum fuerit de non juriſdictione eorum, aut evidenter appareat, hujuſmodi cognitionem ad eos de jure non ſpectare, talia præſumentes, & ea fieri mandantes, ſeu eorum nomine, & mandato facta, rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, conſilium, vel favorem, cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ſeculares perſonas, eorum videlicet ſingulos officiales, quocunque nomine cenſeantur, & conſiliarios, & privatas perſonas, quæ præmiſſorum principales perpetratores exiſterent, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto, nulluſque ab eiſdem ſententiis, per alium, quam per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo conſtitutus, abſolvi valeat, ſive poſſit: & præmiſſa omnia, non tantum ad futura, ſed etiam ad præſentia, & pendentia extendimus auctoritate memorata.

Hæc itidem excommunicatio reperitur in Bulla, die Cœnæ Domini legi ſolita §. XV. XVII. & XIX. quos vide in fine hujus Operis. De hac eadem excommunicatione luculentiſſime tractat. *Theſaurus de Pœnis eccleſiaſt.* verb. *Juriſdictio cap. IV. IX. & X.*

Nota I. *Ex can. Clericos XXI. diſt. & can. Duo ſunt XII. q. I.* ac poſtremo ex declaratione Conc. Trid. *cap.* VI. *ſeſſ.* XXIII. *de refor.* ſub nomine Clericorum venire etiam prima dumtaxat Tonſura initiatum, utpote fori privilegio gaudentem, ſervatis conditionibus ibidem præſcriptis.

Nota II. nomine *juniorum*, ſeu *minorum*, de quibus in textu, quoſque fori privilegio gaudere ibidem ſtatuitur, venire eos, qui ſervitio Eccleſiæ perpetuo ſunt adſtricti, non vero ſervos conductitios, ut probat Fagnan. ad hoc idem caput, *num.* 18. Hi in Regno Neapolitano vocabantur Diaconi ſilvatici, qui cum nimio numero excreverint in fraudem fori laicalis, ex decreto Sac. Cardinalium Cong. negociis ejuſdem Regni præpoſitorum, edito 10. Kal. Julii 1623. de mandato Gregorii XV. in cathedralibus, ſeu ſuperioribus Eccleſiis reſtrictus fuit ad quatuor pro earumdem ſervitio: ad duos in collegiatis, & parochialibus: in aliis vero Eccleſiis, ubi divina celebrantur, ad unum: qui tamen vivere debebant propriis ſumptibus, & per ſe ipſos ſervitia præſtare. Quod integrum decretum refert idem Fagnan. *loc. cit. num* 19. Sed hodie ex Concordatis inter S. Sedem, & Carolum Regem Neapoli ſub die 11. Jun. 1741. *cap. III. De immunitate perſonali, n.* 1. & 10. expreſſe excluduntur ab hoc privilegio.

Nota III. Ex iiſdem Concordatis, citat. *cap. III.* hæc ſtatui.

Num. I. Quod gaudere debeant immunitate perſonali Clerici, dumtaxat revera tales, habentes requiſita a Sacris Canonibus præſcripta: & Religioſi utriuſque ſexus, qui habitum religioſum geſtantes collegialiter vivant ſub obedientia legitimorum Superiorum; vel ab iiſdem deputati ſunt pro gerendis neceſſariis negociis extra monaſterium.

Num. II. Quod eadem gaudere debeant Clerici conjugati (non vero eorum uxores, & filii tam durante, quam ſoluto matrimonio) dummodo habeant qualitates a Tridentino præſcriptas *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. *de refor.*, (de quibus quotannis a ſuis Ordinariis atteſtationem, gratis dandam, obtinere debent) nec exerceant artes, & negocia, clericali ſtatui indecora, in cauſis mere criminalibus, criminaliter motis, non autem in iiſdem cauſis reſpicientibus partium jura, quæ agitantur ad formam judicii civilis, pro quibus, aliiſque omnibus civilibus cauſis laico ſubjiciantur quoad executionem ſuper bonis dumtaxat, quibus deficientibus, etiamſi carceri mancipandi eſſent, prius petendum erit Exequatur a Judice eccleſiaſtico, & ab hoc non negandum.

Num. III. Quod Clericus, aut quilibet alius eccleſiaſticus, reus aſſaſſinii, retineri poſſit in carcere laicali nomine Eccleſiæ, ſi ad illius capturam judex laicus præ-

prævenerit, qui etiam conficere poterit proceſſus; ſed antequam ad ſententiam, ejuſque executionem deveniat, expectare debeat declaratoriam, faciendam, ſervatis ſervandis, & auditis rei defenſionibus, a tribunali mixto ſuper qualitate aſſaſſinii, ad quem effectum intra quatuor menſes proceſſum eidem tradere teneatur.

Num. IV. Quod quivis eccleſiaſticus repertus actualis vectigalium defraudator, nec comprehendi, nec in carcerem trudi poſſit a tribunali laico.

Num. V. Quod licitum ſit Epiſcopis, aliiſque Ordinariis, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, curſoribus uti: hac tamen limitatione: duobus, vel tribus, ſi eorum diœceſis parva ſit; quatuor, vel ſex, ſi mediocris, ſi vero major triplo numero juxta diœceſium delineationem, vulgo plantam conficiendam. Duodecim Archiepiſcopus Neapolis, & totidem Nuncius Apoſtolicus.

Num. VI. Quod dicti curſores actu exercentes munus ſuum, deferre poſſint arma a Regia Pragmatica prohibita: dummodo poſt eorum deputationem oſtendant authenticum documentum de eadem deputatione ſibi facta, & quod nullatenus inquiſiti fuerint, Regenti magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis, in terra vero, vulgo di lavoro, Commiſſario Campaniæ, & in aliis Regni provinciis illarum reſpective Præſidi.

Num. VII. Quod iidem in hoc munere perdurantes, exempti ſint a foro laicali quoad perſonalem comprehenſionem, ſeu carcerationem pro cauſis civilibus, mixtis, & criminalibus, in iis ſcilicet, quæ neque mortis, neque triremium pœnam merentur; in his enim procedent, aut Gubernatores regii viciniores, aut alii regii judices, & miniſtri, ut magis Regi placuerit, non vero Baronum curiæ, quibus dumtaxat permiſſum erit dictos delinquentes curſores comprehendere & interim certiores reddere judices, aut miniſtros, ad quos pertinebit hujuſmodi cauſas cognoſcere.

Num. VIII. Quod in cauſis appellationis a ſententia Epiſcopi, aut alterius Ordinarii in quacunque ex dictis cauſis ad curſores ſpectantibus; ſicut & in caſu recurſus, aut cujuslibet alterius legalis remedii, facienda erit appellatio, aut recurſus ad Metropolitanum, ſive ad tribunal mixtum. Hoc autem ne partibus gravamen afferat, deputabit duos judices in partibus pro decidenda cauſa, unum eccleſiaſticum, eligendum a miniſtris eccleſiaſtici mixti tribunalis, alterum eligendum a miniſtris laicis ejuſdem tribunalis. Quod ſi hi in judicando fuerint diſcordes, tunc cauſa decidenda erit a dicto tribunali, omni appellatione remota. In cauſis vero curſorum Metropolitani, aut alterius Præſulis, S. Sedi immediate ſubjecti, in prima iſtantia coram his motis, appellatio, aut recurſus fiet itidem ad denunciatum tribunal, quod judicium proferet, ut ſupra.

Num. IX. Quod Ordinarii locorum ad minorandum numerum exemptorum, pro officio cancellariæ, uti debeant Clericis; quodſi uti voluerint laicis, tunc cancellarius dumtaxat, alias actorum magiſter, exemptus erit a foro laico, eo tamen modo pro curſoribus ſupra ſtatuto:

Num. X. Quod præter hos omnes enunciatos miniſtros, nullus alius laicus, quocumque nomine, aut titulo patentalibus literis munitus, ſicut nec Eremitæ, aut Clerici, vulgo ſilvatici (quorum naturam ſupra explicavi) exemptus ſit a foro laicali.

Num. XI. Quod interdictum ſit Epiſcopis admittere ad pecuniariam compoſitionem Clericos, aut eccleſiaſticos quoſcunque, ad ſuum forum ſpectantes, quos prius ipſimet pro homicidio, aut alio gravi, & capitali delicto damnaverint ad pœnam, ſive triremium, ſive carceris in perpetuum, aut ad ſeptennium, qua compoſitione non obſtante, reus ſic abſolutus, debeat nihilominus a Metropolitanis in carcerem tradi, & eadem pœna multari. Quod idem fieri poſſit ab Epiſcopo viciniori, ſi hujuſmodi compoſitio admiſſa fuerit a Metropolitano. Epiſcopus autem tenebitur compenſare damnum illatum parti læſæ.

SECTIO CCXXIX.

CAPUT V. SI CLERICUS, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Genuenſi ſcripta.*

SI Clericus laicum de rebus ſuis, vel Eccleſiæ impetierit, & laicus res ipſas, non Eccleſiæ eſſe, aut Clerici, ſed ſuas proprias aſſeverat, debet de rigore juris ad forenſem judicem trahi; cum actor forum rei ſequi debeat. Licet in pleriſque partibus aliter de conſuetudine habeatur.

Hæc conſuetudo, ut Clericus, etiam in cauſa mere civili, & perſonali laicum conveniat coram judice eccleſiaſtico, teſte Benedicto XIV. *de Synodo Diœc. edit. Roman. an. 1755. lib. IV. cap. IV. num. 13.* viget in diœceſi Bononienſi, quam etiam confirmavit, & ſervari præcepit Gregorius XV. Conſtit. *Cum nos*, 28. Apr. 1622. relata ab eodem Benedicto *Inſtit. eccleſiaſt. XL.* Eadem ab antiquo tempore introducta reperitur in Hetruria, ut ex Synodis, & Conciliis provincialibus illius ditionis, habitis an. 1508. 1517. 1563. 1666. 1710., & 1732. relatis a laudato Benedicto *cit. num. 13.* ubi ſubdit: = „ Ubi ergo hæc, aut ſimilis conſuetudo in„ valuit, ea utique erit ſarta teſta cuſtodienda, neque „ conqueri poterunt laici, quod Epiſcopus, hoc ſecu„ laris juriſdictionis minimum fruſtulum conſuetudine „ acquiſitum ſibi vindicet; cum ipſi, ſicuti a Gugliel„ mo Durando ſupra audivimus, ſola conſuetudine, „ quæ ab initio dici potuit abuſus, & corruptela, fere „ integram devoraverint juriſdictionem eccleſiaſti„ cam =.

Digitized by Google

SECTIO CCXXX.

Caput XV. Ex parte, *ex Decretali Honorii III. ad Archiepiſcopum, & Archidiaconum Turonenſem.*

Ex parte ..... Nos vero volentes, ut finis litibus imponatur, diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus, ſi vobis conſtiterit, dictum nobilem terram, & manſionem habere in Andegavenſi diœceſi, in qua interdum conſuevit commorari; & ipſam diœceſim a Turonenſi ultra duas non diſtare dietas, & in eadem litigioſam remeſſe, non oſtantibus exceptionibus aliis, quæ in petitorio potius, quam in poſſeſſorio, quod Regina contra eumdem nobilem intentabat, locum habere videntur in ipſo negotio juxta priorum continentiam literarum.

In hac Decretali ſtatuit Honorius, literas Apoſtolicas, quibus cauſæ judicandæ comituntur, committi poſſe etiam ultra unam dietam. Verum hæc ſanctio reſtricta eſt ad unam dumtaxat a Bonifac. VIII. ut oſtendi *lib. I. tit. de Reſcriptis ad cap. XXVIII. Nonnulli.*

SECTIO CCXXXI.

Caput XVI. Conquestus, *ex Decretali Gregorii IX. ad Palmerium, Canonicum regularem SS. Trinitatis prope Bononiam.*

Hanc Decretalem non traſcribo, cum nihil aliud ſpeciale contineat, quam delegationem in perſonam Religioſi ex Canonicis regularibus pro cognitione cujuſdam cauſæ inter Epiſcopum Bononiæ (nunc Archiepiſcopum) & magiſtratum, communitatemque ejuſdem civitatis. Quia vero ex hujuſmodi delegatione infertur, cognitionem cauſarum delegari poſſe a Sede Apoſtolica, ejuſque Legatis cuicunque eccleſiaſtico, etiam in dignitate non conſtituto, ideo huic ſanctioni ex mero tamen facto Gregorii ortæ, derogationem ſubiicio, quæ eidem acceſſit ex Conſtitutione Innoc. IV. edita in Concilio generali Lugdunenſi, celebrato anno 1245. *Præſenti decreto*, quæ habetur inter acta ejuſdem Concilii *cap. II. tit. de Reſcript.* ita ſtatuens.

Præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne a Sede Apoſtolica, vel Legatis ipſius, cauſæ aliquibus committantur, niſi perſonis, quæ vel dignitate ſint præditæ, vel in Eccleſiis cathedralibus, ſeu aliis collegiatis honorabilibus conſtitutæ.

Hæc iterum ſanctio reformata eſt a Decretali Bonifac. VIII. relata in *cap. XI. Statutum de reſcript. in VI.* excludente Canonicos collegiatarum, non cathedralium, ibi.

Statutum (ideſt Extravagans ipſius Bonifacii, quæ incipiebat *Statuimus*) quod circa judices a Sede Apoſtol. deputandos nuper edidimus, cum quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta, ſicut experientia docuit, tendere dignoſcantur ad noxam; ſanctione præſenti, quam irrefragabiliter obſervari mandamus, ſuadente utilitate, in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritate literarum Sedis Apoſt., vel Legatorum ejuſdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi.

Hæc Bonifacii decretalis innovata eſt a Trident. *ſeſſ. XXV. cap. X. de reformat.* cum ampliatione tamen, ſtatuente, ſcilicet, ut non indiſcriminatim cuicunque prædito qualitatibus, a Bonifacio præſcriptis dictæ cauſæ committantur, ſed deſignatis dumtaxat in ſynodis provincialibus, aut diœceſanis, addita etiam nullitate deputationis, aliter factæ. Textum leges part. II. cum de eod. cap. cum acceſſionibus ex Conſtit. Benedicti XIV.

AP-

A P P E N D I X

AD HUNC TITULUM DE FORO COMPETENTI.

PRo regula, & praxi judicum, tam eccleſiaſticorum, quam laicorum referuntur hic nonnullæ cauſæ mixti fori, quæ ſcilicet, cum quis eorum in judicio prævenerit, ab utriſque tractari poſſunt, dummodo hæ non ſint Clericorum, cum tunc ſemper privative cognoſci debeant a judice eccleſiaſtico *cap. X. Cum non ab homine, de judic. & cap. XII. Si diligenti, de foro compet.*

Ex his autem aliæ ſunt civiles, aliæ criminales.

Civiles dicuntur, quæ quidem, vel originaliter ſunt ſeculares, propter certam tamen ſpiritualem qualitatem habent reſpectum ad forum eccleſiaſticum: vel e contra, quæ originaliter ſunt eccleſiaſticæ, ſed propter adjunctam iis temporalem qualitatem, etiam forum ſeculare reſpiciunt, ſunt itaque.

I. Contractus inter laicos initi, juramento firmati, ſi agatur de executione eorumdem; nam ſi agatur de valore juramenti duntaxat, illius cognitio privative ſpectat ad judicem eccleſiaſticum, *cap. XIII. Novit, de judic. & cap. III. Cum C. laicus, de for. comp. in VI.*

II. Poſtulatio reſtitutionis in integrum, facta ab Eccleſia contra laicum, *cap. XI. Ad noſtram, de reb. Eccleſ. non alien.*

III. Cauſæ viduarum, pupillorum, aliarumque miſerabilium perſonarum (ut ſunt peregrini, pauperes, captivi, oppreſſi, & ſimiles) non quod detur locus præventioni, ſed quod hæ convenire poſſint ſuos adverſarios, in quo maluerint foro, in his tribus tamen ſequentibus caſibus. I. Quando judex laicus negligens eſt in iis adminiſtranda juſtitia, juxta clarum textum *cap. XI. Ex tenore, de for. comp.* II. Quando violenter oppreſſæ, ſeu rebus ſuis ſpoliatæ fuerint a laico; ita ut interdicto *unde vi, ſeu remedio Can. Reintegranda*, agere valeant, *cap. XV. Ex parte dicto tit. de for. compet.* & id locum habet in poſſeſſorio, etiamſi dictæ perſonæ ſint divites; ſecus in petitorio ex juribus cumulatis a Reiffenſt. *hoc eod. tit. §. VI. num 155. & 156.* III. Quando vidua, pupillus, aut alia miſerabilis perſona eſt ſimul pauper, ſeu iis denegata fuerit juſtitia a judice laico, nulla etiam interveniente expoliatione Reiffenſt. *loc. cit.* Vaneſpen. *part. III. tit. II. cap. XXVII.* aſſerit, quod hodie in Gallia cauſæ miſerabilium perſonarum privative ſpectant ad judices regios etiam adverſus Clericos.

IV. Executio legatorum piorum ex teſtamento laicorum Conc. Trid. *ſeſſ. XXII. cap. VIII. de reformat. Engel. hoc tit. §. II. num. 69.* itaut, ſi hæres, vel executor monitus, differat ea exequi per annum integrum, privetur munere executoris, & deferatur Epiſcopo. Quoad legata vero prophana, ſi prævenerit in cauſa, eidem deferatur judicium duntaxat, *Theſaurus de pœnis verb. Teſtamentum cap. I. num. 3. & DD. ibi cumulati.*

V. Cauſæ decimarum, & juris patronatus, ſi tamen in his agatur contra laicum ſuper nuda poſſeſſione, & inſiſtentia juris eccleſiaſtici, & quæratur quis ſit in eadem poſſeſſore, abſtrahendo a petitorio, & quæſtione proprietatis. Si tamen actio inſtituatur contra Clericum, hic ſemper conveniendus eſt coram judice eccleſiaſtico, etiam in poſſeſſorio, Engel. *loc. cit. num. 70.*

VI. Cauſa reſtitutionis dotis, incidenter tamen mota, ſeu acceſſorie, puta ratione divortii inſtituendi, *cap. III. De prudentia tit. de donation. inter vir. & uxor.*

Cauſæ criminales itidem mixti fori, quæ nempe verſantur circa crimina ab utroque jure, tam canonico, quam civili prohibita, & punienda, cum ad Eccleſiam ſpectat de quovis peccato cujuſcumque chriſtiani cognoſcere, illudque punire, *cap. XIII. Novit. de judic. & toto fere lib. V. Decretalium*, ubi de variis criminibus ab Eccleſia puniendis tractatur. Quam diſciplinam uſque a primis Eccleſiæ ſeculis viguiſſe demonſtrat Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. edit. an. 1755. lib. V. cap. II.* Ubi etiam oſtendit, pœnas ab eccleſiaſtico judice irrogatas contra delinquentes non fuiſſe tantum ſpirituales, ſed quandoque etiam temporales.

Inter has cauſas criminales præcipuæ ſunt.

I. Inceſſus frequens Clerici minoriſtæ in habitu ſeculari, qui utpote privatus privilegio fori, quamvis juxta Conc. Trid. *ſeſſ. XXIII. cap. VI. de reformat.* puniri poſſit a judice laico, tamen puniri etiam poteſt ab Epiſcopo, ſi prævenerit, ut declaravit S. Cong. teſte *Theſaura de Pœnis verb. Apoſtaſia cap. IV. num. 8.*

Quid vero ulterius requiratur ad incurrendam omiſſionem privilegiorum clericalium notabitur infra poſt *cap XV. Clerici*, §. *Hic tamen*, Sect. CCCXXIV.

II. Injuria illata a laico perſonę eccleſiaſticæ per violentiam; ita tamen, quod ſi judex laicus prævenerit, poſſit etiam contra ipſum procedere Epiſcopus ad ſententiam excommunicationis declaratoriam *d. Theſ. verb. Injuria, cap. II. §. Amplia VI.*

III. Violatio dierum feſtorum quoad præceptum negativum, non vacandi ſcilicet operibus ſervilibus, aliiſque prohibitis, ex Conſt. S. Pii V. *Cum primum*, 1. Aprilis 1566. §. VII.

IV. Ludus aleæ, ſeu fortunæ damnatus, & quibuſcumque interdictus a jure tam civili, quam canonico. Et ſi actio inſtituatur a victo ad repetendam pecuniam ſolutam, quam condictione repetere poteſt, ex *L. Alearum C. de relig. & ſumpt. fun. & alear.* Epiſcopus eſt judex competens, etiam inter laicos, laudatus *Theſaurus verb. Luſus cap. IV. n. 2.*

V. Matrimonium contractum cum ſecunda, conſtante primo, quando conſtet, non ſapere manifeſte hæreſim; tunc enim cauſa privative ſpectaret ad S. Inquiſitionem, DD. allegati a *d. Theſauro verb. Matrimonium cap. III. num. 8.*

VI. Perjurium, idem *Theſ. verb. Perjurium § Ultimo nata.*

VII. Sacrilegium, ideſt irreverentia commiſſa contra res publice Deo dicatas, videlicet auctoritate eccleſiaſtica, puta, ſi res Eccleſię rapiantur, & invadantur, ut late Martha citatus ad. *Theſ. verb. Sacrilegium cap I.* ubi etiam notat, quod uterque judex concurrere poſſit reſpectu diverſarum perſonarum, & unus alium impedire non debeat: ac proinde, ſi judex laicus præveniat, judex eccleſiaſticus procedere poteſt ad ſententiam cenſuræ declaratoriam contra laicum, hujus delicti reum.

VIII. Cauſa uſurarum, ſi quæſtio ſit tantum de

facto,

facto, ideſt, an hic, vel alter ſit uſurarius: ſi enim quæſtio ſit juris, an aliquis contractus in genere, aut in ſpecie ſit uſurarius, illius cognitio privative ſpectat ad judicem eccleſiaſticum.

IX. Concubinatus, *Concilium Tridentinum ſeſſ. XXIV. cap. VIII. de reform. matrim.*

X. Cauſa recuperandæ uxoris, a marito promota, quæ quidem eſt mixti fori, licet aliæ cauſæ matrimoniales ſpectent privative ad judicem eccleſiaſticum, ut notat *Caniſius ad cap XI. Non eſt de ſponſal.*

XI. Adulterium, *Theſaur. de Pœnis verb. Adulterium, cap.I.*

XII. Stuprum in perſonam virginis conſentientis, *idem Theſ. verb. Stuprum, cap.I.*

Si autem ſtuprum, aut quodcumque aliud carnale commercium, habitum ſit ab ebræo cum duabus ſororibus chriſtianis, illius cognitio privative ſpectat ad judicem eccleſiaſticum, Cong. Immunit. *in Mantuana 7. Jun. 1678 lib.2. decret. ejuſd. Cong. pag. 1749.*

XIII. Delictum falſitatis teſtis, pariter eſt mixti fori, ſi præventum fuerit in judicio, niſi adſit contraris conſuetudo, ex decret. Cong. Immunit. *in Licien. 11. Jan. 1695. ut in lib.I. decret. pag.166.*

XIV. Falſificatio literarum Apoſtolicarum, a laico facta, DD. relati a Ludovico de Ameno *Tom. III. de Delict., & Pœn. tit.VI. §.I. num.33.*

XV. Blaſphemia ſimplex, nempe contumelioſa in Deum locutio; ſicut & ſimplex, ac materialis contumelia facto illata Sacris Imaginibus, *Amenus loc.cit. tit. V. § II. n.9. & 10.*

XVI. Uſurpatio verborum S. Scripturæ ad oſtendendum duntaxat acumen ingenii in re lubrica, aut ſcurrili, aut proximo contumelioſa: *idem Amen. loc. cit. num.12.*

XVII. Convicium, aut maledictum contra Superiorem eccleſiaſticum, puta contra Papam, ſi ſit contra ipſius perſonam tantum, non contra dignitatem, *idem cit. n. 12.*

XVIII. Annumerari poſſent inter cauſas criminales mixti fori quæcumque alia peccata, niſi ex conſuetudine judex eccleſiaſticus ea a judice laico punienda reliquerit, de quibus videri poteſt Martha *de juriſ. par.II.* Hoc unum, hic animadvertendum reſtat, quod idem delictum punitum a judice eccleſiaſtico, juxta magis receptam opinionem, puniri iterum poteſt a judice laico; in delictis tamen atrocioribus, ubi in foro eccleſiaſtico excommunicatio duntaxat infligitur (quæ potius medicinalis eſt, quam vindicativa) vel alia ſimilis pœna nimis levis ad vindictam his ſceleribus debitam, ut ſtatutum legitur in juribus allegatis ab Engel. & Reiffenſt. locis ſupracitatis.

Hic lectorem monitum velim, quod quamvis Pius IV. Conſt. *Licet dudum, 21. Maii 1565.* ſtatuerit in cauſis mixtis inter judicem eccleſiaſticum, & laicum dandum quidem eſſe locum prævertioni, ſed ita, ut judex eccleſiaſticus in caſu præventionis procedere non poſſit contra laicum, debeatque illum remittere ad judicem laicum, dictæ tamen Conſtitut. S. Pius V. Conſtit. *Cum ab innumeras, 21-Junii 1566.* quoad hoc derogavit, præcepitque = *ut in præventionibus procedatur juxta formam juris, & ſacrorum decretorum Concil. Trident. & non alias, aliter, nec ullo modo* =.

AD HUNC TITULUM SPECTAT SEQUENS CONSTITUTIO

CLEMENTIS XIII.

Felic. Regnantis VIII. *Kalendas Septembris 1767.*

PRæſtat, Romanum Pontificem .... Accepimus nuper, gravem agitari litem inter curiam epiſcopalem, & curiam laicalem Civitatis Tuderti ſuper jure cognoſcendi cauſam furti, ut ajunt, qualificati, cujus reus, cum ab homine laico ad tribunal Epiſcopi accuſatus fuiſſet laicus alter, quem curia epiſcopalis, recepta accuſatoris querela, carceribus mancipari juſſerat, conqueſtus de hoc fuit Rector Civitatis cauſatus, judicium de furto, quod a laico in laicum de re prophana patratum fuerat, ad ſuam juriſdictionem pertinere. Repugnabat autem curia epiſcopalis, quod legitima conſuetudine præſcripſiſſe ſe diceret cumulativam juriſdictionem cognoſcendi etiam cauſas criminales laicorum. De qua re diſputatum diu fuit in Congregatione, præpoſita negociis Sacroſanctæ Immunitatis, quæ principio juſſit proferri acta curiæ epiſcopalis ad hujus conſuetudinis probationem: mox data defenſoribus Fiſci ſcribendi copia, licet in tertia propoſitione exiſtimaverit, hujus criminis cauſam ad curiam epiſcopalem pertinere, in quarta tamen anceps judicium fuit, ſciſſis in æquas partes ſuffragiis, quod cum Nobis cauſæ celeriter expediendæ deciſionem, reo interim in carceribus permanente, & narceſcente, longius protrahere videretur, illam idcirco a prædicta Congregatione ad Nos avocavimus, præcipientes curiæ epiſcopali Tuderti, ut reum traderet curiæ Rectoris Civitatis, nulla interpoſita mora judicandum.

Nunc vero, cum ex hujus judicii contentione, & ex aliis, quæ Nobis delata ſunt, Magiſtratuum ſecularium querelis intellexerimus, facile nimium in ditione noſtra, ex quadam hominum conniventia perturbari, & commiſceri cæpiſſe fines utriuſque juriſdictionis eccleſiaſticæ, & ſecularis, & hinc multa oriri impedimenta, & obſtacula in exercenda, & adminiſtranda, ea præſertim juſtitia ad publicam vindictam criminum pertinente, quam neque differri, neque

que remitti poſſe ſine graviſſimo Reipublicæ detrimento arbitramur. Volentes idcirco his omnibus providere, præſentem hanc Conſtitutionem, qua finis abuſibus imponatur, promulgandam ſtatuimus.

Itaque, cum Sacris Canonibus ſancitum ſit, in prophanis omnibus cauſis, actorem ſequi forum rei, qui, ſi Clericus ſit, vel foro eccleſiaſtico aliunde gaudeat, in foro eccleſiaſtico, ſin autem laicus, in foro laicali, exceptis tamen cauſis mixti fori, ſive aliter privilegiatis, conveniri debeat, idque perpetuo ſervari oportere, niſi alias laudabilis locorum conſuetudo induxiſſet, ut cauſæ etiam laicorum ſpecie quadam cumulativæ juriſdictionis ad forum Eccleſiæ traduci poſſint: Nos quoque, quibus maxime cordi eſt, quidquid Sacris Canonibus cautum reperitur, ſtudioſe ſervare, ac tueri, conſuetudinem ejuſmodi, quæ eccleſiaſticæ juriſdictioni favet, ſive inductam, ſive inducendam non in civilibus modo, ſed etiam in criminalibus cauſis probamus, laudamus, eamque ſartam, tectamque manere jubemus, nihil quidquam de ejus vi, & robore detrahentes, neque aliquid deſuper innovantes.

Sed quoniam experientia compertum eſt, prætextu quandoque conſuetudinis, vel minus legitimæ, vel non omnino conſtantis, neque a legitimis ductæ principiis, facile nimium moveri, nonnullas hujus noſtræ ditionis curias epiſcopales, & eccleſiaſticas, ut præoccupata magiſtratuum ſecularium juriſdictione, ad ſe trahant cognitionem criminum, etiam graviſſimorum, quorum reos, licet laicos, neque foro eccleſiaſtico ullatenus gaudentes, cum apud eas accuſantur, carceribus ſtatim mancipant, eoſque tradere renuunt curiis noſtris ſecularibus juſte puniendos: bonum idcirco duximus præſenti hac Conſtitutione, ut abuſibus occurratur, declarare, quæ, & qualis eſſe debeat legitima ſecundum Canones conſuetudo, qua curiis epiſcopalibus, & eccleſiaſticis jus eſſe poſſit de reorum laicorum cauſis criminalibus cognoſcendis, & judicandis.

Igitur non omnem ad id conſuetudinem, ſed illam tantum valere jubemus, quæ & quadragenaria ſit, & perpetuo conſtans, non unquam, vel contradicta, vel interrupta. Præterea conſtitui eam volumus multiplicitate, ac frequentia actuum non levium, ſed gravium, quos conſtet geſtos fuiſſe animo præſcribendi juriſdictionem ſecularem, non ex gratia, vel conniventia toleratos, neque tales, qui fieri fortaſſe potuerint citra certam, præciſamque ſcientiam, & acquieſcentiam, vel noſtram, noſtrorumque pro tempore Succeſſorum, vel ſaltem ſupremorum magiſtratuum noſtræ hujus Urbis, quos præcipue ad publicam perſequendam vindictam criminum præponere conſuevimus: uullam prorſus in re tam gravi haberi mandantes rationem de ſcientia, ac patientia Rectorum localium, aliorumque inferiorum magiſtratuum ſecularium, quibus quandoque, vel oſcitantibus, vel metu quodam reverentiali conniventibus, ac tolerantibus nequaquam licere, ac licuiſſe ſtatuimus, gratia, acquieſcientia, ac patientia ſua legitimam facere conſuetudinem, qua mandata eis juriſdictio, perturbato utriuſque poteſtatis ordine, minuatur. Si ea itaque conſuetudo afferatur, qualem modo ſtatuimus, illam volumus cuſtodiri, ac ſervari; inductam vero aliter reprobamus, & nullius eſſe roboris noſtra hac Conſtitutione decernimus.

Titulus III. De Libelli oblatione.

S E C T I O C C X X X I I I.

Caput I. Ignarus, *deſumptum a Concilio provinciali, Sueſſone celebrato menſe April. an.853. in monaſterio SS. Metardi, & Sebaſtiani.*
Hoc nomen Ignarus mendoſe legitur in pleriſque Codicibus, cum legendum ſit Hincmarus, qui cum ex Monacho Benedictino electus fuerit Archiepiſcopus Remenſis, præfuit dicto Concilio.

IGnarus Epiſcopus dixit: habetis libellum reclamationis, vel poſtulationis, illi responderunt, ſe præ manibus nullum habere libellum. Ignarus Epiſcopus dixit: oportet vos ſecundum eccleſiaſticam auctoritatem reclamationem veſtram libelli ſerie declarare, eamque veſtris manibus roboratam Synodo porrigere, ut tunc vobis canonice valeat reſponderi. Et tunc ipſi Fratres libellum conſcribentes porrexerunt.

In

In hac Decretali generatim ſtatuitur, eſſe de ſubſtantia judicii, ut in quolibet judicio actor porrigat judici libellum in ſcriptis, ſeu nomen actionis in ſcriptis proponat.

Verum in judiciis ſummariis hæc libelli oblatio non eſt neceſſaria, ut ſtatuitur in Clementina II. *Sæpe contingit. de verb. ſignific.* ibi.

Statuimus, ut judex, cui taliter cauſam committimus (ut ſcilicet procedatur ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii) neceſſario libellum non exigat.

Nec itidem neceſſe eſt, exprimere nomen actionis juxta intellectum Abbatis, ut neceſſario exprimendum erat ex jure veteri; cum hodie iſtæ ſcrupuloſæ formulæ actionum ſublatæ ſint ab Alexandro III. in Decretali ad Epiſcopum Exonienſem, & Decanum Londinenſis Eccleſiæ, relata in *cap. VI. Dilecti, de judic.* ibi.

Dilecti filii Prior, & Canonici de Guiſeburnen. contra Eboracenſem Archiep. Apoſt. Sed. Legatum gravem querimoniam tranſmiſerunt, (& infra.) Provideatis attentius, ne ita ſubtiliter, ſicut a multis fieri ſolet, cujuſmodi actio intentetur, requiratis, ſed ſimpliciter, & pure factum ipſum, & rei veritatem ſecundum formam Canonum, & Sanctorum Patrum inveſtigare curetis.

Titulus VII. De juramento calumniæ.

SECTIO CCXXXIII.

CAPUT I. INHÆRENTES, *ex Decretali Honorii II. (non III. ut mendoſe legitur in quibuſdam Codicibus) ad omnes Epiſcopos Occidentales.*

INhærentes veſtigiis Prædeceſſor. noſtrorum, dicentium, graviores quæſtiones per ſummum Pontificem terminari, (& infra.) Legibus itaque cautum eſſe comperimus, ut nullus Clericus jurare præſumat: alibi vero ſcriptum reperitur, ut omnes principales perſonæ in primo litis exordio ſubeant calumniæ juramentum. Propter quod pleriſque venit in dubium, utrum Clericus jusjurandum præſtare debeat, aut alii hoc officium delegare: quia illud conſtitutionis edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, a Marco Auguſto de Conſtantinopolitanis Clericis promulgatum fuiſſe videtur; idcirco ad alios non creditur pertinere. Ut ergo dubietas iſta auferatur, ſecundum etiam deciſionem filii noſtri, quondam Henrici Imperatoris, cujus ſunt verba hæc (& infra.) Eius itaque interpretationem corroboramus, & D. Marci conſtitutionem ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium Eccleſiarum Clericos generaliter pertinere judicetur. Nam, cum Imperator Juſtinianus decreverit, ut canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum Canonibus reperiatur, ut Clerici omnino jurare non audeant, dignum eſt, ut totus clericalis ordo a juramento calumniæ præſtando ſit immunis. Præterea ſtatuti Principis tenor talis eſſe dignoſcitur. *Nos itaq; divinæ, & humanæ legis intentione ſervata, decrevimus, & imperiali auctoritate irrefragabiliter definimus, ut non Epiſcopus, non Presbyter, non cujuſcumque ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel ſanctimonialis in quacumque cauſa, ſive controverſia, ſeu criminali, ſeu civili, jusjurandum compellatur qualibet ratione ſubire, ſed aliis defenſoribus idoneis; ſi expedire Eccleſiæ ſuæ noverit, hujuſmodi officium liceat delegare.* Verum cum hac moderatione, ut Epiſcopus, inconſulto Rom. Pont. vel quiſque Clericus, inconſulto Prælato ſuo, minime jurare audeat. Omnibus autem Epiſcopis, & univerſo Clero, hæc ita cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illam conſtitutionem commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.

In hac Decretali Honorius jubet circa juramentum calumniæ, quod aſſerit, in primo litis exordio præſtari debere, obſervari Conſtitutionem Henrici II. Imperatoris, qua edictum Imperatoris Marciani (non Marci, ut in textu) de Clericis conſtantinopolitanis, qui jurare prohibebantur, ad omnes Clericos pertinere declaravit, & vetuit, Clericos quoſcumque in quacumque cauſa tam civili, quam criminali compelli ad jurandum; ſed voluit aliis idoneis perſonis id eſſe delegandum. Monderando tamen Honorius præfatum edictum, prohibuit, ne Epiſcopus, inconſulto Pontifice, & quiſquis Clericus, inconſulto Prælato ſuo, jurare auderet.

Verum huic ſanctioni, ad juramentum in primo litis exordio præſtandum quod attinet, derogatum eſt a Bonifacio VIII. declarante, hoc præſtari poſſe in qualibet litis parte, ut ex ipſius Decretali, relata in *cap. I. Si de calumnia, hoc eod. tit. in VI.* ibi.

Si

Si de calumnia, ſeu de veritate dicenda, in primo litis exordio non juretur, ut debet, poterit poſtmodum in qualibet parte litis jurari; cum hujuſmodi juramenta præſtari ab initio de ſubſtantia ordinis judiciarii non exiſtat. Propter omiſſum quoque taeite in tota cauſa calumniæ juramentum, judicialis proceſſus, alias factus legitime, non eſt nullus, nec etiam annullandus.

Quoad delegationem alteri faciendum pro dicti juramenti præſtatione, pariter derogatum eſt ab Eugenio III. permittente, illud præſtari poſſe etiam a principalibus abſque alterius delegatione juxta qualitatem perſonarum, & cauſarum opportunitatem, ut ex ejus Decretali, relata in *cap. III. In pertractandis, hoc eod. tit.*, quam tranſcriptam leges infra ad *caput III.* Sectione CCXXXV.

Derogatum eſt etiam a Lucio III. id ſine ulla limitatione cuicumque Clerieo permittente, ut ex Decretali, relata in *cap. V. Caterum hoc eod. tit.* ibi.

Cæterum, quia novis morbis nova convenit antidota præparari; mandamus, quatenus in cauſa fidejuſſionis, quæ inter R. Clericum de S. Albano, & I. & F. Canonicos london. vertitur, ad veritatem eliciendam, appellatione ceſſante, præſtari faciatis ab utraque parte calumniæ juramentum, conſuetudine, quæ legi contraria eſt, non obſtante.

Item, quoad Epiſcopos derogatum eſt a Greg. IX. ut ex ipſius Decretali, relata in *cap VII. Cum in cauſa*, quam traſcriptam habes infra Sect. CCXXXVII.

Quoad facultatem obtinendam a Summo Pontifice pro præſtando juramento ab Epiſcopo, & obtinendam ab hoc reſpectu Clericorum, derogatum eſt a contraria conſuetudine, propter difficultatem recurrendi in omnibus caſibus ad Pontificem reſpectu Epiſcopi, & ad Ordinarium reſpectu Clericorum, ut notant Hoſtienſis, & Panormitanus, *hic num. 16. & 18.* & hoc procedit de quocumque juramento.

S E C T I O C C X X X I V.

Caput II. Literas, *ex Decretali Eugenii III. Arduino, Romanæ Eccleſiæ Subdiacono, & Magiſtro Omnibono reſcripta.*

Literas (& infra.) Sanè Rom. Eccleſia in his caſibus, in quibus de Eccleſiis, decimis, & rebus ſpiritualibus tantum agitur, juramentum calumniæ nec dare, nec recipere conſuevit, eo quod tales cauſæ non ex legum diſtrictione, ſed ex Canonum æquitate finem debitum ſortiuntur. Canones autem juramentum calumniæ in hujuſmodi cauſis nulli prorſus indicunt. Unde, contentione de juramento calumniæ præſtando dimiſſa, ad ulteriora diſcretio veſtra procedat.

Prohibuerat hic Eugenius, præſtari juramentum calumniæ in iis cauſis, in quibus de decimis eccleſiæ, & rebus ſpiritualibus ageretur.

Verum hæc Decretalis abrogata eſt a Bonifacio VIII. contrarium ſtatuente in ejus Decretali, relata in *cap. I. Si de calumnia, hoc. eod. tit. in VI.* ubi §. *Quamvis ſic legitur.*

Quamvis in cauſis ſpiritualibus, in quibus debet de veritate dicenda jurari, Canones non indicant alicui calumniæ juramentum: nos tamen, quia frequenter calumniari videmus in ipſis, utile reputamus, quod ſimul, ſicut plerique obſervant, tam de veritate dicenda, quam de calumnia, (ut via præcludatur calumniis) jurari debeat in eiſdem.

S E C T I O C C X X X V.

Caput III. In pertractandis, *ex Decretali ejuſdem Eugenii.*

IN pertractandis cauſis ſacramentum de calumnia non paſſim præcipimus exhiberi; ſed cauſæ, & principalium perſonarum qualitate inſpecta, quandoque ipſas per principales perſonas, quandoque per œconomos, qui cauſam omnino non neſciant, in animam jurantis illud præcipimus præſtari.

Præceperat hic Eugenius, ut, ſi quando præſtandum eſſet juramentum per procuratorem, illud præſtare deberet in animam principalis, non in ſuam; verum hoc hodie locum amplius non habet propter derogationem, ſeu ampliationem factam a Bonifacio VIII. præcipiente, procuratorem etiam jurare debere in animam ſuam, ſive ſit inſtructus de cauſa, ſive non, ut videlicet ſolicitus ſit, ne ſuſcipiat defenſionem cauſæ iniquæ, præſertim, ſi ſciat, illam eſſe iniquam, ut ex ipſius Decretali, relata in *cap. II. In appellationis, hoc eod. tit. in VI* ibi.

In appellationis cauſa, quamquam in principali juratum fuerit, præſtari jubemus calumniæ juramentum. & idem in juramento de veritate dicenda volumus obſervari. Procuratores quoque, qui poſt juramentum calumniæ deputantur, teneri volumus (ut calumnia vitetur, ab ipſis) ad ſubeundum hujuſmodi juramentum, etiamſi a ſuis dominis quid deponere, aut reſpondere, ſeu agere debeant, ſint inſtructi.

SECTIO CCXXXVI.

CAPUT V. CAETERUM, *ex Decretali Lucii III. ad Epiſcopum Elienſem, & Archidiaconum Norvicenſem.*

Hanc Decretalem tranſcriptam habes ſupra poſt *cap. I. Inhærentes*, Sect. CCXXXIII.

Ex ea colligitur, non valere conſuetudinem, ne juramentum calumniæ præſtetur. Verum ex Decretali Bonifacii VIII. relata in *cap. I. Si de calumnia*, ſupra tranſcripta ad citat. *cap. I. Inhærentes*, propter illius omiſſionem, proceſſus non eſt nullus.

SECTIO CCXXXVII.

CAPUT VII. CUM IN CAUSA, *ex Decretali Gregorii IX. reſcripta Epiſcopo Bellovacenſi.*

CUM in cauſa pecuniaria (quam inter te, & R. motam eſſe proponis) non per te, ſed per Syndicum, vel actorem elegeris litigare, per illum quidem præſtandum erit calumniæ juramentum. Quod ſi per te ipſum, propoſitis tantum, ſed non tactis Evangeliis (ſicut in dicendo teſtimonio) a te videtur hujuſmodi juramentum exhibendum (& infra.) Pœna vero recuſantis hoc juramentum, cum præſtandum fuerit, eſt, ut actor ab inſtituta cadat actione, reus autem haberi debeat pro confeſſo.

Quod Epiſcopo juramentum de calumnia præſtituro exhibendum ſit Evangelium, ut in hac Decretali præſcribitur, contraria conſuetudine derogatum eſt, quandoquidem ex inconcuſſa obſervantia, ut ad hoc idem caput notat Barboſa *num.* 3. tam Epiſcopi, quam Cardinales, & alii quicumque in Sacris conſtituti, non jurant in cauſis judiciariis, aut exhibitis, aut tactis Evangeliis, ſeu ſcripturis aliquibus, ſed tacto dumtaxat pectore. In aliis vero caſibus v. g. in Fidei profeſſione emittenda, indubiæ conſuetudinis eſt, ut tangant Evangelia.

Titulus VIII. De Dilationibus.

SECTIO CCXXXVIII.

CAPUT I. DILECTI FILII, *ex Decretali Alexandri III. Cantuarienſi, & Vigornenſi Epiſcopis ſcripta.*

In hac Decretali ſtatuitur, ut quando Judex præfigit partibus terminum ad comparendum in Judicio, is non debet eſſe nimis brevis, alioquin datur juſta cauſa appellandi: & hoc potiſſimum obſervandum eſſe declaratur in cauſis eccleſiaſticis, niſi urgens neceſſitas celeriorem cauſæ expeditionem, & ſententiæ maturationem expoſcat.

SE-

SECTIO CCXXXIX.

CAPUT II. PRÆTERRA, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui ſcripta.*

In hac Decretali, quam tranſcribere omitto, ſtatuit Pontifex, reo non facile concedendas eſſe novas dilationes ad ſui defenſionem reparandam, quando actoris libellus eſt clarus, & prior terminus, a judice præfixus ad comparendum, eſt ſufficiens.

SECTIO CCXL.

CAPUT III. LITERAE, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Ferentino, in veteri Latio, reſcripta.*

In hac etiam Decretali, quam tranſcribere omitto, ſtatuit Honorius, nec novas dilationes concedendas eſſe, etiamſi in libello reperiatur terminus obſcurus, vel æquivocus, ſi poſt factam illius explicationem appareat, eundem libellum non per hoc ſubſtantialiter, vel notabiliter fuiſſe mutatum, ver. gr. ſi actor in eo ſcripſerit, penſionem Ecclefiæ non fuiſſe ſolutam *tribus annis, & ultra*, interogatus vero, quid per *li ultra* intellexerit, reſponderit, eam jam ſeptem annis non fuiſſe ſolutam.

SECTIO CCXLI.

CAPUT IV. EXPOSUIT, *ex Decretali Gregori IX. Abbati Monaſterii S. Mariæ de Aquaviva, Canonicorum regularium Ordinis S. Aguſtini, & Archidiacono Turonenſis diœceſis ſcripta.*

Statuitur in hac Decretali, quam pariter tranſcribere omitto, quod cum partes citantur ex locis valde remotis, v. g. ex Gallia Romam, ac cauſa, de qua agitur, ſit valde ardua, concedendas eſſe longiores dilationes ad conquirenda documenta, & ſufficientem inſtructionem capiendam, etiamſi partes, aliorum negociorum cauſa, in loco judicii, puta Romæ, ſe detineant.

Ad hunc titulum referendæ ſunt Conſtitutiones Romanorum Pontificum, &.

I. Innocent. VIII. Conſt. *Quoniam*, 13. *Julii* 1489. in qua debitores occaſione bonorum ripalium in ripis Almæ Urbis venditorum, prohibentur admitti ad quinquennalem dilationem, vel bonorum ceſſionem.

II. Clem. VII. Conſt. *Cum ex multorum*, 20. *Decembris* 1529. in qua ſtatuitur, ut obtinentes beneficium ceſſionis bonorum, aut dilationem quinquennalem ad ſolvendum, teneantur cauſam expedire intra tres menſes, computandos a die obtentæ dilationis uſque ad ſententiam excluſive, non obſtante beneficio, *cap. Odoardus, & cap. Pervenit.*

III. Pauli III. Conſtit. *Cum poſtquam*, 20. *Auguſti* 1547. in qua item prohibentur concedi dilationes, & moratoriæ pro debitis contractis favore mercatorum utriuſque ripæ Urbis, declaraturque, hujuſmodi debitoribus non ſuffragari *cap. Pervenit, de Fidejuſſor. & cap. Odoardus.*

IV. Julii III. Conſtit. *Cum ſicut*, 2. *Decembris* 1552. in qua eædem dilationes concedi prohibentur debitoribus pro cauſa panis, eis a piſtoribus, vulgo fornaris, traditi, quam confirmavit Sixtus V. Conſtitut. *Cæleſtis Pater*, 19. *Aug.* 1586.

V. Pii IV. Conſtit. *Cupientes*, 27. *Octobr.* 1561. in qua prohibentur concedi debitoribus alternativæ, & dilationes, vel beneficium *cap. Pervenit, & cap. Odoardus*, niſi prius deferant birettum viride coram judicibus Urbis, & carcerum Viſitatoribus: in qua Conſtitutione confirmatur Conſtitutio Pauli IV. idem ſtatuentis, declaraturque, dictas alternativas, & dilationes, aliter conceſſas, iiſdem debitoribus non ſuffragari, etiamſi clerici exiſtant. Neutra autem Conſtit. ſervatur in praxi, ſaltem quoad Clericos.

VI. Gregorii XIII. Conſtit. *Cum officio*, 1. *Julii* 1565. in qua §. XIX. prohibetur pariter concedi dilationes moratorias, & quinquennales ob ſolvendas res medicinales, & aromatarias aromatariorum Urbis.

VII. Pii V. Conſtit. *Poſtquam*, 3. *Novem.* 1570. in qua ſtatuitur, doloſos decoctores, tam laicos, quam eccleſiaſticos, Epiſcopis exceptis, luxu, & impudentia rem alienam dilapidantes, puniendos eſſe etiam ultimo ſupplicio.

SECTIO CCXLII.

CAPUT I. OMNES, *tranſcriptum ex Concilio, celebrato ſub Gregorio IV. an. 833. apud Compendium (Pagum in Gallia .)*

OMnes dies Dominicos a veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere, ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, neque ſacramenta (niſi pro pace, vel aliqua neceſſitate) præſtentur.

Prænotandum, quod nomine placiti, venit qualibet lis, jurgium, & cauſa forenſis, quæ in judicio agitur, Azorius *part. II. lib. I. cap. XXVII. q.* 2. & nomine ſacramenti hic venit juramentum: ideoque die feſto nec teſtes recipere, nec examinare licet, cum prius ab iiſdem jurari debeat de veritate dicenda.

In eo vero, quod ſpectat ad actus forenſes, hæc Decretalis ampliata, & ſimul declarata eſt a Gregorio IX. ut videre eſt in ejus Decretali relata *cap. V. Conqueſtus, hoc eod. tit.* ibi.

Conqueſtus eſt nobis (& infra.) Quamvis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones, debet tamen judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti, ſcilicet Natalis Domini, Stephani, Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, S. Silveſtri, Circumciſionis, Epiphaniæ, ſeptem diebus Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis; cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes, cum duobus, qui ſequuntur Nativitatis Jo: Bapt. feſtivitatum omnium Virginis glorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præcipue, Petri, & Pauli, B. Laurentii, Dedicationis B. Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæteriſque ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi cum Clero, & populo in ſuis diœceſibus duxerint ſolemniter venerandas. Quibus ſolemnibus feriis (niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat) uſque adeo convenit ab hujuſmodi abſtinere, ut conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contingit diebus hujuſmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate.

Quod autem merectus prohibitionem reſpicit, tranſcripta Decretalis *Omnes*, innovata eſt, & extenſa ad omnes alios dies feſtos a Benedicto XIV. Conſtit. *Ab eo tempore*, *die* 5. *Novem.* 1745. §. *XXII.* & *XXIII.* ibi.

XXII. Debito procedentes ordine, mercatus a nundinis diſtinguimus. Textus juris canonici paulo ante allegatus in cap. I. de Feriis loquitur de mercatu. Idem quoque verbum in Conſtitutione ſua uſurpat S. Pius V. Communis præterea ſententia eſt, (quidquid ſit de nundinis) mercatum haberi non poſſe diebus feſtis, ſed eſſe transferendum in antecedentem, vel in ſubſequentem diem, ſi in feſtum inciderit. Huic regulæ, Nos inhæſimus, facultatem tribuentes die 9. Maii 1742. Viro nobili Ferrarienſi hebendi mercatum in ſuo rure qualibet feria quinta, dummodo in illam non incideret feſtum ſervandum ex præcepto; quo caſu mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi anſam præcidentes, vobis per hæc Apoſtolica ſcripta mandamus, ne in diœceſum veſtrarum urbibus, & locis mercatus fieri feſtis diebus patiamini.

§. XXIII. Libentius præterea id vobis præcipimus, quia poſt ſedulum, ac maturum examen, conſentaneæ idipſum decrevit die 2. Maii 1711. Congregatio Cardinalium Conc. Trident. interpres *in cauſa Ripana Mercatus*, *ut ex lib.* 61. *decretor. pag.* 203. *a terg.* Quod decretum Apoſtolica auctoritate noſtra comprobantes, inſtar regulæ eſſe volumus, ac in omnibus temporalis ditionis noſtræ provinciis, urbibus, ac locis S. Sedi Apoſtolicæ mediate, vel immediate ſubjectis, inviolabiliter obſervari præcipimus. Decreti hujuſmodi ſequens eſt exemplum. Cum modernus Epiſcopus Ripanus de menſe Septembris 1709. editum typis mandaverit ſuper obſervantia dierum feſtorum, in quo ſignanter illud præſcripſit.

§. II. Le fiere, che ſogliono farſi in alcune feſte determinate dell' anno, ſi tolerano doppo celebrata la Meſſa maggiore, ma i mercati, che ſi fanno in giorno fiſſo della ſettimana, caden-

dendo in queſto qualche Feſta, ſi traſferiſcano nel giorno antecedente, o ſuſſeguente non feſtivo, ſecondo la diſpoſizione di tutti i Sinodi dioceſani da' noſtri Anteceſſori ſtampati ſotto le infraſcritte pene &c. Nihilominus civitas, & homines Ripani ad impediendam ejuſdem Edicti promulgationem, ex aſſerta immemorabili conſuetudine habendi mercatum in die Sabbati; etiamſi in eum incidat dies feſtus, obtinuerunt ab A.C. monitorium ſuper manutentione cum inhibitione, ſed R.P. Auditoris Sanctiſſimi decreto cauſa remiſſa fuit ad hanc S. Congregationem, in qua concordato infraſcripto dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde a partibus momentis diſputari. = An liceat communitati, & hominibus Ripæ habere mercatum die Sabbati, intus, vel extra civitatem, quando occurrit, quod ſit dies feſtivus, in caſu &c. die 2. Maii 1711. Sacr. Congr. Concilii, reſpondit negative, & hujuſmodi cauſam amplius non proponi mandavit.

Hanc prohibitionem obſervandam omnino præcepit Benedictus, §. XXIV. quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, *non* obſtante.

Cum mercatibus ſuccedant nundinæ, circa has ita ab Ordinariis ſtatui mandavit, §. XXX. eo pari modo, quo ipſemet ſtatuit pronundinis Senogalienſibus, *ſub die* 24. *Aug.* 1744. *Conſtit. Paterna*, ut ſcilicet.

Matutinas, & veſpertinas horas, quibus feſto die, quo nundinæ habentur, claudi debeant apothecæ, nec publica poſſint exerceri commercia, ut qui ad nundinas confluxerunt, Miſſæ ſacrificio, & divinis officiis interſint, aliiſque chriſtianis operibus Feſtum ſanctificent.

Idem Conſtit. *Nihil profecto*, 12. *Auguſti* 1748. §. III præcepit Epiſcopis, ut turpes, & obſcænas exercitationes puerorum, & adoleſcentium nudorum curſus, luctaſque, feſtis potiſſimum diebus, quocumque nomine, & occaſione exhibendas eliminent.

S E C T I O C C X L I I I.

Caput II. Quoniam, *ex Decretali Alexandri III. reſcripta Archiepiſcopo Triburienſi, aut Turonenſi in Gallia, juxta Gonzalez.*

Quoniam in parte (& infra.) Licet ſcriptum ſit: *De veſpera in veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*, feſtorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diverſarum regionum conſuetudinem debet attendi, & ſicut magnitudo dierum exigit prius incipere, & tardius terminari (& infra.) Præterea feſtivitas Sanctæ Trinitatis ſecundum conſuetudines diverſarum regionum a quibuſdam conſuevit in octavis Pentecoſtes, ab aliis in Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet, quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem, cum ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cætera ſimilia dicantur, ad laudem pertinentia Trinitatis.

Circa principium, & terminum diei feſti, quem juxta conſuetudinem diverſarum regionum hic obſervari præcipitur, de qua etiam in *Can. XI. De eſu carnium, diſt. III. de Conſecr.* qui eſt Leonis Papæ IV. derogatum eſt a contraria conſuetudine, qua ſtante, præceptum colendi dies feſtos quoad jejunium, & vacationem ab operibus ſervilibus, incipit a medietate noctis, & deſinit poſt lapſum medietatis noctis diei ſubſequentis; ſicut & quoad contractus, ut ſtatuitur in cap. XXXIV. *Conſuluit, de off. jud. deleg. & L. merc, ff. eod.* Quoad actus vero judiciales incipit mane, & deſinit in fine diei ante noctis tenebras, cit. cap. *Conſuluit, Auth. de judic. §. Sedebunt*. Niſi dicere velimus, quod illa verba textus — *a veſpera ad veſperam* - intelligenda ſint dumtaxat quoad divinorum officiorum celebrationem juxta antiquum Eccleſiæ uſum, quo fideles in Eccleſia diebus feſtis, ſingulis horis canonicis aderant, ut optime hic probat Gonzalez.

Quo vero ad uſum Eccleſiæ Romanæ non celebrandi ſpeciatim aliquo ſtatuto die feſtivitatem SS. Trinitatis, derogatum eſt a Joanne XXII. a quo certus ei dies ſtatutus fuit, nempe Dominica prima poſt Pentecoſtem, ut hic refert Gonzalez *lit. F.* & Barboſa *n.* 5. item Gavantus *tom. I. par. IV. tit. XII. de Feſto Trinit. num.* 1.

Ex Decreto S. Rituum Cong. juſſu Clement. XIII. feliciter regnantis, edito die 3. Ian. 1759. ſingulis Dominicis, in quibus propria Præfatio non aſſignatur, recitari debet in Miſſis a Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus Præfatio de SS. Trinitate quæ prius in illius die ſexto dumtaxat recitabatur.

SECTIO CCXLIV.

Caput III. Licet, *ex Decretali ejuſdem Alexandri ad Archiepiſcopum Treverenſem in Germania, ejuſque Suffraganeos, juxta Gonzalez.*

Licet tam veteris, quam novi teſtamenti pagina ſeptimum diem ad humanam quietem ſpecialiter deputaverit, & tam eum, quam alios dies majeſtati Altiſſimi deputatos; necnon natalitia Sanctorum Martyrum Eccleſia decreverit obſervanda, & in his ab omni opere ſervili ceſſandum (& infra.) Nos tamen, quibus ab omnium Proviſore Eccleſiæ regimen eſt commiſſum, ſuper iis, quæ neceſſitas exigit, chriſtifidelibus tenemur commode providere, ut, ſi quando eos non ſervili operi, ideſt actioni peccati, ſed neceſſaria victui, & veſtitui quærendo forte intendere contigerit, volumus, ut eis Apoſt. Sedis providentia miſericordia conſueta ſubveniat. Inde ſiquidem eſt, quod cum regio veſtra non multum frugibus abundet, & mare, in quo populus majorem habere conſuevit ſuſtentationem, ſterilius ſolito effectum fuiſſe, multorum relationibus cognoſcentes, auctoritate B. Petri, & noſtra indulgemus, ut liceat parochianis veſtris diebus Dominicis, & aliis feſtis, præterquam in majoribus anni ſolemnitatibus, ſi alecia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni, ingruente neceſſitate, intendere, ita tamen, quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.

Dies feſti ſolemniores, ab Alexandro in hac Decretali (quæ integra ex Gonzalez tranſcribitur) excepti, tunc erant dies Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes; quibus additum eſt feſtum Corporis Chriſti, poſtquam inſtitutum fuit ab Urbano IV., ſub die 11. Auguſti 1264. (ut in Regeſtis Vaticanis reperitur) Conſt. *Tranſiturus*, qua ad hæreticos comprimendos, & exaltandam catholicam fidem ſingulis annis, eodem, quo nunc, die in univerſali Eccleſia celebrari juſſit. Cum autem paulo poſt Urbanus vita deceſſiſſet, nec quiſquam urgeret, ut executioni mandaretur, prout innuit Gloſſa *in Clementina unica, de Reliq. & vener. Sanctor.* inde factum eſt, ut annis inſequentibus ejuſdem feſtivitatem celebratam fuiſſe non reperiatur. Verum Clemens V. in Conc. Viennenſi, habito an. 1311. Urbani Conſtitutionem confirmavit, cujus executionem Joannes XXII. (qui an. 1316. Clementi V. ſucceſſit) omni ſtudio curavit, ad eamque rem Martinus V., & Eugenius IV. novis Indulgentiis tribuendis plurimum contulerant, ut tandem in tota Eccleſia feſtivitas celebraretur.

Quamvis autem in eadem Decretali tributa ſit facultas vacandi piſcationi, hic enunciatæ, diebus feſtis, ſolemnioribus exceptis, cum onere tamen, ea peracta, impertiendi titulo eleemoſynæ congruam portionem (decimam nempe partem juxta Gloſſam hic) lucri, inde retracti, vicinis Eccleſ. & Chriſti pauperibus; non inde ſequitur, licere locor. Ordinar hoc, vel aliud onus imponere in concedenda facultate vacandi diebus feſtis operibus ſervilibus, cum neceſſitas exigit, ſive agatur de piſcatione eorum piſcium, quorum piſcatio, aliquo tantum anni tempore exerceri poteſt (ut ſunt thunni, ſardæ) ſive de quocunque alio neceſſario opere, ſed tenentur iſtam gratis concedere ex Conſtit. Urbani VIII. *Univerſa, idib. Septembr.* 1642. §. *III.* ibi.

Ut vero ea, quæ ſuperius expreſſa ſunt, ferventioris, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eiſdem Ordinariis antiquorum Canonum obſervantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus feſtis: quæ quidem licentiæ non aliter, quam ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur, concedendæ, nonniſi gratis, libere, & ſine ullo prorſus pretio, aut pacto, directe, vel indirecte, concedantur, ſub pœnis etiam gravioribus noſtro, Succeſſorumque noſtrorum arbitrio infligendis.

Simile ſiquidem onus imponi ſolum poteſt a Summo Pontifice, quemadmodum etiam a Sixto V. impoſitum fuiſſe refert Benedictus XIV. Conſtit. *Ab eo tempore*, 5. *Novemb.* 1745. §. *XXVII.*

Dum in minoribus conſtituti a ſecretis eramus memoratæ Congregationis Conc. Trident. interpret, præ manibus habuimus indultum fel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſ. noſtri, qui ad preces cujuſdam Abbatis Ordinis S. Benedicti diœc. Gerunden. facultatem impertitus eſt piſcandi diebus feſtis habitatoribus Caſtri maris adjacentis. poſt auditam Miſſam, & poſt meridiem, adjecto onere tribuendi Abbati, ejuſque monaſterio tertiam lucri partem in Eccleſiæ inſtaurationem pie erogandam, quæ conditio progreſſu temporum cum nimis onerosa viſa ſit piſcatoribus, paupertate preſſis, & exhauſtis diſpendio, quod naves piſcatoriæ exigebant, re ad Sacr. Congr. delata, imminutum fuit primævum onus ad ſeptimam partem, ut ex decreto, edito die 24. Auguſti 1720.

Non

Non eſt tamen Epiſcopo prohibitum hortari populum ad aliquam eleemoſynam applicandam pro ſublevatione locorum piorum, ſiqui alicubi maxima egeſtate laborent, ex decreto Cong. Epiſcop. & Regul. in *Caſertana*, 29. *Novembr.* 1594. relato a Lucio Ferraris, *Prompta Bibliotheca, verb. Feſta, num.* 35. Quod tamen crederem, eſſe intelligendum, quando diſpenſatio concederetur pro Univerſitate alicujus loci, non pro aliqua peculiari perſona.

Has vero licentias non eſt in Epiſcopi facultate denegare in caſibus verè neceſſitatis, ut declaravit eadem Cong. *in Beneventana*, 12. *Maii* 1645. prout refert idem Ferraris *loc. cit. num.* 32.

Si autem quæras, ad quem ſpectet animadvertere, ſeu punire violatores dierum feſtorum, an ſcilicet ad Epiſcopum, vel potius ad Magiſtratum ſecularem, ſublata eſt antiqua DD. controverſia a S. Pio V. Conſtitut. *Cum primum*, 1. *April.* 1566. *ubi* §. *VII.*, ſtatuitur, quod, ſi agatur de violatione præcepti negativi (non vacandi ſcilicet operibus ſervilibus, aliiſque prohibitis) dari locum præventioni (ſi enim ageretur de violatione præcepti affirmativi, audiendi nempe Miſſam, certum eſt, privative ſpectare ad Epiſcopum), ibi.

Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ultionem, & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam utetur. etiam graves pœnas incurret arbitrio noſtro, ſeu Vicarii noſtri in Urbe. In aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magiſtratuum, ita, ut præventioni locus ſit.

S E C T I O   C C X L V.

Caput IV. Capellanus, *ex Decretali Clementis III.*
(*ignotum cui reſcripta*.)

Capellanus tuus, frater Epiſcope, coram nobis ex parte tua propoſuit, quod cum ſtatuta canonica declarent, nuptias tribus ſeptimanis ante feſtum Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ minime celebrari debere: quidam hebdomadas illas abſque interpolatione continuandas intelligunt: alii vero inter feſtum, & ipſas volentes facere intervallum, illud dicunt ob reverentiam feſtivitatis Pentecoſtes fuiſſe ſtatutum, quæ in ſeptimanis iſtis ſolet intervenire quandoque; & ſic a tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini inchoantes, uſque ad octavam diem poſt Pentecoſten, (illis hebdomadis computatis), illo tantum ſpatio temporis celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem abinde nullatenus inhibentes. Quia ergo conſulti fuimus, utra iſtarum opinionum potior videatur, nobis, & Fratribus noſtris apparuit, quod licet ea ſit Romanæ Eccleſiæ conſuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur, conſenſu interveniente legitimo de præſenti, quia tamen a ſeptuageſima uſque ad ſeptimum diem poſt Pentecoſten celebrari nuptiæ non ſinuntur, & poſtea etiam tribus ſeptimanis, vel pluribus ante feſtivitatem S. Joannis ſine differentia celebrantur; poſterior ſententia meliori, & ſubtiliori nititur ratione, & ſive ſecundum Canones a ſeptuageſima uſque poſt octavas Paſchæ, ſive juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ uſque poſt ſeptimum diem feſti Pentecoſtes, (quod caret octavis) nuptiæ ſuſpendantur, in Dominica, quæ ſequitur, & deinceps poſſunt licite celebrari.

Per hanc Decretalem nonnulli opinati ſunt, abrogatum fuiſſe jus antiquum, quo primis Eccleſiæ temporibus nedum prohibitum erat, matrimonium contrahi diebus feriatis, de quibus in textu, ſed etiam declaratum nullum, ſi intra dictos dies celebratum fuiſſet, innixi Epiſt. II. Sancti Petri Damiani lib. V. in qua ſic legitur = *Cenſura canonica nuptias illicitis temporibus inſtitutas, remoto omni ſcrupulo, dividit* = cujus auctoritatem amplexus Chriſtianus Lupus lib. IV. de Conciliis pag. 43. antiquæ edit. q. 4. & cap. de Feriis, ait = *Quod contractum extra tempora conjugium fuerit omnino ſubſtantialiter nullum, fatear cum S. Petro Damiano* = ac innixi etiam Can. X. *Non oportet*, cauſ. XXXIII. q. 4. in quo præcipitur, ſeparandos eſſe conjuges, ſi tunc illud contraxiſſent. Cum autem ibi præcepta ſeparatio juxta communem Canoniſtarum cum Gloſſa ibidem, non ſit perpetua, quoad ſolutionem ſcilicet vinculi, ſed ad tempus, in pœnam tranſgreſſionis cap. I. *Litera*, *de Matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ*, inferri nequit, tempus feriatum inducere nullitatem matrimonii, & per conſequens hoc antiquum jus abrogatum fuiſſe per hanc Decretalem. Cæterum dictus Canon, tributus a Gratiano Concilio Illerdenſi, eſt ſuppoſititius, neque in eo, neque in aliis Conciliis legitur, Berardus ad *Gratiani Canones genuinos, par. I. cap. XXVII. pag.* 328. *edit. Taurini* 1752.

Quod autem ſpectat ad numerum dierum feriatorum, de quibus in hac Decretali, cum in ea Clemens prohibuerit nuptiarum ſolemnitates a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam, a Septuageſima uſque ad octavam Paſchatis, & a diebus Rogationum uſque ad octavam Pentecoſtes, hæc prohibitio moderata eſt a Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* X. *de reformat. matrim.* illam reſtringente ab Adventu Domini uſque ad totum diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive.

Quam prohibitionem, ſi quis aſſereret, eſſe ſuperſtitionem tyrannicam ipſo facto incurreret excomunica-

nicationem non tamen reſervatam, *ex Can. XI. ead. ſeſſ.*

Quod autem Clemens hic aſſerat, diem ſeptimum Pentecoſtes carere octava, relationem habet ad Eccleſiam Gallicanam, quæ tempore hujus Pontificis octavam Pentecoſtes non agnoſcebat, cum dictum ſeptimum diem dicaverit feſto SS. Trinitatis, ut ex ſupra relato cap. II. *Quoniam*: quemadmodum neque hodie in Eccleſia univerſali dicta octava celebratur, poſtquam præfatus ſeptimus dies aſſignatus fuit a Ioanne XXII. feſto Trinitatis.

Nota I. Nullam in jure inflictam eſſe pœnam latæ ſententiæ contra parochum, nuptias benedicentem his diebus vetitis: ex communi tamen Theologorum ſententia lethaliter peccat, ut trangreſſor præcepti, quod Eccleſia conſuevit præcipere tamquam in re gravi, ut luculenter oſtendit Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. LXXXI.* ubi ex ſententia Roſignoli aſſerit, etiam lethaliter peccare contrahentes, benedictionem recipiendo.

Non peccant tamen, ſi ante benedictionem ſolemnem hoc medio tempore matrimonium conſtituent, cum nulla lege id clare interdicatur, ut cum celeberrimis Theologis, & Canonum Interpretibus probat idem Benedictus cit. *Inſtit. a §. Sed jam* uſque ad §. *Nunc autem*.

Nota II. Nomine ſolemnitatum nuptialium venire ſolemnem benedictionem, publicam cum plauſu, & pompa ſponſæ traductionem ad domum ſponſi, & convivia in ſolemnitate nuptiarum adhiberi ſolita, ut ex Rituali Romano, *in Rubrica de Sacr. matrim.*

Nota III. Quod, quamvis de *jure* communi licitum ſit contrahere matrimonium tempore feriarum ſine ſolemnitatibus; ſecus tamen eſt de jure municipali Synodorum, aut de peculiari quamplurium diœceſum conſuetudine, ut probat laudatus Benedictus *loc. cit.* ideoque in his locis debet peti ab Ordinario licentia illud contrahendi, in qua apponi ſolent hæ clauſulæ - *Sponſis tamen indicimus, ne ullam nuptiarum pompam, hoc tempore ſtatuant* -- inſuper -- *Tu (nempe parochus) ſervabis conſuetam normam S. Conc. Trident. ac Ritualis Romani*.

SECTIO CCXLVI.

CAPUT V. CONQUESTUS, *ex Decretali Gregorii IX. ad F. Palmerium, Canonicum regularem Ordinis Canonicorum regularium in Eccleſia SS. Trinitatis prope Bononiam, ut ex Decretali ejuſdem Gregorii relata in* cap. XVI. Conqueſtus de for. compet. *cujus hæc eſt pars*.

In hac Decretali, cujus textum habes ſupra in notis ad caput I. *Omnes, hoc eod. tit.* Sect. CCXLII. enumerantur dies feriati, in quibus actus judiciales exerceri nequeunt: quibus ex Conſtitut. Urbani VIII. *Universa, idib. Septemb.* 1642 addendi ſunt ſex alii, videlicet Corporis Chriſti, Inventionis S. Crucis, S. Ioſephi, S. Annæ, & duorum ex principalioribus Patronis, unius nempe in quocumque regno, ſive provincia, alterius in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos haberi, & venerari contigerit. Quos ſex dies declarat Pontifex, etiam obſervandos eſſe de præcepto quoad auditionem Miſſæ, & vacationem ab operibus ſervilibus: ſicuti & quatuor ex ſeptem feſtivitatibus B. Virginis, Purificationis nempe, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, non vero tres reliquas, ibi.

Decernimus, & declaramus, infraſcriptos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe, vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur, Dominicos ſcilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus feriis, Sanctiſſimæ Trinitatis, ſolemnitatis Corporis Chriſti, & Inventionis S. Crucis, necnon feſtivitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Mathæi, SS. Simonis, & Judæ, & S. Mathiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum. Item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silveſtri Papæ, & Confeſſoris, S. Joſephi etiam Confeſſoris, & S. Annæ, Deiparæ reſpective Sponſi, ac Genitricis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno, ſive provincia, & alterius pariter ex principalioribus in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

Ad-

Addenda eſt etiam feſtivitas Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, ubique de præcepto ſervanda, ex Conſtit. Clementis XI. *Commiſſi nobis*, 6. Decembr. 1708.

In hujus feſtivitatis die omnibus chriſtifidelibus, confeſſis, & Sac. communione refectis, viſitantibus aliquam ex Eccleſiis, tam Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia, & Reformatorum, quam monialium dicti Ordinis, & ibidem orantibus, Benedictus XIII. conceſſit Indulgentiam plenariam in perpetuum, ut ex decreto *Ad augendum*, 12. Decem. 1729.

Olim ex Conſtit. Sixti IV. relata in Bullario Rodriquez fol. 317., & 318. ac ex decreto S. Congr. Ritnum, 3. Ian. 1622., & 21. April. 1640. erat etiam ubique obſervandus de præcepto dies feſtus Sancti Franciſci Aſſiſinatis, Verum poſt cit. Conſt. Urbani, obſervatus fuit tantum ex devotione.

Nota I. Quod, quamvis ſupra relata Decretalis *Conqueſtus* relicta fuerit in ſuo robore ab Urbano VIII. ei tamen derogatum fuit a contraria conſuetudine in ea parte, in qua diſponitur, ut Epiſcopus indicere poſſit alios feſtos dies cum conſenſu populi; licet & hodie non deſint, qui ſentiant, teneri requirere dictum conſenſum, ut optime notatum eſt, *in Additionibus ad Promptam Bibliothecam Lucii Ferraris, verbo Feſta poſt num. 139. num. 5.*

Nota II. Ab hac regula excipi indictionem diei feſti de Patrono civitatis, pro quo eligendo requiritur conſenſus populi, ut ex ſequenti decreto Congr. Rituum, juſſu ejuſdem Urbani edito 23. Martii 1630. in quo datur etiam norma Epiſcopis pro electione Patronorum, de quibos ſermo eſt in mox allata Conſtitutione, S. Congreg. in electione Patronorum mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio, nulla ſit ipſo jure (intellige poſt promulgationem ſequentis decreti, non antea, ut reſpondit ead. Cong. in Trajanenſi Patronatus, 15. Iun. 1632., & in Neapolitana Patronatus S. Franciſci Xaverii, 15. Sept. 1656.)

Sacra Ritnum Caugreg., annuente Sanctiſſimo D. N. in electione Patronorum, mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio, nulla ſit ipſa jure.

Primo, quod eligi poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificatorum dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a populo, mediante conſilio generali illius civitatis, vel loci, non autem ab officialibus ſolum, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia a populo ſingularum civitatum provinciæ.

Et quod repræſentantibus regnum, civitatem, vel praviuciam nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat canſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum civitatum.

Et tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in S. Congr. deduci, & ab ea examinari: ac demum, cauſa cognita, ab eadem Congr. approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, ead. S. Rituum Cong. ſupradictum decretum imprimi, & publicari mandavit.

Nota III. Conſtitutionem Urbani non ademiſſe Epiſcopis facultatem indicendi dies feſtos, ut minus recte nonnulli authumarunt, quamadmodum etiam animadverſum eſt apud Ferraris *loc. cit. num. 3.* cum in ea ſolum legatur admonitio, ut ſe abſtineant indicere novas feſtivitates ultra præſcriptas in eadem Conſtitutione; non vero clauſula aliqua, adimens facultatem, ipſis ex hac Decretali competentem, ut ex lectura dictæ Conſt.

Titulus XIII. De Reſtitutione Spoliatorum.

S E C T I O C C X L V I I.

Caput VIII. Ex transmissa, *ex Decretali Alexandri III. Albienſi, & Beluacenſi Epiſcopis reſcripta.*

Nihil quidem novi huic Decretali acceſſit; ſed cum mendoſe ſcripta legatur in vulgata collectione Gregorii IX. Iuris Canonici ſtudioſos monitos tantum velim, quo recto ſenſu legenda ſit: in ea enim ſtatuit Alexander, ut ſi mulier a viro ſuo diſceſſerit, matrimonio jam conſumato, ſub prætextu cauſæ ſufficientis ad divortium, v. g. adulterii, reſtituenda ſit marito, recepta tamen ſufficienti cautione de damno illi non inferendo: ſi autem maritus eam capitali odio adeo proſequatur, ut de illo merito ipſa diffidat, cuſtodienda ſit uſque ad cauſæ deciſionem a proba, & honeſta muliere in loco, ubi nedum vir, vel parentes ejus, ſed etiam parentes ipſius mulieris ei nullam poſſint violentiam inferre. In dicta autem collectione legitur dumtaxat -- *Ubi vir, vel parentes ejus, mulieri nullam poſſint violentiam inferre* -- cum legi debeat -- *ubi vir, vel parentes ejus, aut mulieris nullam &c.* ut ex integro textu penes Gonzalez,

SECTIO CCXLVIII.

Caput XII. Olim, *ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopum, & Capitulum Terdonenſe.*

Hanc Decretalem non traſcribo, cum nihil novi quoad juris diſpoſitionem ei acceſſerit.

Verum, cum in ea mentio fiat de Ordinibus Templariorum, & Humiliatorum, notandum quod uterque extinctus fuit; Templariorum quidem a Clemente V. in Concilio Viennenſi, ut retuli in *cap. XIV. Cum deputati tit. 1. de judiciis*, Sectione CCXXI. Humiliatorum vero a S. Pio V. ad vindicandam injuriam ab ipſis illatam S. Carolo Boromæo, eorumdem reformatori, quod ſcilicet quidam ex eis, aliorum perſuaſu in eum, veſperi de more in ſacello una cum ſuis familiaribus orantem exploſerit ſclopum duabus plumbeis glandibus onuſtum, a quibus non ſine miraculo incolumis evaſit; ut ex ejuſdem Pii Conſt. *Quemadmodum*, 7. *Idus Feb.* 1570.

SECTIO CCXLIX.

Caput III. Literas, *ex Decretali ejuſdem Innocentii reſcripta Archidiacono Bituricenſi.*

Literas tuas recepimus, quod cum quædam matrimonialis cauſa Bituricenſi Archiepiſcopo in remotis agente, in præſentia tractaretur &c.

Ex hac Decretali conſtat, cauſas matrimoniales tractari, & cognoſci poſſe etiam ab Archidiacono: ſed hæc facultas ſublata eſt a Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XX. de refor.* præcipiente, ut ab Epiſcopo dumtaxat cognoſcantur, ut alibi notavi.

Vexatiſſima vero in foro quæſtio eſt, an hoc Conc. decretum comprehendat Prælatos Regulares ſecundæ ſpeciei, quibus non eſt territorium ſeparatum? affirmat *Cardinal. Petra ad Conſt. VI. Alexandri III. Sectione II. num. 2.*, & rurſus *ad Conſt. IV. Caliſti III. Sectione II. num. 32. Rota in nuperr. decif. CV. num. 21. & ſequent. Tom. 2.* at negant *Piton. diſcept. eccleſiaſt. 20. num. 10. Ricc. in Prax. cognit. cauſar. matrimonial. Reſolut. 271. Tamburin. de Jur. Abat. Tom. II. diſput. VIII. quæſt. VI. num. 3., & materia diſcuſſa*, Rota inter impreſſas poſt eumdem Tamburinum, *dec.* 43. & 44. utrobique fere *per tot.* & recentius *in Burgen. Juriſdictionis S. Joannis ſuper territorio ſeparato*, 20. *Januarii* 1736. §. 6. *cor. clar. mem. Buſſio.*

SECTIO CCL.

Caput XVIII. Sæpe contingit, *ex Decretali laudati Innocentii in Concilio Generali Lateranenſi IV.*

SÆpe contingit, quod ſpoliatus per ſpoliatorem, in alium re translata, dum adverſus poſſeſſorem non ſubvenitur per reſtitutionis beneficium eidem ſpoliato, commodo poſſeſſionis amiſſo, propter difficultatem probationum juris proprietatis amittit effectum. Unde, non obſtante juris civilis rigore, ſancimus, ut ſi quis de cætero rem talem ſcienter receperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium, eo quod non multum interſit quoad periculum animæ detinere injuſte, ac invadere alienum, contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.

Hanc Decretalem ita expoſuit Benedictus XIV. *in Epiſtola ad R. P. Nicolaum Lercari, Congreg. de Propaganda Fide Secr.* incipien. *Urbem Antibarum*, 19. *Martii* 1752. occaſione quorundam dubiorum, ab Archiepiſcopo Antibarenſi ei propoſitorum circa bona Eccleſiarum, prius ab infidelibus occupata, & deinde a chriſtianis empta, §. XXII.

Ita præſcribit famigeratus textus Innocentii III. in cap. *Sæpe, de reſtitutione ſpoliatorum*. Cum enim jus civile beneficium interdicti, *Unde vi, ſive reſtitutionis*, conceſſiſſet dumtaxat adverſum illum, qui per vim alium de poſſeſſione dejecerat, & contra ejuſd. heredem univerſalem ut habent *Lex 1. §. ult. & Lex 2. ff. Unde vi*, minime vero contra illum, in cujus poteſtatem res furto ablata devenerat; ut patet *ex L. 7. ff. eod.* etiamſi ille, dum rem emit, furtivam eam eſſe non ignoraſſet; idque ea ratione, quod interdictum *Unde vi* directe propoſitum fuerat ad-

adverſus eum, qui vim intuliſſet. *Unde tu illum vi dejeciſti*: magno illi Pontifici parum tuta viſa eſt hæc juris civilis diſpoſitio; ideoque decrevit, ut remedium poſſeſſori *Unde vi* locum etiam haberet adverſus illum, qui ſpolium quidem non commiſerat, ſed rem, quam alienam, ac furto ſublatam eſſe non ignorabat, a ſpoliatore mercatus fuerat = non obſtante juris civilis rigore, ſancimus, ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem acceperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium &c., contra poſſeſſorem, & hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur = Atque ſequentem decreti ſui attulit rationem = Eo quod multum interſit, quoad periculum animæ, injuſte detinere, aut invadere alienum = Hoc denique poſtulat canonici juris adagium, quod eſt in *Can. Rapinam* 14. *quæſt.* 5. ubi ſic legitur = Rapinam emere non licet, niſi ea intentione, ut, cui eſt ablata, reddatur =.

Hac Decretali innovatus eſt etiam Canon III. *Reintegranda*, idem ſtatuens, cum nimirum negligeretur a judicibus, maxime ſecularibus, jus civile ſequentibus; qui Canon deſumptus eſt ex Epiſtola I. Ioannis Papæ ad Zachariam Archiepiſcopum, prout refertur a Gratiano *cauſ. III. qu. I.* quamvis Berardi *tom. II. cap. L.*, *in Opere cui titulus — Gratiani Canones Genuini &c.* dictam Epiſtolam inter fragmenta Iſidori Mercatoris recenſeat:

His tamen non obſtantibus, ſi agatur de bonis eccleſiaſticis mobilibus ab hæreticis, & infidelibus occupatis, & a chriſtianis emptis, idem Bened. *loc. cit.* ex ſententia Theologorum Congregationis de Propaganda, & Conſultorum Univerſalis Inquiſitionis; ob præſumptam dominorum voluntatem declaravit, ea tuta conſcientia retineri poſſe, dummodo chriſtiani emerint animo reſtituendi, quotieſcumque impenſæ pecuniæ ſolutio a domino oblata fuerit. Contrarium tamen eſſe tenendum demonſtrat de bonis immobilibus, quæ ſecundum veriorem, & tutiorem ſententiam probat, reſtituenda eſſe una cum omnibus fructibus abſque ulla pretii ſolutione, a ſpoliatis facienda.

Titulus XVI. Ut lite pendente, nihil innovetur.

SECTIO CCLI.

Caput II. Si iſ, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Si ii, contra quos ſuper dignitatibus, preſonatibus, vel aliis eccleſiaſticis beneficiis, quæ poſſident, litigatur, lite pendente, cedant, vel forte decedant, ne propter novos adverſarios, qui malitioſe interdum petitoribus ſubrogantur, litigia in Eccleſiarum diſpendium prorogari contingat: ſtatuimus, ut dignitates, perſonatus, vel beneficia hujuſmodi, (donec contra ſuperſtites lis finita fuerit) aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quiſpiam, vel etiam præſentetur. Quod ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur. Sane, ſi ad defenſionem ipſius litis aliqui, quorum intererit, petierint, ſe admitti, eos in illo ſtatu, in quo ipſam invenerint, decernimus admittendos.

Occaſione hujus Decretalis orta eſt ſequens regula Cancellariæ de ſubrogandis collitigantibus, quæ nunc eſt la XXIX. in ordine, juxta publicationem Regularum ejuſdem Cancellariæ, factam a Benedicto XIV. 31 Aug. 1740. ibi.

Item D. N. cupiens litium ſuccidere anfractus, & ne novi collitigantibus adverſarii dentur, providere voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem ſuper quovis beneficio eccleſiaſtico collitigantem in jure, vel ad jus, ſi quod forſan ejus adverſario in dicto beneficio competierit, ſubrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intruſus non fuerit, nec ſuper eo contra dictum adverſarium, poſtquam illud per triennium pacifice poſſederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmiſſo jure, ſive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes, etiam motu proprio, infra menſem ante conceſſionem hujuſmodi factæ, nullius ſint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum præſertim, quibus, aut propter ſenium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tamquam collitigantes in eorum juribus facilius ſubrogentur; voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod, illo vivente in caſibus præmiſſis, vel ſimilibus impetraverit, aliquo modo ſubrogetur, ac ſubrogatio, vel gratia, ſi neutri, ſi nulli, ſeu novæ proviſionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus ſuffragetur, quod etiam ſtri-

ctiſſime obſervari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, & amotionem ex quibuſvis criminibus, & exceſſibus, forſan perpetratis, etiamſi uſque ad definitivam ſententiam, quæ tamen in rem non tranſiverit judicatam, proceſſum foret.

Titulus XVII. De Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.

SECTIO CCLII.

CAPUT II. DILECTUS FILIUS, *ex Decretali Honorii III. Priori diœceſis Ciſirenſis ſcripta.*

DIlectus filius R. Rector Eccleſiæ de Bethuſia, ſua nobis petitione monſtravit, quod cum inter ipſum ex parte una, & Abbatem, & Conventum de Ciſteria ex altera, ſuper eadem Eccleſia coram Abbate de Siditon, & ejus collegis, quæſtio verteretur, judices ipſi, prædictos Abbatem, & Conventum in poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ cauſa cuſtodiæ induxerunt: qui fructus, medio tempore perceptos, pro ſuæ diſtrahunt libito voluntatis. Quocirca diſcret. veſtræ mandamus, quatenus, ſi eſt ita, facientes prædictos fructus ſequeſtrari, ſi quid interdum de ipſis diſtractum inveneritis, in ſtatum priſtinum revocetis.

SECTIO CCLIII.

CAPUT III. AB EO, *ex Decretali Gregorii IX.*

AB eo, qui a ſententia provocavit, fructus poſſeſſionis (ſi diſſipentur ab ipſo) poſſunt, lite pendente, rationabiliter ſequeſtrari.

In bis duabus Decretalibus ſtatuerunt Honorius, & Gregorius poſt appellationem contra poſſeſſorem beneficii ſequeſtrandos eſſe tantum fructus, ne diſſipentur, non vero ipſum beneficium. Sed huic ſanctioni, quoad beneficium, ſuper quo lata fuerit ſententia definitiva a Sede Apoſt. vel ab ejus Delegato, non vero ab Ordinariis, in petitorio, vel poſſeſſorio promulgata, derogatum eſt a Clemente V. cap. unic. *Ad compeſcendas, hoc eod. tit. in Clementin.* præcipiente, poſt appellationem a poſſeſſione beneficii interpoſitam, ſequeſtrandum eſſe beneficium, nulla facta mentione diſſipationis fructuum, ibi.

Ad compeſcendas litigantium malitias, definimus, ut una contra poſſeſſorem definitiva ſententia ſuper beneficio apud Sedem Apoſtolicam, dumtaxat in petitorio, vel poſſeſſorio promulgata, beneficium ipſum, etiamſi dignitas, vel perſonatus exiſtat, & curam habeat animarum, a poſſeſſore hujuſmodi (dum tamen triennio pacifice antea ab eo poſſeſſum non fuerit) per loci Ordinarium apud aliquam perſonam idoneam ſequeſtretur, quæ plenam de ipſo, & debitam curam gerens, id quod, de fructibus ipſius (debitis ejuſdem ſupportatis oneribus) ſupereſſe contigerit, illi reſtituat, qui finalem in cauſa victoriam obtinebit. Si quis autem ſequeſtrationem hujuſmodi impedire, vel fructus ſequeſtratos quoquo modo præſumpſerit occupare, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto: a qua (niſi impedimento prius amoto, & occupatis per eum fructibus reſtitutis) nullatenus abſolvatur. Et nihilominus, ſi de litigantibus fuerit, a jure (ſi quod in hujuſmodi beneficio, vel ad ipſum forſitan competat eidem) hoc ipſo ſe noverit cecidiſſe: præmiſſis, nedum circa futura, ſed etiam circa per appellationem pendentia negocia obſervandis: non obſtante, ſi contra præfatam ſententiam de nullitate forſan opponatur.

Huic Clementis Decretali, in ea parte quæ attinet ad ſequeſtrandos fructus beneficiorum, Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, ſeu affectorum, necnon nulliter, ordinaria, aut quavis alia auctoritate collatorum, acceſſit Conſtitutio Pii IV. *Sanctiſſimus*, 26. *Octob.* 1560. ſtatuens, ut ſequitur.

§. I. Hac ſua perpetuo valitura ſanctione ſtatuit, & ordinavit, quod quoties in antea aliquem ſuper quovis beneficio eccleſiaſtico, ut præfertur reſervato, ſeu affecto, & dicta auctoritate, vel alias nulliter collato, tam in dicta Curia, quam extra eam litigare contigerit, &

judi-

judici ordinario, ſeu cui cauſa deſuper commiſſa fuerit, etiam ſummarie, & extrajudicialiter, quantum ſibi pro rei qualitate ſufficere, parte legitime citata, videbitur, conſtiterit beneficium ipſum in dictis menſibus vacaviſſe, aut alias, ut præfertur, reſervatum, ſeu affectum, & nihilominus ordinaria, ſeu alia auctoritate nulliter collatum, & indebite retentum exiſtere, idem judex reproducta citatione, fructus, redditus, & proventus beneficiorum, ſic nulliter collatorum, & indebite detentorum ſequeſtrari mandet, & faciat, ac alia exequatur in præmiſſis neceſſaria, & opportuna. Super quo eidem judici omnem poteſtatem, & auctoritatem impartitus eſt. Idemque Sanctitas ſua in cauſis nunc in quavis inſtantia coram eiſdem judicibus pendentibus ſimiliter obſervari mandavit.

§. II. Præterea decrevit, & declaravit, ſic reſignantes, ſeu cedentes, & nihilominus lites hujuſmodi proſequentes, ne eorum malitia illis prodeſſe, & foventibus bonum jus nocere valeat, ad fructuum, redditnum, & proventuum dictorum beneficiorum per eos perceptorum reſtitutionem, ac expenſarum in litibus hujuſmodi factarum refectionem, omniaque, & ſingula damna, & intereſſe, in quibus condemnati fuerint, ſi non ceſſiſſent, vel reſignaſſent, per judices, tam ordinaria, quam delegata, vel alia auctoritate fungentes, coram quibus lites ipſas pro tempore pendere, ſeu moveri contigerit, condemnandos fore, & condemnari debere, ac ad id teneri, & obligatos eſſe: ipſoſque, ac etiam in dictis beneficiis ſucceſſores quoſcumque ad paritionem ſententiæ, ſeu ſententiarum, ac literarum executorialium pro tempore latæ, ſeu latarum, & decretarum, a quibus appellare non liceat, ad reſtitutionem, ſeu relaxationem poſſeſſionis, ac fructuum, redditnum, & proventuum, necnon refectionem expenſarum, ac damnorum, & intereſſe hujuſmodi, perinde acſi contra eoſdem ſucceſſores ſententia, ſeu ſententiæ latæ, & literæ executoriales hujuſmodi decretæ fuiſſent, cogi, & compelli. Sic tamen, quod poſtquam alter ipſorum ſententiæ, ſeu ſententiis, ac reſtitutioni, vel relaxationi poſſeſſionis, & fructuum, redditnum, & proventuum, necnon damnorum, & intereſſe hujuſmodi refectioni, aliiſque præmiſſis realiter, & cum effectu paruerit, alter deſuper moleſtari non poſſit.

In ea vero parte, in qua Clemens ſtatuit, dictos fructus, lite pendente, interim deponendos eſſe apud perſonam idoneam, exenſa eſt a S. Pio V. Conſtitut. *Cordi*, 30. *Martii* 1568. ad quorumcumque beneficiorum fructus, ibi.

§. II. Hinc eſt, quod nos.... ſtatuimus, atque decernimus, quod, fructus, redditus, & proventus, ac diſtributiones, cæteraque emolumenta, quæ vigore conſtitutionum, conſuetudinum, & ſtatutorum prædictorum, a capitulo, & Canonicis recipienda, ut præmittitur, erant, amplius non ab eiſdem capitulo, & Canonicis recipiantur, ſed penes perſonam fide, & facultatibus idoneam per judicem, coram quo cauſæ hujuſmodi pendere repertæ fuerint, eligendam, & nominandam, deponantur, reſtituenda ei, cui de jure poſtea reſtituenda fuerint.

Nota I. Cum DD. relatis a *Theſauro de Pœnis cap. II. verb. Sequeſtratio*, hodie ex ſtylo Curiæ jus hujus Clementinæ eſſe aliquantulum immutatum, quia quando lis pendet in Curia Romana, v. g. in tribunali Rotæ, & ab eo fertur prima ſententia, ſequeſtratio non fit ab Ordinario vi ejuſdem Clementinæ, ſed auctoritate Apoſtolica: ex quo inferunt, quod violantes, ſeu impedientes dictam ſequeſtrationem, non incurrant excommunicationem, ab ea latam, ſed ab homine, quam ferre ſolet idem tribunal, quod ſententiam tulit, & executioni mandari decrevit. Quamvis alii ab eod. Theſ. ibid. citati, verius contrarium ſentiant, quia tunc Rota mandat Diœceſano, ut ſequeſtret juxta ſancita a laudata Clementina.

Nota II. Impedientem præfatam ſequeſtrationem, vel fructus occupantem, incurrere etiam excommunicationem, Papæ reſervatam, latam contra uſurpantes fructus beneficiorum ex *cap. XVII. Bullæ Cœnæ, & ex cap. IX. Tridentini ſeſſ. XXII. de refor.* ſicuti, ſi impediat per recurſum ad laicam poteſtatem, ex cap. XIII & XVI. ejuſdem Bullæ, quæ vide in fine Operis.

Nota III. Quod cum in mox cit. cap. XVI. feratur excommunicatio in impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam Ordinariorum, vel ab eis delegatorum, eam non incurrunt ex vi dicti capitis, impedientes Rotam, vel Ordinarium, quominus utantur juriſdictione, ſibi delegata a Sede Apoſtolica, ut ſentit Gloſſa in Clementina III. *Auditor, de reſcript.* & poſt Barboſam Theſaurus, loc. cit.

SECTIO CCLIV.

CAPUT I. CUM MONASTERIUM, *ex Decretali Cæleſtini III.* (*non Clementis III. ut legitur in quibuſdam Codicibus*) *reſcripta Amelino, Epiſcopo Cenomanenſi, ut conſtet ex Decretali ejuſdem Cæleſtini, relata in cap.XIII.* Cum monaſterium de Elect. *cujus pars eſt iſta præſens.*

CUM monaſterium (& infra.) Super eo vero, quod tuis literis adnectere ſtuduiſti, quid tibi faciendum ſit de quodam ejuſdem monaſterii Sacerdote, qui, diabolo inſtigante, quendam ex fratribus, ſicut eum publice propoſuiſti confeſſum, occidit: hoc fraternitati tuæ reſcribimus, & per A.F.M. quatenus eum ſolemniter ab omni officio divino non differas degradare, & in monaſterium aliquod Ciſtercienſis Ordinis reducere, in quo injunctam ſibi tanti facinoris pœnitentiam agens, ibi, dum vixerit, digne lugeat quæ commiſit. Eos autem, de quorum ſuggeſtione ſcelus homicidii Presbyter prædictum perpetraſſe proponit, niſi tibi aliis modis, & juſtis rationibus verum eſſe conſtiterit, nulli cenſemus pœnæ ſubdendos; quia ſecundum utriuſque juris ſtatuta de ſe confeſſi ſuper aliorum conſortiis interrogari non debent, & crimine læſæ majeſtatis excepto, de reatu proprio confitentis periculoſa confeſſio non eſt adverſus quemlibet admittenda: ſi tamen eos infamia hujuſmodi laborare cognoveris, ſingulis eis, adjunctis tribus ſociis ſui Ordinis, purgationem injungas.

Huic Decretali (quam, prout refertur a Gonzalez, tranſcribo) in eo, quod attinet ad detruſionem in monaſterium, quod olim penitentiæ peragendæ cauſa ob grave delictum, degradatione dignum, injuncta erat, derogatum eſt a contraria conſuetudine, in cujus locum ſucceſſit pœna triremium, vel alia ordinaria pro qualitate delicti, *Theſaurus de Pœnis, cap. IV. verb. Confeſſio.*

Cum autem hic ageretur de Sacerdote homicida, Ordinis S. Benedicti, degente in monaſterio, Epiſcopo Cenomanenſi ſubjecto, ut in cit. Decretali, cum monaſterium deſeruerit, mandaveritque Cœleſtinus eidem Epiſcopo, ut illum in monaſterium aliquod Ordinis Ciſtercienſis ad pœnitentiam agendam detruderet, & ſic in monaſterium diverſi Ordinis, ut olim ſiebat, huic praxi derogatum pariter eſt a contraria conſuetudine, cum quilibet regularis Ordo ſuos hodie Religioſos delinquentes pœnis afficere, & cuſtodire teneatur.

SECTIO CCLV.

CAPUT II. CUM SUPER, *ex Decretali Innocentii III. ad Canonicos regulares S. Sepulcri, Bethlemitanæ Civitatis prope Hieroſolymam, ut ex cap. 1v.* Cum ſuper, de cauſa poſſ. *cujus hæc eſt pars.*

CUM ſuper electione Bethleem, Eccleſiæ inter R. & P. quæſtio verteretur (& infra.) Quoniam Vv. Canonicus Bethleem fuit in jure confeſſus, quod pro præſtando alterius electioni conſenſu quingentorum ſarracenorum obligationem receperat, & mediator extitit ſimoniacæ pravitatis: nos (quoniam vitium hujuſmodi perſequi volumus, ut debemus) ipſum per definitivam ſententiam duximus ab omni beneficio, & officio eccleſiaſtico deponendum.

Sanctioni hujus Decretalis, quod ſcilicet, ſi reus ſuum crimen, etiam incidenter, ſponte confeſſus fuerit, in jure habendus ſit pro convicto, ideoque, non obſtante ſpontanea confeſſione, puniri debeat pœna ordinaria, conformis eſt Conſtitutioni Benedicti XIV. *Divinarum*, 2. *Auguſti* 1757. quoad reos tam eccleſiaſticos, quam laicos, qui ad ſacerdotalem Ordinem non promoti, auſu temerario præſumpſerint Miſſæ Sacrificium celebrare, fidelium confeſſionem excipere, ac ad Euchariſticam menſam accedentibus panem, a ſe nulliter conſecratum diſtribuere, ubi revocata mitiori ſententia, cui adhæſerat in epiſtola encyclica ad omnes Ordinarios, data eodem die 2. Aug. ac reprobata tribunalium eccleſiaſticorum praxi, hactenus obſervata, decrevit, iiſdem reis nullatenus ſuffragari ſpontaneam confeſſionem ad pœnæ minorationem, ibi:

§. VI.

§. VI. Idcirco, Nos pernicioſam hujuſmodi praxim de medio tollere coacti, motu . . . decernimus, atque ſtatuimus, in poſterum, videlicet poſt tres menſes a data præſentium literarum computandos, nulli amplius Clerico, ſive laico ſæpedicti criminis reo promeritæ pœnæ minorationem ullam concedi debere, ſive poſſe, intuitu promptæ, apertæque confeſſionis, quæ delictum ſuum in circumſtantiis ſuperius enunciatis judici faſſus fuerit, ſed, ea non obſtante, omnes, & ſingulos in præcedentibus Conſtitutionibus, hac de re editis, comprehenſos, a judice competente, in caſibus ibidem expreſſis, prævia etiam degradatione, quatenus opus ſit, tradendos omnino fore, & eſſe brachio ſeculari, capitali pœna puniendos.

Quam Conſtitutionem Clemens XIII. feliciter regnans, Conſtit. *Graviſſimum*, 20. *Martii* 1760. in omnibus confirmavit, eamque extendit etiam ad auferentes, vel habentes apud ſe, vel alio transferentes Particulas conſecratas, quomodocumque, etiam ſine qualitate furti, ſive per ſe, ſive de mandato alterius.

Nota tamen, has Benedicti, & Clementis ſanctiones non procedere in hujuſmodi delictorum reis, abſque ulla prævia accuſatione ſponte coram eccleſiaſtico tribunali comparentibus, ut expreſſe legitur in cit. Encyclica, ibi.

§. XV. Majoris tamen ponderis, ad hoc ipſum evincendum, eſt id, quod ſubjicimus. Siſtit ſe aliquis coram eccleſiaſtico judice, ſeque ipſe denunciat, quamvis ſacerdotali Ordine deſtitutum, Miſſarum ſacrificia celebraſſe, vel etiam ſacramentales chriſtifidelium confeſſiones audiſſe. Ita ſe ſponte ſiſtens, eo privilegio gaudet, ut impoſitis ipſi ſalutaribus pœnitentiis, dimittatur; niſi tamen in ipſo ſuo conſtituto diminutus, ut ajunt, vel aliunde præventus fuerit; in his enim caſibus carceribus cuſtodiendus includitur.

Ex Conſtit. Pii IV. *Licet*, 21. *Maii* 1565. confeſſi crimen, capitali pœna dignum, aut probatiſſimis indiciis torquendi, carcerati non relaxantur, inscio fiſco, licet præſtita fuerit cautio, & ex Conſtit. S. Pii V. *Cum ſicut in XXVI. in ordine* in Bullario Cherubini, *edit. Romæ* 1617. *pag.* 202. & altera ejuſdem S. Pii 29. *Julii* 1568. pro alma Urbe Roma, a carcere non relaxantur niſi executioni ſententiæ paruerint. nec confeſſi in cauſis criminalibus appellare poſſunt.

Titulus XIX. De Probationibus.

SECTIO CCLVI.

CAPUT VI. JURAVIT, *ex Decretali Clementis III. reſcripta Epiſcopo Eſquilmarienſi, ut legitur in quibusdam Codicibus, ſed in univerſali geographia Eccleſiarum hujus Diœceſis mentio non reperitur.*

JUravit quidam, ut aſſeris, ſe quandam in uxorem legitimam accepturum, quam cum vellet traducere, quidam juramentis, ſecundum morem exhibitis, legitime probaverunt, illos in quinto conſanguinitatis gradu ſibi invicem attinere. Quia vero requiſiſti a nobis, quid agendum ſit, cum quidam alius velit probare contra prædictam probationem, juramentis canonicis factam, & partibus publicatam, nullo eos ſe conſanguinitatis gradu contingere, reſpondemus, quod ſtandum eſt probationi priori.

Antequam ſermo ſit de correctione hujus Decretalis, in eo, quod attinet ad impedimentum matrimonii, ortum ex quinto conſanguinitatis gradu, notandum, quod uſque ab an. 236. tempore Fabiani Papæ prohibebatur quidem matrimonium contrahi inter conſanguineos, & affines uſque ad quartum gradum; ſed ſi ſimel contractum fuiſſet, nullatenus diſſolvebatur, ut ex *Can. III. De propinquis*, & ex *C. XII. cauſ. XXXV. quæſt.* I. quod impedimentum, & quidem dirimens, poſtea a Julio Papa an. 340. extenſum fuit uſque ad ſeptimum gradum *Can. VII. Nullum*, qui eſt ejuſdem Julii, & *Can. XVII. De conſanguinitate*, qui eſt Nicolai III. *cit. cauſ. & quæſt.* Quod obſervabatur etiam tempore Clementis III. admittentis, idem impedimentum oriri ex quinto conſanguinitatis gradu, & duravit nedum quoad quintum, ſed etiam quoad ſeptimum uſque ad Innocentium III.

Ab hoc itaque Pontifice derogatum fuit citatis Canonibus, & Clementis Decretali, reſtringente dictum impedimentum ad quartum dumtaxat gradum, ut ex ipſius Decretali, relata in *cap. VIII. Non debet, de conſang. & affinit.* ibi.

Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas idem expoſcit, quoniam ipſe Deus ex iis, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum er-

gó

go prohibitiones de conjugio in ſecundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum partant animarum: cum ceſſante prohibitione ceſſet effectus. Conſtitutiones ſuper hoc editas ſacri approbatione Concilii revocantes, præſenti Conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero libere copulentur: prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternatius vero numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apoſtolus, quod vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, nec mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir, quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtat ex quatuor elementis. Cum ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita volumus eſſe perpetuam, non obſtantibus Conſtitutionibus ſuper hoc dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut ſi quis contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporis non minuat peccatum, ſed augeat, tantoque ſint graviora crimina, quanto diuturniora infelices animas detinent alligatas.

Hoc idem Innocentius declaravit in *cap. XLVII. Licet de teſtib.* ubi, abrogato antiquorum Canonum jure de non admittenda probatione conſanguinitatis, vel affinitatis per teſtes de auditu alieno in cauſis matrimonialibus, nec etiam contra valorem matrimonii jam contracti ad excludendum impedimentum dirimens, niſi depoſuiſſent, ſe audiviſſe copulandos, vel copulatos matrimonio, diſtare inter ſe uſque ad ſeptimum gradum, ut ex Can. Innocentii II. *De parentela VIII. cauſ. XXXV. q. V.* reſcribentis Ortbonim Epiſcopo Lucenſi, admiſit & ipſe hujuſmodi probationem ex auditu alieno, ſed uſque ad quartum dumtaxat gradum cum duodecim tamen conditionibus, ut ex ipſius Decretali, quam hic tranſcribo pro norma Epiſcoporum, & parochorum.

Licet ex quadam neceſſitate, præter communem formam olim fuerit inſtitutum, in conſanguinitatis, & affinitatis gradibus computandis valere teſtimonium de auditu, cum propter brevem hominum vitam teſtes de viſu deponere non valerent uſque ad gradum ſeptimum computando; quia tamen pluribus exemplis, & certis experimentis didicimus, ex hoc multa pericula contra legitima conjugia proveniſſe, ſtatuimus, ne ſuper hoc recipiantur de cætero teſtes de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat; I. niſi forte perſonæ graves extiterint, quibus ſit fides merito adhibenda, II. & ante litem motam teſtificata dedicerint, III. ab antiquioribus quidem ſuis, IV. non utique ab uno, cum non ſufficeret ille, ſi viveret, ſed duobus ad minus, V. nec ab infamibus, & ſuſpectis, ſed a fide dignis, & omni exceptione majoribus; cum ſatis videretur abſurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores. Nec tamen ſi unus a pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint, quod teſtantur, tanquam plures, & idonei teſtes debent admitti, cum ſecundum ordinem ſolitum judiciorum non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi præſidiali dignitate præfulgeat, & actus legitimi ſint infamibus interdicti, VI. Teſtes autem hujuſmodi proprio juramento firmantes, VII. quod ad ferendum teſtimonium in cauſa ipſa, odio, vel amore, timore, vel commodo non procedant, VIII. perſonas expreſſis nominibus, vel demoſtratione, vel circumlocutione ſufficienti deſignent, IX. & ab utroque latere ſingulos gradus clara computatione diſtinguant, X. & in ſuo nihilominus juramento concludant, ſe accepiſse a ſuis majoribus, quod deponunt, XI. & credere ira eſse, XII. ſed nec tales ſufficiant, niſi jurati deponant, ſe vidiſse perſonas, vel in uno prædictorum graduum conſtitutas, pro conſanguineis ſe habere: tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta Domini ſeparare.

SE-

SECTIO CCLVII.

CAPUT VIII. IN PRAESENTIA; *ex Decretali Innocentii III. ad Joannem Abbatem, & Conventum, olim celebrem Ordin. Ciſtercienſis Caſemarii (ſic dictum a templo, ut fertur, Martis,) diſtantem ab Urbe Verulana in Campania tribus circiter miliaribus, quem Conventum hodie in Commendam redactum incolunt Monachi Trappenſes.*

Iſtam Decretalem, cum nimia prolixa ſit, non traſcribo: ſed ejus deciſio in hoc ſita eſt, quod oblatio, & donatio bonorum, juramento potiſſimum firmata, facta monaſterio a novitio poſt ſuſceptionem habitus regularia, vim habeat tamquam irrevocabilis,

Verum hæc antiqui juris diſpoſitio abrogata eſt a Trid. *ſeſſ. XXV. cap. XVI. de regul.* prohibente ſub pœna anathematis (ſi agatur de diſpoſitione inter vivos, & non in ultima voluntate) ne aliquid ex bonis novitii infra annum probationis monaſterio tribuatur, excepto victu, & veſtitu: irritante etiam quamcumque obligationem, licet juratam, præter eam, quæ facta eſt cum licentia Ordinarii, & intra duos menſes praximos ante profeſſionem,

SECTIO CCLVIII.

CAPUT XI. QUONIAM, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an. 1215.*

QUoniam .... ſtatuimus, ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario judex ſemper adhibeat, aut publicam, ſi poteſt habere, perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant.

Circa idoneitatem notariorum, de qua in textu, id dumtaxat de jure novo additum credo, quod, quacumque hi auctoritate creati fuerint, ex Decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* XXII. *cap.* X. *de refor.* examinari poſſint ab Epiſcopo ſuper peritia; & ſi inſufficientes reperti fuerint, repelli, & ſuſpendi ab exercitio officii in cauſis, & negotiis eccleſiaſticis, appellatione remota.

Titulus XX. De Teſtibus, & Atteſtationibus.

SECTIO CCLIX.

CAPUT I. PLACUIT, *excerptum ex Concilio Maticenſi.*

PLacuit ſancto conventui, ut teſtes ad teſtimonium dandum pretio non conducantur, & ut quicumque idonei, & fideles in teſtimonium aſſumantur, ac nullus teſtimonium dicat, niſi jejunus.

Cum hic præcipiatur, ne quis teſtimonium dicat, niſi jejunus, hoc ideo præcipitur, quia teſtis juramentum præſtare debet de veritate dicenda, quod ex decreto Cornelii Papæ, relato in *Can. XVI. Honeſtum, cauſ. XXII. q. V.* præſtandum eſt a jejuno, ut cum omni honeſtate, & timore Dei illud præſtet.

Verum hoc præceptum, quod eſt tantum de honeſtate, contraria tribunalium praxi ſublatum eſt. Ubi tamen obtinuit conſuetudo, ut teſtimonium a jejuno feratur, ſervanda omnino eſt, prout notat hic *Panormitanus num.* 4.

SECTIO CCLX.

Caput XVII. Fraternitatis, *ex Decretali Alexandri III. reſcripta Epiſcopo Placentiæ*.

Fraternitatis tuæ literis nos conſulere voluiſti, utrum novi teſtes ſuper quæſtione judicata, ſint recipiendi in qua teſtibus renunciatum conſtet utrinque, & teſtibus in prima cauſa receptis, propter cauſam appellationis liceat ſuper quæſtionibus judicatis aliquid novi proponere (& infra.) Duximus tibi reſpondendum, quod in prædicta appellationis cauſa, ſi nova contigerit emergere capitula, ſuper quibus aliqua partium voluerit novos teſtes inducere, vel per jam receptos aliquid comprobare, eos credimus poſſe recipi ſuper novis dumtaxat capitulis receptis prius ab ipſis ſecundum formam recipiendorum teſtium juramentis.

Statutum hoc, quod ſcilicet non liceat in cauſa principali poſt publicationem atteſtationum novos teſtes producere ſuper iiſdem articulis, extenſum eſt a Clemente V, etiam ad cauſas appellationis, ita ut neque coram judice, ad quem appellatum eſt, id facere liceat, ut in Clementina II. *de Teſtibus*, *hoc eod. tit.* ibi.

Teſtibus rite receptis, & eorum atteſtationibus publicatis, ſicut non licet ſuper eiſdem, vel directo contrariis articulis alios, vel eoſdem teſtes in principali cauſa producere: ſic non debet in appellationis cauſa licere; cum non minus in appellationibus, quam in principali cauſa ſubornatio ſit timenda.

SECTIO CCLXI.

Caput XXI. Judæi, *ex Decretali ejuſdem Alexandri in Concilio generali Lateranenſi III. celebrato an.* 1179.

Judæi, ſive Sarraceni (& infra.) Teſtimonium quoque chriſtianorum adverſus Judæos in omnibus cauſis, cum illi adverſus chriſtianos teſtibus ſuis uti præſumant, recipiendum eſſe cenſemus, & anathemate decernimus feriendos, quicunque Judæos Chriſtianis voluerint in hac parte præferre, cum eos ſubjacere Chriſtianis oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foveri.

Quamvis hic Alexander per illa verba — *Cum illi adverſus Chriſtianos teſtibus ſuis utantur* — videatur innuere, poſſe Judæos teſtificari in cauſis tam civilibus, quam criminalibus contra Chriſtianos, non tamen declarat, id eis licere. Et revera hoc cæteroqui prohibetur, *Can. XXIV. Non poteſt*, *& Can. XXVI. Si Hæreticus*, *cauſ. II. q.* 7. Clemens vero V. in Concilio Viennenſi, *cap. I. Cum Judæi*, *hoc eod. tit.* magis declarat diſpoſita ab Alexandro in ſupra relata Decretali: ibi enim ſtatutum fuit Chriſtianos contra Judæos admitti debere in teſtes, a Clemente vero damnantur aſſerta privilegia Principum, ipſis conceſſa, quod a Chriſtianis accuſari nequeant, ibi.

Cum Judæi quidam, & Sarraceni, ſicut accepimus, quod ſuper civilibus, aut criminalibus convinci per Chriſtianos non poſſint, ſe privilegiis Regum, & Principum tueantur: quia id nedum juri contrarium, ſed & chriſtianæ religioni opprobrioſum eſt quam plurimum, & adverſum: Reges eoſdem, & Principes in Domino exhortamur, ne concedant hujuſmodi de cætero privilegia, vel ſervent, aut ſervare permittant etiam jam conceſſa. Quod ſi Judæi, aut Sarraceni privilegiis talibus uti præſumpſerint, Chriſtianorum communio eis ſubtrahatur, ſic quod Chriſtiani ab eorum abſtinere communione cenſura eccleſiaſtica, ſi opus fuerit, compellantur.

Neque contra hæc jura Chriſtianis faventia quidquam officit objectio, quod in judiciis ſervanda ſit paritas erga quoſcunque, ac proinde, ſicut Chriſtiani Judæos non recipiunt contra ſe, ita nec eorum teſtimonium contra Judæos recipi debeat: iſta enim æquitas reſpicit actorem, & reum, ut Gloſſa hic, non autem perſonas teſtium: alias ſequeretur, quod fide dignus, qui non recipit criminoſum, vel excommunicatum, neque ipſe contra illum in teſtem recipi poſſet.

Nota I. Hæc jura procedere de teſtimonio Judæorum ad dirimendas lites, non vero in inſtrumentis, contractibus, & teſtamentis; ſiquidem, ut loquitur Imperator

rator in *L. Quoniam C. de Haret.* propter utilitatem neceſſario uſus eis ſine ulla diſtinctione permittitur, ne probationum facultas anguſtetur.

Nota II. Neque procedere in criminibus exceptis, ſicut & in caſibus, in quibus veritas aliter haberi nequeat, *arg. cap. V. In Fidei, de Haret. in VI.* ubi hæc legitur conceſſio.

In Fidei favorem concedimus, ut in negocio inquiſitionis hæreticæ pravitatis excommunicati, & participes, vel ſocii criminis ad teſtimonium admittantur: præſertim in probationum aliarum defectum, contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum, ſi ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum, tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis ſic teſtificantes, falſa non dicere præſumantur.

SECTIO CCLXII.

Caput XXVIII. Cum a nobis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. reſcripta Conſulibus, & Populo Beneventanis.*

CUM a nobis petitur (& infra.) Et canonica, & civilia jura ſequentes, diſtrictius inhibemus, ne unius judicis, qui quantæcunque fuerit auctoritatis, verbo credatur, in cauſis, ſive ſuper teſtamentis, ſive ſuper aliis quibuslibet contractibus quæſtio agitetur. Nec ſcriptum eorum, niſi teſtium adminiculo fulciatur, eam obtineat firmitatem, quin ei poſſint, & debeant duorum, vel trium teſtium bonorum teſtimonia prævalere, ſalva in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate.

Quamvis de jure communi nullius judicis dicto, quantæcumque auctoritatis ſit, in præjudicium tertii credendum ſit, nec ſcriptura, ab eo confecta habere poſſit vim inſtrumenti, etiamſi agatur de favore publico, ut in hoc textu, & *L. Inſtrumenta, & L. Rationes, C. de probat.* ſecus tamen eſt de conſuetudine, ſi ſcriptura confecta ſit a Rege, Principe, Epiſcopo, vel Capitulo, cum hi æquivaleant notario, ut ex Decretali ejuſdem Innocentii, reſcripta Epiſcopo S. Andreæ &c in Regno Scotiæ, relata in *cap. IX. Cum dilectus, de fide inſtrument.*

Cum dilectus (& infra.) Super tertio vero articulo reſpondemus, quod ſi conſuetudo illius patriæ obtineat approbata, ut inſtrumentis illius Regis fides adhibeatur, vos ea ſecure poteritis admittere, præſertim cum ſupradictus Rex tantæ fuerit honeſtatis, quod ipſius inſtrumenta maximæ auctoritatis ſint in partibus ſcoticanis.

Quæ Decretalis, licet loquatur de Rege (Scotiæ, ut Gloſſa hic) eamdem tamen eſſe rationem de ſupra enunciatis perſonis, utpote in dignitate conſtitutis, expreſſe tradit Ioannes Andræas in *cap. Seculares, de foro compet.*, ubi addit, quod judex per hunc textum, poſſit etiam ſcribere acta, eiſque habenda ſit fides, in cauſis tamen voluntariæ juriſdictionis, aut parvis, ſi hoc habeat conſuetudo; qua ceſſante, notat Innocentius in *cap. II. Scripta vero, de fide inſtrument.* ea tantum ſcribere poſſe, ſi ſimul ſit judex, & notarius.

Quod vero ad Epiſcopi dictum ſpectat, nedum olim ex *Can. XXXVI. Omnes itaque, cauſ. XI. qu. I.* aliquid ei in judicio contigiſſe aſſerenti, credebatur; ſed & hodie valde defertur illius dicto ex praxi tribunalium Romanæ Curiæ. Item ex *Can. III. Nobiliſſimus, diſtin. XCVII.* creditur Cardinali, aliqua ſibi commiſſa aſſerenti, quæ juris communis regulis non adverſentur: & de Cardinali Urbis Vicario, ac ipſius Viceſgerente, de pontificio vocis oraculo aſſerente in iis, quæ ad ipſorum officium ſpectant, firmavit *Rota, deciſ. 157, num. 6. & 12.*

SECTIO CCLXIII.

Caput XLIII. Albericus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, reſcripta, ut exiſtimat Gonzalez, Archiepiſcopo, & Archidiacono Ravennaten.*

ALbericus, miles nobis inſinuare curavit, quod cum olim inter ipſum, & C. mulierem Ravennaten. coram capitulo Ravennat. matrimonii quæſtio verteretur, tandem lata fuit divortii ſententia inter eos: poſtea vero dictus miles, timens ſibi, ne filiis, quos de legitima uxore ſuſcepit, ex eo poſſet præjudicium generari, quod in ſcriptis redacta non fuit ſententia memorata, ſupplicavit, ut teſtes, qui ſententiæ interfuere prædictæ, recipi faceremus: ideoque mandamus, quatenus teſtes curetis recipere antedictos depoſitiones ipſorum in ſcripturam publicam redigi facientes,

Ex hac Decretali clare infertur, cauſam matrimonialem congnoſci poſſe a capitulo, & Archidiacono; quæ cognitio hodie privative pertinet ad Epiſcopum, ex Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XX. *de refor. matrim.*

Poſſet tamen hæc eadem Decretalis intelligi reſpectu cauſæ cognitæ a capitulo tempore Sedis archiepiſcopalis Ravennatenſis vacantis, quæ tempore Innocentii, ut refert hic Gonzalez, bis vacavit, in quo caſu, cum capitulum ſuccedat in jura Epiſcopi, & hodie in Vicarium capitularem, a ſe electum, recte poterat hujuſmodi cognitionem aſſumere.

Titulus XXI. De Teſtibus cogendis, vel non.

SECTIO CCLXIV.

Caput VII. Praeterea, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

PRæterea, ſi teſtes publici, quos tua civitas nuncupat ſynodales, ſuper cauſa matrimonii coram te, vel tuo capitulo ſemel teſtimonium reddiderint, non debent compelli, ut in præſentia alicujus delegati judicis ſuper eadem cauſa iterato præbeant juramentum, dummodo aliter fides fiat judici delegato, niſi forte articulus novæ quæſtionis emergat. Hujuſmodi vero teſtes publico jure poſſunt propter infamiam a perhibendo teſtimonio removeri, ſi eam, poſtquam in communi recepti fuerint, contigerit contraxiſſe, quorum teſtimonia, ſi quandoque non ſtudioſe, ſed in proferendo erraverint, & ſe in continenti correxerint, reprobari non debent; ſecus autem erit, ſi correctioni ſuæ interpoſuerint intervallum,

Quod ſpectat ad teſtes publicos ſynodales, de quibus in hac Decretali, ab his præſtari debebat juramentum de ſuo officio præſtando cum formula, prout legitur in ſequenti *Canone VII. cauſ. XXXV. qu. VI.* a Gratiano, & Bruchardo perperam tributo Eutychisno Papæ, cum cæteroqui ejus auctor ſit Regino Brumienſis, ut probat Berardus ad Canones genuinos ejuſdem Gratiani cap. XXIV.

Epiſcopus in Synodo reſidens, poſt congruam allocutionem, ſeptem ex plebe ipſius parochiæ vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honeſtiores, atque veraciores viros in medium debet evocare, & allatis Sanctorum pignoribus, unumquemque illorum, tali ſacramento conſtringat. = Amodo in antea quidquid noſtri, aut audiſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quod contra Dei voluntatem, & rectam criſtianitatem in iſta parochia factum ſit, aut futurum erit, ſi in diebus tuis evenerit, tantum, ut ad tuam cognitionem quocumque modo perveniat, ſi ſcis, aut tibi fuerit indicatum, ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Epiſcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam ullatenus celes Epiſcopum, aut ejus miſſum, cui hoc inquirere juſſerit, quandocumque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & iſtæ Sanctorum reliquiæ, illud ſacramentum, quod iſte juravit de ſynodali cauſa, quod tu illud ex te ita obſervabis, in quantum ſapis, aut audiviſti, aut ab hac die in antea inquiſiturus es, ſic te Deus adjuvet &c.

Ne

Ne vero hæc ſalubris diſciplina, quæ fortaſſe ſeculo XIII. remitti cœperat, magis obſoleſceret, = ,, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi *cap. VI.* ,, *tom. VII. Collectionis Harduini col.* 23. eamdem ,, innovavit, ſtatuitque (ſunt verba Bened. XIV. ,, *de Synod. Diac. lib.IV. cap. III. num.* 4. *edit. Rom.* ,, 1755. ut in Synodis provincialibus, quotannis cele- ,, brandis, ſynodales teſtes pro qualibet e Provinciæ ,, diœceſibus conſtituerentur, ut unuſquiſque ſibi com- ,, miſſam perluſtraret, quodque corrigendum depre- ,, henderet, ad futuram provincialem Synodum defer- ,, ret. = *Per ſingulas, diœceſes* (ait) *ſtatuant ido-* ,, *neas perſonas, providas videlicet, & honeſtas,* ,, *quæ per totum annum ſimpliciter, & de plano, abſ-* ,, *que ulla juriſdictione, ſolicite inveſtigent, quæ* ,, *correctione, vel reformatione ſint digna, & ea fi-* ,, *deliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraga-* ,, *neos, & alios in Concilio ſubſequenti, ut ſuper his,* ,, *& aliis, prout utilitati, & honeſtati congruerit,* ,, *provida deliberatione, procedant, & quæ ſtatue-* ,, *rint, faciant obſervari.*

Hoc Innocentii decretum habetur in ipſius Decretali, relata in cap. XXV. *Sicut olim, de accuſationibus*, quam tranſcribam infra *lib.V.* Quod licet pertineat ad ſolos teſtes, a provinciali Synodo deſignandos, non propterea abrogavit antiquum morem, ut ſcilicet etiam a quolibet Epiſcopo in ſua diœceſana Synodo deputarentur.

Verum cum non ita facile, ob humanæ conditionis fragilitatem, viri vere probi, & integerrimi inveniri poſſint, qui, omni poſtpoſito humano affectu, veritatem inveſtigent, eamque ſincere, ſolo charitatis ſtudio Epiſcopo aperiant, ideoque (ſic proſequitur laudatus Benedictus *loc. cit. num.* 8. = Synodales teſtes fere ubi- ,, que deſueverunt, in eorumque locum ſuffecti ſunt ,, Fiſcales Epiſcoporum, & Decani, hoc eſt Vicarii ,, Foranei, qui utique, quemadmodum bene animad- ,, vertit Vaneſpen. *Jur. Eccleſ. univerſ.tom.I. part.I.* ,, *tit.XVIII. cap. III. num.*14. ſi doctrina, pietate, ,, prudentia, & zelo præſtarent, ac munus ſuum di- ,, ligenter obirent, ſynodalium teſtium defectum ſup- ,, plerent, & compenſarent = .

Hujuſmodi teſtes conſtitui etiam poſſe docet Baldus in *L. Divus ff. de cuſtod.* reor. a quolibet judice, vel univerſitate, etiam laica, quemadmodum in partibus Tuſciæ ſuo tempore conſtitutos fuiſſe refert Panormitanus hic num.5. per poteſtates ſeculares in qualibet vicinia, ſed & hic mos reſpectu quorumcumque judicum in deſuetudinem abiit.

Titulus XXII. De Fide Inſtrumentorum.

S E C T I O C C L X V.

Caput VII. Quod super, *ex Decretali Innocentii III. reſcripta Archiepiſcopo Cantuarienſi.*

QUod ſuper his (& infra .) Quæſiſti, quid agere debeas circa Cruce ſignatos, qui dicentes, ſe ab Apoſt. Sede redire, ſuper abſolutione ſua, ignota Cardinalium ſigilla reportant, cum eis ſuper impedimentis expoſitis non fuiſſet de levi credendum. Ad quod taliter reſpondemus, quod, ſi quando talibus literas indulgemus, illis, qui perſonas, & facultates eorum plenius noverunt, hoc modo ſcribimus, ut ſuper impedimentis expoſitis, inquiſita diligentius veritate, ſtatuant circa illos, quod animarum ſaluti, & ſuccurſui Terræ Sanctæ magis noverint expedire: attentius providentes, nequid in fraudem voti fallaciter confingatur. Unde ſi tales per ſuppreſſionem veritatis, aut expreſſionem falſitatis literas non ſolum Cardinalium, ſed etiam noſtras, nec ſolum dubias, ſed etiam certas conſtiterit impetraſſe, carere volumus impetratis, & eis non obſtantibus, ad voti executionem compelli.

Hæc Decretalis loquitur de militibus Cruce ſignatis, qui pro recuperatione Terræ Sanctæ ſe devoventes, Cruce in veſtibus inſignebantur. Hi cum obreptitie obtinuiſſent abſolutionem a voto ſuccurrendi eidem Terræ Sanctæ, jubentur hic compelli, ſe ad eam transferre pro illius ſubſidio.

Verum, cum hujuſmodi militum fœdus hodie diſſolutum ſit, eadem Decretalis quoad hoc amplius locum non habet.

S E C T I O C C L X V I.

Caput XII. G. perpetuus, *ex Decretali Gregorii IX. ad Priorem monaſterii S. Bartholomæi, Canonicorum S. Auguſtini in Londinenſi diœceſi in Anglia, & Decanum de Arcubus ejuſdem diœceſis.*

G. perpetuus Vicarius Eccleſiæ de Rechan. nobis expoſuit, quod cum Prior, & conventus de Ledis eum ſuper decimis coram judicibus auctoritate Apoſtol. conveniſſent, & dictus G. ſuper ſimilibus coram ipſis reconveniſſet eoſdem, quia dicti judices copiam quorundam inſtrumentorum communium, quæ habebat pars altera, & per quæ intendebat intentionem ſuam ſuper principali fundare, fieri non faciebant eidem, hoc cum inſtantia poſtulanti, noſtram audientiam appellavit: ideoque mandamus, quatenus, ſi eſt ita, revocato in ſtatum debitum, &c.

Præcipitur in hac Decretali, copiam inſtrumentorum communium, id eſt actorum in prima inſtantia, dandam eſſe, ab appellante producendam coram judice appellationis.

Huic ſanctioni acceſſit decretum Concilii Tridentini, tam quoad cauſas criminales, quam civiles. Quod ad cauſas criminales ſpectat, hæc ab eodem Concilio *ſeſſ. XIII. cap. III. de refor.* ſancita ſunt, ibi.

Reus, ab Epiſcopo, aut ejus Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram judice, ad quem appellavit, acta primæ inſtantiæ omnino producat: & judex, niſi illis viſis, ad ejus abſolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat, alioqui abſque illis cauſa appellationis hujuſmodi, prout juſtitia ſuaſerit, terminetur.

Circa quod decretum teſtatur Fagnanus in ſupra relata Decretali *num.* 11. Congregationem Concil. cenſuiſſe, non eſſe diſtinguendum, an in iſtis cauſis procedatur ex officio judicis, an ad querelam partis.

Quia vero in cit. cap. III. Concilium nihil ſtatuit, quo pacto cauſa ſine actis terminari poſſit, aut debeat; ſicuti nec quo remedio ſuccurrendum ſit appellanti in definitione cauſæ, ſi notarius differat exhibitionem actorum, & judex ſit in hoc culpabilis, adjiciendo in utrumque, ita delinquentem, duntaxat pœnam, ut videre eſt in *cap. XX. ſeſſ. XXIV.* de quo infra, eadem Congregatio cenſuit, ut refert laudatus Fagnanus *loc. cit. num.* 29. & 32. tenendam eſſe theoricam Innocentii ad hanc Decretalem *num.* 1. a Canoniſtis, & Legiſtis frequentiſſime receptam; videlicet, conſtito de contumacia judicis, a quo, & notarii, recuſantia exhibere acta, partem judicis, ad quem, eſſe appellantem a moleſtia abſolvere, & pronunciare acta, & ſententiam judicis, a quo, ſi forte unquam reperiantur, caſſa fore, & vana; dummodo tamen petens velit expenſas adminiſtrare. Cenſuit etiam dicta Congregatio, appellatum teneri ad expenſas translationis actorum, ſi ipſe, non autem appellans, proſequi cauſam voluerit: quibus poſtea ſi appellans uti voluerit, hunc teneri pro rata expenſas ſubire, niſi aliter ferat loci conſuetudo.

Quod vero ſpectat ad cauſas civiles, præfatum Concilium *cap. XX. ſeſſ. XXIV. de refor.* ita ſtatuit.

Præterea, ſiquis in caſibus, a jure permiſſis, appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum biennii, de quo ſupra, ad alium judicem recurrerit; teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta, ad judicem appellationis expenſis ſuis transferre: eodem tamen Epiſcopo prius admonito, ut ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit judici appellationis ſignificare. Quodſi appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata ſunt, expenſas, pro portione ſua, ſi illis uti voluerit, ſubire; niſi aliter ex loci conſuetudine ſervetur, ut ſcilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipſam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra menſem, exhibere. Qui notarius ſi in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii adminiſtratione arbitrio Ordinarii ſuſpendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem, & pauperes loci diſtribuendam, compellatur. Judex vero, ſi & ipſe inpedimenti hujus conſcius, particepsve fuerit, aliterve obſtiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur, ad eamdem dupli pœnam, prout ſupra, teneatur: non obſtantibus, quoad omnia ſupraſcripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ ſuos tantum teneant auctores, & aliis quibuſcunque conſuetudinibus.

Circa quod decretum refert idem Fagnan. *loc. cit. num.* 13. & 14. quod S. Congregatio fuit in ſenſu, appellantem teneri propriis expenſis transferre omnia acta, etiam ad juſtitiæ cauſam non facientia; & id habere locum etiam in cauſis prophanis, ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum, & in actis, factis in partibus coram judice delegato Apoſtolico, itaut appellans audiri nequeat in Curia, niſi dicta acta producantur.

Item

Item refert *num.* 16. quod eadem Congregatio cenſuit, Epiſcopum, ejuſque notarium cogi poſſe a delegato Apoſtolico, appellationis judice, oedum ad exhibendam copiam integram actorum, ſed etiam originalia, quoties idem delegatus de fide exempli, ſeu copiæ ſit dubius.

Cum autem in principio cit. *cap. XX.* dicatur — Cauſæ omnes, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes — ortum fuit dubium, an in dicto capite §. *Præterea* comprehendantur etiam cauſæ prophanæ, ad judicem eccleſiaſticum per appellationem devolutæ, quas Fagnan. num. 17. refert, S. Cong. cenſuiſſe, non comprehendi, licet judici eccleſiaſtico commiſſæ fuiſſent, ſive in prima, ſive in ſecunda inſtantia.

Refert etiam num. 32. quoad mercedem dandam notario, a Concilio præſcriptam cit. §. *Præterea* Sac. Cong. hoc decretum limitaſſe, videlicet, hanc utique dandam eſſe, ſi notarius ſit, non vero, ſi ſit Cancellarius Epiſcopi.

SECTIO CCLXVII.

Caput XVI. Si instrumenta, *ex Decretali Gregorii IX.*

SI inſtrumenta, propter vetuſtatem, vel propter aliam juſtam cauſam exemplari petantur, coram ordinario judice, vel delegato ab eo ſpecialiter, præſententur, qui, ſi ea diligenter inſpecta, in nulla ſua parte vitiata repererit, per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem pro hoc cum originalibus habitura.

Hanc Decretalem edidit Gregorius motu proprio, cum in corpore juris non alia ita aperta reperiretur. Huic ſimilis legitur in quinta compilatione ſub hoc tit. cap. ultimo, per hæc verba.

Dilecti filii Abbas, & Conventus monaſterii S. Juſti Ciſtercienſis Ordinis, nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum quædam ipſius monaſterii inſtrumenta depereant, conſumpta nimia vetuſtate, faceremus eadem per tabelliones publicos innovari. Quocirca diſc. v. m. quatenus inſtrumenta hujuſmodi faciatis auctoritate noſtra per manus tabellionis publici exemplari. Volumus enim, ut inſtrumenta ipſa, taliter exemplata, priſtinam obtineant firmitatem.

Quamvis ad fidem adſtruendam exemplaribus illorum inſtrumentorum, quæ ob vetuſtatem, vel aliam cauſam ſubſunt periculo amiſſionis, vel totalis obliterationis, potiſſimum ſi rogata fuerint a notario, jam vita functo, ſervandæ ſint omnes ſolemnitates a Gregorio præſcriptæ, non deſunt tamen Canoniſtæ aſſerentes, hujuſmodi ſanctioni derogatum fuiſſe a contraria conſuetudine, inter quos Panormit. num. 2. WagnereK, & Pirhing. *n.* 22. cui ſubſcribit Reiffenſt. hoc eod. tit. §. II. *n.* 67. nam hodie notarius, qui ea tranſumit, teſtatur, eadem a ſe, non a judice, inſpecta fuiſſe, nullumque in eis vitium reperiſſe. Nec item ex eadem contraria conſuetudine opus eſt judicis mandato ad illa ex juſta cauſa authentice tranſcribenda ſicut nec ut tranſcribantur, citata parte. Adeatur Covarruvias practicar. quæſtionum cap. XXI. per totum.

Titulus XXIII. De Præſumptionibus.

SECTIO CCLXVIII.

Caput III. Ex studiis, *deſumptum a Divo Hieronymo ex cap.* XX. *Proverbiorum, ubi ait Salamon, Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera ejus.*

EX ſtudiis ſuis intelligitur puer. Quemcunque enim virtutibus ſtudere cum modeſtia, continentiæ auditioni ſapientium, obſervantiæ mandatorum Dei, maxime ſimplicitati, & humilitati videris, hujus munda, & recta opera intellige.

Præſumptioni, quæ hic ex moribus juventutis deſumitur ad excludendam ſuſpicionem alicujus patrati criminis, addita eſt alia ab Innocentio III. in Decretali ad Epiſcopum Canadienſem in Hungaria, & Abbatem monaſterii Circdon, Ordinis S. Benedicti in diœceſi Quinque Eccleſienſi, relata *in cap. XV. Cum in juventute, hoc eodem tit.* ſcientia ſcilicet literarum, quaſi hæc non ſinat, homines tam vehementer inclinari ad libidinis paſſiones, ibi.

Cum

Digitized by Google

Cum in juventute ſua QuinqueEccleſienſis Epiſcopus adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut ab Eccleſia romana meruerit pallio decorari, non eſt de levi credendum, quod poſtquam ad ſenilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fætores libidinis amplexando, cum labes hujuſmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in ſenectute frequentius expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia literarum, propriæ ſalutis oblitus, ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret, ut cum propria nepte abominabilem perpetraret inceſtum; cum etiam ſecundum ſententias ethnicorum naturale fœdus inter tales perſonas nihil permittat ſævi criminis ſuſpicari. Licet igitur Rex Hungariæ eumdem Epiſcopum nobis interdum per nuncios, & literas de tali crimine detuliſſet, poſtulans, ut malum hujuſmodi pernicioſum exemplo de hungarica Eccleſia tolleremus, quia tamen ejus ſuggeſtio, non de charitatis radice procedere videbatur, noluimus aures noſtras, quaſi malignis delationibus inclinare, ſed ut probaremus, ſi ſpiritus eſſet ex Deo, Aurienſi Epiſcpo dedimus in mandatis, ut prudenter, & caute a Coepiſcopis indagaret, utrum præfatum Epiſcopum crederent tali labe reſperſum: qui nobis poſtmodum reſcripſerunt, quod eum virum honeſtæ converſationis eſſe credebant, perſonam illius multipliciter commendantes.

Cæterum hæc præſumptio eſt veriſimilis dumtaxat, & aliquando fallit, ut ſefellit in ipſo Salomone, cujus cor, cum jam ſenuiſſet, per mulieres depravatum fuiſſe refertur III. *Regum XI. ver.4.* adeo, ut contra ipſum locum habere poſſit illud adagium – *Angelicus juvenis ſenibus ſathanizzat in annis*. Ideoque neque Innocentius hic hujuſmodi præſumptioni acquievit: voluit ſiquidem inquiſitionem occultam fieri per dictos Epiſcopum, & Abbatem., non quidem ſuper veritate, ſed ſuper credulitate, & infamia, quæ licet a malevolis orta, ſi tamen tanta eſt, ut bonis, & gravibus viris ſcandalum ingerat, præſtat ſufficiens fundamentum ad juridice exquirendum etiam ſuper veritate criminis objecti.

De hac Decratali mentionem facit Benedict. XIV. *lib.XIII. cap. XV. num. 13. de Synod. Diœc. edit. Roman.1755.* ex eaque animadvertit, accuſato Epiſcopo delatam fuiſſe, juxta vigentem tunc temporis diſciplinam, purgationem canonicam, cujus tamen uſus hodie, vel nullus, vel rariſſimus eſt, ut infra notabo ad integrum titulum *de Purgatione canonica*.

In ea inſuper aſſeritur, Epiſcopum QuinqueEccleſienſem decoratum fuiſſe pallio ab Eccleſia romana Cum autem, ut refert idem Benedictus in mox citanda Conſtitutione, hactenus in dubium revocatum fuerit, an hujuſmodi indultum S. Sedes conceſſerit tunc exiſtenti Epiſcopo dumtaxat, an ipſi Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſi, ejuſque Epiſcopis pro tempore exiſtentibus, hoc dubium ſublatum eſt ab eodem Bened. *Conſtit. Romanus Pontifex, 1. Septemb.1754.* quo dictum privilegium, nedum moderno Epiſcopo, ſed etiam ejus pro tempore ſucceſſoribus indulſit, una cum erectæ Crucis delatione, hac tamen reſtrictione ſervata, videlicet, ibi.

Ut ipſe, & ejus ſucceſſores Eccleſiæ QuinqueEccleſienſis Præſules, pro tempore exiſtentes de cætero perpetuis futuris temporibus ſacrum Pallium in ſolemnitatibus, & functionibus, in Pontificali Romano deſcriptis, induere, & geſtare, ac etiam Crucem adinſtar Archiepiſcoporum ante ſe elevari, & geſtari facere in dicta Quinque Eccleſienſi civitate, & diœceſi dumtaxat, & non alibi omnino, ſive in alienis diœceſibus, ſive in prædicti hungarici Regni Comitiis, ſive in quibuſvis aliis locis, Epiſcopo præfato non ſubjectis, etiamſi Ordinariorum locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta civitate, & diœceſi Quinque Eccleſienſi in præſentia alicujus ex S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vel noſtri, & ejuſdem Sedis Apoſtol. ordinarii, aut extraordinarii Legati, ſeu Nuncii, vel Archiepiſcopi Strigonienſis, niſi de eorum reſpective conſenſu, ſub gratiæ, & conceſſionis hujuſmodi nullitate, & dummodo, quoad pallium prædictum, tam ipſe Georgius, quam illius ſucceſſores Quinque Eccleſienſes Epiſcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apoſtol. Sede, ſervatis de jure, vel conſuetudine ſervandis; poſtulare, & conſueto fidelitatis debitæ, juramento edito, accipere, aliaque in ſimilibus obſervari ſolita adimplere teneantur, nec ante acceptum Pallium erectæ Crucis geſtationem ſibi licitam eſſe noverint: utque demum, ſalvo in omnibus jure metropolitico Eccleſiæ Strigonienſis, illiuſque Archiepiſcopi pro tempore exiſtentis, & nihil immutato præcedentiæ ordine inter ipſos Epiſcopos Quinque Eccleſienſes, alioſque Epiſcopos, ſive ejuſdem, ſive alterius provinciæ, hactenus de jure, uſu, aut conſuetudine in quibuſvis functionibus, conſeſſibus, aut comitiis ſervari ſolito, hujuſmodi pontificalis honoris inſigniis uti libere, & licite poſſint, & valeant, de Apoſt. auctoritatis plenitudine tenore præſentium concedimus, & indulgemus,

SE-

SECTIO CCLXIX.

Caput XII. Literis, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Januenſi reſcripta.*

Literis frater, tuæ receptis, nobis innotuit, quod cum P. ab A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret ſeparari, accuſatores matrimonii, produxerunt teſtes, firmiter aſſerentes, quod, poſtquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, conſanguineum viri ejuſdem ſolum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, ea, ut credebant, intentione, ut eam cognoſceret carnaliter, viderunt (& infra .) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ex hujuſmodi violenta; & certa ſuſpicione fornicationis, poteſt ſententia divortii promulgari, & ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa, ducendi aliam, muliere ſine ſpe conjugii remanente.

Hæc Decretalis ſtatuens, crimen inceſtus inducere impedimentum impediens matrimonium contrahendum cum quacumque perſona, abrogata eſt a contraria conſuetudine. Quatuor enim dumtaxat hodie ſunt impedimenta impedientia, videlicet votum ſimplex caſtitatis, ſponſalia cum alio jam inita, Eccleſiæ vetitum, & tempus feriarum. Præter inceſtum, olim erant, & alia impedimenta impedientia, quæ numerantur, Gloſſa *in cap. XI. Qui Presbyterum de Pænitent. & remiſ., verb. Abſque ſpe, bis verſibus.*

I. *Inceſtus II. Raptus ſponſatæ III. mors mulieris IV ſuſceptis propriæ ſobolis, V. mors presbyteralis, VI. vel ſi pæniteat ſolemniter, VII. aut monialem recipiat, prohibent hæc conjugium ſociandum.*

Quæ omnia a contraria pariter conſuetudine abrogata ſunt.

Impedimentum ſiquidem inceſtus, accepti in ſenſu ſupra explicato, inductum fuit a mox relata Alexandri Decretali, & altera excerpta ex Concilio Vormetienſi, relata *in cap. I. Si quis de eo, qui conſanguineam &c.* de quo ſermo erit infra ſuo loco.

Impedimentum raptus ſponſæ alterius inductum fuerat a Concilio Toletano, ſeu juxta correctores Romanos, a Concilio Rhemenſi Treslejano, relato *in Can. XXXIV. Statutum, cauſ. XXVII. quæſt. 2.*

Impedimentum homicidii uxoris inductum fuerat a Stephano V. relato *in Can. VIII. Admonere, cauſ. XXXIII. quæſt* a.

Impedimentum ſuſceptionis propriæ prolis in baptiſmo, eo fine, ut maritus ſeparari poſſet a ſua uxore, qui inſuper, mortua uxore, tranſire nequibat ad ſecunda vota, inductum fuerat a Concilio Moguntino relato *in Can. V. De eo, cauſ. XXX. qu. I*

Impedimentum presbytericidii inductum fuerat ab eodem Concilio Moguntino, relato *in cap. II. Qui presbyterum de Pænit. & remiſ.*

Impedimentum publicæ, & ſolemnis pœnitentiæ inductum fuerat a Syricio Papa, relato *in Can. CXII. De his vero, cauſ. XXXIII. q. 2.*

Impedimentum ex matrimonio ſcienter contracto cum moniale inductum fuerat a Concilio Triburienſi, relato *in Can. XIII. Hi ergo, cauſ. XXVII. q. 1.*

Extabat etiam impedimentum, ortum ex cathechiſmo, inductum a Clemente V. in ejus Decretali, relata in cap. V. *Contracto, de cognat. ſpirit.* quod abrogatum eſt a Concilio Tridentino, ut dicam infra ad idem caput.

Notandum tamen hic eſt, quoad impedimenta impedientia, quoad ſcienter ducens in uxorem propinquam ſanguinis, præter nullitatem matrimonii, redditur inhabilis, donec vixerit, ad contrahendum cum quacumque, *Can. Qui propinquam IV. cauſ. XXXV. q. 2. & 3. & cap. V. Trident. ſeſſ. XXIV. de reform.* & contrahere volens, indigeret diſpenſatione, ex Decretis Cong. Conc. relatis *in Lucioriem. nullitatis matrimonii, 7. Septem.* 1720. cui accedit. ſtylus Datariæ, quæ in diſpenſationibus matrimonialibus pro inceſtuoſis conſanguineis apponit ſemper clauſulam, *quod alter alteri ſupervivens, perpetuo abſque ſpe conjugii remaneat, Corrad. in prax. diſpenſat. lib. VIII. cap. III, num. 60.*

SECTIO CCLXX.

Caput XIII. Tertio loco, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

Tertio loco quæſtionis hujuſmodi nondum tua Fraternitas petiit explicari, an juvenis ſponſam, in quam per verba de præſenti conſenſit, debeat uxorem habere, ad quorum matrimonium impediendum neptis ipſius ſponſæ proſiliens, ſe a juvene carnaliter præcognitam proponebat; a qua producti teſtes dixerunt, ſe pro certo credere, quod illa dicti juvenis extiterit concubina: adjicientes, quod eos in ſimul viderant per plana, & nemora, vias, & invia pluries convagantes: & teſtimonium viciniæ ſuper hoc recepiſſe dicebant. Ad majorem vero certitudinem (quia minus ſufficienter credidiſti eſſe probatum, quod eadem mulier aſſerebat) tam

ipſa, quam juvenis juramentis adſtricti, ſeorſum confeſſi ſunt, quod ſe invicem carnaliter præcognoverant: licet juvenis nollet ab ea, quam deſponſaverat, ſeparari: nos autem, quæ dicta ſunt, intelligentes, præſertim cum hoc non dicatur occultum, ſed quaſi prædicetur a pluribus manifeſtum, conſultius eſſe credimus, ut matrimonialiter non conjungantur, ſed ſolutis ſponſalibus, ſeparentur.

Ex hoc textu colligitur, quod licet aliss nec fama, ſeu rumor viciniæ, nec propria conjugum confeſſio de interveniente impedimento affinitatis, contractæ per copulam fornicariam cum conſanguinea uxoris ante initum matrimonium, ſufficiat ad divortinm, ſeu ſeparationem conjugum quoad vinculum matrimonii, juxta *cap. V. Super eo, de eo, qui cognovit conſang. uxor.* ſi tamen plura talia adminicula concurrant, quæ ſimul ſumpta præſumptionem violentam faciant, tunc ea ſufficiunt ad plenam probationem faciendsm, ut in caſu hujus Decretalis, ubi erant per teſtes probata, ſaltem remota, fornicstionis indicia cum conſanguinea uxoris, ſeu ſponſæ de præſenti, quod nimirum vir, & neptis ſponſæ viſi ſint per plana, & nemora, vias, & invia ſæpins ſimul vagari, deinde fama publica, & teſtimonium viciniæ ſuper eodem: ac denique acceſſit etiam confeſſio, jnramento firmata, tsm viri, alioquin propendentis ad ſponſam ductam retinendam, tum ipſius mulieris per dictum virum esrnsliter cognitæ: hæc enim licet ſingula ſeorſim non ſufficiant ad plenam probationem, ſimul tamen juncta ſufficienter informant animum Judicis ad judicandum, ſubeſſe impedimentum dirimens affinitatis, & pronunciandum matrimonium, ſeu ſponſalia de præſenti inter tales inita, eſſe irrita, quia quæ non proſunt, ſingula collecta juvant, ut habet Gloſ. hic verſ. *dicta ſunt Farinac. in prax criminal. part. V. quæſt.* 136. *num.* 8. 151. & 152. ubi ait, quod in caſu hujus Decretalis, præter confeſſionem juratam viri, & mulieris, quod invicem carnaliter ſe cognoverint, concurrant etiam vagatio per nemora, & loca ſolitaria; teſtimonium pariter ex publica fama viciniæ, quaſi alias Pontifex, his non concurrentibus, non permiſiſſet, dictos conjuges ab invicem ſeparari.

Omnes DD. ſcribentes circa hunc textum, inter quos Abbas, Pirringh. Laiman. WagnarcK, Allagona, Barboſa, & Gloſ. hic, interpretantur, illum intelligendum eſſe non de ſeparatione quoad torum, ſed quoad vinculum.

Neque ex eo, quod Pontifex uſus ſit verbo *Conſultius eſt*, argui poteſt, quod dubium habuerit de affinitste contracta, quia ille eſt terminus obvius, & communis, quo utuntur Pontifices in Decretalibus, licet definitive reſolvant, ſive præcipiendo, ſive prohibendo, ſive declarando.

Accedit, quod ſi dubium habuiſſet de contracta affinitste non præcepiſſet diſſolutionem matrimonii, cum in dubio pronunciandum ſit pro eo, non contra, juxta Decretalem Innoc. III. in cap. *Licet de teſtib. & atteſtationib.* ibi — *Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta Domini ſeparare* —.

Statuta circa hoc affinitatis impedimentum confirmata ſunt a Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. IV.* de *refor. matrim.* & a S. Pio V. ut dicam par. II. cum de dicto capitulo IV.

Titulus XXIV. De Jure jurando.

SECTIO CCLXXI.

Caput IV. Ego N. Episcopus, *ex Decretali Gregori VII. juxta Gonzalez, quamvis alii illius auctorem faciant D. Gregorium Magnum. alii Gregorium II. alii III. Petrus vero Molineus injurioſe, & petulanter Gregorium IX.*

EGO N. Epiſcopus, ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, Dominoque meo Papæ, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus. Non ero neque in conſilio, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Conſilium, quod mihi, aut per ſe, aut literas, aut per nuncium manifeſtabit, ad ejus damnum nulli pandam: Papatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & regulas Sanctorum Patrum, adjutor ero ad defendendum, & retinendum (ſalvo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum, veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione, Legatum Apoſt. Sed. quem certum eſſe cognovero, in eundo, & redeundo, honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Limina Apoſtolorum, ſingulis annis aut per me, aut per certum nuncium viſitabo, niſi eorum abſolvar licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

Inter ſeptem capita hic recenſita, de quibus jurant Epiſcopi, ſeptimum eſt viſitatio Liminum Apoſtolorum ſingulis annis, a ſe peragenda, præſcripta etiam *Can. IV. Juxta, diſtinct. XCIII.* Huic ſanctioni acceſſit Conſtitutio Sixti V. *Romanus Pontifex*, 13. *Kal. Jan.* 1585. idem ſtatuentis; cum nonnullis tamen limitationibus, & additione pœnarum, in illam non facientes, quæ comprehendit, nedum Epiſcopos, ſed etiam Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, licet Cardinalatus honore præfulgentes, ut ſequitur.

§. III.

§. III. Hæc, atque alia .... Quocirca eorumdem Prædeceſſ. noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſimulque modum, & temporum ſpatia Eccleſiarum earumdem Præſulibus pro cujuſque intervallo, & locorum diſtantia moderantes, hac perpetua Conſtitutione ſancimus, decernimus, & mandamus, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, per univerſum terrarum orbem conſtituti, a nobis deinceps ordinandi, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus conſecrationis ſuſcipiant, ſeu eis conſecratis, Pallium de Beati Petri corpore ſumptum tradatur, aut ſi ad aliam Eccleſiam transferantur, antequam illius regimini, & adminiſtrationi ſe immiſceant, ſiquidem præſentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, ſi vero abſentes in manibus Antiſtitis, qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum Pallium hujuſmodi a Sede Apoſtol. delegabitur, jurent juxta formulam, in libro Cancellariæ Apoſtolicæ, *Quinterno* appellato, nuper deſcriptam, ſe Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli limina, ſtatutis in hac noſtra Conſt. temporibus, perſonaliter, ac per ſe ipſos viſitaturos, ac nobis, & Succeſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum paſtorali officio, deque rebus omnibus ad ipſarum, quibus præſunt, Eccleſiarum ſtatum, ad Cleri, & populi diſciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ ſunt, ſalutem quovis modo pertinentibus, & viciſſim mandata Apoſtolica humiliter recepturos, & quam diligentiſſime executuros.

§. IV. Quod, ſi legitimo impedimento detenti fuerint, jurent ſe prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium, ad id ſpeciale mandatum habentem, de gremio ſuorum capitulorum, aut alium, in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum habentem, aut ſi hujuſmodi hominem, eccleſiaſtica dignitate, & perſonatu præditum non habeant, per diœceſanum Sacerdotem, & ſi Clero careant, omnino per aliquem alium Presbyterum ſecularem, vel regularem ſpectatæ probitatis, & religionis de ſupradictis omnibus plene inſtructum. De hujuſmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primo Diaconum Cardinalem per ſupradictum nuncium transmittendas.

§. V. Quin etiam Principes temporales, ſi quid pro eorum pietate, & erga hanc Apoſtolicam Sedem obſervantia, Romano Pontifici voluerint ſignificare, eoſdem, ſive Epiſcopos, ſive alios, qui ab eis mittentur, fidos habeant nuncios, ac relatores, quorum opera ab eadem Sede, pro illorum dominiis, ditionibus, & rebus firmandis, ac ſtabiliendis; et cum Dei, & ſanctæ Religionis cauſa, ſine qua tuto conſiſtere haud poſſunt, conjugendis opportuna ſinceræ charitatis officia, conſilia, atque ſubſidia expectare certo poterunt.

§. VI. Ad hoc autem debitum viſitationis officium commode explendum, ſupradicti omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Itali videlicet, vel ex italicis inſulis, unde in Italiam commodius traiici poteſt, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, & Græcarum, quæ e regione ipsius Italiæ, & Siciliæ oris ſunt, tertio anno; Germani vero, Galli, Hiſpani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes, qui in Europa ſunt citra mare germanicum, & balticum, ac omnium inſularum maris mediterranei, quarto anno; & qui intra Europæ fines ſunt, his provinciis remotiores, ac etiam africani littoribus noſtris adverſi, ac inſularum maris oceani ſeptentrionalis, & occidentalis Europæ, & Africæ citra continentem novi orbis, tam qui nunc ſunt, quam qui ad catholicam fidem per miſericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno. Aſiatici vero, & qui extra Aſiam, & in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, & ſeptentrionalibus, tam in inſulis, quam in continentibus, & denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter ſuſcipiant, & Deo concedente, perficiant. Idemque inſtitutum, tertio quoque, quarto, quinto, & decimo anno repetant, & obſervent. Hæc autem annorum ſpatia tempore ſuſcepti muneris conſecrationis, vel Pallii traditionis, aut translationis, ut præfertur, incipiant: quæ ne longius differatur, volumus, quod tempus qualecumque excurſum alicui ex ſupradictis Præſulibus, qui, ſive morte præventus, ſive alia quacumque de cauſa ob non finitum tempus, ei præſcriptum, dicta Limina non viſitaverit, ita illius Succeſſori effluxiſſe, & excurriſſe intelligatur, ut termino ipſo juxta Prædeceſſoris ſui jusjurandum completo, debitam tunc viſitationem quamprimum conficere teneatur.

§. VII. Hi vero ex ſupradictis Antiſtitibus, qui hactenus ab hac Sancta Sede ordinati ſunt, aut dictum Pallium ab ea ſuſceperunt, aut ad aliam Eccleſiam tranſlati ſunt, prout cuique diſtantia locorum, & temporum intervalla præſcripta ſunt, ad ſupradicta omnia obſervanda, a die publicationis præſentis Conſtit. omnino teneantur. Jubemus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ ſupradictis omnibus Antiſtitibus præſentibus, & futuris, ut viſitationem prædictam ſibi,

ſibi, ſuiſque Eccleſiis adeo utilem, ac neceſſariam juxta præſcriptam formulam omnino conficiant.

§. VIII. Si vero, quod abſit, non egerint, eos ab ingreſſu Eccleſiæ, ac etiam ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum a capitulis eorum, omni exceptione, & mora ceſſante, interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, ſeu ornamentorum Eccleſiæ emptionem, prout major exegerit neceſſitas, inſumendorum, ipſo facto tam diu ſuſpenſos eſſe volumus, donec a contumacia reſipiſcentes, relaxationem ſuſpenſionis hujuſmodi a Sede prædicta meruerint obtinere.

Cum autem circa modum inſtituendæ relationis ſtatus Eccleſiarum, a Sixto præceptæ §. III. exhibendæ S. C. Conc. juxta alteram ejuſdem Conſtit. *Immenſa æterni Patris*, 1. *Februar.* 1587. §. Congr. octava, pro examine dicti ſtatus, & pro reſponſis dandis ad poſtulata, in eadem relatione contenta, nulla umquam hactenus edita fuerit inſtructio, tandem in Concilio Romano, celebrato an. 1725. ſub Benedicto XIII. præſcriptum fuit, ut hæc a dicta Congreg. efformaretur; quam publici juris fecit Benedictus XIV. in appendice ad tomum primum ſui Bullarii ſub num. I. quam hic tranſcribere omitto, cum certo credam ad quemcumque Epiſcopum tranſmiſſam fuiſſe.

Citata Sixti Conſtitutio *Romanus Pontifex*, confirmata fuit a Benedicto XIV. Conſtit. *Quod ſancta*, 23. *Novembris* 1740. & inſuper extenſa cum additione pœnarum in contrafacientes, ad quoſcumque Abbates, alioſque, habentes monaſteria, ſeu Eccleſias cum juriſdictione quaſi epiſcopali, & territorio ſeparato, ut ſequitur.

§. V. Præterea ſcientia, & auctoritate prædicta, hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione, ſancimus, decernimus, & mandamus, ut omnes, & quicunque Abbates, Priores, Præpoſiti, aliique quocunque nomine, ac titulo nuncupati, & quacunque dignitate, etiam Cardinalatus honore insigniti, ſeculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad monaſteriorum, ſeu Ecclesiarum, particulare, & ſeparatum territorium habentium regimina, jam promoti, & in poſterum pro tempore, etiam per viam electionis, poſtulationis, aut aliter quovis modo promovendi, monaſteria, ſeu Eccleſias hujuſmodi in titulum, commendam, adminiſtrationem, aut aliter quomodolibet obtinentes, vel in poſterum aſſecuturi, qui videlicet ſpiritualem juriſdictionem, quasi epiſcopalem, cum temporali etiam, vel sine, in monaſteriis, & Ecclesiis prædictis, eorumque territoriis, diſtrictibus, & quasi diœcesibus, ab omni alia Epiſcoporum diœcesi omnino ſejunctis, & ſeparatis, quocunque jure, & titulo, vel ex origine, vel præſcriptione, vel ex indulto, & privilegio Apoſtolico exercent, antequam eorumdem monaſteriorum, ſeu Ecclesiarum poſſeſſionem adipiſcantur, & in eorum regimine, & adminiſtratione ſe de aliquo immiſceant, si quidem præſentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis, ordine Prioris, si vero abſentes, in manibus Nuncii, aut legati Sedis Apoſt. si præſens fuerit, sin minus, in manibus alicujus Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen Ecclesia eccleſiaſticam comunionem habentis, tanquam ejuſdem Apoſt. Sed. delegati, jurent, juxta formulam inferius deſcribendam, ſe ſacras BB. Apoſt. Petri, & Pauli memorias perſonaliter, ac per ſe ipſos viſitaturos, ac inſuper nobis, & Succeſſoribus noſtris, pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus, ſtatutis hac noſtra Conſtitut. temporibus, rationem reddituros de commiſſa sibi monaſteriorum, & Ecclesiarum procuratione; in notitiam noſtram, noſtrorumque Succeſſorum perferentes quæcunque ad ipſorum monaſteriorum, & Ecclesiarum ſtatum, & ecclesiaſticæ diſciplinæ in Clero, & populo obſervantiam, & animarum ſalutem, quæ illorum fidei creditæ ſunt, & ad divinum cultum, & gloriam pertinent; viciſſim recepturos a Sede Apoſtol. monita, & mandata, quorum cenſura, & quæ coercenda ſunt, reſercentur, & quæ obſervanda ſunt, ſanciantur, & quæ bene cæpta, atque inſtituta, approbatione, & confirmatione noſtra, noſtrorumque Succeſſorum ad debitum finem perducantur.

§. VI. Quod ſi legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, ſe prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium, ad id ſpeciale mandatum habentem, & de gremio ſuorum monaſteriorum, & Eccleſiarum, in dignitate eccleſiaſtica, ſeculari, vel regulari, conſtitutum, aut omnino per aliquem Sacerdotem ſecularem, vel regularem ſpectatæ probitatis, ac religionis, de ſupradictis omnibus plene inſtructum, per quem etiam de hujuſmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus, ad S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Præfectum Congreg. Sacri Concilii tranſmittendis.

§. VII. Ad hoc autem debitum viſitationis, & relationis ſuorum monaſteriorum, & Eccleſiarum officium opportune explendum, ſupradicti omnes Abbates, Præpoſiti, Priores, & quo-

quocumque alio dignitatis, vel officii nomine nuncupati, tam regulares, quam ſeculares, Itali videlicet, vel ex italicis inſulis, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alii adjacentium provinciarum Italiæ tertio anno, reliqui vero in aliis provinciis, regnis, & terrarum orbis partibus, & regionibus exiſtentes, tam qui nunc ſunt, quam qui in poſterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, nobiſque, & noſtris Succeſſoribus exhibere ſtudeant ac curent, idemque inſtitutum tertio quoque, & quinto anno repetant, & obſervent. Hæc autem annorum ſpatia a tempore captæ poſſeſſionis, & ſuſcepti monaſteriorum, & Eccleſiarum regiminis, & curæ incipiant.

§. VIII. Ii vero, qui de Eccleſiis, & monaſteriis hujuſmodi jam proviſi, in earum pacifica poſſeſſione a biennio, & amplius reperiuntur, vel quibus præfinitum a nobis ſuperius tempus a die habitæ poſſeſſionis jam effluxit intra annum, ſi in Italia, & inſulis adjacentibus; intra vero biennium, ſi extra ſint, a die publicationis præſentis Conſtit., ad nos præfatam ſuarum Eccleſiarum relationem, & deinde ſingulis trienniis, aut aliis præſtitutis temporibus pro locorum conditione, & diſtantia ad nos tranſmittere, & ſacras Apoſtolorum Baſilicas viſitare, & noſtro conſpectui, dummodo impediti legitime non fuerint, ſe præſentes ſiſtere debeant, ut S. R. E. matris ſuæ complexu recreati, & paterno humilitatis noſtræ colloquio confirmati, ad monaſteria, & Eccleſias ſuas regendas alacriores, & inſtructiores revertantur.

§. IX. Jubemus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ ſupradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, aliiſque quocumque titulo, vel nomine nuncupatis, vel quacumque dignitate præfulgentibus, tam regularibus, quam ſecularibus, præſentibus, & futuris, ut viſitationem prædictam, & inſuper relationem, ſtatutis a nobis temporibus faciendam, ſibi, ſuiſque monaſteriis, & reſpective Eccleſiis adeo utilem, ac neceſſariam juxta præſcriptam alias Epiſcopis formam, omnino conficiant. Si vero, quod abſit, a nobis præcepta, & conſtituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingreſſu Eccleſiæ, ac etiam ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum ſuorum monaſteriorum, & reſpective Eccleſiarum, ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, monaſterio, aut Eccleſiæ Nullius viciniori, omni exceptione, & mora ceſſante, interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, ſeu ornamentorum Eccleſiæ emptionem, prout major exegerit neceſſitas, inſumendorum, ipſo facto tamdiù ſuſpenſos eſſe volumus, donec a contumacia reſipiſcentes, relaxationem ſuſpenſionis hujuſmodi a Sede prædicta meruerint obtinere.

§. X. Formula autem juramenti præſtandi ab Abbatibus, aliiſque monaſteria, ſeu Eccleſias habentibus cum juriſdictione quaſi epiſcopali, & territorio ſeparato talis eſt.

Ego N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro Apoſtolo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro, Domino Benedicto Papæ XIV. ſuiſque Succeſſoribus, canonice intrantibus; non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, ſeu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæſito colore. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt, per ſe, aut Nuntios ſuos, ſeu literas, ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum; ſalvo meo Ordine, contra omnem hominem. Legatum Sedis Apoſtolicæ in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo: jura, honores, privilegia, & auctoritatem S. R. E. Domini noſtri Papæ, & Succeſſorum prædictorum conſervare, defendere, augere, & promovere curabo. Neque ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum, vel eamdem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia a quibuſcumque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro poſſe, & quanto citius potero, ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alteri, per quem poſſit ad ipſius notitiam pervenire: regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, ſeu diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones, & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari. Hæreticos, Schiſmaticos, & rebelles eidem Domino noſtro, vel Succeſſoribus prædictis pro poſſe perſequar, & impugnabo: Sacras BB. Apoſtolorum memorias ſingulis trienniis perſonaliter, ac per me ipſum viſitabo, & Domino noſtro, Succeſſoribuſque præfatis rationem reddam de commiſſo mihi munere, deque rebus omnibus, ad mei monaſterii, ſeu Eccleſiæ ſtatum, ad Cleri, & populi diſciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ ſunt, ſalutem quovis modo pertinentibus, & viciſſim mandata Apoſtolica humiliter recipiam, & quam diligentiſſime exequar: quod ſi legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum nuncium, ad hoc ſpe-

Digitized by Google

ſpeciale mandatum habentem, de gremio conventus monaſterii mei, aut alium in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium Presbyterum ſecularem, vel regularem ſpectatæ probitatis, & religionis, de ſupradictis omnibus plene inſtructum. De huiuſmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem Congr. Sac. Concilii Præfectum per dictum nuncium tranſmittendas. Poſſeſſiones vero ad monaſterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu conventus monaſterii mei, inconſulto Romano Pontifice. Et ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Laudatus Benedictus XIV. *lib. XIII. de Synod. Diœc. cap. VI. num. 5. edit. Roman.* 1755. ex decreto Clementis VIII. *ſub die* 25. *Feb.* 1592. probat, ut ſi quando alicui Epiſcopo Coadjutor ab Apoſtolica Sede datus fuerit, vel illum, vel hunc ipſius nomine teneri ad hanc viſitationem. Sicuti & Adminiſtratorem Epiſcopatus datum alicui Regio Principi in legitima ætate nondum conſtituto, tam proprio, quam hujus nomine ex decreto Congreg. Conc. ſub die 13. Auguſti 1612.

Opinatur loc. cit. etiam ad ipſam teneri, Epiſcopos Titulares, etſi careant adminiſtratione Eccleſiarum, ad quarum titulum ſunt promoti, & conſecrati: quamvis in prima editione ejuſdem Operis, *edit. Romæ an.* 1748. *lib. II. cap. VII. num.* 2. contrarium firmaverit ex declaratione Clementis VIII. *an.* 1594. *relata lib. VIII. decretorum Cong. Conc. pag.* 100. in hac ſecunda tamen editione loc. mox cit. videtur adhærere affirmativæ opinioni, ea motus ratione, quod licet hi Eccleſiarum ſuarum ſtatum plene ignorantes, nullam illarum relationem facere poſſint, verum = Cum „ in viſitatione (ſunt verba Benedicti) ſacrorum Liminum præter venerationem erga SS. Apoſtolorum „ cineres, debitæ Romano Pontifici ſubmiſſionis, & „ & obedientiæ actus contineatur, cumque etiam „ Epiſcopus Titularis, licet abſens, & impeditus, „ quominus ad ſuam Eccleſiam accedat, de hujus ta- „ men ſtatu aliqua identidem cognoſcere poſſit, quæ Pon- „ tifici referenda ſint, & quorum occaſione aliquid in „ ejuſdem Eccleſiæ utilitatem proponendum occurrat „ Hinc affirmandum videtur, Epiſcopos quoque Titu- „ lares ad Sixtinæ Bullæ obſervantiam teneri, cui „ ſententiæ adhæret etiam Thomaſſinus *de vet. & nov.* „ *Eccl. diſcipl. par. II. lib. III. cap. XLII. numer.* 12. „ & 13.

Quidquid autem ſit de hac opinione, certum eſt, hodie conſuetudinem contrarium obtinuiſſe, cum negocia, & cauſæ harum Eccleſiarum pro rerum opportunitate pertractentur in Sacra Congr. de Propaganda Fide.

De variis quæſtionibus, & dubiis circa viſitationem ad limina Apoſtolorum, vide Fagnanum ad hoc idem caput *Ego Epiſcopus*.

SECTIO CCLXXII.

CAPUT XV. VERUM, *ex Decretali Cæleſtini III. reſcripta, juxta Gonzalez, Archiepiſcopo Brunduſino, & eſt pars Decretalis ejuſdem Pontificis, relatæ in* cap. X. Cum non ad homine, de judiciis, *licet Cujacius reſcriptam exiſtimet Strigonienſi Archiepiſcopo.*

VErum in ea quæſtione, quæ quinto loco proponitur, an à ſacramenti vinculo abſolvantur, qui iſtud inviti pro vita, & rebus ſervandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quam quod Anteceſſores noſtri Romani Pontifices (*Zacharias Gelaſius*, *Gregorius VII.*, *& Urbanus II. atque alii*) arbitrati fuiſſe noſcuntur, qui tales à juramenti nexibus abſolverunt. Cæterum, ut agatur conſultius, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expreſſe dicatur, ut juramenta non ſervent, ſed ſi non attenderint ea, non ob hoc ſunt tamquam pro mortali crimine puniendi.

Cum in hac Decretali declaret Cæleſtinus, non eſſe puniendos tamquam pro mortali crimine, non ſervantes juramentum, metu præſtitum pro vita, & rebus conſervandis; eamdem declarationem ſibi objecit S. Thomas 2. 2. *q.* 98. *art. III. ad* I. pro firmanda contraria Theologorum ſententia, communiter recepta, ſimulque explicat, in quo ſenſu hujuſmodi declaratio accipienda ſit, ibi = *Per metum, & coactionem non auferri juramento promiſſorio vim obligandi reſpectu ejus, quod licite fieri poteſt, & ideo ſi aliquis non impleat, quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & peccat, poteſt tamen per auctoritatem Summi Pontificis* (imo & Epiſcopi, aut alterius, poteſtatem delegatam habentis) *ab obligatione juramenti præſertim ſi coactus fuerit tali metu, qui cadere poſſet in virum conſtantem, jurans abſolvi; quod autem dicitur tales non eſſe puniendos, tamquam pro mortali crimine, non ideo dicitur, quaſi non peccent mor-*

mortaliter in foro conſcientiæ = Sed quia in foro externo minor eis pœna infligitur propter circumſtantiam metus, quo facile percellitur humana fragilitas.

Si autem ageretur de præſtanda re juramento promiſſa, quæ eſſet materia levis, juxta fere omnes Theologos, etiam dignioris notæ, ſive hæc ſit tota materia, ſive pars promiſſionis, juramentum, ſive ſponte, ſive coacte emiſſum, in executione admittit parvitatem materiæ, ac proinde inferunt, transgreſſorem non eſſe reum peccati lethalis. Quod tamen admittendum non eſſe exiſtimarem, ſi eſſet tota materia, cum in omiſſione illius redderetur Deus teſtis falſitatis juxta ſententiam D. Thomæ, qui *quæſt. 89. art. VII.* ait = *tenetur* (jurans) *ut faciat verum eſſe id, quod juravit, alioquin deeſt veritas juramenti* — Si autem materia ſit dividua, & jurans, in actu juramenti habuerit intentionem, eam totam præſtandi, certum eſt apud omnes, tale juramentum admittere parvitatem materiæ in executione, & ſic transgreſſorem venialiter peccare, ſi pars non præſtita ſit levis. De hac quæſtione vide allata a Paulo Gabriele Antoine *tract. de virtute Religionis, cap. IV. de juramento, quæſt. V.*

SECTIO CCLXXIII.

Caput XXVIII. Cum contingat, *ex Decretali Innocentii III. reſcripta Epiſcopo Belluacenſi.*

CUM contingat interdum, quod, coſtante matrimonio, mulieres alienationibus, ſuper rebus dotalibus, & donationibus propter nuptias conſentiant, ne ulterius contraveniant proprio Sacramento firmando, ac ſoluto, proceſſu temporis, matrimonio, contravenire nitantur: utrum hoc eis liceat, a nobis tua fraternitas requiſivit. Nos autem f. t. reſp. quod, etſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent hujuſmodi juramenta, ſine vi, & dolo, ſponte præſtita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.

Huic Decretali, per quam abrogata eſt *Lex VII. §. 16. ff. de Pactis, & L. Non dubium C. de leg.* decernentes, mulierem non teneri ſervare juramentum de non veniendo contra alienationem rei dotalis, acceſſit ampliatio facta a Bonifacio VIII. in *cap. II. Licet mulieres, hoc eod. tit. in VI.* ſtatuente inſuper, ut judices ſeculares in hujuſmodi cauſis omnino teneantur ſervare diſpoſitionem juris canonici, & non civilis, & ad id etiam compellantur a locorum Ordinariis, ſub pœna excommunicationis, ibi.

Licet mulieres, quæ alienationibus dotium. & donationum propter nuptias conſentiunt, non contravenire proprio juramento firmantes, ſervare juramentum hujuſmodi, non vi, nec dolo præſtitum de jure canonico teneantur, quia tamen, quidam judices ſeculares, ea, contra præfatas alienationes audiunt, quamvis eis conſtet legitime de hujuſmodi juramento: nos animarum periculis obviare volentes, eoſdem Judices ad ſervandum hoc jus canonicum per locorum Ordinarios cenſura eccleſiaſtica decernimus compellendos.

SECTIO CCLXXIV.

Caput XXXI. Petitio vestra, *ex Decretali Honorii III. reſcripta Anſelmo, & Geraldo Canonicis Antiochenis.*

PEtitio veſtra nobis exhibita continebat, quod, Eccleſia Antiochena vacante, Princeps Antiochenus timens conſpirationes aliquas fieri contra eum, a vobis juramentum extorſit, quod contra ipſum de cætero non eſſetis (& infra.) interpretatione congrua declaramus, vos juramento hujuſmodi non teneri, quin pro viribus, & honoribus ipſius Eccleſiæ, ac etiam ſpecialibus veſtris legitime defendendis, contra ipſum Principem ſtare libere valeatis, coercendo vos a machinatione dumtaxat, per quam idem Princeps deberet læſionem perſonæ, vel ſui omiſſionem incurrere principatus.

In

In hac Decretali Hnnorius damnat juramentum præſtitum Principi laico ab Eccleſiaſtico de non ſtando contra illum ullo modo, ſi intelligatur de non ſtando etiam juſte, v. g. quando uſurparet jura, vel bona Eccleſiarum; & generaliter loquendo, talia eſſent omnia juramenta, quibus Eccleſiaſti cogerentur exhibere Principi laico fidelitatem, quæ damnantur etiam ab Innocentio III. in ejus Decretali, relata in *cap. XXX. Nimis, hoc eod. tit.* deſumpta ex Concilio Lateranenſi, niſi fiant ratione feudi.

Huic damnationi acceſſit Decreta lis Nicolai III. relata in *cap. I. Contingit, in VI. hoc eod. tit.* enumerans varia juramentorum genera, libertati eccleſiaſticæ contraria, ſub verborum generalitate concepta, quæ illicita eſſe declarat.

Contingit in nonnullis Eccleſiis de earum conſuetudine obſervari, quod nec ipſarum Prælati, cum primo ad Eccleſias ipſas accedunt, admittuntur, nec Canonici, cum de recipiendis ibidem novis Canonicis agitur, aliter recipiantur in ipſis, niſi jurent ſtatuta, & conſuetudines ipſarum Eccleſiarum ſcripta, & non ſcripta, inviolabiliter obſervare; inter laicos etiam in multis civitatibus, caſtris, & terris, in ſuis Poteſtatibus, Rectoribus, vel Officialibus aſſumendis, conſuetudinis morbus irrepſit: quod Poteſtates, Rectores, & Officiales hujuſmodi, ad poteſtarias, rectorias, & officia eadem, niſi prius ſervaturos, ſe ſtatuta ipſorum locorum clauſa juraverint, nullatenus admittantur; quia vero in ſtatutis, & conſuetudinibus ſupradictis interdum aliqua reperiuntur illicita, ſeu impoſſibilia, vel obviantia eccleſiaſticæ libertati, ne ſub tali generalitate jurandi ſic jurantibus peccandi occaſio præbeatur; cum juramentum non fuerit, ut eſſet iniquitatis vinculum, inſtitutum, hac generali Conſt. animarum periculis obſiſtere cupientes, præcipimus a quibuſcumque ſcientibus contineri in prædictis conſuetudinibus, & ſtatutis illicita, impoſſibilia, vel libertati eccleſiaſticæ obviantia, juramenta huiuſmodi aliquatenus non præſtari, & talia iuramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impoſſibilia, ſeu eccleſiaſticæ libertati obviantia obſerventur, cum etiam ſub tali intentione præſtari non poſſunt abſque Divinæ Maieſtatis offenſa, decernimus in huiuſmodi illicitis, impoſſilibus, ſeu libertati eccleſiaſticæ obviantibus, non ſervanda, quin potius pro animarum ſalute, ſi ſub forma prædicta, vel ſimili aliquos ignorantes prædicta illicita, ſeu impoſſibilia, vel libertati eccleſiaſticæ obviantia iurare contigerit, ad obſervanda dumtaxat licita, poſſibilia, & non obviantia libertati eccleſiaſticæ jurantium referri debet intentio: declaramus quoque juramenta ſub huiuſmodi generalitate, qualitercumque, & ſub qualicumque verborum forma præſtita, vel præſtanda, ad licita, poſſibilia, & libertati eccleſiaſticæ non obviantia tantum extendi; ipſoſque jurantes ad alia per præſtationem juramenti huiuſmodi non teneri.

Hæc Nicolai Decretalis expreſſe confirmata eſt, & etiam extenſa a Gregorio XIII: Conſtit, *Inter Apoſtolica, 5. Septemb.* 1584. ad jurantes, & jurare facientes adverſantia decretis Concilii Tridentini cum additione pœnarum tam in exigentes, quam in præſtantes talia juramenta, ibi.

§. II. Nos.... præſentium auctoritate innovamus prædictam Conſtitutionem Nicolai Papæ, ibidemque alias omnes canonicas ſanctiones de abuſu, & reprobatione huiuſmodi juramentorum promulgatas, volumuſque eas ubique ab omnibus, etiam, quoad præterita, inviolabiliter obſervari.

§. III. Ac etiam præcipimus, & interdicimus Prælatis, Canonicis, & aliis ſupradictis, nec non Eccleſiarum capitulis, & monaſteriorum, cæteriſque conventibus, civitatum, quoque caſtrorum, & terrarum, communitatibus, & perſonis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel libertati ecclesiaſticæ, aut decretis Concilii Tridentini obviantia, ſive ante, ſive poſt electiones, confirmationes, proviſiones, receptiones, admiſſiones, aut alios actus, ubicumque, ac quocumque tempore, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, quantocumque tempore obſervatæ, quæ potius corruptela eſt cenſenda, ſive in genere, ſive in ſpecie præſtare, reddere, vel exigere, neve ſuper præſtitis, redditis, vel exactis hucuſque, quemquam in judicio, vel extra inquietare audeant quoquo modo, vel turbare; illos enim, qui juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel ecclesiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contenderint, Epiſcopos videlicet, & alios quacumque pontificali dignitate prædictos ſuſpendimus a Divinis: capitula vero, & conventus, eorumque Eccleſias, & loca omnia interdicto eccleſiaſtico ſupponimus, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodamus, inhabileſque facimus ad obtenta; & alia obtinenda eo ipſo, nobiſque, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti relaxationem ſuſpenſionis, & interdicti, necnon abſolutionem ab excommunicationis ſententia hujuſmodi perpetuo reſervamus.

§. IV. Decernentes eos, qui talia juramenta ſcienter præſtiterint, uſu, & commodo

rei, & gratiæ, cujus cauſa juraverint, eo ipſo privatos eſſe; alios vero ignorantes ad præſtitorum juramentorum hujuſmodi obſervationem minime teneri; necnon irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcumque ſcienter, vel ignoranter attentatum eſt hactenus, & deinceps contigerit attentari.

Nota I. Obſervari facientes, vel obſervantes ſtatuta de conſuetudine contra libertatem Eccleſiarum, præter excommunicationem latam in jure communi, & ſpeciatim in *cap. Noverit, de ſententia excom.* incurrere etiam latam a Bulla Cœnæ, §. XV. quem vide in fine hujus Operis.

Nota II. Licitum eſſe eccleſiaſticis præſtare juramentum fidelitatis laico Principi, illud exigenti, non abſolute coactum, ſed ſub conditione voluntarium, ſi in tali territorio morari velint, propter ſecuritatem ſtatus; ſed tale juramentum illi non præſtandum eſt tamquam Superiori, ſed tamquam comparti Reipublicæ per modum contractus, *Theſaur. de Pœnis eccleſiaſtic. cap. I. verb. Juramentum*, in quo vide reliqua circa hujuſmodi, & ſimilia juramenta, quæ laico Principi ab eccleſiaſticis præſtari poſſint, vel non.

S E C T I O C C L X X V.

CAPUT XXXII. EX LITERIS, *ex Decretali Honorii III. reſcripta Archidiacono, & Magiſtro G. Canonico Tullenſi.*

EX literis veſtris accepimus, quod ſuper cauſa uſurarum vobis, pro G. contra E. ab Apoſtolica Sede commiſſa, non potuit per teſtes ab ipſius G. parte productos de ſortis quantitate liquere, licet de obligatione pignoris conſtitiſſet. Unde expedire videtur, quod exigeretur de dicenda veritate a partibus juramentum, cum ex fama quaſi notorium habeatur, præfatum E. ex quadam terra ipſius G. ſibi titulo pignoris obligata ſortem & amplius percepiſſe. Ne igitur ex hujuſmodi juramenti defectu juſtitia, occulta veritate, ſuccumbat, mandamus, quatenus, partes ad præſtandum hujuſmodi juramentum per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione remota, cogatis.

Caſus hujus Decretalis eſt circa contractum, de quo cum dubium eſſet, an veram uſuram involueret, juſſit Pontifex, ut compellerentur partes etiam per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, ad præſtandum juramentum de veritate dicenda.

Huic ſanctioni tacite derogatum eſſe videtur a Gregorio IX. qui in ſua Decretali, ex integro deſumpta ab Edicto Prætoris, & ejus interpretatione per Prudentes facta, relata in *cap. XXXVI. Juramentum, hoc eodem. tit.* quotieſcunque reus conventus eſt actione famoſa, declaravit, non licere juramentum illi referre, ibi.

Juramentum a te parti delatum, niſi juſta de cauſa non potuit recuſari. Quamvis quod in judicio aperte parti defertur, recuſari poſſit licite, ac referri, nec liceat convento famoſa actione referre hujuſmodi jusjurandum.

Hujus Gregorianæ Decretalis fundamento (licet, ſpectet ad juramentum litis deciſorium) niſus Vaneſpen. *par. III. tit. VII. de inſtruct. cauſ. civil. cap. VI. I. de juramentu ſuppletorio ub defect. probat. num. 19. & 20.* ſuſtinet, hoc juramentum nunquam eſſe deferendum in cauſis criminaliter motis, aut etiam in civilibus exactione famoſa, qualis eſſet cauſa uſurarum, ut in ſupra tranſcripto Honorii textu, ibi = „ Sed & paſſim Prag„ matici tradunt, hoc juramentum ob perjurii pericu„ lum magna cum moderatione, & circumſpectione „ eſſe deferendum. Atque in primis juramentum hoc „ invicem probationis non eſſe deferendum, cum cri„ minaliter agitur, imo vel civiliter ex actione famo„ ſa, qua reus damnatus redderetur infamis, tradunt „ communiter Doctores ad *cap. fin. XXXVI. de jure* „ *jurando*, ubi dicit Pontifex -- *nec liceat cunvento* „ *famoſa actione referre hujuſmodi juramentum* -- ra„ tionem illius allegat *Damhouder in praxi rer. ci*„ *vil. cap. CLXXIX. num. 9.* ne videlicet reo detur oc„ caſio pejerandi, ut ſcilicet infamiam evadat; ſicuti „ ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum „ non eſt in cauſa criminali, aut famoſa; ita nec in „ cauſa civili, ardua, & notabili, quemadmodum „ poſt Gloſſam *ad L. XXXI. ff. de jure jurandu*, no„ tant Doctores. Nemo etiam non videt, periculum „ eſſe pejerandi, ubi de re ardua, & notabili, perden„ da, aut lucranda agitur.

Quidquid autem ſit de juramento ſuppletorio in cauſis partium collitigantium, certum eſt in locis, quos complectitur Concilium Romanum, celebratum anno 1725 ſub Benedicto XIII. prohibitum eſſe judicibus ſub pœna nullitatis, & omnium actorum, illud exigere a reo principali, criminaliter examinato, ut ex ſequenti decreto, relato *cap. II. tit. XIII.* ejuſdem Concil. ibi.

Stylum itaque in quibuſdam Curiis ſecularibus, & eccleſiaſticis, nullo unquam jure præceptum inoleviſſe perpendimus, ut judices, ſive eorum notarii, aut ſcribæ, reos, criminali facinore accuſatos, examinaturi, juramentum ab his præſtari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc quotidiana, ſicuti eſt experientia compertum, nec in fiſci favorem, nec contra reos ipſos, qui ut plurimum patrata a ſe negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur, adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi neceſſitas non adeſſe probetur; imo potius, ne illa penitus exigantur ſacri ipſa juramenti ratio poſtulet, ac ſuadeat. Hinc eſt, quod nos, rationibus utriuque perpenſis, & quamplurium inhærentes inſignium tribunalium praxi, juramentum ipſum, per reos, ſic criminaliter inquiſitos præſtandum, conſulto, dum uti principales tantummodo conſtituuntur, tollendum, & ſubmovendum ducimus; prout, ſacro etiam approbante Concilio, præſenti hac Conſtitutione omnino tollimus, ac ſubmovemus: nec juramentum hujuſmodi ullatenus a reis eiſdem, niſi tamen ut teſtes quoad alios examinentur, in futurum per quoſcumque judices, & miniſtros, ſub quovis prætextu, cauſa, & quæſito colore volumus, exigatur, alias examen, ſive conſtitutum, & acta omnia nulla ſint eo ipſo, & irrita, omnique careant contra reos effectu.

Cum autem poſt dictum Concilium orta fuiſſet Romæ quæſtio, an nullitas hic inducta reſtringenda eſſet ad rei duntaxat conſtituta, ſeu potius ad totum proceſſum, reſolutum fuit, integrum proceſſum informatiuum uſque tunc compilatum complecti, attento voto ſuper hac eadem quæſtione preſtito, & doctiſſime exarato a clariſſimo viro Flavio Delphini, S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Advocato: quod votum jam typis a me datum fuit in Additionibus ad *Theſaurum, de pœnis ecleſiaſtici cap. II. verb. Juramentum*.

Nota I. Quod ex dicto decreto non eſt interdictum, ab eodem reo juramentum exigere de veritate dicenda, cum examinatur quoad alios.

Nota II. Quod licet in nonnullis, locis, quos non complectitur cit. Conc. Romanum, vigeat adhuc conſuetudo exigendi a reo, criminaliter inquiſito, dictum juramentum, expediret quidem illam ubique aboleri ob validiſſimas rationes, experientia comprobatas, in laudati Concil. textu allatas: quemadmodum die 6. Julii 1697. propoſitum etiam fuit S. Cong. Conc. a qua, diſcuſſo dubio, an expediret, illam a Summo Pontifice abrogari, reſcriptum fuit, ut ſcriberent pro veritate Theologi, & Canoriſtæ: nulla tamen deciſio emanata reperitur ob diſcordes fortaſſe dictorum Theologorum, & Canoniſtarum ſententias. Si legas Ludovicum de Ameno *Practica Crimin. par. I. tit. XIX. §. IV. verb. Reus n.16.* iiſdem rationibus, quibus innixum eſt Conc. Rom. dictam conſuetudinem abolendam oſtendit, pari modo, quo laudatus Vaneſpen. & DD. ab eo citati. Si vero leges Urſayam *Inſtit Crimin. lib.III.tit.II. de Crimin. Perjur. a n. 16. ad 27.* mordicus contrarium ſuſtinet, innixus potiſſimum ſupra relatæ Honorii Decretali: qui tamen ſcripſit an. XVIV. ante dictum Conc. Romanum; non enim forſan ita ſenſiſſet, ſi ſcripſiſſet poſt, cum fuerit unus ex Decretaliſtis ejuſdem Conc.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCLXXVI.

Caput I. Contingit, *ex Decretali Nicolai III.*

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, damnat Nicolaus conſuetudines, & ſtatuta, quibus obſervatur, ne Canonicis ad Canonicatus poſſeſſionem, Prælati ad Eccleſias, officiales ad officia recipiantur, niſi prius juramento præſtito de obſervandis illarum univerſitatum ſtatutis, & conſuetudinibus, ſcriptis, vel non ſcriptis, intelligendo etiam de illicitis, impoſſibilibus, vel libertati eccleſiaſticæ contrariis. Et declarat Pontifex, in juramento generali prædicto ea non contineri, neque præſtari poſſe de illis juramentum: et ſi præſtitum fuerit, nullius eſſe momenti; cum juramentum non ſit vinculum iniquitatis, neque ſervandum ſit cum Divinæ Majeſtatis offenſa.

Hæc Decretalis confirmata, & ſimul ampliata eſt a Gregorio XIII. Conſtitutione *Inter Apoſtolicas, 5. Septembris* 1584. extenſa eſt ſcilicet, ut procedat etiam de juramentis, ſeu obſervantiis, obviantibus decretis Trident. Item ut procedat, ſive juramenta præſtentur, ſive ante, ſive poſt adeptam poſſeſſionem, derogando cuicumque conſuetudini, etiam immemorabili.

Præterea ſtatuit, ut exigentes talia juramenta illicita, ſeu impoſſibilia, ſeu contraria juribus eccleſiaſticis, ſi Epiſcopi ſint, ſeu pontificali dignitate præditi, incurrant ſuſpenſionem a Divinis: ſi univerſitates eccleſiaſticæ, ideſt capitula, & conventus, eorumque Eccleſiæ, ſic loca omnia laicalia, incurrant interdictum perſonale, & locale reſpective: ſi autem ſint ſingulares perſonæ, Epiſcopis, aut Pontificibus inferiores, incurrant excommunicationem, & inhabilitatem ad officia obtinenda, reſervata Summo Pontifici prædictarum pœnarum abſolutione, & diſpenſatione.

Statuit tandem, ut ſcienter præſtantes talia juramenta, eo ipſo, incurrant pœnam privationis uſus, commodi, rei, & gratiæ, cujus cauſa illicite juraverint, ideſt beneficii, officii, aut prælaturæ.

No-

Digitized by Google

Notandum eſt, quod obſervari facientes, vel obſervantes ſtatuta, aut conſuetudines contra libertatem eccleſiaſticam, præter excommunicationem latam a jure communi, incurrunt etiam excommunicationem, contentam in cap. XV. Bullæ, in die Cœnæ Domini legi ſolita, quam leges in calce hujus Operis.

Titulus XXV. De Exceptionibus.

SECTIO CCLXXVII.

CAPUT VII. OLIM, *ex Decretali Honorii III. ad Abbatem S. Huberti, & S. Joannis, ac S. Martini, Leodienſis Diœceſis miſſa.*

OLim.... diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus, ſi procurator dicti Guil. probare potuerit exceptionem, quam coram Archiepiſcopo propoſuit ſæpedicto, videlicet, ſe in cauſam trahi ultra duas dietas contra Conſtitutionem Conc. generalis: vos appellationem dicti Guil. legitimam decernentes, negocio ſuperſedere curetis.

In hac Decretali ſtatuit Honorius, obſervandam eſſe Decretalem Innocentii III. relatam in *cap. XXVIII. Nonnulli, de Reſcript.* qua præcipitur, ne per literas Apoſtolicas, quibus cauſæ judicandæ committuntur, quiſquam trahatur ultra duas dietas extra ſuam diœceſim.

Sed utraque reſtricta eſt ad unam dumtaxat a Bonifacio VIII. ut jam oſtendi ſupra ad cit. *cap. Nonnulli.*

SECTIO CCLXXVIII.

CAPUT XII. EXCEPTIONEM, *ex Decretali Greg. IX. motu proprio emanata.*

EXceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus ſcienter omittens, in qualibet parte litis opponere minime prohibetur; quod eſt in hac exceptione ſpecialiter obſervandum, ne quiſquam in periculum animæ ſuæ excommunicato communicare cogatur. Qui ſi eam omiſerit, ut actor laboribus, & ſumptibus fatigetur, in expenſis eſt legitimis condemnandus, excommunicatus autem publice, & ſi hujuſmodi exceptio non opponatur, nihilominus eſt officio judicis repellendus.

Hæc Decretalis ampliata, ex declarata eſt ab Innoc. IV. in Conc. Lugdunenſi, quæ declaratio ſex capitibus continetur, ut in ſequenti Decretali, relata in *cap. I. hoc eod. tit. in VI.*

Pia conſideratione ſtatuit mater Eccleſia, quod majoris excommunicationis exceptio in quacunque parte judiciorum oppoſita, lites differat, & repellat agentes: ut ex hoc magis cenſura eccleſiaſtica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati, dum a communibus actibus excluduntur; robore ſuffuſi, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur: ſed hominum ſucreſcente malitia, quod proviſum eſt ad remedium, tendit ad noxam. Dum enim in cauſis eccleſiaſticis frequentibus hæc exceptio per malitiam opponitur, contingit interdum differri negocia, & partes fatigari laboribus, & expenſis, proinde, quia morbus iſte, quaſi communis irrepſit, dignum duximus, communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponit, ſpeciem illius, & nomen excommunicatoris exprimat, ſciturus, eam rem ſe deferre debere in publicam notionem, quam intra octo dierum ſpatium, die, in quo proponitur, minime computato, probare valeat aptiſſimis documentis. Quod ſi non probaverit, judex in cauſa procedere non omittat, reum in expenſis, quas actor ob hoc diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione, condemnans. Si vero poſtmodum, inſtantia durante judicii, & probationis copia ſuccedente, de eadem excommunicatione, vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in ſequentibus excludatur, donec meruerit abſolutionis gratiam obtinere: his, quæ præceſſerunt, nihilominus in ſuo robore duraturis. Proviſo, quod ultra duas vices hæc non opponatur exceptio, præterquam ſi excommunicatio nova emerſerit, vel evidens, & prompta probatio ſuper-

ſupervenerit de antiqua. Sed ſi poſt rem judicatam talis exceptio proponatur, executionem impedit, ſed ſententia, quæ præceſſit, non minus robur debitum obtinebit. Eo tamen ſalvo, ut ſi actor excommunicatus ſit publice, & hoc judex noverit quandocumque, etſi de hoc reus non excipiat, judex ex officio ſuo actorem repellere non poſtponat.

Hæc Innoc. Decretalia confirmata eſt a Clem. V. in Conc. Viennenſi, ut in ejus Decretali, relata *in cap. unic. Excommunicationis, in Clementin. hoc eod. tit.* qua cavetur, exceptionem dilatoriam excommunicationis dari ſemper poſſe, etiamſi a judice aſſignatus fuerit terminus peremptorius de ea non proponenda, dummodo in reliquis ſervetur dicta Innoc. Decretalis, ibi.

Excommunicationis exceptio dilatoria in qualibet parte litis opponi poteſt, termino peremptorio per judicem aſſignato ad proponendum exceptiones declinatorias, & dilatorias, non obſtante: ſervata tamen Conſtit. fel. record. Innoc. Papæ IV. edita circa hoc in Concil. Lugdunenſi.

Titulus XXVI. De Præſcriptionibus.

SECTIO CCLXXIX.

CAPUT I. PLACUIT, *excerptum ex Concilio III. Carthaginenſi, ut probat hic Gonzalez.*

PLacuit, ut ſi quiſquam aliquem locum ad catholicam unitatem converterit, ſi eum per triennium, nemine repetente, retinuit, ulterius ab eo non repetatur. Si tamen per ipſum triennium fuerit Epiſcopus, qui poſſet repetere, & tacuit, ſi autem non fuerit, non præjudicetur matrici Eccleſiæ, ſed liceat, cum locus acceperit Epiſcopum, ex ipſo die intra triennium repetere. Item ſi fuerit Epiſcopus ad catholicam Fidem ex Donati parte converſus, non ei præjudicet præfinitum tempus: ſed ex quo die converſus eſt, habeat per triennium poteſtatem repetendi locum, qui ad ipſam pertinebat cathedram.

Videtur huic Decretali, admittenti præſcriptionem triennii contra Eccleſiam, derogatum fuiſſe a Gelaſio I. (*non Gregorio, ut probat Gonzalez.*) *cap. III. Sanctorum, hoc eod. tit.* approbante præſcriptionem triginta annorum, ibi.

Sanctorum Patrum ſanctiones, ſtatuentes confirmaverunt, & nos irrefragabiliter confirmamus, ut omnes poſſeſſiones ad ſingulas provincias noſtrorum fratrum pertinentes, a quibus per XXX. annos poſſeſſæ ſunt, quiete, & ſincere abſque ſynodali proclamatione perpetuo teneantur.

Verum, attento peculiari caſu, de quo in ſupra tranſcripta Decretali Conc. Carthaginenſis, dici poſſet, nullatenus eidem derogatum fuiſſe a mox allata Gelaſii Decretali, quandoquidem, ut animadvertit hic Henricus WagnereK, Societatis Jeſu, *in Commentario Sacrorum Canonum*, ibi agebatur de caſu ſingulari dumtaxat, ſic ibidem deciſo = „ in favorem „ Fidei, ut Epiſcopi excitentur ad propagationem „ veræ Religionis. Non tamen procedit præſcriptio, „ quando Eccleſia, ſive Epiſcopatus, ad quem ejuſ„ modi locus, ab alio Epiſcopo ad Fidem converſus, ſpe„ ctat, fuerit vacans: ſemper enim tempora vaca„ tionis, ſeu inhabilitatis Prælati, debent de medio „ præſcriptionis contra Eccleſiam ſubduci. Quod ve„ ro idem Epiſcopo, ab hæreſi ad Fidem converſo, con„ cedatur, fit in favorem, tum Eccleſiæ, tum Reli„ gionis, propter quam multa ſpecialia inducta ſunt, „ juxta *cap. In favorem, de Hæret. in VI.*

Dictæ autem Gelaſii Decretali derogatum etiam fuiſſe videtur ab Alexandro III. in Decretalibus, relatis *hoc eod. tit. cap. VI. Ad aures, cap. VIII. Illud autem, & cap. IX. Quia indicante*, in quibus ſtatuitur contra Eccleſiam (ſi non agatur de Romana, pro qua requiritur præſcriptio centenaria, ut *cap. XIII. & XIV. hoc tit.*) hanc non dari, niſi poſt quadraginta continuos annos completos.

Verum neque hæc allegata jura derogarunt eidem Gelaſii Decretali: ibi enim ſermo eſt non de præſcriptione Eccleſiæ, contra Eccleſiam, ſed de præſcriptione Eccleſiæ contra quemcumque privatum, ſi hujus bona eadem Eccleſia quiete, & pacifice poſſederit per triginta annos. Derogarunt autem antiquis juribus, relatis in *can. I. Per ſingulas, can. II. Præſulum, can. IV. Quicumque, can. VIII. Placuit, & can IX. Poſt quingentos, cauſ. XVI. q. III.* quæ quidem abrogatio potiſſimum legitur in cit. *c. VIII. Illud autem*, ibi.

Il-

Illud autem te ſcire volumus, & tenere, quod adverſus Eccleſias minorem præſcriptionem, quam quadraginta annorum Romana Eccleſia non admittit, licet quidam Canones comprobent triennalem, & Eccleſia ſe poteſt adverſus Eccleſiam quadragenaria temporis præſcriptione tueri, de re illa, quam inconcuſſe quadraginta annis noſcitur poſſediſſe. Verum, ſi de præſcriptione, & interruptione inter partes fuerit quæſtio mota, ab utraque parte teſtes recipi debent: & ſi probata fuerit interruptio, præſcriptio non tenebit.

SECTIO CCLXXX.

Caput V. Vigilanti, *ex Decretali Alexandri III. in Conc. generali Lateranenſi III. celebrato an.* 1179.

Vigilanti ſtudio cavendum eſt, ne malæ fidei poſſeſſores ſimus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio juvat aliquem malæ fidei poſſeſſorem, niſi reſipuerit, poſtquam ſe aliena noverit poſſidere, cum bonæ fidei poſſeſſor dici non poſſit; Epheſinus enim Legislator ſolum propter vitandam miſerorum ſegnitiem. & longi temporis errorem, & confuſionem; primus tricennali, vel quadragenali præſcriptioni vigorem legis impoſuit. Nobis autem, tam in rebus cognitis, quam latentibus placuit non habere vigorem.

Hic ſtatuitur, poſſeſſorem malæ fidei nunquam præſcribere, cui acceſſit Decretalis Innoc. III. in Concil. pariter generali, Lateranenſi IV. celebrato an. 1215. relata in *cap. XX.* ibi.

Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica, quam civilis. Cum generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari. Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ.

Et cap. II. *Poſſeſſor, de regul. jur. in VI.* ibi, *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.*

Ex quibus juribus colligitur.

I. Bonam fidem requiri tam in initio, quam in decurſu præſcriptionis, ita ut mala fides ſuperveniens interrumpat præſcriptionem in foro, tam canonico, quam civili, cum in materia, peccatum reſpiciente, jus canonicum ſequi debeamus.

II. Per hos textus derogatum eſſe juri civili, diſponenti, quod in præſcriptione longi temporis, decem ſcilicet annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes bona fides ſolum requiratur ab initio, uti habetur in §. *Diutina* XII. *Inſtit. de uſu cap. & in L. unica Cod. de uſu cap. transferendis*, & quod in præſcriptione longiſſimi temporis 30. ſcilicet, vel 40. annorum nulla requiritur bona fides, neque ab initio, neque in decurſu *L. Sicut*, *L. Omnes*, *& L. Cum noviſſimi*, *Cod. de præſcript. 30. vel 40. annorum.*

III. Minime attendendum eſſe *can. XV. Placuit*, *cauſ. XVI. q. 3. verb. Præſcriptionem*, ubi dicitur — *bona fides non ad tractum medii temporis*, *ſed ad initium poſſeſſionis refertur* — verba enim hujus textus non ſunt Concili Africani, cui tribuitur, ſed Gratiani, qui juxta leges civiles locutus eſt: cum autem fuerit auctor privatus, in hac materia a Pontificibus definita, non eſt audiendus.

SECTIO CCLXXXI.

Caput XIII. Ad audientiam, *ex Decretali Innoc. III.*

Ad audientiam.... Reſpicientes inſuper (quod eſt longe validius) ipſum negocium tangere principaliter Romanam Eccleſiam, contra quam, nonniſi centenaria præſcriptio currit.

SECTIO CCLXXXII.

Caput XIV. Cum vobis, *ex altera Decretali ejuſdem Pontificis*.

CUM vobis (& infra.) Licet igitur, tam legali, quam canonica ſit definitione ſtatutum, ut contra Romanam Eccleſiam, quæ gaudet privilegio ſpeciali, non niſi centum annorum præſcriptio locum ſibi valeat vindicare; tempora tamen intercedentium ſchiſmatum, quæ ſecundum juris ordinem curſum præſcriptionis impediunt, nolumus aliqnatenus computari, ſed, diligenti conſideratione adhibita, de ipſa computatione deduci.

In utraque hac Decretali ſtatuitur, ut contra jura, ad Eccleſiam Romanam ſpectantia, non niſi centenaria præſcriptio locum habeat.

Verum hæc Innoc. Sanctio limitanda eſt juxta Decretalem Bonifac. VIII. relatam in cap. II. *Si qui, hoc eod. tit. in* VI. qui quamvis idem repetat, declarat tamen, ſufficere etiam quadragenariam, prout ſufficit contra alias Eccleſias, in caſu, de quo in eadem Decretali, ibi.

Si qui (exigentibus culpis, vel exceſſibus ab eiſdem commiſſis) bonis, quæ a Romana, vel ab aliis tenent Eccleſiis, ſint per ſententiam, vel ipſo jure privati: ſtatuimus, ut in apprehendendis, vel occupandis poſtea quandocunque bonis eiſdem, nullus (licet leges humanæ ſuper hoc alia tempora ſtatuere videantur) ipſis Eccleſiis temporis lapſus obſiſtat, niſi contra ipſam Romanam Eccleſiam centenaria, vel contra Eccleſias alias quadragenaria præſcriptio legitime ſit completa. Si poſt mortem hæreticorum (qui dum viverent catholica putabantur) bona ipſorum a catholicis, eorum filiis, vel nepotibus, aut extraneis quibuſcunque ſpatio quadraginta annorum fuerint bona fide poſſeſſa, ſancimus ſuper bonis hujuſmodi (etiamſi ad Romanam pervenire deberent Eccleſiam) in hoc caſu, non eſſe ulterius moleſtandos: quamquam illi, quorum bona fuerant, nunc detegantur hæretici extitiſſe.

SECTIO CCLXXXIII.

Caput XV. Auditis, *ex Decretali Innoc. III. ad* Helienſem, *& Roffenſem Epiſcopos*.

AUditis, & intellectis meritis cauſæ, quæ vertitur inter Vvigornien. Epiſcopum, & Abbatem Heveſcam ſuper Eccleſiis in valle de Heveſcam, quas Epiſcopus aſſerit ad ſe diœceſana lege ſpectare, Abbas autem eas eſſe ab ejus juriſdictione prorſus exemptas (& infra.) Verum tanto tempore probantur per teſtes ab Abbatibus de Heveſcam, pleno jure poſſeſſæ, ut videatur in eis epiſcopale jus legitime præſcripſiſſe (& infra.) Quocirca mandamus, quatenus inſpectis privilegiis tit. & oſ. Regum, quæ Abbas ſuper præmiſſa libertate aſſerit, ſe habere, ſi per illa conſtiterit, quod vallis de Heveſcam ſit ille locus, quem C. Præd. noſt. libertate donavit, abſolvatis Abbatem ab impetitione Epiſcopi ſuper Eccleſiis memoratis, & adjudicantes illas Abbati pleno jure ſubjectas, Epiſcopo ſuper illis ſilentium imponatis. Quod ſi Abbas in hac probatione defecerit, audiatis probationes ſuper tempore, quo infra quadraginta annos Sedes epiſcopalis vacavit: & ſi per tantum temporis vacaſſe conſtiterit, ut illo ſubducto, non ſit quadragenaria completa præſcriptio, vos in illis Eccleſiis jus epiſcopale adjudicetis Epiſcopo, & ſuper illo perpetuum ſilentium imponatis Abbati. Si autem exceptionem hujuſmodi Epiſcopus non probaverit, quia tamen interruptionem probavit circa Proceſſionem Pentecoſtalem in villa, & Eccleſia de Mortana, & receptionem, ac procurationem Archidiaconi, necnon ſolutionem denariorum Sancti Petri in valle de Heveſcam, circa cognitionem quoque cauſarum matrimonialium, & capellani ſuſpenſionem in prædicta villa de Mortana, & inretdictum capellanum in præfata villa de Heveſcam; vos ſuper his ius epiſcopale adiudicetis eidem: ſi tamen circa ſuſpenſionem, & interdictum hujuſmodi infra quadraginta annos interruptio facta fuit, in cæteris ei ſilentium imponentes, quæ Abbas præſcripsiſſe probatur.

In hac Decretali ex ſenſu contrario, conſtito de continua quadragenaria præſcriptione, duo admittit, Innocentius contra jus epiſcopale.

I. Viſitationem locorum intra diœceſim conſtitutorum; quandoquidem adſtruit Archidiacono procurationem, quæ nonniſi pro viſitatione debetur.

II. Cognitionem cauſarum matrimonialium, quam, probata dicta præſcriptione, Abbati, de quo in textu, adjudicandam declarat.

Verum hodie jus viſitandi reſpectu Archiadiaconi, aliorumque inferiorum, reſtrictum eſt certis limitationibus a Conc. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. III. de refor.* ut ſcilicet illam, ubi hactenus exercere legitime conſueverunt, eadem per ſe ipſos tantum inſtituere poſſint, & nonniſi aſſumpto notario de conſenſu Epiſcopi, cum onere eidem rationem reddendi infra menſem viſitationis factæ, depoſitionesque teſtium, ac integra acta exhibendi.

Jus vero cognoſcendi cauſas matrimoniales ab alio, quam ab Epiſcopo, penitus ſublatum eſt ab eadem Concil. dicta *ſeſſ. XXIV. cap. XX. de refor.*

S E C T I O C C L X X X I V.

CAPUT XVI. CUM EX OFFICII, *ex Decretali Innocentii III. ad Pariſienſem Epiſcopum (nunc eſt Archiepiſcopatus, erectus a Gregorio XV. an. 1622. petente Ludovico XIII. cum Civitatibus Carnotenſi, Aurelianenſi, & Meldenſi.)*

CUM ex officii.... Nos igitur præmiſſam allegationem eorum nullam penitus reputantes, cum contra procurationem, quæ ratione viſitationis debetur, præſcribi nequiverit.

In hac Decretali ſtatuitur, procurationem debitam Epiſcopo pro viſitatione, non poſſe præſcribi. Cum autem præſcriptio, de qua in textu, æquivaleat immemorabili conſuetudini, quandoquidem nulla extabat memoria de procurationis ſolutione unquam facta; animadvertenda ſunt diſpoſita a Conc. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. III. de refor.* per hæc verba.

In iis vero locis, ſeu provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſervetur.

S E C T I O C C L X X X V.

CAPUT XVIII. CUM OLIM, *ex Decretali ejuſdem Innoc. ad Epiſcopum Lucanum, (nunc eſt Archiepiſcopatus, erectus a Benedicto XIII.)*

CUM olim.... Nos igitur his, & aliis, quæ coram nobis utrimque fuere propoſita, perſpicaciter intellectis, quia prædictus Abbas ſufficienter oſtendit, monaſterium ſuum ſuper inſtitutionibus, deſtitutionibus, & ordinationibus plebani, & Clericorum baptiſmo, & pœnitentia in levioribus culpis, ſepultura, decimarum perceptione, ac divinis officiis celebrandis, tam in plebe, quam in capellis, etiam ſupradictis, in excommunicando, atque interdicendo, & etiam abſolvendo legitima præſcriptione munitum, Abbatem ipſum ab impetitione tua ſuper jam dictis articulis de conſilio duximus abſolvendum, ſuper illis tibi perpetuum ſilentium imponendo.

Declarat hic Innocentius, Abbatem regularem in Eccleſiis ſecularibus, intra diœceſim ſitis præſcribere poſſe jura epiſcopalia, & inter cætera. I. Ordinationem Clericorum. II. Pœnitentiam, ideſt jus abſolvendi etiam a caſibus Epiſcopo reſervatis, prout ex ſenſu contrario ex hac Decretali inferri poſſet, ſi Abbas id præſcripſiſſet.

Verum quoad ordinationem Clericorum abrogata eſt a Conc. Trident. *ſeſſ. XXIII. cap. X. de reform.* in eo ſenſu, quem exponam infra ad *caput III. Abbates de privileg. in VI.*

Quoad pœnitentiam vero, ideſt abſolutionem a caſibus &c. procedendum eſt cum diſtinctione, ut optime hic Fagnanus a num. 22. ad 24. aut Abbas, ſeu alius inferior Prælatus ex privilegio Apoſtolico, vel legitima præſcriptione habet omnimodam juriſdictionem quaſi epiſcopalem in certa parte diœceſis, excluſo Epiſcopo; ita ut ſit vere in ſtatu nullius diœceſis, tunc certum eſt, etiam abſque præſcriptione poſſe ſibi caſus reſervare, & abſolvere, quin ei obſtet decretum Trident. *ſeſſ. XIV. cap. VII. de caſib. reſer.* quia hoc loquitur de caſibus, quos ſibi reſervat Epiſcopus. Aut ex privilegio, vel præſcriptione non eſt in ſtatu nullius, ſed eſt ſimpliciter exemptus; & tunc non valet præ-

Digitized by Google

præſcriptio abſolvendi a gravioribus caſibus, Epiſcopo reſervatis, a quo duntaxat abſolvi poſſunt juxta cit. Trident. decretum, cum quoad hoc ſemper dictus Abbas, ſic exemptus, remaneat ſubjectus Epiſcopo diœceſano: nec, ut inquit Fagnanus = „ ſuffragatur inferiori aliqua præſcriptio, tum quia obſtat Concilium „ tum quia in his, quæ ſunt contra diſciplinam eccleſiaſticam, præſcriptio non procedit, *cap. Cum inter. de* „ *conſuetud.* & hanc diſtinctionem non obſcure probavit S. Cong. ejuſdem Conc. interpres: nam conſulta, an inferior aliquis ab Ordinario in ea parte „ diœceſis, quæ jurisdictioni ſuæ ſubjecta eſt, poſſit „ ſibi reſervare aliquos caſus, quemadmodum Ordinariis licet in ſuis diœceſibus, die 5. Julii 1582. reſpondit, poſſe, ſi tamen habeat juriſdictionem quaſi „ epiſcopalem in eo loco, & nulli diœceſano ſubſit, „ nec ejus ſubditi.

Idem declaravit *in Salernitana an. 1585. & in Marſicana an. 1587. ut lib. IV. Decretor. ejuſd. Cong. pag. 36. & 250. a tergo.*

SECTIO CCLXXXVI.

CAPUT XIX. VENIENS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ad Epiſcopum Colonenſem, & Abbates de SoKgardien; & SeKuduvor, Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Quinque Eccleſiarum.*

VEniens .... Ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, Clerici Eccleſiarum, vel capellarum ipſius monaſterii (hoc monaſterium nempe S. Martini de Pannonia in Hungaria, erat Ordinis S. Benedicti) quod eſt in Veſprinenſi diœc. conſtitutum, a Veſprinenſi Epiſcopo poſtulabunt, ſiquidem catholicus fuerit, & gratiam Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea (ideſt cætera, in textu enunciata) gratis, & ſine pravitate aliqua voluerit exhibere: alioquin ab alio, quem maluerint, catholico Præſule ſuſcipiendi ea liberam habeant facultatem, ſicut in privilegiis d. Paſchalis, & Alex. Papæ Præd. noſtrorum perſpeximus contineri.

In hac Decretali ſtatuitur, præſcribi poſſe a Prælato inferiori jus dimittendi ſuos ſubditos ad quemcunque maluerit catholicum Antiſtitem pro Ordinibus recipiendis; cui hodie derogatum eſt, quoad non habentes privilegium Apoſtolicum, nominatim, directe, ac expreſſe ipſis conceſſum, conformiter ad Conſtitution. Benedicti XIV. *Impoſiti nobis*, 27. *Februar.* 1747. cui nunc ſtandum eſt, in qua præfigitur, ſtatuiturque modus ſervandus etiam in caſu, quo Epiſcopus proprius, vel abeſt, vel non habet ordinationem, ad hoc, ut tam Ordinans, quam ordinatus evitet cenſuras, ut oſtendam ad *cap. III. Abbates de privileg. in VI.*

Titulus XXVII. De Sententia, & re judicata.

SECTIO CCLXXXVII.

CAPUT II. JURGANTIUM, *ex Decretali D. Gregorii, Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Ravennati ſcripta.*

JUrgantium controverſias celeri ſententia terminare, & æquitati convenit, & rigori.

Quid novi acceſſerit huic Decretali circa celerem cauſarum expeditionem, inſtituetur ſermo, *part. II. cum de cap. XX. Trid. ſeſſ. XXIV. de reform.*

SECTIO CCLXXXVIII.

CAPUT III. NON POTEST, *ex Decretali ejuſdem D. Gregorii, ad Natalem, Metropolitanum Salone in Illirico occidentali.*

In compilatione Decretalium, qua in ſcholis, & foro utimur, hæc Decretalis ita incipit, & bis tantum verbis relata „ Non poteſt quemquam a Sacerdotali „ gradu (niſi juſtis ex cauſis) concors Sacerdotum „ ſententia ſubmovere ". Verum adeo diminuta refertur, ut intellectum omnino a Gregorii mente alienum præſeferat, quam lecturam ſecuti Repetentes, eam falſo intellexerunt de depoſitione, ſeu de gradatione Presbyterorum: cum cæteroquin ex integro illius textu clare conſtet, intelligendam eſſe de depoſitione Epiſcoporum, eam quapropter hic integram transſcribo, prout legitur in Gonzalez.

Cum

Cum cuncta negocia indagandæ ſolicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem ſacerdotalium graduum pertinent, diſtrictius ſunt trutinanda: in quibus non tam de humanis conſtitutis, quam divinæ quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentii epidauritanæ civitatis Epiſcopi perſona ad exhortationem veſtræ fraternitatis admonuit. Nuntiatum ſiquidem nobis eſt, a quibuſdam fuiſſe, eum in cauſis criminalibus accuſatum, & nullis canonicis probationibus exquiſitis, nec ſacerdotalis conſilii præveniente judicio, eum ab honoris officio, non jure, ſed auctoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt quemquam epiſcopatus gradu, niſi juſtis ex cauſis, concors Sacerdotum (intellige Epiſcoporum) ſummovere ſententia; hortamur fraternitatem veſtram, ut præfatum virum ex eodem, in quod detruſus eſt, ejici faciatis exilio, cauſamque ejus epiſcopali diſceptatione perquiri. Et ſi in his, in quibus accuſatur, canonica fuerit probatione convictus, canonica procul dubio eſt ultione plectendus. Quod ſi alias, quam de eo æſtimatum eſt, ſynodali fuerit inquiſitione compertum, neceſſe eſt, ut & criminatores juſti diſtrictionem juris exhorreant, & in criminato innocentiæ ſuæ ſerventur illibata ſuffragia. Executionem vero antefati negocii Antonio, ſubdiacono noſtro ex noſtra perceptione mandavimus, quatenus ejus inſtantia, & quæ ſunt legibus, canonibuſque placita decernantur, & decreta, juvante Domino, mancipetur effectui.

In hac Decretali tributa fuerat Epiſcopis, in Conc. provinciali congregatis, facultas cognoſcendi cauſas criminales Epiſcoporum (non Presbyterorum, ut prænotavi) etiam depoſitione, aut privatione dignas, prout jam dixi, tributam fuiſſe a Decretali Conc. Africani, relata in *cap. I. de Quodvultdeo, de judiciis*.

Verum hodie hæc facultas ſublata eſt a Conc. Trident., ut ibidem oſtenſum eſt.

S E C T I O C C L X X X I X.

Caput XI. Consanguinei, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta*.

Conſanguinei E. latricis præſentium, ſicut tuis literis intimaſti, compaternitatem inter ipſam, & virum ſuum legitime probaverunt, ita quod inter eos ſententiam divortii protuliſti. Prædicta vero E. cum ſit tibi poſtmodum confeſſa, quod ejus commater, in veritate ante ſententiam non fuiſſet, ſed poſt ſeparationem compaternitatem cum eo contraxit; & tandem ad ſecundas nuptias convolavit (& infra.) Fraternitati tuæ reſpond., quod propter ſolam confeſſionem mulieris non eſt recedendum a ſententia, per judicium Eccleſiæ rationabiliter promulgata, niſi in contrarium legitime probaretur.

Cum in hac Decretali Clemens indiſtincte loquatur de compaternitate, inducente impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, cumque illius tempore adhuc vigeret hoc impedimentum, ortum ex indirecta compaternitate, quæ ſcilicet, vel contrahebatur inter patrem batizati, & uxorem patrini, prius ab eo cognitam, quam in altera ſua Decretali, relata in *cap. IV. Martinus, de cognat. ſpirit.* declaravit efficacem ad dirimendum matrimonium; vel quæ contrahebatur per cathechiſmum in baptiſmo, ut in altera, itidem ejuſdem Clementis Decretali, relata in *cap. V. Contracto, cit. tit.* ideoque infertur, & hic ipſum loqui, de una, vel altera: quæ utraque hodie abrogata eſt a Conc. Trident., ut infra patebit lib. IV. ad eaſdem citatas Decretales.

SECTIO CCXC.

Caput XIII. Cum inter, *ex Decretali Innocentii III. ad* Hugonem *Abbatem, & Conventum S. Zenonis, diœceſis Veronenſis.*

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, Pontifex primo admittit, Abbatem in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis poſſe inter alia Clericos ſubditos ſuos dirigere pro Ordinibus ſuſcipiendis ad Epiſcopum, qui non ſit illius diœceſis, intra cujus fines ſitum eſt monaſterium: ſecundo initiare poſſe prima Tonſura, nedum monachos ſibi ſubditos, ſed etiam ſeculares, in quos habet ordinariam,& quaſi epiſcopalem juriſdictionem.

Verum ad primum, quod attinet, jàm ſupra, notatum eſt ad *cap. Veniens* XIX. Sectione CCLXXXVI. hoc ab eo pendere, quod interveniant requiſita a Benedicto XIV. Conſtit. *Impoſiti nobis*, de qua infra ad *cap. III. Abbates, de privileg. in VI.*

Ad ſecundum vero, quod ſpectat, prout reſpicit monschos ſibi ſubditos, adhuc viget, juxta jam dicta ad *cap. I. Requiſivit, de ordinatis ab Epiſc. qui renunciavit Epiſcopatui*, & alibi; ac definitum fuit ab ipſomet Tridentino, teſte S. Carolo *in Conc. Mediolan. V. part.* III. *de Sacram ord.* atque pluries etiam declaravit Cong. Conc. ſignanter die 12. Febr. 1724. *in Vratislavien. Tom.* III. *Theſaur. Reſolut. ejuſdem Congreg. pag.* 19. *An* vero adhuc vigeat, prout reſpicit ſubditos ſeculares, comunior ſententia eſt cum Fagnan. in *cap. Quanto, de conſuetud. num.* 24. & latius in *cap. Statuimus, de ſuplen. neglig. Prælator.* Petra *Tom. V. in Commentar. ad Conſtit.* IX. *Pii* II. *num.* 38. *& ſeqq.* Formoſin. in *cap. Cum contingat, de ætate, & qualit. præficiend. q.* II. *n.* 19. *& ſeqq.* qui ſentiunt adhuc vigere quoad aliquid, ſolamque ipſius executionem fuiſſe a Conc. ſuſpenſam, quodammodo per ablationem juriſdict. in ipſos ſubditos, adeo ut, ſi eos ordinet, illicita quidem ſed valida ſit eorum ordinatio, ut ex pluribus Cong. Conc. declarationibus evidente oſtendunt. Ratio ipſorum eſt, quia Abbati Presbytero, etiam ſolemniter benedicto, Concilium Tridentinum ſuſtulit quidem totaliter hoc jus, quando nullos habet ſubditos regulares; non vero, quando hos habet; in hoc namque caſu Concilium in ipſo reliquit poteſtatem, ut ordinando ſuos ſubditos regulares, imprimat in eis characterem, ſimulque eis conferat liberam executionem, ſeu exercitium Ordinis ſuſcepti; e contra alios ordinando, imprimat quidem in eis characterem ratione poteſtatis, ſed non conferat Ordinis executionem, ob ademptam juriſdictionem in ſibi non ſubditos regulares, ut ex declarationibus Cong. ejuſdem Conc., quas afferunt per extenſum. Et ſic ordinatio ſubditi ſecularis, ab Abbate facta in caſu, ita ſe habet, ut ordinatio non ſubditi ſcienter, & pro libitu facta ab Epiſcopo, quæ valida eſt, ſed illicita. Vide Fagnanum, ac Petram loc. cit. ubi ſic concordant varia prædictæ Congreg. decreta, quæ inter ſe videntur contraris.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCXCI.

Caput I. Cum æterni, *ex Decretali Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi celebrato an.* 1245.

CUM æterni tribunal judicis illum reum non habeat, quem injuſte judex condemnat, teſtante Propheta = *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi* = caveant eccleſiaſtici judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſibus nil vindicet odium, vel favor uſurpet, timor exulet præmium, aut expectatio præmii juſtitiam non evertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis, & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum: illius imitantes exemplum, qui querelas populi, tabernaculum ingreſſus, ad Dominum referebat, ut ſecundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex eccleſiaſticus, ordinarius, aut etiam delegatus, famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, contra conſcientiam, & contra juſtitiam, in gravamen partis alterius in judicio quidquam fecerit per gratiam, vel per ſordes, ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti, quam læſerit, nihilominus condemnandus: ſciturus, quod ſi, ſuſpenſione durante, damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo ſe involvet, ſecundum canonicas ſanctiones, a qua non niſi per Summum Pontificem poterit liberari, ſalvis aliis Conſtitutionibus, quæ judicibus, male judicantibus, pœnas ingerunt, & infligunt: dignum eſt enim, ut qui in tot præſumit offendere, pœna multiplici caſtigetur.

Digitized by Google

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi judex eccleſiaſticus, tam ordinarius, quam delegatus contra conſcientiam, & contra juſtitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam, vel ſordes, ab executione officii per annum ſuſpenſus ſit, & ad æſtimationem litis parti, quam læſerit, condemnandus: quod ſi, ſuſpenſione durante, damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo ſe involvet, a quo, nonniſi per Summum Pontificem poterit liberari; ſalvis aliis Conſtitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas infligunt.

Huc ſpectant ex contrario ſenſu propoſitiones, proſcriptæ ab Alexandr. VII. *ſub die 24. Septem. 1665.* & ab Innoc. XI. *ſub die 2. Martii 1679.*

Proſcripta ab Alexandro VII. quæ eſt la XXVI. in ordine = *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio* =.

Proſcripta ab Innocentio XI., quæ eſt la II. in ordine = *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem* =.

Nota I. *ex Theſauro, de Pœnis eccleſiaſt. cap. V. verb. Munera*, quod ſuſpenſio in hac Decretali inflicta, cum lata ſit ad tempus, de natura ſua eſt Papæ reſervata, eſtque tam ab officio judicis, quam ab ordine, non tamen a beneficio.

Nota II. cum eodem Theſauro, dicto verb *Munera, cap. IV.* quod ſi judex munera, ſeu pretium a partibus accipiat pro juſtitia adminiſtranda, ſententia eſt ipſo jure nulla, licet alias juſta: ſi vero lata ſit ob gratiam, eſt annullanda, ſi itidem alias juſta ſit.

Nota III. ex laudato Theſauro, loc. cit. illum teneri in foro conſcientiæ ante declaratoriam reſtituere danti pretium acceptum pro ſententia juſta; pro injuſta autem, ſecundum probabiliorem, poſt condemnationem: qua etiam non ſecuta, obnoxium ſemper eſſe oneri ſatisfaciendi parti læſæ.

Circa dantes, & recipientes munera pro obtinenda gratia, vel juſtitia in Curia Romana, videnda eſt ſumma Conſtitutionis Alexandri VII. *Inter graviſſimas*, 2. *Maii* 1656. quam leges infra ad *cap. I. Excommunicamus, de ſenten. excommunic. in Extravagant. communi.*

Titulus XXVIII. De Appellationibus.

SECTIO CCXCII.

Caput III. Ad nostram, *ex Decretali Alexandri III. Abbati Ordinis S. Benedicti in diœceſi Saienſi Provinciæ Rothomag. ſcripta.*

AD noſtram (& infra.) Quia vero remedium appellationis non eſt inventum, ut alicui a Religionis, & Ordinis obſervantia exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere: mandamus, quatenus, ſi quando quilibet ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & inſtitutionem Ordinis corrigas, & caſtiges.

Quamvis hæc Decretalis loquatur de Regularibus, extenditur tamen a DD. relatis hic a Fagnano ad quoſcumque ſubditos.

In ea igitur ſtatuitur, religioſos ſicut & quoſcumque alios ſubditos, juxta dictam extenſionem, non habere jus appellandi a correctione exceſſuum, quos committunt contra ſuarum regularum obſervantiam, & reſpective contra bonos mores, ſi correctio earumdem regularum mandatum non excedat.

Huic ſanctioni concordat *cap. XXVI. Reprehenſibilis, hoc eod. tit.* in quo etiam appellatio denegatur. Item *cap. XIII, Irrefragabili, de offic. judic. ordinar.* loquens de correctione exceſſuum quorumcumque ſubditorum: in qua materia, correctionem nimirum, & morum reformationem tangente, tam allata capitula, quam ſacri alii Canones non admittunt appellationem, niſi in devolutivo, quas quidem ſanctiones innovavit Tridentinum *cap. I. ſeſſ. XXII.*, & *cap. X. ſeſſ. XXIV. de refor.* ac Benedictus XIV. Conſtit. *Ad militantis*, 30. *Martii* 1742. in qua §. XXI. quoad executionem decretorum circa correctionem morum ab Epiſcopo tam in viſitatione, quam extra interpoſitorum hæc habet.

Item adverſus paſtoralem viſitationem diœceſis, & præſertim monaſteriorum commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, & Præpoſiturarum, in quibus non viget regularis obſervantia, necnon beneficiorum, tam curatorum, quam non curatorum, ſecularium, & regularium, qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: prout etiam ab executione eorum, quæ in ipſa viſitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint: necnon ſimiliter a quibuſcumque decretis, & proviſionibus, etiam extra viſitationem pro conſervatione, vel reparatione eccleſiaſticæ diſciplinæ, quoad vitam, mores, & honeſtatem quorumcumque Clericorum, luxum, comeſſationes, choreas, luſus, crimina, & ſecularia negocia fugienda, atque evitanda, juxta plura decreta dicti Sacri Concilii; & præſertim *ſeſſ. VI. de reform. cap. IV. ſeſſ. XIII. cap. I. ſeſſ. XIV. cap. IV. ſeſſ. XXI. cap. VIII. ſeſſ. XXII. cap. I. & cap. VIII. & ſeſſ. XXIV. cap. X.* ad formam tamen decretorum Sac. Cong. Epiſcoporum, de mandato ſan. mem. Clementis VII. editorum an. MDC.

 In

In cauſa tamen correctionis regularis, vel diſciplinæ eccleſiaſticæ procedendum eſt cum his diſtinctionibus: an Prælatus in correctione procedat, ut judex judicialiter, vel ut pater paterne: in primo caſu, a correctione per ſententiam decreta appellari poterit, Trident. *ſeſſ. XIII. cap. I. de refor.* Fagnan. in *cap. Ad noſtram, de appellat. num.6.* In ſecundo caſu intereſt, an Superior in correctione maneat intra limites, a SS. Canonibus, regula, vel Conſtitutionibus pro pœnis, correctionis gratia preſcriptis; an vero iſtas excedat: in I. caſu non datur appellatio, *cap.* III. *&* XXVI. *de Appellat.* quia ab hujuſmodi correctione appellans, redarguere iniquitatis cenſetur ſacram regulam, vel Sacros Canones, non Prælatum, aut Superiorem, qui non procedit, ut judex, ſed ut regulæ, & Canonum executor: in II. caſu, ſi exceſſus ſit notabilis, gravato conceditur appellatio; quia tunc Superior abutitur ſua poteſtate, *cap.* III. *de appellat. in VI.* Debet tamen eo caſu exprimi cauſa appellationis, ſcilicet, quod Superior corrigendo, modum exceſſerit, ut judici appellationis de juſtitia illius conſtet, & appareat, appellatum eſſe in caſu permiſſo, ut optime advertit Pirring. *tit. de appellat. num.45.*

SECTIO CCXCIII.

Caput XI. De appellationibus, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Vuigornienſi ſcripta.*

DE appellationibus pro cauſis minimis interpoſitis volumus te tenere, quod eis, pro quacumque levi cauſa fiant, non minus eſt, quam ſi pro majoribus fierent, deferendum.

SECTIO CCXCIV.

Caput XII. Super eo, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Archiepiſcopo Senonenſi reſcripta*

SUper eo Sacri Canones, ante, & poſt litis conteſtationem, & in prolatione ſententiæ, & poſt, ſingulis facultatem tribuunt appellandi, leges autem ſeculares appellationem (niſi in caſibus) ante ſententiam non admittunt. In cauſis quoque eccleſiaſticis, ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliquatenus deferendum. Si autem intra certum tempus lis decidenda committitur, & tunc terminus incipit currere, cum judices contigerit literas recepiſſe.

Utraque hæc Decretalis, permittens appellationem a qualibet interlocutoria ſententia, & a quovis gravamine, moderata eſt a Conc. Trid. *cap.* I. *ſeſſ.* XIII. *& cap.* X. *ac* XX. *ſeſſ* XXIV. *de reform.* eam prohibente, conformiter ad jus civile, niſi ſententia habeat vim definitivæ, vel ejus gravamen a definitiva reparari nequeat.

Cum autem in prima tranſcripta Decretali ſtatuatur, appellari poſſe, æque pro minoribus, ſeu levibus, ac pro majoribus cauſis, notandum eſt, hanc non admitti in utriſque cauſis etiam in definitiva, ſi ſit frivola, & fruſtatoria, ut in *cap.* LIII. *Paſtoralis, hoc eod. tit.* declaravit Innocentius III. reſcribens Epiſcopo Helienſi, & Clemens IV. *cap. V. Cum appellationibus, hoc eodem tit. in* VI. Vide Fagnan. *ad cit. cap.* LIII. *n.* 14. *&* 20.

SECTIO CCXCV.

Caput XXIII. Conſtitutis, *ex Decretali laudati Alexandri, Gradenſi Patriarchæ, & E. tit. S. Vitalis, Presbyt. Card. & Priori S. Crucis ſcripta.*

COnſtitutis in præſentia noſtra Abbate S. Felicis, & Presbytero R. pro controverſia, quæ de electione Torcellanæ Eccleſiæ eſt ſuborta, ideoque mandamus, quatenus, ſi Archidiaconus poſt appellationem, & denunciationem excommunicationis, ad nominationem ſæpedicti (proceſſerit, & Primicerius cum Canonicis, & Plebanus cum aſſenſu Cleri Epiſcopatus, vel majoris, & ſanioris partis, prænominatum in Epiſcopum, & Paſtorem elegerint,

non

non obſtante appellatione præfati Archidiaconi, ſi ipſe appellationi prius factæ non detulit, electionem de præfato, factam auctoritate Apoſtolica, confirmetis.

In hac Decretali adſtruitur capitulo facultas eligendi Epiſcopum; ſed hodie hæc reſervata eſt Romano Pontifici, exceptis aliquibus cathedralium capitulis, ut pluries ſupra notatum eſt.

SECTIO CCXCVI.

Caput XXV. Qua fronte, *ex Decretali dicti Alexandri, Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi reſcripta.*

QUA fronte nos conſulere valeas, non videmus cum dicaris ordinem juris pervertere: jam enim non in Eccleſia, ſicut eſt canonicum, & honeſtum, non etiam in palatio, non in camera tua, ſed in camera Regis, contra debitum juris, & pontificalis officii dignitatem, Epiſcoporum electiones diceris confirmare (& infra.) Sane ſi quis pro contumacia, vel alia qualibet cauſa, interdicto, vel excommunicatione tenetur adſtrictus, & offert ſe ad juſtitiam, de his, pro quibus ſententiam ipſam excepit, judex eum (ne in excommunicatione decedat) abſolvere poterit, etiamſi pars adverſa, ne abſolvatur, appellationis obſtaculum interponat: ab ipſo tamen ante abſolutionem ſufficienti cautione recepta, quod vel in præſentia Rom. Pont. ad cujus audientiam appellatur, ſi maluerit adverſarius, vel coram judice, cui cauſam delegaverit, juri pareat æquitati. De his etiam, qui conqueruntur ſe irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto ſuppoſitos, illud idem dicimus, etiamſi ii, qui hujuſmodi protulerunt ſententiam, ad Sedem Apoſtolicam duxerint appellandum.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, excommunicatum abſolvi poſſe, cautione recepta de ſtando mandatis Eccleſiæ, licet adverſarius, vel excommunicans, ne abſolvatur, appellet, limitationem recipit a Decretali Innocent. III. relata *in cap. XXIII. Ex parte, de verbor. ſignif.* in qua cavetur, non eſſe abſolvendum, niſi prius re ipſa ſatisfecerit, ſi excommunicatio lata fuerit pro manifeſta contumacia, vel offenſa, ibi.

Ad intelligendam autem clauſulam privilegii memorati, credimus diſtinguendum, utrum in aliquem interdicti, vel excommunicationis ſententia ſit prolata pro contumacia tantum, quia ſcilicet citatus ſtare noluit juri, vel etiam pro offenſa, quia videlicet juſſus noluit maleficium emendare. In primo caſu credimus congrue ſatisfieri, ut ſententia relaxetur, ſi prius ſufficiens ſtandi juri cautio tribuatur: in ſecundo vero, ſi offenſa eſt manifeſta, non credimus ſatisfieri congrue, ut relaxetur ſententia, niſi prius ſufficiens præſtetur emenda: ſi vero dubia eſt offenſa, ſufficere credimus ad relaxandam eamdem, ſi parendo mandato Eccleſiæ, competens ſatisfactio præbeatur.

SECTIO CCXCVII.

Caput XXVI. Reprehenſibilis, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, in Concilio generali Lateranenſi, celebrato an.* 1179.

REprehenſibilis (& infra.) Præſenti decreto ſtatuimus, ut nec Prælati (niſi canonica commonitione præmiſſa) ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos, niſi forte talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere ſuſpenſionis, vel excommunicationis pœnam inducat. Nec ſubjecti contra diſciplinam eccleſiaſticam in vocem appell. erumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur: intra quem, ſi forte proſequi neglexerit, tunc Epiſcopus libere ſua auctoritate utatur. Si autem in quocumque negocio aliquis appellaverit, & eo, qui appellatus fuerit, veniente, qui appellat, venire neglexerit: ſi quid proprium habuerit, competentem illi reconpenſationem faciat expenſarum, ut hoc ſaltem timore territus, in gravem alterius non

non facile quis appellet. Præcipue vero hoc in religioſis volumus obſervari, ne religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui, & capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter, ac devote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem injunctum.

Circa appellationem a correctione morum, de qua in hac Decretali, Vide notata ſupra ad cap. III. *Ad noſtram*, Sect. CCXCII.

SECTIO CCXCVIII.

Caput XXVIII. Pervenit, *ex Decretali laudati Alexandri, ſcripta Sariſbargenſi Epiſcopo in Anglia.*

Pervenit ad nos, quod cum G. Eccleſiæ tuæ Canonicum, ut in ea reſidentiam faceret, monuiſſes, in appellationem prorupit: cum ipſe autem fruſtratoriæ dilationis cauſa videatur dictus Canonicus appellaſſe, mandamus, quatenus eum ſtudioſe moneas, ut in eadem Eccleſia reſidentiam faciat; vel intra terminum eam proſecuturus, iter ad nos arripiat veniendi. Interim vero alicui honeſtæ perſonæ vices ejus in Eccleſia prætaxata committas, & ei de beneficiis illius aſſignes, unde poſſit congrue ſuſtentari. Quod ſi præfatus G. alterum iſtorum adimplere neglexerit, tu præbenda ſua prives eumdem, & eam alii idoneæ perſonæ concedas.

Hæc Decretalis, in qua præeipitur, Canonicum, poſt monitionem non reſidentem, ſtatim privandum eſſe præbenda, moderata eſt a Conc. Trident. ſtatuente *cap.* XII. *ſeſſ.* XXIV. *de reformatione*, ante privationem primo anno privandum eſſe dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, & reſidentiæ ſuos non fecit: & ſi iterum eadem negligentia in reſidendo uſus fuerit, privandum omnibus fructibus, quos itidem ratione præbendæ, & reſidentiæ eo anno lucratus fuerit, & ſic non privandum, niſi poſt tres annos, ut etiam notabo infra ad cap. VI. *Conquerente, de Cleric. non reſident.*

SECTIO CCXCIX.

Caput XXXI. De Priore, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Eboracenſi Archiepiſcopo reſcripta, juxta Cujacium.*

De Priore (& infra.) Cæterum, ſi præfatus Canonicus Priorem propter ſuas enormitates manifeſtas, quæ ipſum notabilem reddunt, ad Sedem Apoſt. appellavit, & ipſe tali appell. deferre contempſit, eum cum literis tuis, veritatem continentibus, de tanto exceſſu ſatisfacturum ad Sed. Apoſt. venire compellas.

In hac Decretali præcipitur, eum, qui non detulit appellationi, ad Papam interpoſitæ, mittendum eſſe cum literis ſui Ordinarii ad Rom. Curiam, ut ibidem puniatur.

Verum hæc perſonalis miſſio, ſeu acceſſus ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ in deſuetudinem abiit, ut notabitur infra.

SECTIO CCC.

Caput XXXII. Quia nos, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis ſcripta*.

Quia nos (& infra.) Ut Abbates, qui de aliqua publica infamia publice reſperſi ſunt, aut convicti, deinde in communi capitulo commoniti, prælationi cedere noluerint, appellandi non habeant facultatem.

In hac pariter Decretali denegatur appellatio a correctione morum, & reformatione diſciplinæ regularis; circa quod vide notata ſupra ad cap. III. *Ad noſtram* Sect. CCXCII.

SECTIO CCCI.

Caput XXXIV. Ad audientiam, *ex Decretali dicti Alexandri, Abulenſi Epiſcopo ſcripta*.

Ad audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod cum Zamorenſis Epiſcopus G. Presbyterum Eccleſiæ S. Jacobi Zamoren. multipliciter moleſtaret: tandem idem Presbyter ſe, & Eccleſiam ſuam noſtræ protectioni ſubjecit. Licet autem prædictus Presbyter ex ſimplicitate forte verbum appell. non expreſſerit; quia tamen poſtquam ſe, & ſua noſtræ protectioni ſubjecerit, non debuit ſine cauſæ cognitione aliqua ſententia condemnari: mandamus, quatenus (ſi ita tibi conſtiterit) ſententiam, quam præfatus Epiſcopus in eumdem Presbyterum tulit, denuncies, non tenere.

Statuit hic Alexander, eum, qui ſe, & ſua Apoſtolicæ Sedia ſubjecit, eo ipſo videri conſtitutum ſub ejuſdem protectione, ad effectum appellationis interponendæ, quamvis appellationis nullam vocem emiſerit, ampliata eſt a Cœleſtino III. cap. unico *Conquerente, tit. de Cleric. peregrinant.* decernente, intelligi interpoſitam eſſe appellationem etiam ab eo, qui ſolo peregrinandi animo Romam petiit, quamvis ſe, & ſua Apoſtolicæ Sedi expreſſe non ſubjecerit. Textum leges infra ad dictum titulum.

SECTIO CCCII.

Caput XLI. Secundo requiris, *ex Decretali Cæleſtini III. Rhotomagenſi Decano reſcripta*.

Secundo requiris, cum pluribus articulis in una commiſſione poſitis, in uno tantum contingit appellationem expreſſe vetari: utrum appellatio teneat, ſi ſuper aliis fuerit appellatum? In quo tibi reſpondemus: quod cum ſecundum B. Gregorium verba intentioni deſerviant, & hæc ſit noſtra intentio, ut de omnibus articulis, qui in commiſſione ponuntur, juſtitia ſuum conſequatur effectum, in omnibus appellatio intelligitur interdicta; nihil enim intereſt, utrum inhibeatur primo, an ſecundo, medio, an in fine cum (ſicut utriuſque juris argumenta nos docent) ea, quæ in principio, ad medium, & ad finem: illa vero, quæ in medio, ad finem, atque principium ſæpe referri contingat. Tertio poſtulas edoceri (& infra.) Conſult. t. t. reſp. quod cum aliquis judicem proponit ſe habere ſuſpectum, ſuſpicionis cauſam coram eodem allegare tenetur.

SE-

SECTIO CCCIII.

Caput LXI. Cum speciali, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

CUM ſpeciali ſit prohibitione proviſum, ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti commonitione præmiſſa promulgare præſumat: volentes etiam providere, ne forte commonitus, fruſtratoriæ recuſationis, vel appellationis obtentu, monentis poſſit declinare examen; ſtatuimus, ut allegaverit, ſe judicem habere ſuſpectum, coram eodem cauſam juſtæ ſuſpicionis aſſignet.

In his duabus Decretalibus ſtatuitur, ut recuſari poſſit judex, quem quis proponit, ſe habere ſuſpectum, ſuſpicionis cauſam coram eodem allegans.

Ex Conſtit. Bened. XIV. *Romanæ Curiæ*, 21. *Decem.* 1744. qua confirmantur decreta, alias edita, 10. Jan. 1742. *De Judicum recuſationibus* pro ditione eccleſiaſtica: hi recuſari non poſſunt tamquam ſuſpecti. I. In cauſis executivis depoſiti, & futurorum alimentorum. II. In cauſis deſignatis per decreta, edita a Congat. Reformationis tribunalium urbis, 17. Aprilis 1731. videlicet pro ſchedulis, vulgo pagherò per altretanti, literis cambii, jam acceptatis, mercede, penſionibus domorum, & ſolutione canonum. III. In cauſis, non excedentibus valorem ſcutorum viginti quinque. In aliis vero quibuſcumque cauſis, tam executivis, quam ordinariis, & in quacumque inſtantia (exceptis dumtaxat cauſis commiſſariis) unica permititur recuſatio judicis abſque allegatione cauſæ ſuſpicionis intra tres dies, numerandos a die reproductionis monitorii, vel citationis ad dicendum contra jura: in reliquis recuſationibus ſervandum eſt jus commune, citationeſque quoad ulteriores recuſationes impune ſperni poſſunt, niſi in ipſis certa, & juſta cauſa exprimatur.

SECTIO CCCIV.

Caput LXVI. Dilecti filii, *ex Decretali Honorii III. ſcripta Magiſtro G. Archidiacono, & officiali Lemovicenſi, ac Archipresbytero de Notron, Lemovicenſis diœceſis.*

Dilecti filii Prior, & conventus de lacu Rubeo tranſmiſſa nobis petitione monſtrarunt (& infra.) Ex parte dictorum Prioris, & conventus fuit excipiendo propoſitum, quod, cum omiſſo diœceſano Epiſcopo, fuiſſet ad Archiepiſcopum appellatum, ad quem gradatim fuerat appellandum, in cauſa ipſa de jure procedere non debebat: ſed quia officialis Archiepiſcopi hujuſmodi exceptionem admittere denegabat, ipſi ad noſtram audientiam appellarunt. (& infra.) Quocirca mandamus, quatenus ſententias poſt hujuſmodi appell. latas (in eos) denuncietis penitus non tenere.

In hac Decretali ſtatuitur, appellationem fieri non poſſe, omiſſo medio, ſed faciendam eſſe gradatim, puta ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, ab hoc ad Primatem. Patriarcam &c. ne eccleſiaſticæ juriſdictiones confundantur. Idem ſtatuitur a Bonifacio VIII. *in cap. III. Romana §. ab Archidiaconis, hoc eod. tit.*

Verum ab hac regula excipiuntur varii caſus, in quibus appellari poteſt, omiſſo medio, inter quos eſt.

I. Cum appellatur ad Romanum Pontificem, ob plenitudinem poteſtatis, cum illius juriſdictio ſit concurrens cum juriſdictione omnium Ordinariorum *Can. XV. Si quis, cauſ. II. q. VI. cap. VII. Si duobus, cap. XXXI. De Priore, & cap. XXXIV. Ad audientiam, hoc eod. tit.* nedum ſi agatur de quolibet judice eccleſiaſtico, ſed etiam laico, in terris tamen Papæ ſubjectis, *cit. cap. VII.*

II. Cum appellatur ad legatum Papæ in illius legationis diſtrictu *cap. I. Cum non ignoratis, de offic. legati.*

Nota, etiam in Ordinibus regularibus appellationem faciendam eſſe gradatim: ſic a Prælato locali appellandum eſt ad Provincialem, ab hoc ad Generalem; tum ad Protectorem: deinde ad S. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, tandem ad Sedem Apoſtolicam.

Pro qua regula ſubiicitur hic decretum ejuſdem Congregat. Typis datum Romæ apud Impreſſorem Cameralem an. 1587. inſertum in Conſtit. Benedicti XIV. edita favore Ordinis Minorum, ſive obſervantium, ſive Reformatorum, Recollectorum, & Diſcalceatorum pro ſervanda hujuſmodi gradatione, incipien, *Sacroſancti Apoſtolatus, ſub die* 11. *Aug.* 1748.

Quoniam nonnulli Regulares vagandi ſtudio, ſivedum imminentem admiſſorum criminum pœnam, ex ſuis Conſtitutionibus, aut alias debitam ſibi metuunt, falſa, & commentitia gravamina cauſati non ad immediate ſui Ordinis Superiores, ſcilicet a gravamine Prioris ad Provincialem a Provinciali, ad Generalem, a Generali, ad Protectorem, prout cujuſque Religionis Conſtitutionibus diſponitur, ſed ad hanc Romanam Curiam abſque licentia ſæpius fugiunt, potius quam recurrant, ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores evadunt. Placuit S. Regularium Congregationi ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere, ut ſi quis Regularium in poſterum temere, levique ex cauſa hanc Almam Urbem, ſeu Curiam, abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa, adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores, ſeveriori pœna plectendus remittatur.

F. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.

Gregorius Palearius V. J. D. Secretarius.

Sed hodie, quoad appellationem ad Protectorem huic decreto derogatum eſt ab Innocentio XII. qui Conſtit. *Chriſtifidelium*, 16. *Feb.* 1694., §. *Inſuper*, illi ademit facultatem cognoſcendi cauſas particularium Religioſorum, ibi.

Et nihilominus, ne hujuſmodi Protectores in aliquibus negociis, cauſis, ſeu rebus, quæ univerſum Ordinem, ſeu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacumque cauſa, occaſione, titulo, ſeu prætextu ſeſe quoquomodo intromittant, ſeu ingerant, etiam tenore præſentium penitus probibemus, ſtatuimus, atque decernimus.

Hæc Innocentiana Conſtit. confirmata eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Quantum*, 15. Februarii 1741.

Pro meo Ordine Scholarum Piarum attendendam eſt ſequens Breve Clem. XII. 14. Novem. 1739

Cum ſicut .... ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus dictæ Congregationis Clericus Regularis, aliave perſona, cujuſvis gradus, dignitatis, & conditionis exiſtat, in caſibus, in quibus de jure, vel juſta Congregationis præfatæ Conſtitutiones, a Sede Apoſtolica confirmatas appellare, aut recurrere licet, id non aliter facere valeat, quam gradatim, nempe a Rectori Collegii, ſeu domus, utpote immediato Superiore, ad Præpoſitum Provincialem, & deinde ad ipſum Præpoſitum Generalem ejuſdem Congregationis; itaut cauſæ appellationis, ſeu recurſus hujuſmodi antequam a dicto Præpoſito Generali cognitæ, & definitæ fuerint extra eamdem Congregationem deferri, & agitari nequeant: ac propterea omnibus, & ſingulis Romanæ Curiæ tribunalibus, ac judicibus, ex quibuſvis, etiam S. R. E Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apoſtolicæ, Nunciis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne Clericorum Regularium, ac perſonarum Congregationis prædictæ appellationes, aut recurſus admittant, cauſaſque præfatas cognoſcant, niſi prius legitime ſibi conſtiterit; illas per eundem Præpoſitum Generalem prius cognitas, & definitas fuiſſe ſub pœna nullitatis actorum, ac inde ſecutorum, & quod Religioſos appellantes, vel recurrentes, qui præmiſſis contravenerint ſub gravibus noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio infligendis pœnis dicta auctoritate tenore præſentium prohibemus.

Similia Brevia referuntur conceſſa in cit. Conſtit. Benedicti XIV. Ordinibus Fratrum Prædicatorum, ac Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, a Benedicto XIII. Fratrum minorum S. Franciſci Capuccinorum, a Clemente XII. ac Ordini S. Auguſtini, atque Excalceatorum ejuſdem Ordinis, Congregationibus Monachorum Silveſtrinorum, & Ordini S. Franciſci Conventualium, ac tandem a laudato Benedicto XIV. Ordini S. Franciſci de Paula Minorum.

SECTIO CCCV.

Caput LXVIII. Intimasti, *ex Decretali Gregorii IX. Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalariis S. Joannis Hieroſolymitani reſcripta.*

INtimaſti (& infra.) Præterea, Hoſpitalariis ignorantibus, & non facta eis copia de inquiſitionis proceſſu, ad nos relationem tranſmiſiſſe noſcuntur, cum juxta legitimas ſanctiones, quoties relaturum ſe judex quilibet pollicetur, illico litigatoribus apud acta conſultationis exemplum edere teneatur.

Antequam ad hujus Decretalis explanationem deveniatur, notandum eſt, S. Raymundum in hac Gregoriana Collectione adinſtar Trebonii in digeſtis aliquid intermiſcendum putaſſe de relationibus, ſeu judicum ad ſupremum Principem conſultationibus, quibus ſtantibus ſolebat appellatio anteverti, ſi ante ſententia n dixiſſet judex, eumdem Principem eſſe conſulendum, quid facto opus eſſet, vel eludi, ſi poſt ſententiam, ut in *L. penult. ff. de appellat. recip. L. penult. cod. Theodoſ. de Relationib.*

Harum quidem relationum uſum in cauſis dubiis apud veteres frequentem, ut vitium brevitati inimicum, ſuſtulit Juſtinianus *Novel. CXXV.* jure tamen pontificio retentum fuiſſe conſtat tum ex hac Decretali, tum ex *cap. V. Licet, de offic. Legat. Can. XII. Novum, cauſ. II. q. 1. Can. XXIX. Biinum, in fin. eid. cauſ. q. 6. Can. XLVIII. Si quid, d. cauſ. q. 7. Can. III. Denique, cauſ. VI. q. 3 & Can. I. De libellis, verſ. Nam ſi tale, diſt. XX.* cum ea tamen conditione, ut antequam judex mittat ad Principem, ejus exemplum, & ſuæ opinionis apud acta litigantibus edat, & eorum refutationes, ſeu refutatorias preces jungat, ſi quid forte alterutri imperfectum videatur: atque ita plenam, atque integram totius controverſiæ inſtructionem relatio contineat, ne tantillum ambigere, quid ſit a ſe reſcribendum idem Princeps poſſit, prout præſcribebatur *L. Ne cauſas 15. L. Jubemus, 34. cod. hoc tit. L. ult. ff. quand. appelland. ſit, L. Inter pœnas, 6 ff. de interdictis, & relegatis, L. 2. cod. de offic. Vicar. & tot. tit. de Relationib.*

Species itaque hujus Decretalis hæc eſt. Cum tranſmiſſa fuiſſet ad Gregorium relatio de cauſa contra quoſdam Hoſpitalarios, nullatenus facta copia de inquiſitionis proceſſu, declarat non, recte judicem proceſſiſſe, cum ſecundum allatas leges, quoties idem judex dicit, ſe velle referre negocium ad ſuperiorem, ſtatim teneatur dare litigantibus exemplum.

Verum hodie = Relationes iſtæ fere exoleverunt, & in locum illarum ſubintravit recurſus ad juriſconſultos, & academias, & donec ab his reſpondeatur, judex non ſolet in cauſa procedere = ita *Vallen. & Remig. Maſchat. Inſtit. Canon., hoc eod. tit. n. 29.*

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCVI.

Caput I. Cordi, *ex Decretali Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunenſi celebrato an. 1245.*

COrdi nobis eſt lites minuere, & a laboribus relevare ſubjectos, Sancimus igitur, ut ſi quis in judicio, vel extra ſuper interlocutoria, vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum; cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat apoſtolos, quos ei præcipimus exhiberi, in quibus appellationis cauſam exprimat, & cur appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi forſan ex ſuperioris reverentia ſit delatum. Poſt hoc appellatori ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum, & negocii qualitatem, tempore proſecutionis indulto, ſi voluerit appellatus, & petierit, principales perſonæ, per ſe, vel per procuratores inſtructos, cum mandato ad agendum, & cum rationibus, & munimentis ad cauſam ſpectantibus, accedant ad Sedem Apoſtolicam, ſic parati, ut (ſi nobis viſum fuerit expedire) finito appellationis articulo, vel de partium voluntate omiſſo, procedatur in negocio principali, quantum de jure poterit, & debebit: iis, quæ in appellationibus a definitivis ſententiis interpoſitis antiquitas ſtatuit, non mutatis. Quod ſi appellator, quæ præmiſſa ſunt, non obſervet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen, in expenſis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempſerit hoc ſtatutum, in eum, tanquam in contumacem, tam in expenſis, quam in cauſa (quantum a jure permittitur) procedatur. Juſtum eſt equidem, ut in eum jura inſurgant, qui jus, & judicem, & partem illudit,

Hæc

Hæc Decretalis, permittens appellationem a qualibet interlocutoria ſententia, & a quovis gravamine, moderata eſt a Tridentino, ut jam notavi ad *cap. XI. & XII. hoc eod. tit.* Sect. CCXCIV.

Quoad appellationem interponendam in ſcriptis, ut ſtatuitur in hac Decretali, Patterinus *ad cap. V. Et ſi ſententia, hoc tit. in VI. art. VIII. nu. 142. & 143.* probat, neceſſario interponendam eſſe in ſcriptis, cum appellatur dumtaxat ab interlocutoria, non vero cum a definitiva in qua fieri poteſt voce = *coram judice ſententiante ſtatim, & in continenti, ſed non ex intervallo, quando judex pronuntiat, & ante quam a tribunali diſcedat animo non revertendi ſtatim* =.

Quoad petitionem apoſtolorum vide notanda infra poſt ſequens caput.

SECTIO CCCVII.

CAPUT IV. UT SUPER, *ex Decretali ejuſdem Innocentii.*

UT ſuper appellatione, ac ejus cauſa inſtructio facilior valeat in proceſſu haberi, diſtricte præcipimus, quod ille, a quo appellatur, apoſtolos appellanti (juxta tenorem Conſtitutionis noſtræ ſuper hoc editæ) tribuat requiſitus. Si vero non exhibuerit, ex tunc, ſi forte in cauſa procedat (niſi appellationi renunciatum fuerit) ejus invalidus, & irritus ſit proceſſus.

Quando diſpoſitio tam hujus Decretalis, quam alterius, relatæ in *cap. Cordi*, jam tranſcriptæ Sectione CCCVI. locum habeat, declarata eſt a Bonif. VIII. in ſequenti Decretali, relata *in cap. VI. hoc eod. tit.*

Ab eo, qui appellat, intra triginta dies, inſtanter apoſtoli peti debent, & eidem intra dictum tempus a judice exhiberi: alias præſumitur appellationi ſuæ renunciare appellans, ſi eos intra idem tempus petere prætermittat, etiamſi vadat, aut mittat ad appellationem hujuſmodi proſequendam. Illud autem, quod fel. record. Innocentius Papa IV. Prædeceſſor noſter ſtatuendum decrevit, ut ſi is, a quo appellatur, apoſtolos appellanti non tribuat requiſitus, ex tunc, ſi forte in cauſa procedat (niſi appellationi renunciatum fuerit) ejus invalidus ſit proceſſus: tunc demum obtinet, cum judex ſuper hoc cum debita inſtantia, loco, & tempore congruo requiſitus, eos expreſſe denegat, vel intra præmiſſum tempus malitioſe, aut negligenter illi tradere prætermittit.

Quia autem hic ſtatuit Bonifacius, apoſtolos (ideſt literas miſſorias, quibus appellans mittitur a Judice inferiori ad ſuperiorem) inſtanter eſſe petendas, & pro ly *inſtanter* exponitur pro *Sæpiſſime a can. XVI. Si quis erga, cauſ. II. q. 7.* (tributo Alexandro I.) *& can. XXXI. Poſt appellationem, ead. cauſ. q. 6.* ideſt *tertio*, ut hic Gloſſ. d. verb. *Inſtanter*, iſte rigor temperatus eſt a Clemente V. in Conc. Viennenſi, ita ut non ſit neceſſe tribus ſeparatis vicibus inſtare pro illis obtinendis, ſed ſufficiat unico contextu, ideſt nullo alieno actu interpoſito, bis, aut ter eoſdem petere, ut ex ejuſdem Decretali, relata in *cap. II. Quamvis, hoc eod. tit. in Clementin.* juxta quam hodie procedendum eſſe admonet præfata Gloſ.

Quamvis rigor juris expoſcat, eum, qui appellat, debere petere apoſtolos congruo loco, & tempore ſæpius, & inſtanter: nos tamen antiquam, & communem obſervantiam litigantium ſequi, & æquitatem rigori præferri volentes, decernimus ſufficere, quod per appellantem ſimul uno contextu apoſtoli inſtanter, & ſæpius poſtulentur.

SECTIO CCCVIII.

APPENDIX

AD HUNC TITULUM DE APPELLATIONIBUS,

In qua afferantur varia Decreta, ad eamdem materiam ſpectantia.

DECRETA

Sac. Congreg. Epiſcoporum de mandato Clementis Papæ VIII. lata an. 1600. circa Appellationes, & inhibitione, relata num. XIII. in Appendice Conc. Romani celebrati ſub Benedicto XIII. an. 1725.

AD tollendas ambiguitates, & controverſias juriſdictionales, quæ inter appellationem, & prioris inſtantiæ judices, non ſine partium diſpendio, curſuſque juſtitiæ impedimento, & ſæpe cum ſcandalo oriuntur, Sacra Congregatio cauſis Epiſcoporum præpoſita, facta prius relatione S. D. N. Clementi Papæ VIII. ac de Sanctitatis ſuæ mandato vivæ vocis oraculo deſuper habito, in hunc, qui ſequitur, modum ab omnibus, ad quos ſpectat, in poſterum fieri, ac ſervari debere mandavit, & mandat.

I. Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, aut Patriarchæ in Suffraganeos, eorumve ſubditos non judicent, niſi in caſibus a jure expreſſis.

II. Item, nec alii ſuperiores, etiam Nuncii, vel Legati de latere, ſpecificam facultatem majorem non habentes, cauſas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum judicum pendentes, ad ſe non advocent, niſi per viam legitimæ appellationis ad ipſorum tribunalia deferantur, tuncque appellantes ab inferiorum juriſdictionibus quoad alias cauſas eximere non poſſint.

III. Appellationes nunquam recipiantur, niſi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius conſtiterit, appellationem a ſententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut a gravamine, quod per definitivam ſententiam reparari non poſſit in caſibus a jure non prohibitis, per legitimam perſonam, & intra debita tempora fuiſſe interpoſitam, ac proſequutam.

IV. Nec, dum cauſa coram inferioribus judicibus pendet ante definitivam ſententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine illato Superiores cognoſcere valeant, licet citra præjudicium curſus cauſarum ſe id facere conteſtentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, ut ipſis copia proceſſus tranſmittatur, etiam expenſis appellantis.

V. Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur, receptam, non concedantur, niſi cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti definitivi, aut vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis, alias inhibitiones, & proceſſus, & inde ſequuta quæcunque, ſint ipſo jure nulla, eiſque impune non parere liceat.

VI. Si appellans afferat ſententiæ, aut appellationis exemplum culpa judicis a quo, vel actuarii habere non poſſe, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, ſed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut ſoluta digna merce de actorum, exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen judex a quo ne ſi vere appellatum fuerit in caſu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet; & ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitionem conſtiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta poſſit judex appellationis adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

VII. Ab executione decretorum Sac. Conc. Trident. aut Viſitationis Apoſtolicæ, appellationes a Metropolitanis non recipiantur, nec ſi Epiſcopi, virtute ejuſdem Sacri Concilii procedunt, uti Sedis Apoſtolicæ delegati, in cauſis, quæ ſub eorum juriſdictione ordinaria non comprehenduntur, ſalva tamen in hoc caſu legatorum, & Nunciorum Apoſtolicorum auctoritate.

VIII. In cauſis vero viſitationis ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum, admittantur, niſi de gravamine per definitivam irreparabili agatur; vel

cum

cum viſitator, citata parte, & adhibita cauſæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſivum.

IX. Cum a graſtamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebita carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam comminatæ, appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel proviſio aliqua concedatur.

X. Cauſa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit, quoad judex, ad quem appellatum eſt, viſis actis, & cauſa cognita, aliter decreverit; & tunc, ſi a judicis, ad quem, decreto vim definitivæ habente, fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poterit, donec per judicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.

XI. Acta originalia proceſſus primæ inſtantiæ, ad judicem appellationis notarius mittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa, & ſuſpicio incidat, quæ judicialiter obiiciatur, & tunc, terminata cauſa, remittenda ſunt ad Ordinarium, ut in ſuo archivio conſerventur.

XII. Cenſura eccleſiaſtica in appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per judicem appellationis non poſſit, niſi auditis partibus, & cauſa cognita, tuncque ſi conſtiterit, eam juſtam eſſe, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus eſt, ut ab ipſo juxta Sacros Canones beneficium abſolutionis, ſi humiliter petierit, debitamque emendationem præſtiterit, obtineat: ſi vero injuſtam eſſe clare apparet, ſuperior abſolutionem impendat; ſi dubitetur, honeſtius eſt, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum, eidem præfigendum, abſolvendus remittatur, licet etiam ſuperior hoc caſu idipſum per ſe præſtare jure poſſit.

XIII. Abſolutio ad cautelam, non niſi parte citata, & viſis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel a jure, ſi occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, & præſtita per excommunicatum cautione de ſtando juri, & parendo mandatis Eccleſiæ tantum, & ſi juxta formam a jure præſcriptam apparebit, quem ob manifeſtam offenſam excommunicatum fuiſſe, debitam etiam ſatisfactionem præſtare, & ſi ob contumaciam manifeſtam, expenſas pariter ſatisfacere, & cavere de judicio ſiſti coram excommunicatore quis tenebitur, priuſquam ad cautelam abſolvatur.

A ſententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis proviſio, quamdiu appellans in hujuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur.

Romæ in Sacra Congreg. die 16. Octobr. 1600.

D E C R E T A
U R B A N I P A P Æ V I I I.

Relata cit. num. XIII. ejuſdem Appendicis Conc. Romani, circa eamdem materiam Appellationum, & Inhibitionum.

Declaratio S. Cong. Cardinalium, & Prælatorum, a ſan. mem. Urbano VIII. alias deputatæ, & a Sanctiſſimo D.N. Innocentio X. renovatæ, ſuper appellationibus tribunalis Auditoris Cameræ, & aliorum tribunalium Curiæ Romanæ, in præjudicium Nuntiorum, Epiſcoporum, ac Superiorum regularium, tenoris infraſcripti, videlicet. Dubitatum fuit.

I. An in tribunali Auditoris Cameræ Romanæ poſſint concedi monitiones, ſeu monitoria cum abſolutione, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, excommunicatis per Epiſcopos, & alios Ordinarios ex cauſa violatæ juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ, appellantibus, vel alias recurrentibus ad ſupradicta tribunalia.

II. An in cauſis, quæ agitantur in ſupradictis tribunalibus Curiæ Romanæ, poſſit recurſus haberi ad S. Congreg. ſuper Immunitate, & controverſiis juriſdictionalibus, pro reſolutione,

ne, vel declaratione, an ſit, vel non ſit commiſſa violatio juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ, & an ſit locus reintegrationi hujuſmodi violationis; & interim debeant dicta tribunalia ſuperſedere uſque ad reſolutionem, ſeu declarationem ejuſdem S.Cong., illamque ſequi, & exequi.

Die 4. & 11. Auguſti 1626. Dubiis ſupradictis, cum interventu omnium Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium, & Reverendiſſimorum Prælatorum deputatorum, mature diſcuſſis, ac rationibus, hinc inde deductis, diligenter ponderatis, unanimi conſenſu cenſuit.

Quoad I. Tribunal Auditoris Cameræ, necnon alia tribunalia ſupradicta non poſſe hujuſmodi abſolutiones concedere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam.

Quo vero ad II. Ut ſupra, recurri poſſe; & interim ſupradicta tribunalia expectare debere reſolutionem, ſeu declarationem, & illam omnino ſequi, & exequi.

Quibus quidem decretis eidem Sanctiſſimo die 5. Septembris ejuſdem anni 1626. plene relatis, una cum rationibus, & auctoritatibus, ſua Sanctitas ea approbavit, & confirmavit, illaque omnia exequi juſſit; & ad hunc effectum notificata fuerunt. Et ſubinde, cum de ſupradictis dubiis iterum actum eſſet in Congregatione, habita die 27. Aprilis 1650. nemine diſſentiente, reſolutum fuit, Auditorem Cameræ debere decreta, ut ſupra, edita omnino obſervare, ac præcipere, ut a ſuis miniſtris, & officialibus exacte obſerventur.

Sequuntur additiones, ſeu declarationes

Sanctiſſimi Domini Noſtri

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Super quibuſdam ex allatis decretis, quas Sanctitas Sua, de conſilio & voto Congregationis particularis, ab ipſomet deputatæ ſuper reformatione Tribunalium, & Congregationum, ſervandas in poſterum diſtricte mandat, & præcipit, cit. eod. tit. XIV. cap. I. pag. 26.

Ad II. Decretum Clementis VIII.

I. Recipi poſſint, & dumtaxat in Tribunali Auditoris Cameræ, conſtituta reorum in cauſis primæ inſtantiæ, in quibus de pœnis corporalibus agitur, habita ratione ad titulum inquiſitionis, non vero in cauſis cenſurarum, vel ſimplicis multæ, vel declarationis irregularitatis, ſive in aliis cauſis, in quibus dicta pœna corporalis non intrat.

II. Regularium conſtituta nunquam recipiantur.

III. Hujuſmodi conſtituta fieri tantum poſſint coram A. C. in criminalibus, non vero coram alio Iudice appellationis, neque in Urbe, neque extra eam, nec etiam in S. Congr. negociis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita.

IV. Conſtitutus reus coram A. C. debeat ſtatim in carceribus formalibus Urbis detineri; deinde primum expediantur in ejus tribunali literæ inhibitoriales, & comoulſoriales (abſque eo quod conſtitutus juret, ſe ſuſpectum habere Ordinarium) pro tranſmiſſione actorum coram dicto Ordinario; nec poſſit reus habilitari per Urbem, & extra carceres formales, niſi viſis, & diſcuſſis actis, & quatenus de jure ſit locus dictæ habilitationi, audita parte offenſa, vel ejus Procuratore, ſi in curia ſit præſens, necnon Fiſco R. C. A. & quatenus cauſa ſit, cum Procuratore, Fiſcali curiæ eccleſiaſticæ, audito Promotore fiſcali curiarum epiſcopalium in Urbe, atque inſuper facto deſuper verbo in plena Congregatione Criminali A. C.

V. Si acta, vel non incæpta coram Ordinario, vel ſufficienter impinguata non fuerint, non communicentur reo, ſed, eo retento in carceribus formalibus, committatur Ordinario proceſſus informativi compilatio, vel reſpective impinguatio, facienda expenſis partis querelantis, vel Fiſci eccleſiaſtici, ſi ea non adſit.

VI. Actis ſufficienter impinguatis, ſervatis ſervandis, procedatur ad expeditionem cauſæ, prout de jure, audita ſemper parte offenſa, vel ejus Procuratore, nec non Fiſco R. C. A. & Curiarum epiſcopalium, ut ſupra, in quolibet actu, diſtricte injungente Sanctitate Sua, ut

Digitized by Google

ut coram ſemetipſo A. C. tractari, & expediri faciat hujuſmodi cauſas juxta meritum juſtitiæ, ne rei inquiſiti, forum Ordinarii declinantes in prima inſtantia, in Urbe quærant reatuum præſidium.

Ad V. & VI. Decretum.

Cum experientia docuerit, non raro appellantibus ad tribunal A. C. Ordinarios denegare copias publicas ſententiarum, vel decretorum, & aliquando continuare actus præjudiciales, contra appellantes in odium etiam appellationis interpoſitæ. Quapropter, ſi forma, Decreti VI. indiſtincte ſervanda eſſet, tempore, quo requiſitoriæ judicis appellationis expediuntur, & ad manus judicis, a quo appellatum fuit, perveniant, præſertim ſi magna ſit locorum diſtantia, præjudicia contra appellantes cumularentur: ideo Sanctiſſimus Dominus Noſter declarat, & denuo ſtatuit, & mandat, in aliquibus caſibus, & circumſtantiis, in quibus arbitrio, & prudentia A. C. & Locumtenentium, ad quos appellatio fuit interpoſita, neceſſe eſt opportune, & ſolicite provideri, ut prævia in actis productione copiæ ſimplicis ſententiæ, ſeu decreti, poſſint expediri inhibitiones vigore appellationis cum inſertione ejuſdem ſimplicis copiæ: ita tamen, ut in corpore ejuſdem inhibitionis exprimatur, quod, ſi ſententia, ſive decretum inſertum, non fuerit latum ante expeditionem literarum inhibitorialium, vel copia non fuerit conformis originali, ſententiæ, ſive decreto promulgato, tunc inhibitio nullatenus vim habeat, & afficiat, ſicuti præſentis decreti tenore nulla, & irrita declaratur, ut impune ſperni poſſit, ac valeat.

Caveant autem notarii, ne inhibitiones vigore appellationis concedant, niſi cum copia publica ad formam dictorum decretorum ſub Clemente VIII. & in caſibus particularibus cum copia ſimplici, modo tamen ſupra expreſſo; facto de his verbo cum judice, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, aliiſque corporalibus, arbitrio Sanctitatis ſuæ.

Ad IX. Decretum.

Sanctitas ſua declarat, & mandat: in caſu prætenſæ indebitæ carcerationis, quatenus ſit ſequuta cum mandato judicis verbali, ut poſſint expediri inhibitiones vigore appellationis, conſtito tantum de carceratione per publicum documentum notarii, vel carcerarii, ſive etiam cum depoſitione duorum teſtium. In cauſis vero comminatæ injuſtæ carcerationis, torturæ, vel excommunicationis, Sanctitas ſua declarat, & mandat, ut non expediantur inhibitiones generales, & indefinitæ, ſed tantum compulſoriales pro tranſmiſſione copiæ actorum ad effectum cognoſcendi, an ſit deferendum, nec ne appellationi, adjuncta in dictis literis compulſorialibus inhibitione, ut interim judex a quo ad ulteriora non procedat: & quatenus, viſis actis, reſultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, & cauſa agnoſcatur coram judice ad quem, ſi vero de hujuſmodi gravamine non conſtet, remittatur cauſa ad judicem, a quo cognoſcenda in prima inſtantia.

Ad I. & II. Decretum Urbani VIII.

Statuit præterea Sanctitas ſua, quod in cauſis violatæ juriſdictionis, immunitatis, & libertatis eccleſiaſticæ, A. C. vel alia quælibet tribunalia Urbis, & extra eam, nequeant appellationes admittere, inhibitiones relaxare, aut abſolutionem a cenſuris, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, concedere, ſed recurſus, & appellationes fieri tantum poſſint ad Sac. Congr. Immunitatis. Quod ſi in aliqua cauſa dubitari contingat, an agatur de caſu violatæ immunitatis, ſeu juriſdictionis, aut libertatis eccleſiaſticæ, ſuperſederi debeat in cauſa coram quolibet judice, donec fuerit reſolutum in eadem Sac. Congr., an fuerit violata immunitas, juriſdictio, vel libertas eccleſiaſtica, & an ſit locus reintegrationi, juxta declarationem, allatam in ſupra recenſitis decretis Urbani VIII.

Inſuper cum A. C. ex facultatibus ſibi conceſſis, ſit executor omnium literarum Apoſtolicarum, vel ſolus, cum alii non ſunt deputati executores, vel quando ſunt deputati, cumulative cum ipſis, atque etiam ſit executor omnium ſententiarum, tam in Curia, quam extra, per quoſvis judices prolatarum; ac tandem concedere ſoleat monitoria ſuper executione reſolutionum Sacrarum Congregationum, Sanctitas ſua decrevit, quod monitoria in tribunali A. C. ſuper executione literarum Apoſtolicarum non expediantur, niſi exhibito legitimo documento earumdem literarum Apoſtolicarum. Quoad vero ſententias, monitoria non concedantur, niſi prævio documento publico Actuarii cauſæ cum legalitate Ordinarii, & quoad decreta Sac. Congregat. exhibeantur copiæ ſubſcriptæ a Secretario cum ſigillo Cardinalis Præfecti; nec poſſint hujuſmodi monitoria ſuper executione ſententiarum, vel decretorum aliter expediri, etiam ſi ſententiæ, & decreta publice typis evulgata fuerint, vel in libris impreſſa

refe-

referantur, & in dictis monitoriis apponatur clauſula, dummodo non vigeat lis, adhuc pendens, coram judice competente ſuper ſententia, vel Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut decretis Sacrarum Congregationum, de quibus agitur.

Quia vero inoluit abuſus, quod citationibus typis impreſſis in Urbe, cum ſubſcriptione alicujus ex notariis A. C. quæ dicuntur Camerales, quæque introductæ ſunt ad hoc, ut partes abſentes a Curia, citentur, ut compareant coram A. C. ſeu ejus Locumtenente in judiciis executivis, ſeu obligationibus cameralibus, in ejus tribunali promovendis, utantur Curiales, & partes in aliquibus cauſis appellationum ab Ordinariis, & etiam audeant iis uti in cauſis coram Sacr. Congregationibus, adeout per intimationem in partibus hujuſmodi citationum cum appoſitione inhibitionis, deterreantur judices, a quibus procedere, & partes judicia continuare coram dictis primis judicibus, & Ordinariis deſinant, ob reverentiam tribunalis A. C. & fortius Sac. Congregationum, & ob timorem incurſus attentatorum: ideo Sanctitas ſua mandavit, quod per intimationem dictarum citationum, etſi in iis apponatur clauſula inhibitoria, non intelligatur ulla inhibitio facta, aut interpoſita, ita ut ſperni impune valeat, ac debeat in quibuſcumque cauſis in Sac. Congregationibus, & coram A. C. ſed quoad iſtius curiam, dictæ citationes ſuam vim, prout de jure habeant, quatenus cauſæ executivæ, ſeu obligationes camerales fuerint, quæ in prima inſtantia coram eo agitari poſſint, ita, quod dictæ citationes in aliis cauſis nullo modo afficiant, neque ad comparendum arctent.

Itidem Sanctiſſimus Dominus Noſter in cauſis exemptorum, & mercedum, & miſerabilium perſonarum, ſervari omnino, & diſtricte mandat diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. *cap. IV. ſeſſ. VII. de reform.* privilegiis, exemptionibus, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam poſt Trident. a Sede Apoſtolica conceſſis, & reſpective introductis, non obſtantibus; quæ conciliaris diſpoſitio eſt ſequens = In civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſeculares, aut regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum judicem a Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, ſi ipſum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conveniri, & prout de jure ad ſolvendum debitum cogi, & compelli poſſint; privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus, adverſus præmiſſa nequaquam valituris =.

Ad XII. & XIII. Decretum Clementis VIII.

Quoad abſolutionem ultimam cenſuris ſervetur diſpoſitio ſupradicti decreti XII. Clem. VIII. juxta etiam canonicam ſanctionem, quod in caſu conſtet de juſtitia cenſurarum, debeat remitti abſolutio danda ad judicem a quo; ſi vero conſtet clare de injuſtitia, judex ad quem, abſolutionem impendat. Si vero adſit dubietas, an fuerit ju ta, honeſtius eſſet, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum præfigendum, abſolvendus remittatur, licet etiam judex, ad quem, hoc caſu idipſum per ſe præſtare jure poſſit. Verum quoad abſolutiones cum reincidentia, quæ partibus concedi ſolent a judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi, cum inoluerit uſus tam in tribunali A. C. quam forſan etiam in metropolitanis, aliiſque tribunalibus appellationum, quod committantur abſolutiones cuicumque confeſſario, itaut rei, abſque ulla reverentia proprii Ordinarii, pro abſolutis ſe publice habeant, Sanctitas ſua ſtatuit, ut in futurum hujuſmodi abſolutiones cum reincidentia, tam in tribunali A. C. quam in Curiis metropolitanis, aliorumque judicum appellationum, committantur ipſis Ordinariis excommunicantibus cum clauſula, ut infra tres dies abſolvant cenſuratos, juxta commiſſionem; quibus elapſis, ſi requiſitus Ordinarius abſolvere recuſaverit, vel neglexerit, abſolvantur a confeſſario juxta commiſſionis formam, quæ in præſenti ſervatur in dictis commiſſionibus abſolutionum. Quoad vero cenſuratos, in Urbe commorantes, committi debeat abſolutio Cardinali, Urbis Vicario, ſeu ejus Viceſgerenti, ac præfata ſervari etiam mandavit in abſolutionibus, quæ conceduntur per Congregat. prout jam religioſe in ipſis ſervatum fuit: declaravitque rurſus Sanctitas ſua, quod hujuſmodi commiſſiones de abſolvendo præſentari debeant Cancellario Ordinariorum, a qua præſentatione currere debeant tres dies, poſt quorum lapſum, & non data abſolutione, poſſint ab aliis abſolvi, ut ſupra, in commiſſione.

Quoad inſuper cenſuratos mandat Sanctitas ſua, quod, reportata abſolutione a cenſuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, ſed tantummodo tegantur, & tecti remaneant, durante termino obtentæ abſolutionis.

Cum in hujuſmodi decretis agatur de appellationibus in cauſis judicialibus, Sanctitas ſua enixe hortatur omnes Ordinarios, ut cum ipſi patrum nomen erga ſubditos promereantur, potius quam

quam judicum, caveant, ne lites excitent, ſed excitatas componere curent, præſertim inter pauperes, & miſerabiles perſonas, quas protegere præcipuum munus eorum eſt. Ideoque Sanctitas ſua mandat, quod pauperibus condonentur ſportulæ, & emolumenta quæcumque, etiam Cancellarii, & aliæ quæcumque expeditiones gratis dentur, etiam copiæ actorum, tranſmittendorum ad judices, ad quos: & quoad qualitatem paupertatis, hæc ſummarie cognoſcatur per teſtes, gratis etiam examinandos, & de ea ſtetur arbitrio ipſius Ordinarii, & judicis, ſerio onerando conſcientiam Ordinariorum, & judicum in re tam gravi, de qua ſpecialiter Deo ipſi rationem erunt reddituri. ultra condignas pœnas contra inobſervantes, relaxandas arbitrio Sanctitatis ſuæ; quodque decretum ſervari debeat in quacumque curia Ordinariorum, Metropolitanorum, & quorumcumque judicum appellationum, etiam Nunciorum Apoſtolicorum, & in quacumque cauſa tam civili, quam criminali.

Similiter, ut ſatis provideatur pauperibus litigantibus, prout ſummopere eccleſiaſticos judices decet, Sanctitas ſua mandat, in quibuſcumque ſupradictis curiis deputari Procuratorem pauperum, & Advocatum, qui iis aſſiſtant in quibuſcumque cauſis civilibus, & criminalibus, viros pietate, & doctrina præſtantes, cum aſſignatione alicujus mercedis, ſi poſſibile foret, & de iis electis habeatur ratio in proviſionibus beneficiorum, & in atteſtationibus faciendis Datariæ Apoſtolicæ, ut per Romanos Pontifices in proviſionibus haberi valeat reſpectus ad ſervitia præſtita in tam pio opere.

Itidem Sanctitas ſua, quoad tribunal A. C. mandavit, inviolabiliter ſervari reformationem Pauli Papæ V. in Conſtitutione incipien. *Univerſi agri*, §. *XX.* videlicet, ut pauperibus dentur gratis extractus, regiſtra, inſtrumenta, etiam publica, copiæ, & aliæ quæcumque expeditiones, & ſcripturæ, tam civiles, quam criminales, & oſtendantur etiam originalia pauperum Advocato, & Procuratori, ſimiliter gratis, & abſque ulla impenſa. Et ſi quando contigerit, probandam eſſe paupertatem, teſtes ſimiliter gratis, & ſummarie examinentur, & de paupertate ſtetur arbitrio judicis; addito per Sanctitatem ſuam, quod in caſu gravaminis judicis, quoad paupertatem non admiſſam, recurri valeat ad Auditorem pro tempore Summi Pontificis, qui debita charitate ſervari faciat, quod æquum erit; prædictaque omnia mandat Sanctiſſimus ſervari in quibuſcumque curiis Urbis inviolabiliter.

Quia in cauſis infra ſummam ſcutorum quinquaginta monetæ romanæ, in quibus a judicibus de partibus appellatur ad Urbem, juxta ſtylum, & Apoſtolicas ordinationes non debet in curia procedi in gradu appellationis, ſed per viam recurſus, deputantur judices in partibus, cum ex penuria temporum videatur gravans appellantibus in cauſis, etiam ultra dictam ſummam ſcutorum L. cauſas proſequi appellationum in curia; ideo Sanctitas ſua extendit dictam ſummam ſcutorum quinquaginta monetæ uſque ad centum ejuſdem monetæ romanæ, itaut ſi ſumma cauſæ non ſit ultra quantitatem ſcutorum centum, ut ſupra, cauſa non dicatur curialis, & appellabilis per viam appellationis, ſed tantum deputandos eſſe judices in partibus, qui procedant per viam recurſus, quorum deputatio fieri debeat per tribunalia Urbis, ad quæ pertinet.

Mandat rurſus Sanctitas ſua, ut in cauſis mercedum miſerabilium perſonarum, recurſus & appellationes reſpective non admittantur a quocumque judice appellationum, niſi in devolutivo, pro rata ſcutorum quinquaginta monetæ romanæ, & ultra dictam ſummam admitti debeant in ſuſpenſivo, vel devolutivo, prout juris eſt, firmis tamen remanentibus Apoſtolicis ordinationibus, ſtylis, & privilegiis, quæ forſan exiſterent in tribunalibus Urbis, & diſtrictus ejuſdem; in quibus nihil innovare intendit.

Demum ad conſervandam debitam reverentiam pontificali dignitati, Alexander Papa IV. Decretalem edidit, relatam in cap. *Quia pontificali, de offic. & poteſt. judic. deleg. in VI.* ibi.

Quia pontificali dignitate præditis, ob reverentiam ſacri officii, plurimum deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet, ut, cum a judicibus, vel Conſervatoribus a Sede Apoſtolica deputatis, contra eos ad coactiones aliquas, ſive pœnas fuerit procedendum, gradus, & modeſtia in hujuſmodi proceſſu ſervetur, itaquod (eis quadam condigna reverentia ſupportatis) ingreſſus primo ipſius Eccleſiæ, vel ſacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab officio ſuſpendantur, & ſubſequenter agravetur cenſura eccleſiaſtica contra eos, niſi forte aliter fieri ſuaſerit nimia contumacia protervitas. ſive culpa. Hanc itaque Decretalem Sanctitas ſua inviolabiliter ſervari mandavit in quibuſcumque curiis judicum appellationum, tam A. C. quam Metropolitanorum, & etiam Nunciorum Apoſtolicorum, & aliorum quorumcumque.

F. A. Archiepiſc. Epiſc. Abellinen. Sac. Conc. Secret.

quando turpiter, & ſcandaloſe vivunt, ſi moniti, incorrigibiles perſeverant.

IX. A translatione beneficiorum ſimplicium, etiam Jurispatronatus, ex Eccleſiis collapſis, quæ ob inopiam reparari nequeunt, in matrices, aut alias Eccleſias, cum omnibus emolumentis, & oneribus; vocatis iis, quorum intereſt: & a decretis cogentibus Patronos, Rectores, beneficiatos, aut parochianos ad reſtaurationem Eccleſiarum parochialium, ſervata forma Trident. *ſeſſ. XXI. cap. VII.*

X. A cenſuris, ſequeſtratione, & ſubtractione fructuum contra curam animarum habentes, non reſidentes.

XI. A denegatione, revocatione, ſuſpenſione, vel reſtrictione facultatis audiendi ſecularium confeſſiones contra Sacerdotes non parochos, etiam regulares.

XII. A diviſione, ſeu diſtinctione parochiarum, earumque inſtitutione in titulum, juxta Trid. *ſeſſ. XXIV. de reform. cap. XIII*, ubi parochiæ, vel certos non habent fines, qua de cauſa earum Rectores promiſcue petentibus ſacramenta adminiſtrant, vel nullæ ſunt.

XIII. A deputatione œconomi tempore parochialis Eccleſiæ vacantis: ſicut & ab indictione concurſus, relatione Examinatorum, & prælectione, & proviſione Epiſcopi in eodem concurſu.

XIV. A decretis contra habentes publicas lectiones, nec non prædicationem verbi Dei ſine licentia Epiſcopi, etiam a Regularibus in alienis Eccleſiis, & in ſuis, non petita ejus benedictione, juxta Conſtit. Clem. X. *Superna*.

XV. A decretis circa clauſuram monialium, ac punitionem delinquentium in eam, & perſonas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione, vel reprobatione confeſſariorum earumdem, tam ordinariorum, quam extraordinariorum. & tam ſecularium, quam regularium, quomodolibet exemptorum, etiam pro monialibus ſubjectis iiſdem Regularibus: ſicuti & contra earumdem miniſtros, tam pro mala adminiſtratione, quam pro reddenda ſingulis annis bonorum ratione: ac demum circa quorumcumque illarum officialium amotionem, ſervata forma, quoad Regulares, & exemptos, Conſtit. Gregor. XV. *Inſcrutabili*.

XVI. A paſtoralis viſitatione diœceſis, & præſertim monaſteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum, & præpoſiturarum, in quibus non viget regularis obſervantia, ac beneficiorum tam curatorum, quam non, ſecularium, & regularium, qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum; & ab executione decretorum in ipſa viſitatione factorum: ſicuti & ab illis factis extra viſitationem pro conſervatione, & reparatione diſciplinæ eccleſiaſticæ circa vitam, mores, honeſtatemque quorumcumque Clericorum, ac luxum, commeſſationes, coreas, luſus, crimina, & ſecularia negocia evitanda, ad formam tamen decretorum Congreg. Epiſc. edit. an. 1600. de mandato Clem. VIII.

XVII. A decretis cogentibus præſentatos, electos, vel nominatos quibuſvis eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſt. Nunciis, ad ſe ſubjiciendum examini Ordinariorum, antequam inſtituantur, & confirmentur.

XVIII. A denegatione promotionis ad ſacros Ordines, & a ſuſpenſione ſuſceptorum ob crimen occultum, ſive ex informata conſcientia.

XIX. A præfixione termini pro punitione Regularis, Epiſcopo non ſubjecti, degentis intra clauſtra, ſed extra notorie, ſcandaloſe delinquentis, facienda a ſuo Superiore, & pro notitia punitionis hujuſmodi, Epiſcopo danda.

XX. A cenſuris, aliiſque proviſionibus contra concubinarios; & etiam contra detinentes mulieres ſuſpectas domi, aut extra.

XXI. A privatione privilegii fori, & a decretis contra Clericos, non incedentes in habitu, & tonſura; & in aliis caſibus, a Triden. præſcriptis *ſeſſ. XIV. cap. VI. & XXIII. de reform.*

XXII. Ab approbatione, & reprobatione patrimonii, penſionis, aut beneficii, quoad promovendos ad ſacros Ordines.

XXIII. A convocatione capituli, facta ab Epiſcopo pro deliberando aliquo negocio cum voto capitularium, ad ipſius tamen, vel ſuorum commodum non ſpectante.

XXIV. A decretis circa converſionem tertiæ partis quorumcumque proventuum, & obventionum tam dignitatum, quam canonicatuum, & perſonatuum, portionum, & officiorum in diſtributiones quotidianas, earumque diviſionem inter dignitates obtinentes, & alios, divinis intereſſentes in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus nullæ ſunt hujuſmodi quotidianæ diſtributiones, vel ſunt ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, juxta Trident. *cap. III. ſeſſ. XXI. & ſeſſ. XXII. cap III. de reform.*

XXV. Ab executione piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, juxta idem Trident. dicta *ſeſſ. XXII. cap. VIII.*

XXVI. A viſitatione hoſpitalium, & quorumcumque piorum locorum, etiam exemptorum, & a laicis adminiſtratorum, collegiorum, confraternitatum, eleemoſynarum, monitum pietatis, ac a cognitione, & executione pertinentium ad Dei cultum, & pauperum ſuſtentationem; atque a ratione adminiſtrationis eorumdem locorum, ſingulis annis Epiſcopo reddenda; niſi aliter in ipſorum inſtitutione, & ordinatione expreſſe cautum fuerit, juxta cit. *cap. VIII. ſeſſ. XXII. & cap. XV. ſeſſ. VII. cap. IX. ſeſſ. XXII. & cap. VIII. ſeſſ. XXV.*

XXVII. Ab examine, ſuſpenſione, vel remotione quorumcumque notariorum, ſcribentium in cauſis eccleſiaſticis, juxta *cap. X. dictæ ſeſſ. XXII.*

XXVIII. Ab erectione ſeminarii, & præfixione taxæ, imponendæ dignitatibus, perſonatibus, officiis, præbendis, portionibus, abbatiis, & prioratibus cujuſcumque Ordinis, etiam Regularium, hoſpitalium (quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem) beneficiis quibuſcumque, tam regularium, quam juriſpatronatus, exemptorum, & Nullius diœceſis, vel annexis aliis Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſvis locis piis, licet exemptis: ac tandem imponendæ redditibus, pertinentibus ad fabricas Eccleſiarum, confraternitates, & monaſteria omnia (non tamen Mendicantium) & decimis, quacumque ratione ſpectantibus ad laicos, & milites cujuſcumque Militiæ, aut Ordinis (excepto Hieroſolymitano) nec ab unione aliquot beneficiorum ſimplicium; ſicuti neque a decretis contra ſcholaſterias obtinentes, quibus lectionis, vel doctrinæ munus ad docendum aut per ſe, aut per alios, eſt annexum. Nec denique a quibuſcumque proviſionibus, curam, directionem, & adminiſtrationem ſeminarii reſpicientibus, juxta Tr. *ſ. XIII. de ref. cap. XVIII.*

XXIX. A reddenda ratione adminiſtrationis, geſtæ ab œconomo, & Vicario capitulari tempore Sedis epiſcopalis vacantis, juxta Trident. *ſeſſ. XXIV. de refor. cap. XVI.*

XXX. A comminatione excommunicationis, a jure latæ, & a ſententia ſuſpenſionis, & interdicti, niſi appellatio fuerit interpoſita ex capite nullitatis: & e converſo, a ſententia abſolutionis ab iiſdem cenſuris.

XXXI. Ab executione quorumcumque aliorum decretorum, locorum Ordinariis a Trident. & Conſt. Pii IV. *Benedictus Deus*, demandata.

XXXII. In prædict. omnibus cauſis permittitur ſimplex dumtaxat, & extrajudicialis recurſus ad S. Sedem, & juxta earum naturam appellatio in ſolo devolutivo, ad quos de jure ſine retardatione legitimæ executionis decretorum ſuper eiſdem cauſis: nunquam autem admittenda, niſi prius conſtito de legitima ejus interpoſitione, & in cauſis a jure permiſſis.

XXXIII. Si denegatum fuerit inſtrumentum ſententiæ, a qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam ſimplicem, & in inhibitione exprimenda eſt conditio, quatenus vero tenor inſertus vere, & in ſubſtantialibus cum originali concordet, eodemque originali præſentes literæ ſint in tempore poſteriores; alioquin nullæ, & irritæ cenſeantur ſub infraſcriptis pœnis reſpectu notariorum, ut ſeq. num. XXXV.

XXXIV. Si appellatum fuerit a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ſi hoc eſt de carceratione jam ſecuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio, niſi prius conſtito de carceratione per depoſitionem duorum ſaltem teſtium; & interim appellans remanere debet in carcere, donec aliter deciſum fuerit. Si vero gravamen eſt de cenſuris, jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ, aut cenſurarum, obſervanda eſt diſpoſitio decretorum Cong. Epiſcoporum ſub Clem. VIII. juxta declarationes Benedicti XIII. in appendice ad Conc. Rom ad 12. & 13. decretum Clem. VIII. quas jam habes ſupra pag. 208 §§. *Quoad abſolutionem ultimam, & Quoad inſuper cenſuratos.*

XXXV. Ab hac generali regula denegandæ appellationis Pontifex excipit particulares caſus, in quibus per Trid. Conſtitut. Apoſtolic. aut communem Doctorum ſententiam in ſuſpenſivo admitti poteſt: ſerio tamen expendendis a judice ſuperiori, an ſint de exceptis; & tunc aliter non concedenda, niſi adjecta hac clauſula -- Nos enim, attentis juribus, & ſupplici libello nobis præſentatis, atque in actis exhibitis, ſicut præfertur, inhibendum eſſe ſpeciali reſcripto mandavimus -- ſub pœna nullitatis; notariis vero infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad officium notarii in cauſis eccleſiaſticis exercendum ipſo facto incurrenda, ſi præſumpſerint citationes cum inhibitione expedire ſine tali ſpeciali reſcripto, ejus productione, & inſertione prædictæ clauſulæ in actis: & in inſuper quoad notarios Urbis quinquaginta ducatorum auri de Camera, huic pro una medietate, & pro altera parti recurrenti, ſin minus locis piis, arbitrio Pontificis applicandorum.

XXXVI. Item excipiuntur monitoria in cauſis privilegiatis coram Auditore Cameræ Apoſtolicæ, ejuſque Locumtenentibus, etiam in prima inſtantia tractandis juxta præſcriptum Conſtit. Pauli V. *Univerſi*, & citatas declarationes Bened XIII. Quæ ſi expedlantur ultramontes, offerri prius debet ſupplex libellus, univerſam facti ſpeciem clare continens, & prævio ejuſdem Auditoris Cameræ reſcripto de ipſis expediendis, ſub pœnis, ut ſupra, in notarios, aliter expedientes.

XXXVII. Denique in cit. Conſt. *Ad milit.*, §. XLII. ſtatuitur, ut cauſæ omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum eccleſiaſticum pertinentes, exceptis privilegiatis, & aliis de jure excipiendis, in prima inſtantia coram locorum Ordinariis cognoſcantur, nec a quoquam avocari poſſint, niſi per viam legitimæ appellationis.

Circa appellationem in cauſis matrimonialibus, vide diſpoſita ab eodem Benedicto Conſtit. *Dei miſerationе*, de qua ſermo erit infra *tit. XIX. De divortiis.*

Circa appellationem ab irrationabili judicio Ordinarii, quoad præficiendos parochialibus Eccleſiis, vide diſpoſita ab eodem, Conſt. *Cum illud*, de qua *infra par. II. cum de cap. XVIII. ſeſſ. XXIV.* Trid.

Et circa præſentatos eiſdem Eccleſiis a patronis & appellationem interpoſitam ab uno ex dictis præſentatis, qui ſe digniorem exiſtimavit, & poſthabitus fuit, vide reſponſa laudati Benedicti ad poſtulata Archiepiſcopi Florentini, contenta in ejus Epiſtola *Reddita nobis*, quæ leges infra in notandis ad *cap. XXIV. Cum autem, de jurepatronatus.*

Circa appellationem pro nullitate profeſſionis regularis, vide notanda infra ex Conſtit. ejuſdem Pontificis *Si data, part. II. cum de cap. XIX. ſeſſ. XXV. de regul.*

Circa appellationem a damno dato, vide notanda infra ex Conſt. ejuſdem, ſeu Motu proprio *Inveterata*, poſt *cap. IV. Si læſerit, de injuriis, & damno dato.*

Nota, cum Romanus Pontifex nulli in terris judici ſubjectus ſit, penitus interdictam eſſe appellationem ab ejus ſententiis, & decretis ad futurum generale concilium, tum a SS. Canonibus. *Nemo XIII. Aliorum XIV. Facta XV. Ipſi ſunt XVI. cauſ. IX. q. 3.* tum a Pio II. Conſt. *Execrabilis*, 18. *Jan.* 1459. & Julio II. Conſtit. *Suſcepti*, 1. *Julii* 1509. qua confirmatur dicta Conſtit. *Execrabilis*, ſupplendo omnem defectum ſolemnitatis, etiam publicationis, forte omiſſæ; declarando inſuper §. VI. appellantes, non ſolum ipſo facto incurrere pœnas, in ea inflictas, excommunicationis ſcilicet Papæ reſervatæ, ſi ſint ſingulares perſonæ, interdicti vero, ſi univerſitates, ſed etiam habendos eſſe pro veris, & indubitatis Schiſmatis, & de catholica Fide male ſentientibus, quas pœnas extendit etiam ad eos, qui decreverint, conſuluerint, declaraverint, aut aliorum dicta approbaverint, aut vocem dederint, ut ad futurum Concilium univerſale a Papa appellare liceat, poſſit, & debeat.

Sub eadem pœna Excommunicationis, & reſpective interdicti dicta appellatio reprobata eſt a Bulla in die Cœnæ Domini, quotannis legi ſolita, prout videre eſt in calce hujus Operis §. II.

Quin obſtet, quod a Conc. Baſilienſi ſeſſ. XXXIII. & Conſtanſienſi ſeſſ. XXIV. declaratum fuerit de fide, Concilium eſſe ſupra Papam, ac per conſequens ab eo appellari poſſe ad futurum generale concilium = quia „ reſpondetur (*ita Theſaurus de Pœnis eccleſ. cap. I. verb. Appellatio*) illud concilium (Baſilienſe „ nempe) fuiſſe illegitime inchoatum, & terminatum, „ & quædam tantum illius acta fuerunt confirmata a „ Nicolao V. alia autem, ut hæc, de quibus agimus, „ reprobata ab Eugenio IV. ſeſſ. XXXVIII. Præterea non eſt verum, quod in dicto concilio id fuerit „ definitum, ſed ſolum declaratum pro ſchiſmatia „ tempore, dum ignoratur, quis verus ſit Papa; nam „ ad

„ ad Concilium univerſale id pertinet declarare. Ita „ Marius Alter. *par. I. lib.V. cap.I. diſp.III.* Bellarm. „ *lib. II. de Concilior. auctorit. cap.XIX. in fine*, Mar- „ ta *de Juriſd. par. III. cap.XVII. num.7.* = .

His acceſſit proſcriptio ſequentis Propoſitionis, in ordine la XXIX. inter alias ab Alexandro VIII. damnatas die 7. Decembr. 1690. — *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate* -- infligente excommunicationem ipſo facto incurrendum, Papæ reſervatam in docentes, defendentes, edentes dictam Propoſitionem, aut de ea, etiam diſputative, publice, aut privatim tractantes, niſi forſan impugnando: prohibente inſuper in virtute s. obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii, illam a quoquam in praxim deduci.

Titulus XXIX. De Clericis peregrinantibus,

SECTIO CCCIX.

Caput Unicum, Conquarante, *ex Decretali Cæleſtini III. Epiſcopo Albienſi in Gallia & H. ſcripta, juxta Gonzalez*.

Conquerente I. Presbytero, intelleximus (& infra.) Licet Presbyter idem res ſuas, & Eccleſiæ ſuæ in protectione noſtra non poſuerit, quando ad nos acceſſit, tamen cum hi, qui accedunt ad præſentiam noſtram, cum rebus eorum debeant eſſe ſub Apoſtolica protectione ſecuri, mandamus, quatenus quidquid eidem Presbytero poſt iter arreptum ad nos veniendi, ſubtractum eſt, vel ablatum, ſibi reſtitui faciatis,

Quamvis præſens Rubrica concepta ſit dumtaxat de Clericis, in allata tamen Decretali æque laicis, ac Clericis peregrinantibus ad limina Apoſtolorum, vel ex alia cauſa ad Sedem Apoſtolicam idem conceditur favor.

In ea igitur ſtatuit Pontifex, ut peregrinantibus, iterque ad dictam Sedem arripientibus litis cauſa pro introducenda, aut proſequenda appellatione, licet ſe, ſuaque eidem Sedi non commendaverint, omnia integra tamen ſervanda ſint, & ſi ablata fuerint, reſtituenda.

Hæc Decretalis ampliata eſt a Bulla, in die Cœnæ Domini legi ſolita, addente excommunicationem, Papæ reſervatam in nocumentum afferentes Romipetis, aliiſque ad Curiam Romanam accedentibus, vel ibi commorantibus, vel inde recedentibus, ut §§. IX. & X. quos leges in calce hujus Operis.

Per hanc autem Bullam ampliatus eſt *Can.XXIII. Si quis Romipetas*, qui eſt Caliſti Papæ, relatus a Gratiano in cauſ. XXIV. q. III. in quo infligitur excommunicatio ipſo facto incurrenda, nemini tamen reſervata, ſed non abſolvenda, niſi ſatisfacta parte.

Notandum tamen eſt, quod, ut peregrinatio ad Sedem Apoſtolicam vim habeat appellationis, tria ſimul concurrere debent.

I. Ut iter aſſumatur intra decem dies a ſententia lata, vel gravamine illato, & iter hoc judici, vel parti intimetur, licet apoſtoli non petantur; nam talis ipſo facto appellat, iterque eſt ei loco apoſtolorum, *cap. Dilecti filii LII. de appellat.* Nomine apoſtolorum veniunt literæ dimiſſoriæ, datæ appellanti a judice, deferendæ ad judicem appellationis, in quibus teſtatur, hanc eſſe interpoſitam.

II. Ut iter inſtituatur ante citationem, nam citatione præventus, tenetur comparere coram judice, a quo poteſt in cauſa procedi, *cap. Meminimus IX. d. tit.*

III. Ut iter fiat ante notitiam reſcripti Apoſtolici ab adverſario impetrati, nam poſt hujus notitiam, dolo, & malitia ſe itineri committeret, *cap. Suggeſtum XV. eod. tit.*

Finis Decretalium, ex Libro II, excerptarum,

PARS PRIMA

EX LIBRO III. DECRETALIUM

Titulus I. De Vita, & honeſtate Clericorum.

SECTIO CCCX.

Caput I. Ut laici, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Moguntino.*

UT laici ſecus Altare, quando ſacra myſteria celebrantur, ſtare, vel ſedere inter Clericos non præſumant, ſed pars illa, quæ cancellis ab Altari dividitur, tantum pſallentibus pateat Clericis. Ad orandum vero, & communicandum laicis, & fœminis (ſicut mos eſt) pateant Sancta Sanctorum.

In *Can. XXIX. Pervenit, de conſecrat. diſt. II.* qui deſumptus eſt ex cap. II. Concil. Rhemenſis, & *Can. Sacerdotum* XXX. qui falſo tribuitur Clementi Papæ, cum deſumptus ſit ex Synodo Eugenii II. ac Leonis IV. *cap. XXXIII. & in VII. lib. c. CCLXXVIII.* interdictum erat laicis utriuſque ſexus, & cujuſcumque conditionis, ingredi ſacrarium, ſeu presbyterium, & ad Altare appropinquare, dum divina officia, & præſertim Miſſæ ſacrificium, celebrabantur.

Hæc eadem prohibitio repetita legitur in hac Decretali, ac renovata decreto Congreg. Rituum 1688. relat. a Benedicto XIII. *tit. XXVIII. De immunitate, cap. IV. Conc. Romani, a ſe celebr. anno* 1725. nulla tamen adjecta pœna in contrafacientes. Verum cum non ſatis obſervaretur, idem Bened. loc. cit. ſequentem inflixit, ibi.

Verumtamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, & ibidem, aut ſtare, aut ſcamna habere, vel genuflexoria ſibi arrogare præſumant; id iterum juxta SS. Canonum, ejuſdemque Apoſtolicæ Sedis mentem, ſub Eccleſiarum, Regularium etiam, & quomodocumque exemptarum, interdicti pœna, ipſo facto incurrenda, & Romano Pontifici reſervata, inhibemus; mandantes, ut ſi quæ ſint pro laicis ſacra intra loca prædicta ſedes, ſcamna, & genuflexoria, illinc auferantur, & removeantur omnino.

Nota, quod hæc pœna tantum incurritur, ſi laici intra dicta ſepta temere ſtare præſumant, ut clare inhibitionis verba ſonant, ut etiam notavit Navarrus *in cap. Accepta, de reſtit. ſpoliat. oppoſit. VIII. numer.* 33. ibi = Qui bona fide ignoranter, aut imprudenter; chorum intrant, neque enim tales proprie dicuntur præſumere = Quare licet Sacerdotes, dum Miſſam celebrant, diligenter curare debeant, ne laici intra presbyterium maneant; non ideo tamen ita mente turbari debent, ut Sacrum ſe facere in Eccleſia interdicta exiſtiment, ſi caſu laicum aliquem bona fide, ignoranter, aut imprudenter ibi manentem videant (dummodo non ſint Eccleſiarum Rectores) neque eis conſtet, quod hoc ille ſibi arrogare præſumat: quam quidem animadverſionem certum eſt, ſpectare ad dictos Rectores, cum ex officio id prohibere teneantur.

SECTIO CCCXI.

Caput II. Clerici, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Pictavienſi.*

CLerici arma portantes, & uſurarii excommunicentur,

Armorum geſtatio prohibita eſt quidem Clericis: ex conſuetudine tamen eis in itinere conſtitutis ad neceſſariam defenſionem permiſſa eſt, ſive iter faciant per loca periculoſa, juxta Gloſſ. hic, ſive etiam non periculoſa, ut notat Baldus ad hoc idem caput n. 7.

Æque autem iiſdem Clericis, ac laicis prohibita eſt delatio armorum prohibitorum, &.

I. Ex Conſtit. Pii IV. *Cum vices, 6. Mar.* 1562. deferentes archibuſettos, duobus palmis breviores, comprehenſa canna, & capſa, incurrunt pœnas rebellionis, & læſæ majeſtatis, a jure inflictas; & Gubernatores, ac miniſtri, eis deferendi licentiam dantes, incurrunt eo ipſo ſuſpenſionem a Divinis, & excommunicationem, non tamen reſervatam; Legati vero indignationem Pontificis. Inſuper declarat Pontifex, tali licentia utentes, dictas pœnas incurſuros pro ſtatu Eccleſiæ temporali tantum.

II. Ex Bulla S. Pii V. *Cum vices, 12. Februarii* 1572. prohibitum eſt, deferre pugiones, aut cultellos, aut quodvis genus armorum brevioris menſuræ trium pal-

palmorum ſub pœna læſæ majeſtatis, ipſo facto incurrenda; Legati vero, Gubernatores, & Officiales licentiam dantes, peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem, ac ſuſpenſionem a Divinis, non tamen reſervatam; & ſi ſint Legati a latere, incurrunt pontificiam indignationem, non vero dictas cenſuras.

Citatæ Conſtitutiones Pii IV. & V. confirmatæ, & innovatæ ſunt ſub pœnis læſæ majeſtatis, & rebellionis ab Alexandro VIII. Conſtit. *Etſi cuncta*, *Idib. Auguſti* 1690. pro toto ſtatu eccleſiaſtico, comprehenſis etiam legationibus, & civitatibus Bononiæ, Ferrariæ, Beneventi &c. vetando inſuper ſub iiſdem pœnis, nedum dictorum armorum retentionem, ſed etiam fabricationem, & venditionem; ac declarando in hac ſua Conſt. ac Pii IV. & V. comprehendi quoſcumque Clericos, tam ſeculares, quam regulares, cujuslibet Ordinis, etiam Militarium, & S. Joan. Hieroſolymitani, ac alios, quomodolibet immunitate perſonali gaudentes.

Hæc Alex. Conſtit. confirmata eſt in omnibus a Clem. XI. 2. Jan. 1708. addendo tam in deferentes, quam in fabricantes, & vendentes pœnam triremium ad ſeptennium, ac etiam in perpetuum, arbitrio Congreg. S. Conſultæ, & in Clericos, alioſque, ut ſupra, per quinquennium, vel ultra, juxta caſuum, & perſonarum circumſtantias. Item a Clem. XII. Conſtitut. *In ſupremo*, *Kal. Febr.* 1734. §. *Et quia*.

Ac tandem a Bened. XIV. Conſtit. *Severitatem*, 15. *Jan.* 1752. declarando inſuper, nihil fiſco ad hujuſmodi reos condemnandos incumbere, quam probare transgreſſionem dictarum Conſtitutionum.

SECTIO CCCXII.

CAPUT III. UT QUISQUE, *ex Decretali, deſumpta a Can. VIII. Concilii Nannatenſis*.

UT quiſque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui ſecum cantet, & Epiſtolam, & lectionem legat, & qui poſſit ſcholas tenere, & admonere ſuos parochianos, ut filios ſuos ad fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam, quos ipſe cum omni caſtitate erudiat.

Onus hoc, parochis injunctum, ſecum retinendi Clericum coadjutorem pro Miſſa ſolemniter canenda, hodierna praxis, non amplius vigere ſatis demonſtrat, cum fere ubique id eis exequendum a Superioribus non præcipiatur, vel quia Eccleſiarum parochialium reddittus non ſuppetunt, vel quia cum canendæ Miſſæ caſus occurrit, de neceſſariis miniſtris ipſimet ſibi providerant.

Quod ſi quæras, an liceat Sacerdoti citra mortalis peccati reatum Miſſam ſolitariam, idest ſine miniſtro celebrare, dicendum eſt, ab eo non excuſari, cum faceret contra præſcriptum Eccleſiæ in re gravi; id enim vetitum eſt tum a Concilio generali Baſilienſi, congregato 19. Julii 1431. Pontifice Eugenio IV. tum ab Alexandro III. qui in Decretali, relata in *cap. VI. Propoſuit, de filiis Presbyteror.* ſcribens ad quemdam Epiſcopum Anglum, ait = Non enim ſolus Presbyter „ Miſſarum ſolemnia, vel alia divina officia poteſt, „ ſine miniſtri ſuffragio celebrare.

Qui ſemper debet eſſe maſculus, non fœmina, cui interdictum eſt in Miſſa miniſtrare, ut ex Epiſtola IX. Gelaſii I. ad Epiſcopos Lucaniæ, *cap. XXVI.* cum, ut advertit Bonacina, magis indecens, & periculoſum ſit fœminam adhibere, quam ſine miniſtro celebrare.

Quæ prohibitio adeo Sacerdotem obſtringit, ut neque Monachis ſolitariis ſine miniſtro celebrare liceat abſque Apoſtolica diſpenſatione, ut probat Card. Bona *Rerum Liturgicar. lib. I. cap. XIII. num. 4 & ſeqq.*

Verum, eum dicta prohibitio juxta fere omnes Theologos, & Canoniſtas, relatos a Pontas *verb. Miſſa caſu IX.* intelligenda ſit, ſecluſa gravi neceſſitate, hac occurrente, puta, ſi Sacerdos die feſto Miſſam audire nequiret, niſi ipſe ſolus celebraret, nullius peccati damnari poſſet.

Sed de hoc iterum redibit ſermo in notis poſt *cap. XIV. Literas, tit. de celebrat. Miſſar.* §. *Huc ſpectant. & ſeqq.*

Quod ſpectat ad magiſtri munus, per Clericum coadjutorem obeundum, ut præſcribitur in hac eadem Decretali, & hoc pariter in deſuetudinem abiit; cujus neglectu, cum craſſa in populo ignorantia, & morum corruptela, propter neglectam teneræ juventutis educationem deprehenderetur, curæ fuit Epiſcopis, & Magiſtratibus, ut ubique per civitates, & pagos, ſcholæ ſubſtituerentur, ad inſtructionem, & informationem puerorum.

SECTIO CCCXIII.

CAPUT IV. SI QUIS, *ex Decretali Gregorii II. deſumpta a can. XVII. Synodi Romanæ, celebratæ an. 721.*

SI quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema ſit.

SECTIO CCCXIV.

CAPUT V. CLERICUS, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Chartaginenſi.*

CLericus, neque comam nutriat, neque barbam,

Nutritio comæ Clericis, in his duabus Decretalibus prohibita juxta communem Canoniſtarum ſententiam intelligenda eſt de ea, quæ morem laſcivum, vanum, & fœmineum præſefert; quum ſi relaxaverint, licet videantur eſſe ipſo facto excommunicati propter particulam illam, *anathema ſit*, quæ legitur in prima ex dictis Decretalibus, DD. nihilominus cum Gloſſa hic ſentiunt, non eſſe Canonem latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Notat inſuper Suarez *Tom. V. de Relig. tract. III. lib. II. cap. XIX. num.* 5. quod quamvis tempore Gregorii probabile ſit, fuiſſe latæ ſententiæ, hodie tamen non ita ob deſuetudinem. Idem ſentit *Theſaurus de Pœnis eccleſiaſt. cap. I. verb. Superſtitio*. additque cum Sanchez, Navarro, & Azzorio ly — *anathema ſit* — eſſe verbum ambiguum, an ſcilicet habeat vim præſentis, vel futuri temporis, ideoque accipiendum in mitiorem partem.

Juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam huc potiſſimum ſpectat prohibitio deferendi a quibuſcumque Clericis comam adſcititiam, vulgo *Perucca*, & præſertim a Sacerdotibus, tam extra Miſſam, quam in ejus celebratione.

Quod attinet ad illius delationem tam a Clericis, quam a Sacerdotibus extra Miſſam, indiſcriminatim prohibita fuit a Benedicto XIII. in *Conc. Romano*, *celebrato an.* 1725. *tit. XVI. cap. III.* Nec hodie illa uti poſſe ſine Epiſcopi licentia, oſtendit Benedictus XIV. *Inſtitut. eccleſiaſt. XXXIV. & XCVI.*

Quod vero attinet, ad eamdem delationem in actu celebrationis Miſſæ, adeo prohibita eſt, ut nec Epiſcopus, nec Legatus Apoſtolicus facultatem eam deferendi impertiri poſſit, ex declaratione Innoc. XII. relata in cit. Inſtit. XXXIV. Quod & in præſens inviolabiliter ſervatur, cum ſolus Summus Pontifex, & non niſi ex urgenti cauſa, eam concedat.

SECTIO CCCXV.

CAPUT VI. CLERICUS, *ex Decretali, deſumpta ex Concilio Triburienſi.*

CLericus, ſi tonſura dimiſſa, uxorem acceperit, qui quidem ſit ſine gradu, nec monaſterio a parentibus traditus, uxorem permittatur habere, & iterum tondeatur: nec in vita ſua uxorem dimittere audeat.

Statuitur in hac Decretali, Clericum in minoribus Ordinibus dumtaxat conſtitutum, ſi, dimiſſo habitu, & tonſura clericali, uxorem duxerit, iterum reaſſumere debere eumdem habitum, & tonſuram: non poſſe autem uxorem ducere eum, qui a parentibus monaſterio oblatus fuerit.

Quoad primum hæc ſanctio intelligenda eſt, non abſolute, ſed conditionate, ſcilicet ſi gaudere velit privilegio clericali, juxta præſcriptum Trident., de quo parte II.

Quoad ſecundum vero, intelligenda eſt de eo, qui nedum oblatus fuit monaſterio a parentibus, ſed etiam, ſi profeſſionem regularem emiſerit, cum de cætero ſola oblatio non ſatis ſit, potiſſimum cum hodie amplius non fiat, ut notatum eſt ſupra.

SE-

SECTIO CCCXVI.

Caput VII. Clericis, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripta.*

CLericis, (& infra.) Clerici qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti a ſuis Archidiaconis tondeantur.

Cum juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam Archidiaconus nulla fere auctoritate polleat, hæc Decretalis locum amplius non habet: & ſi quis Clericus in comæ nutritione peccet, ejus correctio, & punitio ad Epiſcopum ſpectat.

SECTIO CCCXVII.

Caput VIII. Monaſteria, *ex Decretali, deſumpta a Can. XI. Concilii Lateranenſis III. ſub Alexandro III.*

MOnaſteria Sanctimonialium, ſi quiſquam Clericus ſine manifeſta, & rationabili cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit, ab officio eccleſiaſtico reddatur immunis. Si laici excommunicationi ſubdantur, & a cætu fidelium fiant penitus alieni.

Ad tramites hujus Decretalis poſſe Epiſcopum imponere cenſuras, aliaſque pœnas contra Clericos, & laicos monialium monaſteria frequentantes, & cum iiſdem colloquentes, declararunt etiam Congreg. Conc. *in Viterbien. 26. Junii* 1627. & Congr. Epiſcopor. & Regul. *in Urbinaten. 10. Maii 1663. ac in Civitatis Caſtelli, 16. Januarii, & 10. Julii 1699.*

Quod vero ſpectat ad privationem beneficii, de qua in hac Decretali, Compilatores primæ, & ſextæ collectionis Decretalium, ejus loco poſuerunt *depoſitionem ab officio*, ut notat hic Gonzalez.

Parentibus, fratribus, & ſororibus Monialium licet eorum filias, & reſpective ſorores Moniales alloqui ſine licentia Epiſcopi, diebus tamen non prohibitis, ideſt Adventus, & Quadrageſimæ, ex Decreto dictarum Congregationum, relatis a Lucio Ferrar. *Prompta Bibliotheca, verbo Moniales, articulo IV. num. 8. & ſeqq.* Sicut & eorum conſanguineis in primo, & ſecundo gradu, excepto caſu, in quo ex Conſtit. monaſterii, vel ſpeciali decreto Epiſcopi interdictus eſſet acceſſus ſine licentia ejuſdem Epiſcopi, ut ex aliis Decretis, relatis a dicto Ferraris, loc. cit. num. 11.

Eadem prohibitio frequentis acceſſus, ad monaſteria Monialium in allata Decretali facta, nedum afficit ſubditos Epiſcoporum, in quorum diœceſibus ſita ſunt dicta monaſteria, ſed etiam Epiſcopos alienæ diœceſis, Vice-Legatos, & actuales locorum Gubernatores, ut declaravit Benedict. XIV. *in Epiſtola decretali Graviſſimo, 31. Octobris* 1749. ad omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Ordinarios ditionis eccleſiaſticæ. Quia vero hi ordinariæ Epiſcoporum juriſdictioni non ſubſunt, ac proinde immunes ſunt vi coactiva ab illorum pœnis, videlicet contra transgreſſores ſtatutis, ut cap. *A nobis II. de ſententia excommun.* ideoque præcipit Bened. quod ſi aliquando contigerit, ut eorum aliqui .... „ad monaſteria Monialium ſe conferant, „ & cum iis Epiſcopi injuſſu agant, infringentes ſy„nodorum ſanctiones, atque Epiſcoporum edicta.... „ hi .... Romanum Pontificem, aut Congregatio„nem Epiſcoporum, & Regul. certiorem faciant, ad „ contemptam epiſcopalem auctoritatem vindican„dam.

Idem acceſſus, & allocutio, etiam ſine frequentia, ſpecialius interdicta eſt Regularibus, tum a Sixto, & Paulo V. ac Urbano VIII. tum a poſterioribus Pontificibus, & potiſſimum a Clemente IX. ſub pœna excommunicationis, aliiſque ab Epiſcopo infligendis, ut ex ſequenti Decreto Cong. Conc. ſub die 11. Maii 1669. ab eodem approbato.

Regulares quicumque abſque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium, cum Monialibus, aut aliis, intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque contra Regulares, accedentes ſine licentia ad monaſteria Monialium, ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri.

A qua excommunicatione nequeunt abſolvi a ſuis Superioribus, etiamſi agatur de acceſſu, & colloquio cum Monialibus proprii Ordinis: ſicuti nec ipſæ Moniales, ſi Epiſcopus in prohibitione ſub eadem excommunicationis pœna de eis expreſſam fecerit mentionem ut ex altero ejuſdem Cong. Decreto *in Viterbien. 26. Junii 1627. lib. XXI. Decretor. pag. 176. die vero 26. Novembr.* 1672. eadem Cong. declaravit, non eximi a gravi culpa ad ipſas Moniales accedentes ſine Epiſcopi licentia, ob quamcumque cauſam, licet honeſtam, & ratio-

rationabilem. Inſuper die 21. Maii 1678. declaravit, affici iiſdem pœnis, ſi item ſine ſpeciali Epiſcopi licentia cum ipſis loquantur poſt Concionem, ad illas habitam.

Circa licentiam loquendi cum Monialibus, dandam Regularibus ab Epiſcopo, vel a S. Congr. dumtaxat, vide dicta ſupra Sectione CXCI. in Appendice II. ad Titulum de *Officio Judic. Ordin.* §. *Quod ſpectat*, *pag.* 119. *col.* 2.

Nota I. Sub nomine Regularium, venire etiam Æquites S. Joannis Hieroſolymitani, utpote veros religioſos, poſſeque Epiſcopum contra ipſos cum Monialibus colloquentes procedere vigore decreti generalis Cong. Epiſcop & Regul. edit. 12. Kal. Decemb. 1623. juſſu Urbani VIII. ut pluries declaravit ead. Sac. Cong. cujus decreta una cum mox citati Urbani refert Lucius Ferraris, *Prompt. Biblioth. verb. Moniales art. IV. num.* 27. & 28.

Nota II. Sub nomine Monialis, venire etiam Abbatiſſam in hac materia locutionis, ut de Abbatiſſis Urbis Romæ declaravit Alex. VII. Conſtit. *Sacroſancti*, & generatim pro quibuſcumque aliis Abbatiſſis Congr. Cong. Conc. 14. Novembr. 1654. ut in *lib.* 19. *decret. ejuſd. Cong. pag* 425.

SECTIO CCCXVIII.

Caput IX. Quoniam, *ex Decretali Gregorii, non VII., neque IX. ſed VIII. juxta Gonzalez, & alios.*

QUoniam (ut ait ſcriptura): (& infra,) Statuimus, ut facultatibus Eccleſiarum veſtrarum, proventibus, & expenſis diligenter inſpectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & ſtatuere, ut bona eorum veniant in commune, in una domo veſcantur, atque ſub uno tecto dormiant, & quieſcant, Si qui vero contradictores extiterint, licitum vobis ſit per ſuſpenſionem officii, & beneficii, aut graviori etiam pœna, ſi opus fuerit, ad hanc obſervantiam eos, appellatione non obſtante, compellere. Indulgemus etiam, ut ſi quiſquam eorum, qui ſimul vivunt, pro manus injectione in ſocium, a communione meruerit fieri alienus, reconciliandi, & pœnitentiam imponendi poteſtàtem plenariam habeatis, niſi forte atrocitas facti pœnam graviorem expectet.

Hæc Decretalis, juxta veriorem Canoniſtarum ſententiam procedit de Canonicis Regularibus, ſecundum eorum regulam in communi viventibus, prout infertur ex facultate, quam hic concedit Pontifex, abſolvendi ab excommunicatione, incurſa ob violentam manuum injectionem in aliquem ex eorumdem ſociis; quæ facultas conceſſa eſt tantummodo Prælatis regularibus, non Prælatis ſecularibus Eccleſiarum, *cap. Cum Monachi, de ſententia excommunic.* Quamvis olim etiam Canonici ſeculares viverent in communi. & potiſſimum tempore laudati Gregorii, cujus mens erat, ut intra clauſtra in communi dormitorio, & refectorio viverent, ut illis ſeculis fere in omnibus provinciis catholicis moris erat. Siquidem cum Epiſcopo proprio Canonici vitam regularem agebant, ut cum Cochier, refert hic Gonzalez, quod in deſuetudinem abiit.

Circa hanc communem vivendi formam adeantur Thomaſſinus *de Nova, & vet. Eccleſ. diſcip. par. I. lib III. cap.* IX. *num.* 2. 5. 6. 7. 10. & 11. *par. III. lib.I. cap.III. num.*5. Vaneſpen *par.I. tit. VII. cap. II. de Canonicis Collegiatarum*; Benvenuti *de Capacit. Canonicor. Regular. & benefic*, §. III. & potiſſimum Canonicus Joſeph Garampi *diſertatione* IX. *in vitam B. Claræ Ariminenſis*, *edit. Romæ an.*1755. & Benedictus XIV. *de Synod. diœc. lib.*XI *cap.*III. *num.* 3. & 4. *ac lib.* XIII. *cap.*XII. *num.*22.

In hac igitur Decretali ſtatuitur, ut is dumtaxat Canonicorum numerus in Canonis conſtituatur, quot ex ejuſdem redditibus commode ali poſſint. Sed hac de re fuſior inſtituetur ſermo part.II.

Circa facultatem abſolvendi ab excommunicatione ob percuſſionem religioſi, attendi debent notata ſupra pag. 122. col. I. §. Nota II.

SECTIO CCCXIX.

Caput X. Cum ab omni, *ex Decretali Innocentii III. Prælatis, & Clericis Lombardiæ ſcripta.*

CUM ab omni ſpecie mali præcipiat Apoſtolus abſtinere (& infra.) Sane ad audientiam Apoſtolatus noſtri pervenit, quod cum ex delegatione noſtra cauſas ſuſcipitis pertractandas, more ſecularium ſuper decima litis, vel parte alia pro diverſarum terrarum conſuetudine, præter expenſas victualium, cum litigantibus, receptis pignoribus, pro ſalario convenitis. Nos attendentes, quod ad hoc vobis, & aliis Clericis ſint eccleſiaſtici redditus deputati, ut ex ipſis honeſte vivere debeatis (& infra.) Ideoque mandamus, quatenus ab hujuſmodi exactionibus de cætero abſtinentes, vigorem judiciarium gratis ſtudeatis litigantibus imperti-

ri:

ri: non obſtante, quod in fraudem a quibuſdam proponitur, quod id exigatur nomine Aſſeſſorum: cum nec juſtum judicium judici vendere liceat, & venales ſententiæ ab ipſis etiam ſecularibus legibus reprobentur.

Huic Decretali, reprobanti munerum receptiones, accessit Decretalis Innocentii IV. relata *in cap. I. Cum æterni, de ſenten. & re judic. in VI.* has pœnas in nem pro adminiſtratione juſtitiæ, ſine ulla tamen pœnæ adjectione in judices, venalem ſententiam proferentes, eoſdem infligentis, ibi.

Cum æterni tribunal judicis illum reum non habeat, quem injuſte judex condemnat, teſtante Propheta = *nec damnabit eum cum judicabitur illi* = caveant eccleſiaſtici judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſibus nil vindicet odium, vel favor uſurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmii juſtitiam non evertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis, & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum: illius imitantes exemplum, qui querelas populi, tabernaculum ingreſſus, ad Dominum referebat, ut ſecundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex eccleſiaſticus ordinarius, aut etiam delegatus, famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris contra conſcientiam, & contra juſtitiam in gravamen partis alterius in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel per ſordes, ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti, quam læſerit, nihilominus condemnandus. Sciturus, quod ſi, ſuſpenſione durante, damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo ſe involuet, ſecundum canonicas ſanctiones, a qua non niſi per Summum Pontificem poterit liberari: ſalvis aliis Conſtitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Dignum eſt enim, ut qui in tot præſumit offendere, pœna multiplici caſtigetur.

Inſuper acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata *in cap. XI. Statutum, tit. de Reſcript. in VI.* in qua *§. Inſuper*, judicibus delegatis a Sede Apoſtolica idem prohibet, exceptis exculentis, & poculentis, ſponte oblatis, & moderatis expenſis, ſi extra domicilium eos proficiſci contingat, ibi.

Inſuper, ut gratis, & cum omni puritate judicium coram ipſo procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, niſi forſan exculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus; vel niſi cum ipſum propter cauſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas, recipere ab eiſdem partibus qualitercumque præſumat. Proviſurus attente, quod in ipſis expenſis modum nequaquam excedat, nec plus ab una parte, quam ab alia exigat, cum commune gerat negocium utriuſque: quodque (ubi cauſæ ſibi commiſſæ utilitas, vel neceſſitas non exegerit) occaſionem, propter habendas expenſas proficiſcendi extra domicilium, non aſſumat: ſed & ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes, etiam pro expenſis nil prorſus exigat ab eiſdem.

Quoad mercedem vero exigendam nomine Aſſeſſorum in allata Decretali prohibitam, hæc addit Bonifacius ſequenti §.

Aſſeſſorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudolenter, niſi eo indigeat, quod conſcientiæ relinquatur ejuſdem, ſibi nequaquam adjungat: alioquin de ſuo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipſum neutri parti ſuſpectum aſſumens, ei de competenti ſalario, provide moderando ab eo, faciat a partibus communiter provideri.

Inſuper §. *Si quid* declarat, ut ſi quid receperit, teneatur ad reſtitutionem, non obſtante donantis condonatione, ibi.

Si quid autem contra Conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur: nulla eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione ullatenus profutura eidem.

Ad hanc autem reſtitutionem tenentur, ſive ſint judices ordinarii, ſive delegati, tam Papæ, quam quorumcumque Ordinariorum ante omnem declarationem, licet ſententiam juſtam tulerint: ſi vero injuſtam, non danti, ſed parti læſæ: *Theſaurus de Pœnis eccleſiaſt.* cum communi verbo *Munera*, *cap.IV. & VI.*

Huc ſpectat propoſitio, proſcripta ab Alexand. VII. 24. *Septembris* 1665. la 26. in ordine — *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia unius præ alio* —.

Ac altera, proſcripta ab Innocentio XI. 2. *Martii* 1679. la 2. in ordine — *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem* —.

SECTIO CCCXX.

Caput XI. Deus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Livonienſi Epiſcopo ſcripta*.

Deus, qui Eccleſiam ſuam nova ſemper prole fœcundat (& infra,) Ne igitur, ſi diſpar in vobis obſervantia fuerit, & diſſimilis habitus apud eos, quibus unum Evangelium prædicatis, ſcandalum ſuſcitetur: mandamus, quatenus, eo non obſtante, quod inter vos monachi ſunt, & Canonici regulares, vel alii, etiam regularem vitam ſub alia diſtrictione profeſſi, omnes pariter in unum regulare propoſitum, & honeſtum habitum, quantum ad hoc ſpectat officium, conformetis.

In hac Decretali permittit Pontifex, ut Canonici regulares, & monachi Religionis favore, & Fidei propagandæ gratia in Provincia Livoniæ, ad quam ideo miſſi erant, uti poſſent habitu regulari, ſtatui congruenti, licet non proprio.

Hodie autem cum ob eamdem cauſam mittuntur ad terras Hæreticorum, & Infidelium, in iis locis, in quibus publicum catholicæ Religionis exercitium permiſſum non eſt, uti etiam poſſunt, & paſſim impune utuntur habitu laicali.

SECTIO CCCXXI.

Caput XII. Cum decorem, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ignotum cui, reſcripta*.

Cum decorem Domus Dei (& infra.) Interdum ludi fiunt in Eccleſiis theatrales, & non ſolum ad ludibriorum ſpectacula introducuntur in eis monſtra larvarum, verum etiam in aliquibus feſtivitatibus Diaconi, Presbyteri, ac Subdiaconi inſaniæ ſuæ ludibria exercere præſumunt (& infra.) Frat. V. mandamus, quatenus, ne per hujuſmodi turpitudinem Eccleſiæ inquinetur honeſtas, prælibatam ludibriorum conſuetudinem, vel potius corruptelam, curetis a veſtris Eccleſiis extirpare.

Quæ huic Decretali acceſſerint ex Concilio Tridentino, & Conſtit. S. Pii V. vide part. II. cum de Decreto de *Obſervan. & vitan. in celeb. Miſſæ, ſeſſ. XXII. §. Hoc idem*.

SE-

SECTIO CCCXXII.

Caput XIII. Ut Clericorum, *ex Decretali laudati Innocentii, in Concilio Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

UT Clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter, & caſte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in Sacris Ordinibus conſtituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo, propter quod *venit ira Dei in filios diffidentiæ*, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde, ac mundo corpore valeant miniſtrare: ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, ſtatuimus, ut qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis, aut minus peccaverint, puniantur ſecundum canonicas ſanctiones, quas efficacius, & diſtrictius præcipimus obſervari; ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis ſaltem pœna cohibeat a peccato. Si quis igitur hac de cauſa ſuſpenſus præſumpſerit celebrare divina, non ſolum eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur. Prælati vero, qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari ſubjaceant ultioni. Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, ſi lapſi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio uti poſſint.

Quid novi huic Decretali acceſſerit circa Clericorum incontinentiam, ſpeciali inſtituetur ſermo parte II. cum de *cap. XIV. ſeſſ. XXV. de reform.*

SECTIO CCCXXIII.

Caput XIV. A crapula, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, in dicto Concilio Lateranenſi.*

A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino, nec ad bibendum quiſpiam incitetur; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores; & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi, a Superiore commonitus, ſatisfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.

Huic Decretali acceſſit decretum Conc. Trident. quo *cap. I. ſeſſ. XXII. de reform.* mandatur Epiſcopis, ut eadem pœna hic ſtatuta, & etiam majori, eorum arbitrio, hujuſmodi delinquentes puniant, ibi.

Statuit S. Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus; necnon ſecularibus negociis fugiendis, copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinent, ſuſpendant.

Hoc tamen Conc. decretum, quoad majores pœnas infligendas, intelligendum eſt cum moderatione, de qua in ſequenti ſectione dicetur.

SE-

SECTIO CCCXXIV.

CAPUT XV. CLERICI, *ex Decretali dicti Innocentii in eodem Concilio Lateranenſi.*

Clerici officia, vel commercia ſecularia non exerceant, maxime inhoneſta. Mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus non intendant. Et tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Coronam, & tonſuram habeant congruentem. Et ſe in officiis eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter; clauſa deferant deſuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda, pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis, aut ſotularibus conſuticiis, frænis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad divinum officium intra Eccleſiam non gerant, ſed nec alibi qui ſunt in Sacerdotio, & perſonatibus conſtituti, niſi juſta cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Eccleſiis ſuper indumentis lineis omnes utantur, niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pectus, hinc inde connexis.

In hac ſaluberrima Decretali inter cætera prohibetur Clericis.

I. Exercitium officii, & commercii ſecularis.

II. Officium joculatoris, & hiſtrionis.

III. Ludus alearum, & taxillorum.

IV. Delatio veſtis, & habitus, ſtatui clericali non congruentis.

V. Delatio annuli, cui ex officio dignitatis non convenit.

VI. Dimiſſio habitus monachalis in promotis ad Epiſcopatum.

Quoad I. eadem prohibitio noviſſime renovata eſt a Clemente XIII. feliciter regnante, qui in Epiſtola Enciclyca ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, *Cum primum*, *ſub die* 17. *Septem.* 1759. iiſdem mandat, ne patiantur tam clericos, quam Sacerdotes in laicorum domibus obſequiis, abjectiſque ſervitiis addictos, licet ſub quovis honeſtiori titulo ſuſceptum ſervitii genus obtegere nitantur, quietos in ſuo dedecore inſordeſcere, ſed curent quatenus opus ſit — tota ordinariæ, ac delegatæ juriſdictionis auctoritate, ſervatis ſervandis, eoſdem ad eccleſiaſticæ vitæ inſtituta, & ad clericalis militiæ munera — revocare.

Tandem, ut liberum ſit dictis Ordinariis — *in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, & reformare* — hæc habet Pontifex —.

Quodcumque diſpenſationis, aut facultatis indultum circa præmiſſa a quolibet Romanæ Curiæ officio hactenus conceſſum, prudenti arbitrio veſtro moderandum permittimus: nullum vero in poſterum concedi volumus, niſi auditis prius Fraternitatum veſtrarum relationibus, & votis, adjectiſque eidem indulto ejuſmodi formulis, & conditionibus, per quas integrum vobis relinquatur arbitrium de illius executione, & effectu ita cognoſcendi, ut nulli eccleſiaſticorum liceat; illius prætextu negocium ullum, aut miniſterium, minus honeſtum, contra interdictum veſtrum aſſumere, aut ſuceptum retinere, & protrahere.

Quoad II. prohibitionem nempe exercendi officium joculatoris, & hiſtrionis factam clericis abſque illius pœnæ adjectione, acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata *in cap. unico, Clerici, hoc eod. tit. in VI.* in qua Clerici exercentes per annum officium joculatoris, paraſiti, mimi, aut hiſtrionis, declarantur ipſo jure privati omni privilegio clericali, ſicuti & per brevius tempus, ſi tertio moniti, non reſipiſcant, ibi.

Clerici, qui clericalis Ordinis dignitati non modicum detrahentes, ſeu joculatores, ſeu goliardos faciunt, aut buſones, ſi per annum artem illam ignominioſam execuerint, ipſo jure, ſi autem tempore breviori, & tertio moniti, non reſipuerint, careant omni privilegio clericali.

Hic tamen advertendum eſt, quod licet hujuſmodi Clerici amiſerint ob prædicta omne privilegium clericale, tamen ſi Epiſcopus ſuam ſuper ipſos juriſdictionem non abdicavit, nequit tribunal laicum, eo inconſulto, ac non conſentiente, contra eoſdem agere actione perſonali, neque reali, ut ſæpiſſime declaravit Cong. Conc. *in Mantuana*, 21. *Jan.* 1594. *in Verulana*, 27. *Martii* 1627. & potiſſimum in *Alatrina juriſdict.* 27. *Martii* 1638. — carceribus Fruſinonis detinetur nomine curiæ epiſcopalis Alatrinæ Clericus „ conjugatus, ac prætenſus humicidii reus. At prætendente Fiſco curiæ ſecularis, carceratum eſſe „ ad hunc remittendum, tamquam non habentem requiſita S. Concil. ad effectum gaudendi privilegio fori, controverſia delata fuit ad S. Congr. Immunitatis, ex cujus decreto reſolvendum proponitur dubium: „ an

,, an præveniente Epiſcopo, vel volente vindicare ,, Clericum, poſſit, licet non habeat requiſita? Sac. ,, Cong Conc. reſpondit, affirmative.

Idem etiam declaravit, & ſtatuit S.Cong. Immunitatis, ut in *Anagnina*, 16. *Septemb.* 1687. — Cleri- ,, cus conjugatus, non incedens in habitu, & tonſura ,, non poteſt allegare privilegium fori, ſalvo tamen ,, jure Epiſcopi repetendi, *& in Nullius Ferentilli*, ,, 13. *Jan.* 1739. — Clericus conjugatus, non habens requiſita Conc., licet allegare nequeat privilegia fori ex ſe, tamen ſi illum Ordinarius repetat, eſt reſtituendus, & gaudere debet dictis clericalibus privilegiis — Eamdem ſententiam noviſſime tulit. in *Bononien. Ceſararum*, 22. *Jan.* 1760.

Reliqua, ad ammiſſionem clericalium privilegiorum ſpectantia ob non ſervata requiſita a Tridentino in *cap. VI. ſeſſ.* XXIII. *de refor.* vide *part. II. poſt idem cap. VI.*

Quoad III. a frequentia nimirum ludi alearum, & taxillorum, (quorum nomine, juxta communem venit quicumque alius ſimilis ludus, e fortunæ potius eventu, quam ab induſtria, & arte pendens) neque hodie Clerici excuſari poſſunt, obtentu contrariæ conſuetudinis, quæ tamquam corruptela, jam reprobata fuit ab eodem Innocentio, tranſcriptæ Decretalis conditore in *cap.* XI. *Inter dilectos*, *de exceſſib. Prælator.* potiſſimum, cum hujuſmodi prohibitio ab omnibus fere locorum Ordinariis ſub certis pœnis innovetur.

Quamvis vero ab iiſdem Ordinariis tranſgreſſores puniri poſſint pro eorum arbitrio, ipſos tamen in iiſdem pœnis infligendis monitos velle videtur Benedictus XIV ut abſtineant ab excommunicatione latæ ſententiæ, ex facto, quod refert *lib.X. de Synod. Diæc. edit. anni* 1755. *cap.II. num.*2. ibi ,, Cum in Congregatione, ,, habita die 20. Decembr. 1687. examinanda eſſent ,, ſynodalia decreta Epiſcopi Voſionenſis, & contro- ,, verſia præcipue verteretur circa unum decretum, ,, quo ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ,, prohibebantur Sacerdotes ludere aleis, vel taxillis, ,, quocumque modo, & cum quacumque perſona, ,, poſtquam Altovitus in ſuo ſuffragio Doctores retulit, ,, aſſerentes, licere quandoque Sacerdotibus, animi ,, relaxandi cauſa, aleis, & taxillis ludere, modo id ,, non frequenter, & ſine ſcandalo faciant; attamen ,, quia ludus, qui juxta doctrinam *D. Thomæ* 2. 2. *qu.* ,, 168. *art.*2. ad virtutem pertinet eutropeliæ, facile ,, degenerat in vitium, eo quod ludentes, aut nimium ,, illi indulgeant, aut a conditionibus deficiant, quas ,, idem D. Thomas ibid. & art. ſeq. ad ludum cohone- ,, ſtandum requirit, ideo addidit Altovitus, poſſe ,, Epiſcopum in ſua Synodo edicere, ne Sacerdotes, ,, & Clerici aleis, vel taxillis ludant: ſed quantum ,, attinet ad cenſuras, hæc prudenter animadvertit; ,, *Pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, uti nimis rigidam, etiam nullo reclamante, ex officio* ,, *tollendam eſſe, & per conſequens, decretum in hac* ,, *parte reformatione indigere, cenſerem: licet enim* ,, *Sacrum Triden. Conc. cap.I. ſeſſ.* XXII. *de reformat.* ,, *tribuerit Epiſcopis facultatem procurandi obſervantiam eorum, quæ per antiquos Canones diſpoſita fuere circa vitam, & honeſtatem Clericorum, non ſolum ſub pœnis per dictos Canones ſtatutis, ſed etiam* ,, *aliis, eorum arbitrio imponendis: attamen arbitrium hujuſmodi regulari debet a jure, juxta cujus* ,, *diſpoſitionem non eſt imponenda pœna excommunicationis, præſertim latæ ſententiæ, niſi in caſu, quo* ,, *committitur culpa lethalis, quæ ex ſupradictis non* ,, *contrahitur per Clericos, raro, vel recreationis* ,, *cauſa, & citra ſcandalum ludentes* ".

Non obſtante hac moderatione, ab Ordinariis ſervanda, eos monitos velim cum *Theſauro de Pœnis eccleſiaſt. cap. IV. verbo Luſus*, & DD. cumulate ibidem citatis, Clericos in ſacris conſtitutos, & beneficiatos peccare mortaliter, aleis frequenter, & ex conſuetudine ludentes; ita, ſi publice, ſicuti & ſi notabilem pecuniæ quantitatem ludo exponant, potiſſimum ex fructibus beneficiorum,

Quoad IV. delationem videlicet veſtis, ſtatui clericali non congruentis, inſtituetur ſermo part. II. cum de cap. VI. Trident. *ſeſſ.* XIV. *de refor.*

Quoad V. delationem ſcilicet annuli, quamvis hæc, tam in hac Decretali, quam in Conc. Romano, celebrato a Benedicto XIII. an. 1725. *tit.* XVI. *cap.* III. prohibita ſit quibuſcumque Clericis, quibus non competit; hodie tamen ſpeciatim interdicta eſt omnibus Sacerdotibus, & etiam Abbatibus, ſi benedicti non ſint, dum Miſſam celebrant, ſicuti & Protonotariis Apoſtolicis, non participantibus; item Doctoribus quibuſcumque, & Canonicis Cathedralium ex decretis Congr Rituum 13. Febr. 1625 & Novembr. 1628. Hi tamen Canonici ex decreto ejuſdem Cong. 4. Auguſti 1663. uti poſſunt annulo aureo, ſed ſine gemma, & abſque aliqua effigie.

Quoad VI. dimiſſionem ſcilicet habitus regularis, reſpectu Religioſi ad Epiſcopatum promoti, attendenda ſunt jam notata ad *cap. I. Cum rationi*, Sect. LXIII.

S E C T I O   C C C X X V.

Caput XVI. Ex literis, *ex Decretali Honorii III. Ambianenſi Epiſcopo ſcripta.*

EX literis Pontini Comitis intelleximus, quod quidem Clerici ſuæ terræ potius ſecularibus negociationibus, quam officiis divinis intendunt; & gaudere volentes privilegio clericali, nolunt ſtatutis patriæ (quibus quoties expedit, ſicut laici ſe tuentur) in negociationum ſuarum quæſtibus ſubjiacere (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi tales, tertio a te commoniti, ab hujuſmodi non reſipuerint, ſed prætermiſſis divinis officiis, negociationibus inſtiterint ſupradictis, cum facto privilegium abjiciant clericale, tu, quo minus, dum his ſe implicant, de ſuis facultatibus, ſtatutis, & conſuetudinibus patriæ ſubjiaceant, non defendas eoſdem.

Quid

Quid novi huic Decretali acceſſerit circa Clericos, Eccleſiæ ſervire reluctantes, & negociationi vacantes, inſtituetur ſermo parte II. cum de cap. I. Trid. *ſeſſ.* XXII. & *cap.* VI. *ſeſſ.* XXIII. *de refor.*

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO CCCXXVI.

Caput I. Diœcesanis, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi.*

Diœceſanis locorum diſtricte præcipimus, ut Clericos carnificum, ſeu macellariorum, aut tabernariorum officium publice, & perſonaliter exercentes, nominatim, & tertio moneant, ut ſic ab hujuſmodi officiis intra convenientem terminum monentium, ipſorum arbitrio moderandum, deſiſtant, & quod ipſa nullo umquam tempore reaſſumant. Qui ſi taliter moniti, ab his non deſtiterint, aut ipſa (ut præmiſſum eſt) exercendo, reſumpſerint quandocumque, conjugati omnino, non conjuganti vero in rebus, & ſi omnino incedant, ut laici, in perſonis privilegium clericale, quamdiu præmiſſis inſtiterint, eo ipſo ammittant. Adverſus vero alios Clericos negociationibus, vel commerciis ſecularibus, vel officiis, non convenientibus clericali propoſito, publice inſiſtentes, vel arma portantes, ſic canonica ſervare ſtudeant inſtituta, quod, & illi ab exceſſibus compeſcantur hujuſmodi, & ipſi de damnabili circa hæc negligentia nequeant reprehendi.

Huic Decretali, declaranti, Clericos, non deferentes veſtes, eorum ſtatui congruentes, non gaudere privilegio fori, acceſſit decretum Trident. præſcribentis ulterius illo non gaudere, niſi alicui Eccleſiæ inſerviant ex mandato Epiſcopi, ut *cap* VI. *ſeſſ.* XXIII. *de reform.* de quo fuſius parte II. cum de eodem cap.

Circa negociationem, in hac Decretali Clericis prohibitam, nota, ut in antecedenti Sectione.

Circa exercitium officii, eiſdem Clericis non convenientis, attende notata ſupra ad cap. XV. *Clerici*, §. *Quod* I. Sectione CCCXXIV.

Circa delationem armorum, attende pariter notata ſupra ad cap. II. *clerici*, Sect. CCCXI.

SECTIO CCCXXVII.

Caput II. Quoniam, *ex Decretali ejuſdem Clementis V. in dicto Concilio Viennenſi.*

Quoniam, qui abjectis veſtibus, proprio congruentibus Ordini, alias ſumere, & in publico portare, rationabili cauſa ceſſante, præſumit, profeſſorum illius Ordinis prærogativa ſe reddit indignum: præſenti conſtitutione ſancimus, quod quicumque Clericus virgata, vel partita veſte publice utetur (niſi cauſa rationabilis ſubſit) ſi beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Si vero beneficiatus non fuerit, in ſacris tamen Ordinibus citra Sacerdotium conſtitutus, per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Idem quoque cenſemus de clericis aliis, veſtem talem ſimul, & tonſuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, perſonatum, ſeu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non cæteri in Sacerdotio conſtituti, ac Religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi (præterquam ex cauſa rationabili) publice veſtem ferant hujuſmodi, aut infulam, ſeu pileum lineum publice portent in capite, ſint eo ipſo, (beneficiati videlicet) a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, ſuſpenſi per annum. Cæteri vero Sacerdotes, & religioſi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcumque beneficium eccleſiaſticum obtinendum. Sed & tales, & cæteri quicumque Clerici, utentes epithogio, ſeu tabardo foderato uſque ad oram, & ita brevi, quod veſtis inferior notabiliter videatur, epithogium ipſum ſeculares Clerici, & religioſi, adminiſtrationem habentes, teneantur intra menſem dare pauperibus. Cæteri vero Religioſi, adminiſtrationem non habentes, intra idem tempus illud teneantur ſuis Superioribus aſſignare in pios uſus

aliquos

aliquos convertendum. Alioquin beneficiati ſuſpenſionis, cæteri vero inhabilitatis pœnas prædictas per idem tempus ſe noverint incurriſſe. Huic inſuper adiicimus ſanctioni, ut Clerici, præſertim beneficiati, caligis ſcacatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur.

In hac Decretali infligit Clemens ſequentes pœnas latæ ſententiæ in Clericos, & beneficiatos, deferentes habitum, ordini eccleſiaſtico incongruentem, videlicet, I. in beneficiatos ſuſpenſionis per ſex menſes a perceptione fructuum ſuorum beneficiorum. II. in non beneficiatos, conſtitutos in ſacris, citra Sacerdotium, inhabilitatis per ſex menſes ad obtinenda beneficia. III. in obtinentes dignitatem, perſonatum, aut beneficium curatum, ſuſpenſionis per annum a perceptione fructuum. IV. in Sacerdotes, & Religioſos, inhabilitatis per annum ad beneficia obtinenda.

Hujuſmodi ſanctio innovata, ac ampliata eſt, tum a Conc. Trid. *cap.* VI. *ſeſſ.* XIV. *de refor.* tum a Sixto V. & Benedicto XIII., ut ſpeciatim infra notabitur par. II. cum de eodem cap. VI.

Titulus II. De cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

SECTIO CCCXXVIII.

CAPUT I. INHIBENDUM, *ex Decretali, deſumpta a Can. III. Concilii Nannetenſis, incertum, quo anno celebratum ſit, an 656. vel 658. aut 690.*

INhibendum eſt, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem; quia inſtigante diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis earumdem: ſed ſi qua de his neceſſitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe a ſua converſatione: & ibi eis, quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrent. Prohibendum quoque eſt, ut nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut intra cancellos ſtare; aut ſedere.

Rigor hujus Decretalis, ſtatuentis, inhibendam eſſe Sacerdotibus, nedum cohabitationem cum fœminis, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, ſed neque cum illis, in quibus, aut naturale fœdus nihil permitlit, ſævi criminis ſuſpicari, id eſt matre, amita, & ſorore, aut cum extraneis, nulla ſuſpicione notatis, ad moderationem antiquorum Canonum revocatus eſt ab Innocentio III. qui in Decretali, relata in *cap. IX. A nobis, hoc eod. tit.* poſtulato Epiſcopi Piſtorienſis ita reſpondit.

A nobis tua Fraternitas requiſivit (& infra.) Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare, niſi forte de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus, nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari.

Quod idem præter alia Concilia permiſit Concilium Nicænum cap. III. relatum a Gratiano can. XVI. diſtin. XXXII. per hæc verba.

Interdixit per omnia Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte, aut matrem, aut ſororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones.

Non deſunt, qui contendant, hac poſteriori Innocentii Decretali minime derogatum fuiſſe contrariis Synodorum ſanctionibus, & potiſſimum mox tranſcriptæ Decretali, deſumptæ a Nannetenſi, ea ducti ratione, quod, cum hæc inſerta ſit compilationi Decretalium Gregor. IX. vim habet legis univerſalis; verum placet hic referre ſenſum Benedicti XIV. circa utriuſque Decretalis obſervantiam, & conciliationem, prout eum aperuit *lib. XI. de Synod. Diœc. cap. IV. num. 7.*

„Hac ratiocinatione decepti aliquot Epiſcopi, ſe „juri communi inſtitiſſe putarunt, cum Clericis vetuere, ne cum ulla prorſus fœmina, licet arctiſſimo „ſibi conſanguinitatis nexu obſtricta, cohabitarent. „Verum aliter ſenſere peritiſſimi Sacrorum Canonum „Interpretes, quibus compertum cum ſit jurium contrarietatem eſſe evitandam, nec facile in eadem Canonum collectione admittendam, ita res viſa eſt componenda. Decretalis (inquiunt) Innocentii III. regulam conſtituit univerſalem, communiter obſervandam. Decretum Nannetenſe ponit regulæ limitationem, in ſpecialibus quibuſdam eventibus adhibendam. Itaque priori eſt inhærendum, cum unius „diœceſis Clericis certa norma præſcribitur, ad quam „omnes ſe componere debeant: poſteriori inſiſtendum, cum de hoc, aut illo agitur, cujus mores „ſunt depravati; & cum qualibet prorſus muliere „con-

,, conſuetudo ſuſpecta . Quamobrem licet in diœceſi
,, contingat, turpe incæ ſtus flagitium , ſemel , aut ite-
,, rum ab uno, aot altero Cleric. perpetrari, non idcir-
,, co fas erit Epiſcopo a communi regula recedere ; &
,, non ſine populi admiratione , ac ſcandalo , quaſi o-
,, mnes baberentur ejuſdem enormis criminis aut rei ,
,, aut ſuſpecti, ſtatim edicere,ne ullus in poſterum Cle-
,, ricorum , cum nepte , amita , ſorore , aut matre
,, cohabitet : ſed ſi quemquam reperiat dubiæ famæ ,
,, cujus cum conſaoguinea contubernium , etiam apud
,, probos , & prudentes viros , male oleat : ille , cui
,, certe congruit regulæ limitatio , ſeparationem in-
,, jungat : ea tamen adhibita circumſpectione , & cau-
,, tela , quam rerum circumſtantiæ expoſcunt , ne de-
,, lictum , quod latet, pateſiat . Non propterea tamen
,, Conſtitutionem improbamus, qua Epiſcopus omnem
,, cum mulieribus cohabitationem Clericis interdicat ,
,, niſi ipſe prius , earumdem qualitatibus examinatis ,
,, illam prava ſuſpicione vacare compererit : boc quip-
,, pe aliud noa eſſet , quam ſibi decernendum reſerva-
,, re , oum hæc , vel illa fœmina cadat in cenſuram ,
,, an potius in limitationem regulæ Nicenæ , ab Inno-
,, ceotio III. innovatæ . Ita ſancitum legimus a S.Ca-
,, rolo Borromæo in ſuo Conc. Provinc ali Mediola-
,, nenſi I. in cujus *part.II. Actor. Eccleſ. Mediol. par.*
,, *I. pag.19.* habetur = *Quoniam non ſolum malum*
,, *cavere , verum etiam omnem mali ſuſpicionem ſuge-*
,, *re oportet , ne in cujuſquam offenſionem incurramus;*
,, *in ædibus ad Canonicorum , aliorumve Clericorum*
,, *domicilium , & uſum ædificatis , aut aliis , in qui-*
,, *bus ipſi habitant , fæminas quaſcumque , etiam*
,, *quovis ſanguinis , cognationis , aut affinitatis vincu-*
,, *lo eis conjunctas habitare prohibemus , niſi Epiſco-*
,, *pus in alicujus urgenti neceſſitate aliter facien-*
,, *dum eſſe duxerit , cujus conſcientiam in boc valde*
,, *oneramus* = . Ejuſmodi S. Caroli edictum , pluri-
,, mum tamen mitigatum, nos ſervari præcepimus a
,, parochis noſtræ Bononienſis diœceſis , quibus convi-
,, vere permiſimus cum fœminis , uſque ad tertium
,, conſanguinitatis , & primum , ac etiam interdum ſe-
,, cundum affinitatis gradum ſibi conjunctis : cætera-
,, rum vero nomina ad nos deferri juſſimus , ut , ea-
,, rum conditione inſpecta , deliberaremus , an ſine ul-
,, lius offenſione poſſent parochorum ædes incolere .

S E C T I O C C C X X I X.

CAPUT II. SI QUISQUAM , *ex Decretali , deſumpta a Can. XIV. Synodi Romanæ , celebratæ ab Eugenio II. an.826.*

SI quiſquam Sacerdotum , ideſt , Presbyter , Diaconus , vel Subdiaconus , de quacumque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus , poſt primam , ſecundam , & tertiam admonitionem inveniatur fabulari , & aliquo modo converſari cum ea , excommunicationi ſubdatur : fœmina vero canonice judicetur .

S E C T I O C C C X X X.

CAPUT III. CLERICOS , *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Salernitano ſcripta .*

CLericos, in Sacris Ordinibus conſtitutos, qui publice tenent concubinas, ad eas abjurandas nolumus a tua fraternitate compelli , ne in eamdem fornicationem inſtinctu diabolicæ fraudis redeuntes , perjurii reatum incurrant . Verum ipſos per ſuſpenſionis , & interdicti ſententiam debes arctius cogere , ut mulieres ipſas a ſe ita removeant, quod de illis ſiniſtra ſuſpicio non poſſit haberi . Et ſiqui eorum ad ipſas redire , vel alias accipere forte præſumpſerint , in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis ſententiam proferre , ut alii, eorum exemplo perterriti , a ſimilibus arceantur .

SE-

SECTIO CCCXXXI.

CAPUT IV. SICUT, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & ejus Suffraganeis reſcripta.*

SIcut ad extirpanda (& infra.) Frat. veſt. mandamus, quatenus Clericos veſtræ juriſdictionis, qui in Subdiaconatu, & ſupra, fornicarias habuerint, ſtudioſe monere curetis, ut a ſe illas removeant, eas ulterius minime admiſſuri. Si vero acquieſcere contempſerint, eos ab eccleſiaſticis beneficiis, uſque ad ſatisfactionem congruam ſuſpendatis. Et ſi eas, ſuſpenſi præſumpſerint detinere, ipſos ab eiſdem beneficiis perpetuo removere curetis.

SECTIO CCCXXXII.

CAPUT V. SUPER EO, *ex Decretali laudati Alexandri, Archiepiſcopo Eboracenſi ſcripta.*

SUper eo vero, quod aſſeris, A. Presbyterum, fornicariam detinentem, propter hoc ab officio ſuo ſuſpenſum (& infra.) Porro, ſi literas a nobis obtinuerit, quæ facti ſeriem non contineant, nolumus illas ſibi prodeſſe.

Pœnę ſtatutæ in his quatuor tranſcriptis Decretalibus contra Clericos concubinarios, & fornicarios in Sacris conſtituto, extenſæ poſtea fuerunt ab eodem Alexandro ad Clericos, etiam in inferioribus Ordinibus conſtitutos, ut ex ejus ſequenti Decretali, relata *in cap. VI. hoc eodem tit.*

Si autem Clerici tuæ juriſdictionis (ſive in ſacris Ordinibus, ſive in inferioribus conſtituti) fornicarias detinent, niſi eas ad ſecundam, vel tertiam commonitionem, a ſe dimiſerint, eaſdem de cætero contempturi, liceat tibi eos Eccleſiis, vel earum portionibus, appellatione poſtpoſita, ſpoliare, officio ipſis nihilominus interdicto.

Vulgata veterum legum pœna contra Clericos concubinarios, aut fornicarios, Epiſcopos potiſſimum, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, fuit perpetua depoſitio, ſeu a clero dejectio, tam Juſtinianeo jure ſancita, *L. Sacris Canonibus XLV. C. de Epiſc., & Cleric. Novella VI. cap. V. & cap. XXIX. Novel. CXXVIII.* quam ſacris Canonibus comprobata, atque ad dimidium uſque ſeculum XII. uſu recepta, ut de primis ſex ſeculis teſtatur S. Gregorius Magnus, *epiſt.* XXVI. *ad Januarium Epiſcopum Calaritanum lib. III. Epiſtolar.* de ſeculo vero VII. Martinus primus, *Epiſt. ad Amandum, Trajectenſem Epiſcopum, Tom. VI. Conciliorum ult. edit. pag.* 383. de VIII. & IX. Nicolaus primus *in Decreto, tit. de Presbyteris*, de ſeculo tandem X., XI. & XII. Alexander II. & Innocentius pariter II. qui præter dejectionem a Clero, etiam beneficio privandos eſſe præceperat, *Epiſt. ad Clerum, & Populum Mediolanenſem, ac altera ad Epiſcopos, & Regem Dalmatiarum, can.* II. *Decernimus diſtin. XXVIII.*

Quam quidem Eccleſiæ diſciplinam in denegando dictis incontinentibus veniam reſtitutionis in priſtinum gradum non perduraſſe uſque ad dimidium ſeculum XII. nulla afferri poſſunt authentica documenta: nec ad eam effringendam attendendus eſt *can. V. Presbyter*, relatus a Grat. *diſt. LXXXII.* in quo hujuſmodi venia indulgetur, cum perſpicua res ſit, illum = imperiti cujuſpiam auctoris eſſe, qui voluerit nomine cujuſdam Concilii temerario auſu evulgare, quod non ſolum ex apocryphis documentis deſcribebat, verum etiam, quod adverſus monumentorum, quæ afferebat, fidem ipſemet adverſus receptam Eccleſiæ diſciplinam novum inducere moliebatur, ſtudio forte privatæ cujuſpiam cauſæ, ideſt, ut ſive ſuis, in quæ inciderat, ſive alienis delictis patrocinium impenderet = Berardus ad Gratiani Canones genuinos, *tom. I. par. I. cap. XXI. de Concilio Hibernenſi, edit. Taurini* 1752. *pag.* 279. in fine.

Poſtea a tempore Alexandri III. (qui Pontificatum geſſit ab anno 1159. ad 1181.) temperato rigore depoſitionis, ſeu dejectionis a Clero, hic ordo ſervari cœpit, videlicet, ut ad certum tempus ſuſpenderentur, tam ab officio, quam a beneficio reſpective, ac creſcente malitia, ſeu contumacia, poſt trinam monitionem, a communione quoque fidelium, donec reſipiſcerent, arcerentur, ut ex ſex mox tranſcriptis ejuſdem Alexandri Decretalibus.

Tandem his poſterioribus pęnis, a Conc. Tridentino generatim confirmatis, ſi agatur de Clericis beneficiatis ſine cura, ne raptim, & feſtinanter ad ſententiam privationis beneficiorum, quæ poſſident, procederetur, cupiens experiri, an ante extrema remedia reſipiſcere poſſent, hunc ordinem gradatim ſervari præcepit *cap. XIV. ſeſſ. XXV. de refor.* ut ſcilicet, ſi poſt primam monitionem, & quidem perſonalem, a concubinarum, aliarumque ſuſpectarum mulierum conſortio (quæ ſi domi retinentur, a Græcis ſubintroductæ vocantur)

ſe non abſtineant, tertia parte fructuum, obventionum, penſionumve omnium ſint ipſo facto privati, piis locis, arbitrio Epiſcopi, applicanda: & ſi nec poſt ſecundam, omnes illos fructus, penſionesve amittant, ac inſuper ab ipſorum beneficiorum adminiſtratione aliquandiu ſuſpendantur. Si denique ita ſuſpenſi in eodem delicto perſeverant, tunc officiis, & beneficiis priventur, inhabiles deinceps eos reddens ad officia, beneficia, & honores quoſcumque. Quod ſi recidivo vomitu dimiſſum concubinatum, aut ſuſpectum cum mulieribus conſortium repetere præſumpſerint, excommunicationis gladio plectantur, Teatum leges part. II. cum de eod. cap. XIV.

Diverſimode tamen procedi mandavit *cap. VI. ſeſſ. XXI. de refor.* ad privationem beneficiorum contra parochos, turpiter, & ſcandaloſe viventes: hos enim non gradatim, ut beneficiatos, nullam animarum curam habentes, privandos eſſe ſtatuit fructibus eorumdem beneficiorum, ſed recta via, ſi poſtquam moniti, & puniti fuerint, adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeveraverint. Et merito quidem, cum probata jam eorum incorrigibilitate, nullus ulteriori experimento relinquatur locus ad emendationem obtinendam, ibi.

Eos vero (parochos) qui turpiter, & ſcandaloſe vivunt, poſtquam præmoniti fuerint, coerceant, ac caſtigent, &c. ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficiis, juxta ſacrorum Canonum conſtitutiones, exemptione, & appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant.

Ex utroque hoc Tridentini decreto clare deducitur, illius mentem eſſe, non deveniri poſſe ad ſententiam privationis beneficii, niſi certo conſtet de beneficiatorum incorrigibilitate, ad quam firmandam in non parochis ſupradictam diſcretivam legem citra quodcumque arbitrium ab Epiſcopis, obſervandam præſcripſit: a qua cum agatur de graviſſima pœna, ne latum quidem unguem, tamquam ab eſſentiali judiciali forma recedere eis minime licet: ita ut beneficio privati, non ſervato ordine judiciario, qui hodie non eſt alius, quam ab eodem Tridentino, ut ſupra præſcriptus, poſſint petere reſtitutionem, tanquam ſpoliati, ut in terminis privationis beneficii probat Fagnanus ad *cap. XXVI. Dilectus, I. de Reſcriptis, num 20. & 21.*

In tota Gallia, ſecundum Baſilienſe Concilium, & pragmaticam illius Regni Sanctionem, ac concordata, qui publice retinent concubinas, facto ipſo, poſt tres menſes excidunt ſui beneficii fructibus, templi fabricæ applicandis: ac deinde, ſi perſeveraverint, eodem quoque beneficio privantur, nec aliud deinceps ſine diſpenſatione obtinere poſſunt, Ambroſius de Gauffre in *Synopi Decretalium, lib. III. tit. II. de cohabit. Cleric. & mulier.*

Nota I. Per concubinarios, eos intelligi, qui concubinas, aut fornicarias, adinſtar uxorum, ſive continuo, ſive vage ſecum retinent, etiam extra propriam domum; quidquid in contrarium ſenſerit de concubinatu vogo Garaias *de Beneficiis, parte II. cap. X. num.* 186. aſſerens, concubinarios vagos prædictis pœnis obnoxios non eſſe, ex declaratione S. Cong. quam tamen Amenus *loc. cit. num.* 35. æxiſtimat fabuloſam, cum de ea non conſtet, nec ullibi reperiatur, imo nec credere poteſt, S. Cong. ita declaraſſe contra apertam Trid. mentem.

Nota II. Non ſolum hos concubinarios prædictis pœnis obnoxios eſſe, ſed etiam ſimplici incontinentia cum hujuſmodi fœminis notatos, ſine qualitate concubinatus: Tridentinum enim utitur verbis disjunctivis, *qui cum concubinis, aut aliis mulieribus, de quibus haberi poſſit ſuſpicio, ullam conſuetudinem habere audeant*, quod idem ſtatuit Eugenius II. in ſupra tranſcripta Decretali *Si quiſquam*, non quidem univerſim contra Clericos, ſed contra conſtitutos in majoribus Ordinibus dumtaxat, quos de quacumque fœmina, crimine fornicationis ſuſpectos excommunicandos decernit, ſi poſt tertiam monitionem non deſtiterint.

Nota III. Ad incurrendas prædictas pœnas non requiri notorietatem concubinatus, & incontinentiæ; cum abſolute ſtatutæ ſint contra Clericos, ſimiles fœminas retinentes, & de quacumque muliere, crimine fornicationis ſuſpectos. Requiri tamen præviam monitionem, & quidem ſpecialem, non generalem per edictum; & hæc debet eſſe trina, vel una pro tribus; non tamen trina ante inflictionem ſingularum pœnarum a Tridentino ſtatutarum, ut contra dictum Garziam probat Amenus *loc. cit.* ,, etenim (ait) verum eſt, quod, ad hoc, quod Clericus concubinarius privetur beneficiis, debet ter perſonaliter moneri, ut habetur in Decretalibus *cap. Sicut ad extirpanda, cap. Si quiſquam, cap. Si autem, verb. vel tertiam, de cohabit. Cler. & mul.* non tamen neceſſarium eſt, quod tali modo moneatur, ſi infligenda eſt minor pœna, quam ſit privatio beneficii: etenim Concilium aperte ait, quod ſi moniti primo, non reſipiſcant, amittant tertiam partem fructuum; ſi poſt ſecundam monitionem adhuc perſeverent, fructus ex integro amittant; & poſt tertiam priventur beneficiis. Somnium autem eſt, quod ſingulæ monitiones debeant eſſe trinæ, quia hoc modo ſecunda monitio evaderet quarta, & tertia eſſet ſeptima, quod eſt inauditum. Senſus ergo eſt, quod ſi Clericus redditus eſt ſuſpectus notorie, & fama deferente, de conſortio ſcandaloſo, debet judicialiter moneri ab Epiſcopo, & ſi poſt eam monitionem non deſtiterit, tertia parte fructuum puniatur, & ſic deinceps “.

Nota IV. Pœnam privationis fructuum, a Tridentino impoſitam, quamvis ſit latæ ſententiæ, non obligare in foro conſcientiæ ante declarationem, *Thesaur. de pœn. eccleſiaſt. cap. IV. verbo Concubinatus.*

Nota V. Onus admonitionis faciendæ Epiſcopo, concubinatus reo, a Concilio provinciali, juxta præſcriptum Tridentini, & reſpective denunciationis faciendæ, Sum. Pontif. in caſu inſordeſcentiæ in concubinatu, cum hodie Concilium provinciale, vel raro admodum, vel numquam, juſtis de cauſis, non celebretur, crederem idem onus ſpectare ad Metropolitanum.

SE-

S E C T I O C C C X X X I I I.

Caput VII. Veſtra, *ex Decretali Lucii III. Magiſtro, & Fratribus militiæ S. Jacobi reſcripta.*

VEſtra duxit devotio inquirendum (& infra.) Alicubi dicitur: *nullus audiat Miſſam Sacerdotis, quem ſcit indubitanter, concubinam habere*: alibi vero legitur: *non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus fuerit, divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt: qualiſcumque enim Sacerdos ſit, quæ ſunt ſancta, coinquinari non poſſunt. Sumite ergo ab omni Sacerdote Chriſti myſteria, quia omnia in Chriſti fide purgantur.* Cæterum aliud eſt crimen notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo Presbyter canonice condemnatur. Occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Cæterum aliud eſt, quando crimen notorium non diffitetur Presbyter, vel de ipſo eſt canonice condemnatus. Aliud eſt pene occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Item aliud eſt a talium officiis abſtinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujuſmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur: atque aliud, ſi talium, tamquam in fornicatione jacentium, talia myſteria reſpuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis, & Presbyteris, quamquam fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta eccleſiaſtica.

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis clare infertur, non licere audire Miſſam Sacerdotis notorii concubinarii, vel notorietate facti, vel per operis evidentiam, nec ab eo eccleſiaſtica Sacramenta recipere.

Verum quid circa illius evitationem hodie tenendum ſit, notabitur infra ad *cap. X. Quæſitum*, Sectione CCCXXXV.

S E C T I O C C C X X X I V.

Caput VIII. Tua nos, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Exſomenſi, in Hiſpania reſcripta.*

TUa nos duxit fraternitas conſulendos, ſi de Clericis, publice concubinas habentibus, qui, quando a te conveniuntur, ſe eſſe concubinarios diffitentur, nec apparet contra eos legitimus accuſator, credendum ſit teſtimonio bonorum virorum, inter quos vivere dignoſcuntur. Nos igitur conſult tuæ taliter reſpond. quod ſi crimen eorum, ita publicum eſt, ut merito debeat appellari notorium, in eo caſu nec teſtis, nec accuſator eſt neceſſarius, cum hujuſmodi crimen nulla poſſit tergiverſatione celari. Si vero publicum eſt, non ex evidentia, ſed ex fama, in eo caſu ad condemnationem eorum ſola teſtimonia non ſufficiunt, cum non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum. Sed, ſi de clericis ipſis talis habeatur ſuſpicio, ut ex ea ſcandalum generetur in populo, licet contra ipſos non apparuerit accuſator, eis tamen eſt canonica purgatio indicenda, quam ſi præſtare noluerint, vel defecerint in præſtanda, eos canonica debebis animadverſione punire.

In hac Decretali ſtatuitur, indicendam eſſe purgationem canonicam Clericis, de concubinatu ſuſpectis.

Verum hodie hæc purgatio apud omnia fere eccleſiaſtica tribunalia in deſuetudinem abiit, ut notabitur ad eumdem titulum.

SECTIO CCCXXXV.

Caput X. Quæſitum, *ex Decretali Gregorii IX.*

QUæſitum eſt de Clericis, in fornicationem prolapſis, ſi eorum ſit officium, priuſquam pœnituerint, audiendum. Verum, etſi quemlibet pro mortali peccato, quoad ſeipſum conſtet eſſe ſuſpenſum, non debet tamen in officiis evitari: quia quantum ad alios, etiam in caſu propoſito, ſuſpenſus non eſt, niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu confeſſionem, factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.

Statuitur in hac Decretali, Sacerdotem, notorium concubinarium vitandum eſſe, quoad illius Miſſæ auditionem.

Idipſum interdictum legitur a Nicolao II. in Synodo Romana, a ſe celebrata in Baſilica Conſtantiniana an. 863. per hæc verba, relata a Gratiano *can. V. diſtin. XXXIII. Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem:* ac etiam per eadem verba ab Alexandro II. in Synodo a ſe celebrata anno 1063. ut ex *can. VI. Præter, mox cit. diſtin.* & poſterius ab Innocentio II. ut ex *can. V.* Concilii Rhemenſis, a ſe celebrato anno 1131. cum in Gallia moraretur, quem iterum innovavit in *can. VII.* Concilii Lateranenſis, ibi — *Ad hæc Prædeceſſorum noſtrorum Gregorii VII. Urbani, & Paſchalis, Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, præcipimus, ut nullus Miſſam eorum audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognoverit* —.

Verum hodie hæc prohibitio ſublata eſt per Conſtitutionem Martini V. *Ad evitanda* in Concilio Conſtanſienſi editam ,, Quæ (ita Fagnan. ad *cap. VII. Veſtra, hoc eodem titulo, nu.* 17. quod traſcripum ,, eſt Sect. CCCXXXIII.) ad evitanda ſcandala, & ,, multa pericula, quæ conſcientiis timoratis con- ,, tingere poſſent, indulſit, ut nemo deinceps a com- ,, munione alicujus in Sacramentorum adminiſtratio- ,, ne, vel receptione, aut aliis quibuſcumque Divi- ,, nis, vel extra, teneatur abſtinere, vel aliquem vi- ,, tare prætextu excommunicationis, ſuſpenſionis, ,, & interdicti, niſi a judice ſpecialiter, & nomina- ,, tim fuerint denunciati, vel in ſententiam Canonis, ,, *Si quis ſuadente*, adeo conſtiterit incidiſſe, ut nul- ,, la poſſit tergiverſatione celari. Quare illi tantum ,, excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti dicuntur ,, non tolerati ab Eccleſia, ut eos vitare teneamur, & ,, ab eorum communione, in divinorum auditione, vel ,, Sacramentorum perceptione, vel alias abſtinere, ,, qui per ſententiam hominis ſunt nominatim denun- ,, ciati, aut notorii Clericorum percuſſures. Idque jam ,, more Eccleſiæ receptiſſimum eſſe atteſtantur Cardi- ,, nal. Cajetan. *in Summa verſ. Excomm. major. &* ,, *in 22. qu. 2. art. 2. Sot. in 4. ſent. diſt. 22. q. I. art.* ,, 4. *Navarr. in Manuali c. 27. n. 33. Covar. in Cap.* ,, *Alma mater p. I. §. II. n. 9. verſ. Supereſt igitur* . . . ,, Itaque Clericus concubinarius notorietate facti, ſeu ,, per operis evidentiam hodie dicitur toleratus, nec ,, ante denunciationem eſt ſuſpenſus, quoad alios, ,, quantum ad hoc, ut non liceat ei communicare in ,, Divinis, & perceptione Sacramentorum, cujus op- ,, poſitum hic deciditur, *cap.* Scilicet *VII. Veſtra*.

Idem repetit, in hoc eod. *cap. Quæſitum, n.* 25. *& ſeqq.*

An autem, licet ex hactenus ab eo deductis, Sacerdos, fornicarius notorius non ſit ſuſpenſus quoad alios, quod ſcilicet licite audiri poſſit ejus Miſſa, donec nominatim declaratus fuerit, ut vitandus, ſit ſaltem ſuſpenſus, quoad ſe; ita, ut celebrando fiat irregularis; validiſſimis argumentis negat idem Fagnanus loc. cit. potiſſimum ex diſpoſitione *cap. XIV. Trident. ſeſſ. XXV. de refor.* in quo inter varias pœnas, quas infligendas præcipit hujuſmodi Clericis, nullam mentionem facit de ſuſpenſione, ipſo facto incurrenda, jubens dumtaxat, eos ſuſpendi: & *cap. VI. ſeſſ. XXI. de refor.* renovans pœnas Sacrorum Canonum, in parochos, turpiter, & ſcandaloſe viventes, facultatem concedit illos privandi beneficiis, nulla facta mentione ſuſpenſionis, qua dicto *cap. XIV.* declarat, ſolos Epiſcopos ipſo facto ligari, ſi poſt monitionem, a ſuſpecto mulierum conſortio non deſtiterint.

In eodem ſenſu cum communi Canoniſtarum ſententia eſt *Theſaurus de Pœnis eccleſiaſt. cap. I. verbo Concubinatus*, & Wagnerech ad hoc idem caput.

Nota, quod ex decreto Gregorii VII. *can. XV. Si qui ſunt, diſt. LXXXI.* conſtituti in ſacris, jacentes in crimine fornicationis, incurrebant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, uſque dum reſipiſcerent, ſi tamen notorii eſſent, juxta declarationem Cong. Conc. relatam a Monacelli *tom. II, tit. XIII. formul. III. nu.* 31. Quia vero de hac declaratione non ſatis conſtat; quinimo nihil quoad hoc amplius reperitur in poſtrema ejuſdem Auctoris editione loc. cit. ideo ſtandum eſt hac in re ſancitis a Trident. ut ſupra notavi.

Digitized by Google

SECTIO CCCXXXVI.

CAPUT I. SIQUI CLERICORUM, *ex Decretali Alexandri III. Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis reſcripta, juxta Gonzalez.*

Siqui Clericorum infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipſos ad relinquenda beneficia eccleſiaſtica, & retinendas uxores diſtrictione eccleſiaſtica compellatis. Sed ſi in Subdiaconatu, & aliis ſuperioribus Ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, eos uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commiſſo, per ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententiam compellere procuretis.

In hac Decretli præcipit Pontifex. I. Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, matrimonium contrahentes, cogendos eſſe ad dimittenda beneficia eccleſiaſtica, ſi quæ poſſident. II. Conſtitutos vero in Sacris, ſi matrimonium itidem contraxerint, compellendos eſſe ſub pœna ſuſpenſionis, & excommunicationis, ferendæ quidem ſententiæ, ad uxorem dimittendam, & ad agendam pœnitentiam de bujuſmodi delicto.

Quoad I. Quamvis ex verbis tranſcriptæ Decretalis appareat, pœnam hanc eſſe ferendæ ſententiæ, communis tamen Canoniſtarum interpretatio eſt, ut Clericus minoriſta per matrimonium contractum, dummodo validum fuerit, ipſo facto privatus ſit beneficiis, & eccleſiaſticis penſionibus, teneaturque ea dimittere ante omnem declarationem, & fructus poſtea perceptos reſtituere, *Theſaurus de pœnis eccleſ. cap. IV. verb. Apoſtaſia num.* 5. Quam privationem ipſo facto incurrendam idem Theſaurus ex *cap. X. Ut conſultationi, hoc eod. tit.* cum DD. ibi citatis extendit etiam ad minoriſtam, aſſumentem ſtatum incompatibilem cum Clericatu, *puta militarem*.

Ex Conſtit Sixti V. *Cum Sacroſanctum*, 9. *Januarii* 1589. minoriſtæ, nedum matrimonium contrahentes, vel ſtatum incompatibilem cum Clericatu aſſumentes, ſed etiam habitum clericalem dumtaxat dimittentes, incurrunt ipſo facto pœnam privationis, tam beneficiorum, quam extinctionis penſionum. Circa quam Conſtit. ita animadvertit laudatus Theſaurus, loc. cit. ibi „ Sed aliqui dicunt, non eſſe quoad hunc „ rigorem uſu receptam, Garzias *part VII. cap. I. numer.* 24. Alii dicunt, requiri monitionem, & con„ tumaciam, *Caſtrapalao tom. II. tract. XIII. de be„ nef. diſp. I. punct.* 11. §. *X. num.* 10. Sed verius puto, „ requiri declaratoriam pro foro conſcientiæ, per ea, „ quæ Garzias *par. XI. cap. X. num.* 9. Eſt enim, pœ„ na, privans jure quæſito. Certe ſi Clericus bene„ ficiatus renunciaret Clericatui coram ſuo Ordinario „ eccleſiaſtico, ipſo facto pro utroque foro privare„ tur beneficio, & privilegiis clericalibus: ſecus, ſi „ coram judice ſeculari, Garzias *part. XI. cap. III. nu„ mer.* 223. cum magis communi.

Imo non deſunt DD. aſſerentes, privationem beneficii induci ipſo jure per matrimonium nulliter contractum, quia ex intentione Clericorum, contrahentium matrimonium aſſumptus eſt ſtatus incompatibilis; adeoque juris interpretatione, beneficio ipſo facto renunciatum intelligitur, *arg. cap. Nuper IV. de Bigamis*, ubi propter affectum, ſeu intentionem cum opere ſubſecuto quis inter bigamos reputatur. Hujus ſententiæ ſunt Abbas. Leſſius, Garzias; qui ulterius teſtantur, hanc eſſe communem; quam ſequitur etiam Barboſa in hoc cap. & *allegat LVII. num.* 207. qui tamen recte limitat in caſu, quo matrimonium nullum eſſet ex defectu conſenſus, cum tunc eſſet præſumptio tacitæ renunciationis.

Circa pœnam clericalem habitum dimittentium, vide dicta Sectione CCCXV.

Quoad II. Circa nempe conſtitutos in ſacris, matrimonium contrahentes, hæc eadem Decretalis ampliata eſt a Clem. V. in Conc. generali, celebrato Viennæ in Gallia an. 1311. qui, *cap. unic. Eos qui*, relato in Clementinis, *tit. de Conſanguinit., & affinit.* declarat, eos ipſo facto excommunicatos eſſe, jubetque a Prælatis Eccleſiarum, vel per ſe, vel per alios, ut tales, publice denunciari, donec ab uxoribus ſeparentur, & abſolutionem meruerint obtinere: quæ, quouſque non fuerint denunciati, nemini eſt reſervata: ſi tamen ſe ſeparaverint ab uxoribus, cum hæc cenſura dumtaxat duret, donec ſe ſeparaverint. Poſt denunciationem vero eſt reſervata Epiſcopo, ibi.

Eos, qui, divino timore poſtpoſito, in ſuarum periculum animarum ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religioſos, & moniales, ac Clericos, in Sacris Ordinibus conſtitutos, matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjiacere: præcipientes Eccleſiarum Prælatis, ut illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe, excommunicatos publice tandiu nuncient, ſeu a ſuis ſubditis faciant nunciari, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, ſeparentur ab invicem, & abſolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque, juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.

Bene-

Benedictus XIV. in Conſtit. *Et ſi paſtoralis*, 26. Maii 1742. *de Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque ſervandis* §. *VII. de Sacramento Ordinis, num.*27. etiam contra Græcos in ſacris conſtitutos, mortua uxore, aliam poſt ſacram ordinationem ducentes, vel ſi antea uxorati non fuerint, uxorem ducere præſumentes, has pœnas inſtixit, ibi.

Præterea, ſi quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, poſt ſacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel ſi uxorem non habebat, ducere præſumpſerit, nedum excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliiſque noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſeveriſſime punietur; verum etiam ſtatim ab Ordine erit deponendus, & ab illegitima uxore ſeparandus; matrimonium enim poſt recenſitos Ordines contractum, nullum, irritumque declaramus.

Nota I. Cenſuram inflictam in cit. Clementina incurri, licet matrimonium non fuerit conſumatum. Si vero conſumatum fuerit, incurritur etiam irregularitas, ob bigamiam ſimilitudinariam, juxta *cap.VII. Nobis, de Bigam. non ordin.*

Nota II. Tam præfatos Clericos in ſacris, quam quoſcumque Religioſos, profeſſos in Religione proprie tali, habentes ſcilicet tria vota ſubſtantialia, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, qualis eſt etiam Religio Militum S.Joannis Hieroſolymitani, ſuſpectos eſſe de hæreſi; ideoque Sacræ Inquiſitioni denunciandos, *Theſaur. de Pœnis eccl. cap. IV. verb. Matrimonium num.*4. An autem ſuſpecti ſint de levi, an de vehementi, pendere id cenſeo a circumſtantiis facti. Si vero matrimonium contraxerint cum errore in intellectu, exiſtimantes tamquam ſibi licitum contra definitionem Trident. *can. IX. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* erunt Hæretici formales, pœnaſque contra Hæreticos inflictas incurrent.

SECTIO CCCXXXVII.

CAPUT II. SANE, *ex Decretali ejuſdem Alex. III. Epiſcopo Herfordienſi, in Anglia reſcripta.*

SAne (& infra.) Provideas attentius, ne deinceps Clericus conjugatus ad eccleſiaſtica beneficia, vel Sacros Ordines, aut adminiſtrationes eccleſiaſticas admittatur, niſi forte caſtitatem voveret perpetuam, & qui unicam, & virginem habuiſſet uxorem.

In hac Decretali declarat Pontifex, poſſe Clericum conjugatum, qui unicam, & virginem duxit, obtinere eccleſiaſtica beneficia, promoverique ad Sacros Ordines, remanendo etiam in ſeculo, ſi perpetuam voverit caſtitatem, intellige de conſenſu uxoris, ut diſponitur in *can. VI. Epiſcopus, diſtin. LXXVII.* Verum quomodo, & quibus conditionibus id hodie permittendum ſit, inſtituetur ſermo in *cap. VIII. Uxoratus, de converſione conjugator.*

SECTIO CCCXXXVIII.

CAPUT III. QUOD A TE, *ex Decretali laudati Alex. Epiſcopo Verulano, in Campania reſcripta.*

QUod a te (& infra.) Utrum Clerici infra Subdiaconatus Ordinem conſtituti, qui carnis devicti vitio continere non valentes, uxores accipiunt, eccleſiaſtico beneficio canonice debeant ſpoliari. Id volumus tenere, quod cum ſimul voluptatibus, & carnalibus deſideriis, ac divinis, & eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeant, ob immunditiam ſuam eccleſiaſticis Sacramentis indigni tractandis, eccleſiaſticis proculdubio beneficiis ſunt privandi. Sane ſi Eccleſiis, quibus intitulati fuerant, de poſſeſſionibus, aut aliis bonis ſuis aliqua contuliſſe noſcuntur: cum ab earumdem Eccleſiarum miniſterio fuerint, & beneficio ſequeſtrati, ad ipſos recta via debent abſque contradictione redire.

Cum in hac pariter Decretali, ſicut & in altera, relata in *cap. I. Si qui*, jam ſupra tranſcripta, Sectione CCCXXXVI. ſtatuerit Alex. Clericos in minoribus conſtitutos, matrimonium contrahentes, privandos eſſe beneficiis, prius obtentis, non vero eſſe ipſo facto privatos, attendenda eſt Canoniſtarum interpretatio, quam expoſui in cit. Sectione.

SE-

SECTIO CCCXXXIX.

Caput IV. Sane, *ex Decretali ejuſdem Alexandri*.

Sane Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, ſed contubernia ſunt potius nuncupanda: poſt longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio ſuo reſtitui poterunt: & ex indulgentia ſui Epiſcopi, ejus executionem habere.

Cum hujuſmodi delinquentes ſint, ut dixi ſupra, de hæreſi ſuſpecti, & tamquam tales puniri ſolent a S. Inquiſitionis tribunali, arbitrio Inquiſitorum, regulato (ut animadvertit Ludovicus de Ameno *tom. III. de Delict. & Pæn. tit. VIII. §. V. verb. Abuſus in matrimonio num. 3.*) a circumſtantiis facti, & aliquando (pœnæ) extenduntur uſque ad damnationem ad triremes, videtur non eſſe amplius in poteſtate Epiſcopi, ut hic indulſit Alex., etiam poſt longam pœnitentiam, eos ſuo officio reſtituendi, & ut in ipſo miniſtrent, diſpenſandi.

SECTIO CCCXL.

Caput V. Diversis, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo Norvicenſi, in Anglia ſcripta*.

Diverſis fallaciis (& infra.) Accepimus autem, quod quidam Clerici tuæ diœceſis, qui matrimonium contraxerunt, eccleſiaſtica beneficia detinere contendunt, in quorum converſatione cithara cum pſalterio male concordat. Cum ergo vir cogitet, quomodo placere poſſit uxori, & ideo minus, quæ Dei ſunt valeat cogitare, cum quaſi diviſus in duo, plenam ſui non habeat poteſtatem, ut ei, a quo ſtipendium recipit, plenius famuletur; mandamus, quatenus hujuſmodi Clericos beneficiis eccleſiaſticos, quæ in tua diæceſi ſunt adepti, prives, appellatione remota, præſertim, cum rerum eccleſiaſticarum ſubſtantia per tales ſoleat deperire. Niſi forte tu talibus ſcienter contuleris eccleſiaſtica beneficia: quibus eos non per te, ſed per ſuperiorem decernimus ſpoliandos.

Hic Innocentius idem ſtatuit, quod jam ſtatuerat Alexander III. in Decretalibus, ſupra tranſcriptis Sectione CCCXXXVI. & Sectione CCCXXXVIII. Clericos ſcilicet in minoribus conſtitutos, matrimonium contrahentes, privandos eſſe beneficiis, cum alias hodie ex ratione, in dicta Sectione CCCXXXVI. allata, privati ſint ipſo jure.

SECTIO CCCXLI.

Caput VI. Cum olim, *ex Decretali laudati Innocentii, Archiepiſcopo Acheruntino, in Regno Apuliæ reſcripta*.

Cum olim ad noſtram audientiam perveniſſet, quod Canonici Anglorien. Cantorem Triaricen. ſibi elegerant in paſtorem (& infra.) Licet tibi de forma electionis canonicæ, ac idoneitate perſonæ in aliis conſtitiſſet: movit te tamen, quod cum pater eius græcus fuerit, & juxta ritum Græcorum uxorem duxerit in minoribus Ordinibus conſtitutus, Cantorem ipſum ex uxore legitima in Sacerdotio ſuſcepiſſet. Nos igitur attendentes, quod orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit, quoniam orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in Superioribus utuntur matrimonio, jam contracto: mandamus, quatenus, niſi pro eo, quod inter Latinos Græci hujuſmodi converſantur, regionis conſuetudo repugnet, ſi aliud canonicum non obſiſtat, ad confirmationem, & conſecrationem ejuſdem ſine dubitatione procedas.

Ex hac Decretali palam fit, Epiſcopi electionem, juxta antiqui juris communis diſpoſitionem ſpectare ad capitulum Cathedralia, illiuſque confirmationem ad Metropolitanum. Verum hodie, ubi non ſunt concordata, electio ſpectat ad Romanum Pontificem, ſicuti confirmatio, & conſecratio, ubi etiam ſunt concordata, ut jam ſupra oſtendi.

S E C T I O C C C X L I I.

Caput VII. Joannes, *ex Decretali dicti Innocentii, Epiſcopo Pictavienſi, in Aquitania ſcripta.*

JOannes nobis, conquerendo, monſtravit, quod tu eum, quamquam jamdudum uxorem legitimam duxerit, pro eo, quod prius in Acholytum fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonſuram deferat clericalem, ex qua inter ipſum, & uxorem ſuam poſſet ſcandalum generari, cum de conſuetudine terræ tuæ Clerici uxorati non cogantur inviti portare tonſuram. Quoniam igitur idem etiam tonſuratus non poteſt privil. clericali gaudere: mandamus, quatenus ipſum ſuper tonſuratione hujuſmodi non moleſtes, dummodo nullum percipiat beneficium eccleſiaſticum, cujus ratione teneatur clericalem tonſuram deferre: quia cum eum oporteat ſecularibus negotiis immiſceri, tonſura ipsius, ſecularia exercentis, videretur protecto in miniſterii noſtri vituperium redundare.

Intellectum hujus Decretalis, in qua declarat Pontifex, Clericum conjugatum, etiam deferentem habitum, & tonſuram, non gaudere clericali privilegio, optime explanat Fagnanus his verbis ,, In textu (ibi) etiam tonſuratus non poteſt privilegio clericali gaudere, nota, Clericum conjugatum non gaudere clericali privilegio, licet habitum, & tonſuram deferat, ut hic eſt expreſſum, & notat Bernardus poſt caſum, & Joan. Andr. num. 8. verſ. *Item Quod conjugatus*. Sed cave, ne decipiaris, quia per Conſtitutionem Bonifac. VIII. in *cap. unico*, infra eodem *lib. VI.* innovatam a Conc. Triden. *cap. VI. in fine ſeſſ. XXIII.* Clerici conjugati, non bigami, gaudent duobus tantum privilegiis, videlicet Canonis, *Si quis ſuadente 17. qu.* 4. & fori, ne ſcilicet pro commiſſis exceſſibus trahi poſſint criminaliter, ac civiliter ad judicium ſeculare, ad hoc tamen ex *d. cap. unic.* requiritur, ut tonſuram, & veſtes deferant clericales, & ex dicto *cap. VI.* & quoad fori privilegium, præter habitum, & tonſuram, requiritur etiam, ut alicui Eccleſiæ inſerviant. Dixi quoad fori privilegium, quia, quoad privilegium Canonis, Decretum Concilii nihil novi ſtatuit, ut alias fuit reſolutum. Quare licet hodie non cogantur deferre tonſuram præciſe; coguntur tamen cauſative, id eſt, ſi velint Canonis, & fori privilegio potiri, ut hic per Abb. *num. 7. verſ. Et conclude latius*, quia ſine tonſura, & habitu non retinent privilegium Canonis, & ſine tonſura, habitu, & ſervitio non retinent privilegium fori. Dum ergo hæc Decretalis dicit, Clericum conjugatum, etiam tonſuratum, non gaudere clericali privilegio, non intelligas tu de prædictis duobus privilegiis, ſed de reliquis privilegiis eccleſiaſticis, quæ Clericus conjugatus perdidit ipſo facto, ut in d. *cap. unico verſ. In cæteris*, & ibi notat Gloſſ. communiter approbata. Neque ad hoc requiritur monitio, ſed ſufficit ſolus contractus matrimonii: nam ex contrario actu hæc privilegia amittuntur. Et ita limitant, & intelligunt hunc text. *Gloſſ. I. Abb. antiq. num. 1. in verbo Gaudere, Hoſt. poſt princ. in verbo Privilegio, Joan. Andr. num. 24. Abb. ſen. num. 3.* & alii communiter.

Sed de his privilegiis fuſior inſtituetur ſermo parte II. cum de *cap. VI. Triden. ſeſſ. XXIII. de refor.*

Cum autem in tranſcripta Decretali addat Pontifex exceptionem, Clericum videlicet conjugatum non eſſe cogendum ad delationem habitus, & tonſuræ, dummodo nullum percipiat beneficium eccleſiaſticum, videtur declarare, dari poſſe Clerico conjugato beneficium in titulum contra diſpoſitionem omnium ſupra allatarum Decretalium.

Verum hæc exceptio intelligenda eſt, ſi beneficium poſſideat ex diſpenſatione Papę, ut Gloſſa hic, & Canoniſtæ communiter.

S E C T I O C C C X L I I I.

Caput IX. Ex parte, *ex Decretali Honorii III. Berengariæ, quondam Anglorum Reginæ, reſcripta.*

EX parte tua fuit propoſitum, quod nonnulli literati terræ tuæ (habitu, & tonſura clericali relictis) publice ducunt uxores (& infra.) Ut tamen conſuetis juſtitiis, & debitis obſequiis te defraudent, tonſuram deſumunt abjectam (& infra.) Quidam etiam, accepta prima tonſura, ſimiliter contrahunt, & eamdem tonſuram deferunt, ut eodem prætextu excuſari valeant a prædictis (& infra.) Cum igitur reddenda ſint, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; æquanimiter duximus tolerandum, si a talibus juſtitias debitas, velut ab aliis uxoratis exigas, & ſervitia conſueta.

An

An Clerici conjugati, reaſſumentes in fraudem habitum, & tonſuram, de quibus eſt caſus in hac Decretali, gaudeant privilegio clericali, dicetur parte II. cum de *cap. VI. Triden. ſeſſ. XXIII. de refor.*

Unum hic monitos velim Tyrones in ſtudio juris canonici, quod in Codice Decretalium Gregorii IX. quo in ſcholis utimur, male præfigatur ſumma huic eidem Decretali, his verbis expreſſa – Clerici conjugati in rebus ſuis non gaudent privilegio clericali – quandoquidem in textu id generaliter non ſtatuitur, ſed de illis dumtaxat, qui in fraudem habitum, & tonſuram reaſſumunt, ut legenti patet.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCXLIV.

Caput Unicum Clerici, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Clerici, qui cum unicis, & virginibus contraxerunt, ſi Tonſuram, & veſtes deferant clericales, privilegium retineant Canonis, ab Innocentio Papa II. Prædeceſſore noſtro editi in favorem totius Ordinis clericalis. Et cum (juxta Pariſienſe Concilium (nullus Clericus diſtringi, aut condemnari debeat a judice ſeculari, præſenti declaramus edicto, hujuſmodi Clericos conjugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis, trahi non poſſe criminaliter, aut civiliter ad judicium ſeculare, nec ab ipſis ſecularibus judicibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eiſdem judicibus, quod per aliam denegatur (ullatenus condemnari. In cæteris autem, vel (niſi, ut præmittitur.) Tonſuram, vel veſtes ferant clericales, etiam in præmiſſis, eos gaudere nolumus privilegio clericali.

Hæc Decretalis innovata, & ampliata eſt a Conc. Triden. *cap. VI. ſeſſ. XXIII. de refor.* hic enim Bonifacius tres conditiones requirit, ut Clericus conjugatus gaudere poſſit privilegio Canonis, & fori. I. Scilicet, quod unicam dumtaxat duxerit uxorem. II. Quod hæc fuerit virgo. III. Quod deferat Tonſuram, & veſtes clericales: Tridentinum vero quartam addidit, quod nempe alicujus Eccleſiæ ſervitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputatus inſerviat, vel miniſtret, ut ex illius textu, quem leges parte II. cum de cit. cap. VI. ubi etiam leges omnia ad hæc privilegia ſpectantia.

Nota I. Canonem in percuſſores Clericorum, & Monachorum, quem Bonifacius hic editum fuiſſe memorat ab Innocentio II., & quem Gratianus refert in *can. XXIX. cauſa XVII. q. 4.* deſumptum eſſe a can. XV. Conc. generalis Lateranenſis II. ab eodem Innocentio celebrati, an. 1139. cum interventu mille circiter Epiſcoporum, ita deſcribitur.

Item placuit, ut ſi quis, ſuadente diabolo, hujus ſacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat: præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat, quod ſi fecerit, excommunicetur.

Qui quidem Canon huc derivatus eſt ex can. XIII. Conc. Rhemenſis, ac poſtmodum inſertus in Conc. Claramontano, celebrato an. 1130. cui præfuit idem Innocentius, cum in Gallia moraretur, juxta Cabaſutium cum de Conc. Lateranenſi II. *Notitia Conciliorum*.

Canon vero, eximens Clericos a judicio ſecularis fori, cujus laudatus Bonifacius hic etiam meminit, relatus eſt in *cap. II. Nullus de foro competen.* quod jam tranſcriptum habes, Sectione CCXXVIII. pag. 146.

SECTIO CCCXLV.

CAPUT II. EX GESTIS, *ex Decretali, deſumpta ex geſtis Romanorum Pontificum.*

EX geſtis (& infra.) In qua Synodo Anaſtaſius, Presbyter Cardin. Titul. B. Marcelli, ab omnibus canonice eſt depoſitus; eo quod paræciam ſuam per annos quinque, contra Canonum inſtituta, deſervit, & in alienis uſque hodie demoratur.

Ex verborum cortice hujus Decretalis videtur, Cardinalem a Papa deponi non poſſe ſine Concilio, quemadmodum in hanc ſententiam propendit hic *Hoſtienſis, num. 1. Butrius in primo notabili, & Abbas, numero 3.*

Verum cum iſte Anaſtaſius, Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, cui annexa erat, & ut adhuc eſt in præſens, cura animarum, ab eo abfuiſſet, moram trahendo in alienis terris per quinquennium, nec monitus rediiſſet, Leo IV. (non III. ut erronee legitur in Epigraphe hujus Decretalis) in Concilio Romano, a ſe celebrato an. 853. ex conſilio Imperatorum, Lotharii, filii Ludovici Pii, ac Ludovici hujus nepotis eum Cardinalatu privavit, approbantibus omnibus Concil. Patribus, Epiſcopis videlicet LXVII. prout refert Baronius tom. X. Annal. an. 855. num. 84. -- Unde (ita hic Gonzalez) ceſſant omnia, quæ a Repetentibus in præſenti hæſitantur, quomodo videlicet Cardinalis potuit deponi abſque auctoritate Rom. Pontificis, cum præſens depoſitio, præſente ipſo Leone IV. facta eſſet --.

Ex eo autem, quod hæc depoſitio facta fuerit in Concilio, cum approbatione Epiſcoporum, non inde ſequitur, fieri non potuiſſe, nec poſſe a ſolo Papa abſque Concilio, cum penes eumdem reſideat plenitudo poteſtatis, independenter a Conc. ut per notabilem textum Gelaſii Papæ, Epiſtola XIII. ſcribentis ad Epiſcopos Dardaniæ, relatum in *can.* XVII. *Cuncta per mundum, cauſa* IX. *q.* 3. ibi.

Cuncta per mundum novit Eccleſia, quod Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus. Sed nec illa præterimus, quod Apoſtolica Sedes ſine ulla Synodo præcedente, & ſolvendi, quos Synodus inique damnaverat, damnandi, nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirum pro ſuo Principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini voce, & tenuit ſemper, & tenebit.

Hoc idem magis probatur ex facto Bonifacii VIII. qui ſine Concilio Cardinales Columnenſes depoſuit, ut ex *cap. unico Ad ſuccidendos, de Schiſmaticis in VI.*

De abſentia Cardinalium a Romana Curia, & de receſſu eorumdem a ſtatu eccleſiaſtico ſine licentia Papæ, vide Fagnanum ad hoc idem caput, in quo expendit Conſtitutiones Summorum Pontificum, circa utrumque caſum.

SECTIO CCCXLVI.

CAPUT III. QUIA NONNULLI, *ex Decretali, deſumpta ex cap. III. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

QUia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diverſas eccleſiaſticas, & plures Eccleſias paræciales contra Sacrorum Canonum inſtituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent plurimorum; ne id de cætero fiat, diſtrictius inhibemus. Cum igitur Eccleſia, vel eccleſiaſticum monaſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſam valeat exercere. Quodſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate privetur.

Hæc

Hæc Decretalis, præcipiens, Eccleſiam parochialem non conferendam, niſi dignis, & idoneis, qui in ea reſidere poſſint, & per ſe ipſos curam exercere ſub pœna amiſſionis Eccleſiæ in aliter recipientes, & privationis juris conferendi in conferentes, innovata eſt a Trident. *ſeſſ.* VII. *cap.* III. *de refor.*

Sed circa pœnam amiſſionis Eccleſiæ, ob non reſidentiam, vide notanda Sectione CCCLIV. poſt *cap.* XI. *Ex tuæ, hoc eod. tit.*

Quia vero in eadem Decretali ſtatuitur, recipientem duas dignitates, vel duas parochiales, eo ipſo privatum eſſe ſecunda, ſaltem juxta plurium DD. opinionem, relatam a Fagnano hoc eod. cap. num. 8. eidem derogatum eſt ab Innocentio III. *cap. De multa* XXVIII. *de Præben.* decernente nec eſſe privatum ipſo jure, nec privandum ſecunda, ſed ipſo jure privatum eſſe prima: & ſi hanc retinere contenderit, privatum eſſe utraque, ibi.

De multa providentia fuit in Lateranen. Concilio prohibitum, ut nullus diverſas dignitates eccleſiaſticas, vel plures Eccleſias paræciales reciperet contra Sacrorum Canonum inſtituta; alioquin recipiens, ſic acceptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens privaretur. Quia vero propter præſumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus hactenus, aut rarus de prædicto ſtatuto fructus provenit, nos evidentius, & expreſſius occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium, curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus, & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur. Is quoque, ad quem prioris ſpectat donatio, illud poſt receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: & ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolum ad alios, ſecundum Lateranen. Concilii ſtatutum, ejus collatio devolvatur, verum etiam tantum de ſuis cogatur proventibus, in utilitatem Eccleſiæ, cujus eſt illud beneficium, aſſignare, quantum a tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem & in perſonatibus eſſe decernimus obſervandum; addentes, ut in eadem Eccleſia nullus plures dignitates, aut perſonatus habere præſumat, etiam ſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ majoribus beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

Verum, cum in hac Innocentii Decretali ſtatuatur, habentem dignitatem, perſonatum, vel beneficium curatum, & recipientem ſecundum ſimile, poſt pacificam poſſeſſionem ſecundi, ipſo jure privatum eſſe primo, & etiam privandum ſecundo, ſi prætendat utrumque retinere, & ex contrario ſenſu, non eſſe privatum primo ipſo jure, ſi ſecundum non ſit curatum, vel e converſo, ſi primum non ſit curatum, & recipiat ſecundum curatum, hæc diſpoſitio extenſa eſt a Conc. Triden. *cap.* IV. *ſeſſ.* VII. *de refor.* hoc generaliter prohibente de quibuſcumque beneficiis incompatibilibus, & etiam ſimplicibus, ex *cap.* XVII. *ſeſſ.* XXIV. *de refor.* quando primum eſt ſufficiens. Imo juxta Fagnan. in hac eadem Decretali n. 8. privatus eſſet utroque ipſo jure, nedum in vim *cit. cap.* IV. *Trident.* ſed etiam in vim Extravag. *Execrabilis* I. *hoc eod. tit.*

Verum eidem Decretali ex contrario ſenſu, ut ſupra declaranti, derogatum eſt ab eodem Concilio, locis cit.

S E C T I O   C C C X L V I I.

Caput IV. Relatum, *ex Decretali Alexandri III. Eboracenſi Archiepiſcopo reſcripta.*

Relatum eſt nobis, quod cum in Lateranen. Concilio ſtatutum ſit, ut perſonæ tali Eccleſia, vel beneficium eccleſiaſticum conferatur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe valeat exercere, nonnulli ad Eccleſias præſentati, hoc ſe poſſe affirmant, ſed efficere contradicunt (& infra.) Cum igitur verba accipienda ſint cum effectu, tales, si præſentati fuerint, non debent admitti, & admiſſi poterunt amoveri: niſi forte de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio literarum, vel pro aliis honeſtis cauſis contigerit, eos abeſſe, nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, ſi contra hujuſmodi intentionem decreti fuerit interjectum.

Hæc Decretalis, infligens pœnam privationis beneficii curati, ferendæ ſententiæ, non reſidenti ſine licentia ſui Prælati, ampliata eſt a Triden. *ſeſſ.* XXIII. *c.* I. *& ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de refor.* declarante, præter mortalis peccati reatum, tuta conſcientia non facere fructus ſuos pro rata temporis abſentiæ, abſque alia declaratione, interdicta quacumque conventione, vel compoſitione pro eorumdem fructuum remiſſione. Extendente inſuper *cit. cap.* XII. has eaſdem pœnas, nedum ad obtinentes in Cathedralibus, & Collegiatis canonicatus, præbendas, aut penſiones, ſed etiam ad quoſcumque Antiſtites, quibuſcumque Eccleſiis præfectos, etiam S. R. E. Cardinales, ſi ultra tres menſes continuos, aut interpolatos quotannis abſque juxta cauſa, vel

Digitized by Google

vel licentia non reſideant: addito etiam, ut primo anno abſentiæ unuſquiſque privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, & reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus erit. Creſcente vero contumacia, privandus ſit beneficio, juxta *cap.* XVII. *Clericos*, *hoc eod.* tit. de quo infra.

Sed circa hanc pœnam privationis beneficii iterum fuſior inſtituetur ſermo Sectione CCCLIV. poſt *cap. XI. Ex tuæ*, *hoc eod. tit.*

Præterea in hac Decretali permittitur beneficiatis, reſidentiæ lege obſtrictis, abeſſe cauſa ſtudiorum, de licentia tamen ſuorum Prælatorum, ſed circa hujuſmodi indultum hodie attendenda ſunt notanda intra poſt *cap. V. Super ſpecula*, *de Magiſtris*.

SECTIO CCCXLVIII.

Caput V. Fraternitati, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, præfato Eboracenſi Epiſcopo reſcripta.*

FRaternitati tuæ (& infra.) Præterea Clericum alterius diœceſis abſque commendatitiis literis ſui Epiſcopi non debes recipere, niſi pro eo receperis ab Apoſt. Sed. mandatum.

Hæc Decretalia videtur intelligenda, vel de Clerico beneficiato, qui ſine licentia proprii Epiſcopi, deſeruerit ſuum beneficium, reſidentiam requirens, vel de Clerico peregrino, qui ſine literis commendatitiis proprii itidem Epiſcopi, admitti non debet ad Divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda, quemadmodum etiam ſtatuit Trid. *cap.* XVI. *ſeſſ.* XXIII. *de ref.* Quod idem jam prohibuerat, *ſeſſ. XXII. in decreto de obſervan. & vitand. in celeb. Miſſæ*.

SECTIO CCCXLIX.

Caput VI. Conquerente, *ex Decretali laudati Alexandri, Lingonienſi Epiſcopo ſcripta.*

COnquerente nobis R. Presbytero, accepimus, quod G. Clericus ab eo pro Eccleſia ſua, de qua vitæ neceſſaria vix poteſt percipere, annuatim viginti ſolidos extorquere conatur, aſſerens, beneficium iſtud in eadem Eccleſia ſibi fuiſſe collatum (& infra.) Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod dictus G. habeat eccleſiaſtica beneficia, ſibi ſufficientia, vel quod eidem Eccleſiæ non deſerviat, ſibi ſuper præſcripto beneficio ſilentium (ſublato impedimento appellationis) imponas.

Huic Decretali, æquiparanti retentionem plurium beneficiorum, ad ſubſtentationem ſufficientium, & retentionem alterius abſque eo, quod in illo reſideatur; quandoquidem imponit ſilentium conqueſtioni beneficiati, ſi quodcumque iſtorum ſub disjunctione poſitorum probetur, huic æquiparationi derogatum eſt a Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XVII. de refor.* ubi ſtatuitur, ut poſſidens beneficium ſufficiens, adepta poſſeſſione ſecundi, perdat primum ipſo jure: abſens vero, ſeu non reſidens, non eſt privatus ipſo jure, ſed per ſententiam eſt privandus.

Eadem Decretalis, præcipiens, beneficiatum ſine cura animarum, non reſidentem, privandum eſſe beneficio, moderata eſt ab eod. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XII. de ref.* ſtatuente, ante privationem 1. an. privandum eſſe dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, & reſidentiæ ſuos fecit; & ſi iterum eadem negligentia in reſidendo uſus fuerit, privandum omnibus fructibus, quos itidem ratione præbendæ, & reſidentiæ eo anno lucratus fuerit, & ſic non privandum, niſi poſt tres annos. Textum leges part. II. cum de cit. cap. XII. Sed de hac pœna privationis fuſior inſtituetur ſermo Sectione CCCLIV. poſt *cap.* XI. *Ex tua*, *hoc eod. tit.*

SE-

SECTIO CCCL.

Caput VII. De cætero, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, ignotum, cui reſcripta.*

DE cætero (& infra.) Statuimus, ne Canonicis, donec in ſervitio tuo fuerint, quicquam ſubtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis ſibi beneficio debetur: niſi forte ſint victualia, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, poſſe Epiſcopum pro ſuo ſervitio uti opera Canonicorum indeterminate ſine ulla numeri præfixione, hoſque interim ſuarum præbendarum integros fructus percipere poſſe, exceptis victualibus, ideſt diſtributionibus quotidianis, quæ intereſſentibus debentur, reſtricta eſt ab Honor. III. præfigente numerum duorum dumtaxat; ut in ejus Decretali, Meldenſi Epiſcopo reſcripta, ac relata in *cap. XV. Ad audientiam, hoc eod. tit.* ibi.

Ad audientiam noſtram pervenit, quod cum in Melden. Eccleſia, quædam ſit conſtitutio, vallata juramento, & auctoritate Sed. Apoſtol. confirmata, ut Canonici, qui non reſident in eadem, ſuarum priventur fructibus præbendarum, illis exceptis, quos infirmitas excuſaret, ſeu in Apoſtolicæ Sedis ſervitio contingeret detineri (& infra.) Decernimus, ut duo ex Canonicis Eccleſiæ memoratæ, in tuo ſervitio exiſtentes, ſuarum fructus integre percipiant præbendarum, cum abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo, & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur.

Quod locum habet, nedum in Canonicis Cathedralium, ſed etiam Collegiatarum, ac reſpective illarum beneficiatis, ut probat Fagnanus hic *n. 15. & ſeqq.*

Si tamen dicti beneficiati ſint parochi, nequit Epiſcopus uti eorum opera pro Eccleſiæ ſervitio, puta, ut fungantur officio Vicarii, Viſitatoris, vel Secretarii, ut tradit Quaranta, verbo *Reſidentia*; qui tamen bene addit — poſſe Epiſcopum in hoc diſpenſare, ſi vel utilitas Eccleſiæ, in qua curam animarum exercet beneficiatus, vel neceſſitas Prælati, & Eccleſiæ ipſius id poſtulet —.

In caſu vero, quod in iiſdem Cathedralibus, ac Collegiatis non ſint redditus, a diſtributionibus ſeparati, ſed univerſi earum redditus conſiſtant in ſolis diſtributionibus quotidianis, tunc abſentes pro ſervitio, ut ſupra, ex Conc. Triden. *cap.* III *ſeſſ.* XXI. *de ref.* percipere poſſunt duas tertias partes dumtaxat, omiſſa tertia, inſervientibus accreſcenda, ut Fagnan. ad hoc idem cap. num. 29. & ſeqq. & fuſius ex eodem notabitur infra ad *cap.* XXXII. *Licet vobis, tit. de Præb.* Sectione CCCLXXV.

SECTIO CCCLI.

Caput VIII. Ex parte, *ex Decretali Cæleſtini III. Capitulo Magdeburgenſi reſcripta.*

EX parte veſtra noſtro fuit Apoſtolatui reſeratum, quod Eccleſiæ veſtræ Decanus, qui in partibus gallicanis ſibi potius habitationem elegit, jam per decem annorum ſpatium Eccleſia veſtra ipſius præſentiam habere nequivit: quia ergo nolumus, ut eadem Eccleſia Decani officio defraudetur, mandamus, quatenus ſcribatis eidem, quod ſuum ibidem officium, ut Decanus, debeat exercere. Quod ſi vocatus, venire noluerit, eligendi alium, qui præeſſe Eccleſiæ veſtræ valeat, & prodeſſe, vobis ex tunc concedimus liberam facultatem.

Intellectus hujus Decretalis, circa privationem beneficii, & reſpective moderatio, facta a Tridentino in caſu abſentiæ beneficiati, magis patebit ex dicendis infra in *cap.* XI. *Ex tua*, Sectione CCCLIV.

SECTIO CCCLII.

CAPUT IX. QUALITER, *ex Decretali Innocentii III. Capitulo Raguſino in Sclavonia ſcripta.*

QUaliter Archiepiſcopus veſter temeritate propria receſſit ab Eccleſia Raguſiienſi, nec jam ultra quadriennium expectatus, redierit, per literas etiam veſtras revocatus (& infra.) Diſcret. v. mandamus, quatenus (niſi forſitan jam redierit) vos poſt menſem a receptione præſentium, perſouam vobis idoneam in Archiepiſcopum eligatis.

Hæc Decretalis, ſtatuens, Epiſcopum, non revertentem ad reſidentiam in præfixo termino, privandum eſſe Epiſcopatu, moderata eſt *ſeſſ.* VI. *cap.* I. *de refor.* decernente, privandum eſſe poſt primos ſex menſes continuos abſentiæ quarta parte fructuum unius anni, poſt alios ſex menſes alia quarta pate, quibus elapſis, ſi creſcat contumacia, Metropolitanus Suffraganeum, & Metropolitanum Epiſcopus antiquior Suffraganeus teneatur intra tres menſes, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto incurrenda, Papæ, puniendum denunciare.

Eidem Decretali, tribuenti facultatem habentibus jus eligendi Epiſcopum, ut privare poſſint Epiſcopatu Epiſcopum non reſidentem, derogatum eſt a dicto Tridentino in *cit. cap.* I. ubi hæc facultas Papæ reſervatur.

SECTIO CCCLIII.

CAPUT X. INTER QUATUOR, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Conſtantinopolitano Patriarchæ reſcripta.*

INter quatuor animalia (& infra.) De Clericis, qui Eccleſias, vel præbendas ſibi conceſſas ſine juſta, & neceſſaria cauſa deſerunt, tuo præſertim non accedente conſenſu, hoc tibi duximus reſpondendum, quod, poſtquam congruo tempore fuerint expectati, niſi redierint ad illas, poſſunt eis juſte privari, dummodo non ſint juſto impedimento detenti.

Hæc Decretalis ſtatuens, juſto ceſſante impedimento, non reſidentes in ſuis Eccleſiis, vel præbendis, iis privandos eſſe, ſi citati intra terminum, ipſis præfixum, ad illas non ſe receperint, moderata eſt a Conc. Triden., ut ſupra notavi ad *cap.* VI. *Conquerente*, §. *Eadem Decretalis*, Sectione CCCXIX. & de hac privationis pœna fuſior inſtituetur ſermo ſequenti Sectione.

SECTIO CCCLIV.

CAPUT XI. EX TUAE, *ex Decretali laudati Innocentii, Archiepiſcopo, non Panormitano, ſed Patracenſi in Achaja, juxta Gonzalez reſcripta.*

EX tuæ devotionis (& infra.) In Eccleſiis eorum, qui ſe frudulenter abſentant, nec ad ipſos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari: & ſi nec ſic curaverint obedire, & ultra ſex menſes ſuas deſerverint Eccleſias, juxta ſanctiones canonicas, eis debent merito expoliari. Contra eos etiam procedatur, ut ipſos per ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententiam ad tuam obedientiam venire compellas. Quod ſi nec sic eorum malitia poterit emolliri, eos B. tit. Sanctæ Suſannæ Presbyter Card. Apoſt. Sed. Legat. a ſpiritualium adminiſtratione removeat, & quibus præſunt Eccleſiis, de perſonis idoneis faciat provideri: ſed in eos degradationis ſeutentiam non promulget, ut cum eis miſericorditer (ſi expediat) facilius agi poſſit.

Hæc Decretalis, ſtatuens, Clericum abſentem a ſua Eccleſia, ſi neſcitur, ubi ſit, citandum eſſe tribus edictis, in valuis ejuſdem ſuæ Eccleſiæ affigendis, & ea privandum, ſi poſt ſex menſes non revertatur: & ex contrario ſenſu, ſi ſcitur, ubi ſit, & quomodo citari poſſit, perſonaliter citari debere, nec eſſe ipſo jure privatum fructibus intra dictos ſex menſes, moderata eſt a Tridentino, prout mod dicetur.

Ut clarius pateat, quæ vetus fuerit, quæque in præſens ſit Eccleſiæ diſciplina circa beneficii privationem, ſtatutam contra non reſidentes beneficiatos, ſive animarum curam habentes, ſive non, juvat hic in unum colli-

colligere quæ tam ab antiquo, quam a novo jure ſancita fuerunt.

Conſtans quidem ſemper fuit ejuſdem Eccleſiæ vigilantia in eorumdem longiore punienda abſentia cum privatione beneficii: non unus tamen, idemque ſervatus eſt ordo ad dictam privationem executioni demandandam.

Alexander enim III. in ſupra tranſcriptis cap. III. IV. & VI. ſtatuerat, recta via privandos eſſe.

Cœleſtinus III. idem ſtatuerat, poſtquam vocati, ſeu citati, reſidere neglexiſſent, ut in tranſcripto capit. VIII.

Innocentius vero III. in tranſcripto cap. X. prius decreverat, privandos eſſe, ſi poſt tempus, ab Epiſcopo præſtitutum non rediviſſent. Poſtea, limitando, ſtatuerat, ut ſi neſciretur, ubi degerent, non redeuntes tranſactis ſex menſibus a trina edictorum in valvis Eccleſiæ publicatione, privarentur, ut in mox tranſcripto cap. XI.

Gregorius tandem IX. privandos pariter ſtatuerat, ſi poſt canonicam monitionem, & præviam ſubtractionem fructuum, ſeu diariorum non rediiſſent, ut in cap. XVI. & XVII. infra tranſcribendis.

His canonicis ſanctionibus uniformes erant juſtinianeæ leges, *Novella* VI. *cap.* II. *Novel* LVII. *c.* I. *Novel.* LXVII. *c.* III. *Novel.* CXXIII. *cap.* IX.

Hodie tamen in privatione beneficii reſpectu obtinentium dignitates, Canonicatus, vel portiones in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, omnino ſervandus eſt ordo, a Tridentino præſcriptus *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de refor.* §. *Præterea obtinentibus*. Is igitur eſt, ut primo anno abſentes ultra tres menſes, priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecerunt ſuos, ſecundo anno, ſi eadem uſi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni. Ac demum, creſcente contumacia, ita ut etiam tertio anno reſidere neglexerint, privari poſſint, & debeant, juxta SS. Canonum ſanctiones ipſo beneficio, ſeu præbenda.

Qui pænarum gradus, antequam deveniatur ad privationem, ita neceſſario ſervandi ſunt, ut, eis non ſervatis, nulla ſit ſententia, prout pluries ſenſit Rota in una ſalernitana *de Petroſo*, 15. *Decem.* 1576. & in una *Orioleu. Canonicatus*, 14. *Martii* 1622. *coram Navarro*: ac declaravit Sac. Cong. Conc. *in Gienen.* 1587. *lib. decret. IV. pag.* 233. *in Abulen.* 1596. *lib. VIII. pag.* 186. *in Cathacen.* 14. *Novem.* 1672. *ad I. in Lancianen. Reſidentiæ*, 13. *Jan.* 1703. *in Iſernien. Canonicatus*, 22. *Feb.* 1710. *in Romana Canonicatus*, 3. *Decem.* 1718. *ut in Theſaur. Reſolut. ejuſd. Congr. tom. I. pag.* 134. *& in Caſtrimaris*, 14. *Jan. &* 25. *Feb.* 1741, *in eod. Theſaur. tom. X. pag.* 9. *&* 17.

Præter has declarationes, attendenda ſunt etiam notata a Fagnano in hoc eod. *cap. XI. Ex tuæ*, *nu.* 14. *& cap. XXXII. de Præben. num.* 26. circa dictam nullitatem, in quibus refert, reprehenſum fuiſſe a Sac. Congr. Epiſcopum Tarentinum, eo quod comminatus fuerit Canonico, jam decem, & octo menſes abſenti, pœnam privationis, ſi intra menſem non reſediſſet; a qua etiam declaratum fuiſſe teſtatur, expectandum eſſe lapſum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur.

Imo, ſi ignoraretur, ubi ſint, non ſatis eſt lapſus trium annorum, ſed tranſacto tertio, citandi ſunt trinæ citationis edicto ad valvas Eccleſiæ, & poſtea expectandi per ſex menſes, antequam ad privationis ſententiam deveniatur, juxta formam præſcriptam in *cit. cap. Ex tuæ*, quam Tridentinum non immutavit, ut ibidem notat laudatus Fagnan. *n.* 35.

Non tamen interdictum eſt Epiſcopo, etiam pendente ipſo triennio, contra non reſidentes procedere præviis citationibus, illoſque ſuſpendere, & excommunicare, licet inchoata ſit via judicii, a Trid. præſcripta, juxta SS. Canonum diſpoſitionem *cit. cap. Ex tuæ*, §. *Contra eos*, tunc tamen devenire non poterit ad ſententiam privationis, ut declaravit eadem Congr. *in Palentina*, 18. *Novem.* 1673. *lib.* II. *decret. pag.* 393. *ac Inſtit. eccel.* CVII. *Bened.* XIV. *p.* 765. *ed. an.* 1755. non obſtante, quod in dicto §. *Contra eos*, ſermo ſit de Prælatis Eccleſiarum, non reſidentibus, ut ibi Gloſſ. verb. *Ipſos*.

Præter Fagnanum loc. cit. adeatur Garzias *par.* III. *de Benefic. cap.* II. *num.* 38. *&* 140. *ac Zypeus de jure novo*, *hoc eod. tit:*

Prædictus autem ordo procedendi ad privationem beneficii, a Trident. ut ſupra, præſcriptus, minime ſervandus eſt contra habentes beneficia curata, non reſidentes, ſed ſtatim procedi poteſt per cenſuras ſimul, & ſequeſtrationem, ac ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, quemadmodum præſcribit idem Trident. *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. §. *Quod ſi*, juncto *cap.* I. *ſeſſ.* VI. *de refor.* ea potiſſimum ratione, quia, ut optime animadvertit Zypæus *loc. cit. num.* 15. — *cura animarum mox ex mora periculum habet* —.

Quod autem contra hos ita procedi poſſit, declaravit etiam Sac. Cong. Conc. *in Gerunden.* 26. *April.* 1621. dummodo tria edicta publica præceſſerint, & lapſi fuerint ſex menſes ad præſcriptum Conſtit. Innocent. III. *cap. Ex tuæ*, *hoc. tit.*

Cumque quæſitum fuiſſet, an Epiſcopus, præmiſſis dictis tribus monitionibus pro revocandis parochis ad reſidentiam, poſſet procedere ad privationem parochiæ, & ſic an verba illa Tridentini — etiam uſque ad privationem — intelligerentur incluſive, vel excluſive, eadem Cong. 8. Junii 1624. ſenſit — *intelligenda eſſe incluſive, dummodo præceſſerint tria edicta publica, & lapſi ſint ſex menſes, juxta cap. Ex tuæ, de Cleric. non reſident.* —.

SECTIO CCCLV.

CAPUT XII. TUAE, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Antiſſiodorenſi Epiſcopo reſcripta.*

TUæ Fraternitatis diſcretio poſtulavit (& infra.) Quæsiviſti præterea, ut cum Canonici interdum, quibus ſtudiorum gratia eſt indultum, ut in abſentia ſua fructus percipiant præbendarum ſuarum, accepta licentia, ſe ad villas transferunt, vel Caſtella, in quibus nul-

lum eſt, vel minus competens exercitium ſtudiorum: utrum præbendarum ſuarum fructus sint talibus conferendi? ad quod breviter reſpondemus, eis, qui hujuſmodi fraudem committunt (cum fraus, & dolus nemini debeat patrocinium impertiri) præfatam indulgentiam competere non debere.

Circa indultum percipiendi fructus præbendarum in abſentia cauſa ſtudiorum, etiam in Univerſitatibus, aliiſque ſcholis publicis, vide notanda infra ad *cap. V. Super ſpecula, tit. de Magiſtris.*

SECTIO CCCLVI.

Caput XVI. Cum ad hoc, *ex Decretali Gregorii IX. Patriarchæ Antiocheno, Apoſtolicæ Sedis Legato ſcripta.*

CUM ad hoc sint eccleſiaſtica beneficia deputata (& infra.) Sane nobis innotuit, quod Eccleſia Antiochena multis ex ſervitoribus ejus abſentibus, eſt fere deſtituta miniſtris. Unde mandamus, quatenus, non obſtantibus Apoſtolicis indulgentiis, & prædeceſſorum tuorum licentia, abſentes Canonicos, & Aſſiſios revoces ad residendum in Eccleſia ſupradicta; & si non venerint, tu de ipſorum beneficiis. dum abſentes fuerint, ipsi Eccleſiæ facias congrue deſerviri, in utilitatem ejuſdem, quod ex præfatis beneficiis ſuperfuerit, convertendo.

Hæc Decretalis reſpectu Eccleſiæ Antiochenæ locum amplius non habet, cum Antiochia ſit ſub poteſtate Infidelium, ut alibi notatum eſt.

Cæterum quoad pœnam non reſidentibus infligendam, attendenda ſunt diſpoſita a Trid. ut notatum eſt ſupra ad *cap.* VI. *Conquerente*, Sectione CCCXLIX. ex poſt *cap.* XI. *Ex tuæ*, Sectione CCCLIV. hoc eod. tit.

Quoad applicationem vero fructuum, qui ſuperſunt, in utilitatem Eccleſiæ deſertæ, ut in hac Decretali ſtatuitur, eadem videtur eſſe mens Tridentini *cap.III. ſeſſ.*XXII. *de refor.* ubi præcipit, portionem diſtributionum, quæ abſentibus obveniret, ſi intereſſent, deberi applicari fabricæ Eccleſiæ, ſi indigeat, vel alteri loco pio, arbitrio Ordinarii.

Quia vero hæc diſpoſitio repugnare videtur alteri, quæ legitur *cap.* III. *ſeſſ. XXI. de refor.* ubi ſtatuitur, quotidianas diſtributiones dividendas eſſe inter divinis intereſſentes: utramque ita conciliat hic Barboſa *n.* 3. „ Diſpoſitio cit. *cap.*III. *ſeſſ.* XXI. procedit „ in iis locis, ubi præbendæ ſunt ad eo tenues, ut ve„ riſimiliter negligantur, quo caſu tertia parte fru„ ctus in diſtributiones converſa, illas per abſentes „ amiſſas, præſentibus accreſcere vult: *cap. autem* III. „ *ſeſſ.*XXII. locum habere declarat in illis locis, ubi „ diſtributiones quotidianæ non ſunt tenues; ſi enim „ ibi tertiam partem fructuum in diſtributiones conver„ tit Epiſcopus in odium illorum, qui diſtributiones „ ante ſufficientes, & poſtea auctiores negligebant, „ non vult Tridentinum illas accreſcere præſentibus, „ ſed applicari fabricæ, aut alteri pio loco.

Nota nomine *Aſſiſiorum*, de quibus in hac Decretali, venire beneficiatos, non Canonicos, qui etiam vocantur Manſionarii.

SECTIO CCCLVII.

Caput XVII. Clericos, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX. ignotum, cui reſcripta.*

CLericos in Eccleſiis tuæ juriſdictionis beneficia, quæ reſidentiam exigunt, aſſecutos, si ad alterius diœceſim abſque licentia tua, morandi cauſa transierint, liceat tibi, si moniti, non redierint, dictis beneficiis (nisi excuſationem rationabilem oſtenderint) ſpoliare.

Hæc Decretalis, ſtatuens, privari poſſe beneficio Clericos, non reſidentes, ſi moniti, non redierint, moderata eſt a Conc. Triden. ut ſupra notavi ad *cap. Conquerente*, Sect. CCCXLIX. & Sect. CCCLIV. poſt *cap.XI. Ex tua, hoc eod. tit.*

SE-

SECTIO CCCLVIII.

CAPUT UNICUM, CONSUETUDINEM, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

CONſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inolevit, qua Canonici, & alii beneficiati, ſeu Clerici cathedralium, & aliarum collegiatarum Eccleſiarum, diſtributiones quotidianas (quæ alias manualia beneficia, ſeu victualia nuncupantur, & tantum reſidentibus diſtribuuntur) qualitercumque in civitatibus, ſeu aliis locis, (in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ) ſint præſentes, licet divinis officiis, non interſint, ex integro percipiunt, acſi continuo in ipſis Eccleſiis in eiſdem officiis deſervirent, penitus improbantes, ſtatuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem officiis, in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem, jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas: imo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro Defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum,

Hæc Decretalis, prohibens, recipi poſſe ab abſentibus diſtributiones, & etiam eas, quæ dantur pro anniverſariis defunctorum, innovata, & ampliata eſt a Trid. *cap.* XII. *ſeſſ.* XXIV. *de refor*, inhibente quamcumque colluſionem, aut remiſſionem, circa harum receptionem; ne ſcilicet a præſentibus eis condonentur, neque paciſcantur, ut poſtquam ſibi traditæ fuerint, illis reſtituantur.

Hodie ab hac Bonifacii prohibitione excipiuntur.

I. Promovendi ad quoſcumque Sacros Ordines, qui ex Conc. Romano, celebrato ſub Benedicto XIII. an. 1725. tit. XXX. cap. II. tenentur per ſex menſes continuos ante Ordinationem commorari in Seminario, vel in Epiſcopiis apud Epiſcopos, quo tempore lucrari debent dictas diſtributiones, non ſecus, acſi Eccleſiæ inſervirent; dummodo præciſe ibi morentur ad ſatisfaciendum dicti Concilii præcepto, & non ob correctionem, aut ut ſe inſtructiores reddant, ex declaratione Cong. Conc. *in Setina*, 1. *Decembris* 1731. *in Theſ. Reſolut. ejuſdem Cong. tom. V. pag.* 225.

Hæc autem exceptio ſuffragatur ſubditis illarum diœceſum, quas complectitur dictum Conc. Romanum.

II. Ex Decreto Clem. XI. an. 1710. relato in ejus Bullar. pag. 547. excipiuntur vacantes exercitiis ſpiritualibus per decem dies, ad pie excolendum animum; quibus tamen vacare non debent tempore Quadrageſimæ, Adventus, vel in Feſtis magis ſolemnibus: neque hæc peragenda ſunt ab omnibus ſimul, & eodem tempore, ut ex ſequenti Litera Encyclica Cong. Conc. juſſu ejuſdem Pontificis ad omnes Epiſcopos miſſa, favente quibuſvis beneficiatis tam cum, quam ſine cura.

Reverendiſſime Domine, uti Frater. Inter graviſſimas paſtoralis officii curas, quibus Sanctiſſimus Dominus Noſter aſſidue premitur, in eam præcipuo ſtudio incumbit, ut quicumque in ſortem Domini vocati ſunt, præſertim vero Sacerdotes, & animarum Rectores, tum ſacrarum literarum, divinarumque rerum ſcientia, tum etiam vitæ, morumque honeſtate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apoſtoli, præbeant ſemetipſos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipſi ſint ſanctiora Eccleſiæ membra, diſpenſatores myſteriorum Dei, chriſtiani populi Duces, & Magiſtri, Mediatores inter Deum, & homines, lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, ut luceant omnibus, qui in domo ſunt; nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accedat, quam illorum vita, & exemplum. Omnes ſiquidem in ipſos, tamquam in ſpeculum, oculos conjiciunt, ut inde ſumere poſſint, quod imitentur. Porro cum diuturna experientia compertum ſit, ad retinendam, conſervandamque ſacerdotalis Ordinis dignitatem, & ſanctimoniam maxime conducere, ut eccleſiaſtici viri ſpiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid ſordium de mundano pulvere contractum eſt, commode detergitur, eccleſiaſticus ſpiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte, ſancteque vivendi norma vel inſtituitur, vel confirmatur; proinde Sanctitas ſua pro eximio, quo flagrat, omnium ſalutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & ſaluberrimum exercitiorum ſpiritua-

tualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, univerſos Patriarcas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque, tum Italiæ, tum etiam Inſularum adjacentium Ordinarios enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud, in ſua quiſque diœceſi, quo majori poterunt conatu, & ſtudio promovere ſatagant. Præcipue vero iis diſtricte injungit, ac præcipit, ut, quæ dudum ſan. mem. Innocentius XI. P. M. per encyclicam Epiſtolam a Sacra Cong. Epiſcoporum, & Regularium conſultationibus præpoſita, ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Epiſcopos datam die 9. Octobris 1682. quoad hujuſmodi ſpiritualia exercitia a ſingulis Clericis decem dierum ſpatio, antequam ad Sacros Ordines aſſumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter obſervari, & exequi curent, & quos iiſdem exercitiis per antedicti temporis ſpatium minimè operam dediſſe cognoverint, a ſacra Ordinatione repellant penitus, & arceant. Præterea Sanctitas ſua eoſdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui ſane uberrimus ex prædictis ſpiritualibus exercitiis percipitur, opportune propoſito, ac explicato, univerſos ex Clero ſibi ſubjecto, ſeu præcipue animarum Rectores, Confeſſarios, Canonicos, alioſque beneficiatos, chori ſervitio adſtrictos diligenter excitent ad eadem exercitia, ſaltem ſemel in anno peragenda in domibus Religioſorum Societatis Jeſu, ſeu Presbyterorum Congregationis Miſſionis, ſi adſint, ſin minus in alia pia, ſeu regulari domo, ab ipſis Ordinariis ad id deſignanda, & approbanda. Ut autem alacrius ad ejuſmodi ſpiritualem ſeceſſum ſinguli conveniant, Sanctitas ſua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Confeſſariis, Canonicis, beneficiatis, aliiſque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies ſingulis annis eadem exercitia peregerint in domibus præfatis, ibique diu, noctuque permanſerint, ac interea temporis verè pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino elargitur.

Parochos inſuper per idem tempus ſemel tantum in anno exercitiis hujuſmodi vacantes, a reſidentia benigne abſolvit. Quod ipſum ſervari præcipit quoad Canonicos, beneficiatos, alioſque perſonali reſidentia obſtrictos, & chori ſervitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianas ſuorum reſpective Canonicatuum, & beneficiorum diſtributiones quaſcumque, perinde acſi choro, divinisque officiis perſonaliter intereſſent; dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadrageſimæ tempore, ac in ſolemnioribus Feſtivitatibus, nec unquam omnibus ſimul Canonicis, aliiſque choro inſervientibus, ſed eo adhibito modo, ut chori ſervitium nequaquam intermittatur, & quoad parochos, idoneis prius ſubrogatis Œconomis, ab ipſomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter adminiſtrent. Mandat inſuper Sanctitas ſua, ut hæ literæ publicentur in ipſa diœceſi, & in Cancellariæ regeſtis pro perenni eorum, quæ in illis continentur, obſervantia, deſcribantur, & ad hunc ipſum finem quolibet triennio earum publicatio in poſterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentia, ac paſtorali ſolicitudine præſtanda fore confidit Sanctiſſimus Pater, ut a Sanctitate ſua laudem, a cæleſti vero bonorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri. Et Ampl. tuæ copioſa Divinorum Chariſmatum incrementa ex animo precamur.

Datum Romæ die 1. Februarii 1710.

Ex Decretis Cong. Conc. relatis a Bened. XIV. *Inſtit. eccleſiaſt. CVII.* lucrari poſſunt diſtributiones in abſentia.

III. Canonicus theologiæ, ea die, qua legit.

IV. Pœnitentiarius ea hora, qua actu confeſſiones audit, ſive in confeſſionario, ſive extra.

V. Canonicus deputatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones loco Pœnitentiarii.

VI. Canonici, ſeu beneficiati, quibus annexa eſt cura animarum, actu eam exercentes, & Sacramenta miniſtrantes tempore divinorum officiorum.

VII. Canonicus abſens ob viſitationem Sacrorum Liminum tempore acceſſus, manſionis, & regreſſus, ſive ſolus mittatur ab Epiſcopo, ſive eum in dicta viſitatione comitetur: pro qua tamen peragenda aſſignatum eſt tempus trium tantum menſium.

Notandum vero eſt ex aliis Decretis ejuſdem Congreg. relatis à laudato Benedicto, loc. cit. diſtributiones non deberi abſentibus.

I. De emolumentis Anniverſariorum, quæ ex voluntate Fundatorum diſtribui conſueverunt ſolum inter præſentes.

II. Nec Pœnitentiario tempore, quo reſidet in confeſſionario, confeſſiones non audiens, aut quo Miſſam celebrat, vel privatim officium recitat; etiamſi id faciat, ut opportunius confeſſiones audiat.

III. Nec Canonico, aut beneficiato, Epiſcopum in viſitatione diœceſis comitantibus.

IV. Nec inſervientibus eidem Epiſcopo, Miſſam privatim celebranti (ſecus ſi pontificaliter) aut quodcumque aliud munus obeunti, licet Epiſcopus in vim *cap. VII. De cætero, hoc tit.* eos pro ſuo ſervitio adhibere

bere poſſit, ſive ii ſint ex Cathedrali, ſive ex Collegiata; non plures tamen quam duos; & dummodo annexam non habeant curam animarum, aut non ſint Coadjutores. Verum tamen eſt, hos, ſicuti & comitantes Epiſcopum in viſitatione diœceſis, lucrari poſſe duas partes diſtributionum, ſi redditus omnes præbendæ conſtarent tantum dictis diſtributionibus.

V. Nec deberi Vicario generali Epiſcopi.

VI. Nec Examinatori ſynodali, etiam vocato ad intereſſendum examini pro parochialibus Eccleſiis, vel pro collatione Ordinum.

VII. Nec Inquiſitoribus, ſeu Miniſtris Sacr. Inquiſitionis.

VIII. Nec miniſtris generalibus Cameræ Apoſtolicæ, ver. gratia, Subcollectoribus ſpoliurum, decimarum &c.

IX. Nec viſitantibus, devotionis cauſa, Eccleſiam Lauretanam, ac Angelorum de Aſſiſio, aliaque loca pia.

X. Nec Canonicis, aliiſque cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum officialibus, qui in iiſdem habent capellanias, chorum dimittentibus tempore divini officii, ut pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrent, aut devotionis gratia Miſſam celebrent in dictis Eccleſiis; excepto caſu, quo a Superiore iis injungatur, ut eo tempore celebrent, qui tamen ex mandato Sacræ Congr. abſtinere debet ab hujuſmodi juſſu.

XI. Nec tandem magiſtris juris pontificii, aut ſac. theologiæ, & has facultates addiſcentibus, qui tamen cum indulto luerari poſſent duas partes diſtributionum, ſi eorum præbendæ fructus nulli ſint, vel valde exigui.

Et notandum eſt, quod ex Decreto Innoc. XII. ut in ejus Bullario pag. 262. hoc indultum non confertur ſtudentibus, XXV. annum jam attingentibus, neque aliis ultra triennium; qui Pontifex 15. Martii 1692. mandavit inſuper, idem indultum illis non ſuffragari, niſi Ordinario loci, & in actis ipſius Cancellariæ præſentetur intra tempus, a Secretario Cong. Conc. præfigendum; & hujuſmodi indultum numquam a Sacra Congr. confertur Coadjutoribus.

Quoad diſtributiones, dandas abſentibus ratione infirmitatis, & quidem gravis (non enim ſufficit levis, ut eſſet capitis dolor) ſeu juſtæ, & rationabilis corporalis neceſſitatis, juxta tranſcriptam Bonifacii Decretalem, notanda ſunt ſequentia Decreta dictæ Congr. Conc. relata in cit. *Inſtitutione CVII. §. VIII.*

Die 15. Aprilis 1611. S. Cong. juſſit, eos, qui abſunt a ſervitio chori ob infirmitatem, vel aliam cauſam, percipere debere diſtributiones quotidianas ſui canonicatus, perinde ac ſtatis horis intereſſent: percipere etiam augumentum diſtributionum, quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerint.

Cum ab eadem Congr. petitum fuiſſet.

I. An diſtributiones quotidianas lucretur Canonicus, vel beneficiatus, qui ſolitus cæteroquin inſervire, a civitate legitimo vacationis tempore diſcedens, in vicinum oppidum (unde ſub finem dictæ vacationis poteſt opportune ſe reddere ad ſervitium Eccleſiæ) ſe contulit, ibique ſuperveniente infirmitatis corporalis impedimento, ita continetur, ut ad civitatem redire, & choro intereſſe non valeat, & quatenus affirmative?

II. An hoc locum habeat, quamvis in Eccleſia vigeat contraria conſuetudo?

Die 2. Decembris 1666. reſpondit — ad primum lucrari: ad ſecundum non habere locum, ſi conſuetudo ſit legitime præſcripta —.

Non debentur tamen, ſi Canonici ægrotantes, a choro abeſſe conſueverint, dum erant incolumes, ut eadem Sac. Congr. declaravit 6. Februarii 1627. — Diſtributiones quotidianas, ita demum Oratori ægroto deberi, ſi alias Eccleſiæ ſolitus erat inſervire — & 12. Septembris 1648. cenſuit — Canonicos infirmos non lucucrari diſtributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus intereſſe minime conſueverunt — & die 5. Martii 1667. cenſuit — Oratori dandam eſſe declarationem, alias editam ſequentis tenoris — Congreg. Conc. cenſuit, Canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non interſit, deberi fructus omnes ſui canonicatus, necnon diſtributiones quotidianas, non ſecus, acſi omnibus horis divinis perſonaliter intereſſet, dummodo ante infirmitatem fuerit ſolitus inſervire. Cæterum infirmitatem ipſam coram judice probandam —.

Notat hic Benedictus cum Panimolla, & Paſſerino, quod — Poſſit tamen dari caſus, quod infirmitas permitteret Canonicos aliquantiſper ex cauſa ſanitatis exire e domo, & non permitteret adeſſe choro; unde in his arbitrium boni viri debet attendi —.

Inter ægrotantes annumerandus eſt Canonicus cecus, quem Sac. Cong. declaravit — non teneri horis canonicis intereſſe, nec in choro eam Officii partem, quam memoriter tenet, recitare, & nihilominus lucrari diſtributiones quotidianas (a die, quo lumine caruit, ut reſpondit die 29. Januarii 1661.) perinde acſi intereſſet — & die 8. Jan. 1597. in *Mercatelli* cenſuit, Oratorem, ſi vere cæcus exiſtit, a celebratione Miſſarum in Collegiata prorſus immunem eſſe, neque alium ſui loco, cum ſit legitime impeditus, ſubſtituere teneri —.

Die 9. Novembris 1630. cenſuit etiam — Canonicis, cauſa peſtis abſentibus, deberi quotidianas diſtributiones, ſi peſtis graſſetur, & petentes ſoliti ſint inſervire, & probetur legitima conſuetudo, quod diſtributiones hujuſmodi dentur abſentibus ex juſta cauſa. Quando autem dicatur peſtis graſſari, ut ſit juſta cauſa abſentiæ, judicio Epiſcopi eſſe relinquendum —.

Die 23. Septem. 1685. cenſuit inſuper — Indebite carceribus detento deberi diſtributiones quotidianas, non ſecus, acſi ipſe continuo Eccleſiæ inſerviſſet — Notat tamen Benedictus ex Decretis ejuſdem Congr. 28. Aprilis 1635. 21. Junii, & 19. Novembris 1669, ac 2. Auguſti 1721. injuſtitiam carcerationis conſtare debere ex favorabili judicis ſententia, quæ tranſierit in rem judicatam, etiamſi hæc munita fuerit clauſulis, vel *tamquam non repertus culpabilis*, vel *ex hactenus deductis*, vel *non moleſtetur*; non vero, ſi munita fuerit clauſula, *ex quo ſatis*.

Ex Decreto ejuſdem Congr. approbato a Gregorio XIII. & relato a laudato Benedicto *lib. XIII. de Synod. Diœc. cap. IX. num. 15.* Canonicus, qui per annos quadraginta, chorum laudabiliter frequentavit, ſe abſtinere poteſt ab ejus ſervitio (obtenta prius abſolutione quoad hoc a dicta Congr.) ſine fructuum, & diſtributionum jactura, ſumpto exemplo a lege moſaica, Levitam immunem ab omni opere declarante, poſt accurate præſtitum miniſterium in templo per XXV. annos. Numeror. cap. VIII. & a lege civili, miſſionem, & immunitatem a belli laboribus concedente veteranis militibus *L. A muneribus, ff. de vacat. & excuſation. Muner. & L. 1. C. de Veteran. lib. XII.*

Cir-

Circa hanc tamen jubilationem attendenda ſunt præfatæ Congregationis Decreta, quæ referam par. II. cum de *cap. XII. ſeſſ. XXIV. de refor.* §. *Præterea*.

APPENDIX

AD HUNC TITULUM DE CLERICO NON RESIDENTE,

In qua referuntur decreta Sacrarum Congregationum Epiſcoporum, & Regularium, & Conc. Trid. quoad reſidentiam Parochorum, & Epiſcoporum.

SAc. C. Cong. ſuper *cap.* I. *ſeſſ.* XXIII. *de reformat.* alias cenſuit, Rectores parochialium debere reſidere in domo ipſarum parochialium: quod ſi parochiales domos non habeant, tunc in alia domo, quæ ſit intra limites parochiæ, aut ſaltem ita vicina Eccleſiæ parochiali, ut inde poſſint commode per ſe ipſos ei inſervire.

Item cenſuit, parochum eogendum eſſe habitare in domo Eccleſiæ, vel ſi Eccleſia eam non habeat, in propinquiori, intra limites parochiæ; quod ſi non habitavit, teneri ad reſtitutionem fructuum. Parochi ſunt compellendi, ut reſideant in domibus Eccleſiæ, ſi quas habeat, non vero in domo propinquorum (etiam ſita intra limites parochiæ, S. C. C. in *Faventina*, *Decembris* 1589.

In dubio propoſito 6. Aprilis 1606. — An Rector Eccleſiæ parochialis, habens domos parochiales ſatisfaciat reſidentiæ, habitando in domibus propiis ipſius Rectoris intra tamen parochiæ limites conſtitutis, ita ut alias non faciat fructus ſuos; S. C. C. cenſuit; teneri habitare in ædibus parochialibus, non tamen amittere fructus, ſi intra parochiæ limites reſidet, niſi ab Epiſcopo fuerit juſſus in ædibus parochialibus reſidere; quo caſu, ſi id non præſtiterit, multari poteſt ab eodem Epiſcopo.

Curatus non excuſatur a reſidentia, ex eo, quod fructus ſint tenues, & quod Anteceſſores non reſederint, S. C.

S. C. C. reſpondit Epiſcopo *Curien.* 5. *Aprilis* 1631. Monachum S. Benedicti, deputatum parochum in parochiali, unita monaſterio S. Mariæ de Monte, teneri, & cogi poſſe habitare in domo parochiali, & apud Eccleſiam parochialem reſidere, non autem in monaſterio, diſtante a cura.

Petente Præpoſito Piſcien. declarari, an poſſit compellere parochos ad babitandum ædes conjunctas Eccleſiis parochialibus, S. C. cenſuit, poſſe compellere.

Reverendiſſime Domine, uti frater. Relatum eſt S. Cong. Eminentiſſimorum Patrum Conc. Trid. Interpretum, nonnullos parochos iſtius diœceſis intra limites ſuarum parochiarum non reſidere, ſub prætextu conſuetudinis, vel quod in ipſorum parochiis domos non habeant; Eminentiſſimi Patres, animadvertentes, id eſſe contra diſpoſitionem S. Conc. cenſuerunt, eos per amplitudinem tuam ad reſidendum eſſe cogendos. Partes igitur ejuſdem Amplitudinis tuæ erunt, hanc S. Congr. ſententiam execuutioni demandare, & de cætero bene valeat in Domino. Romæ die 30. Maii 1643.

Reverendiſſime Domine uti frater. Relatis in Sac. Cong. Conc. literis Amplitudinis tuæ una cum precibus Petri Matthæi Moricbini, parochi Caſtri Raſiliæ, ſupplicantis pro facultate habitandi propriam domum, extra Caſtrum poſitam, tum attenta ejus provecta ætate an 70. & obſervantia 43. & ultra annorum, quibus dictam domum habitavit, tum etiam quia Caſtrum Raſiliæ eſt fere dirutum, ac inhabitatum, & parochialis Eccleſia poſita eſt in cacumine montis, in quo nulli habitant parochiani; Eminentiſſimi Patres Oratoris inſtantiam rejicientes, Amplitudini tuæ jungendum eſſe cenſuerunt, quod hiſce facimus, ut eumdem parochum Oratorem ad habitandum in domo parochiali Juris remediis cogat, atque compellat. Ita exequetur, ac de reſultantibus S. C. certiorare non omittet Amplitua, cui omnia fauſta precamur a Domino. Romæ 13. Januarii 1720.

Epiſcopus Fulginaten. SS. D. N. expoſuit nonnullos ſuæ diœceſis parochos non babitare in ædibus parochialibus, licet in eis de Jure habitare teneantur, ut idem Epiſcopus latiſſime demonſtravit in ſua, quæ eſt præinſerta, Juris allegatione tranſmiſſa, remiſſaque negocii diſcuſſione ad hanc S. C. quæritur, quid ſit agendum. Die 19. Novembris 1718. S. C. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, cenſuit, danda eſſe decreta, alias hac de re edita, & ſignanter in Portugallen. die 17. Auguſti 1600. Biſinianen. 31. Auguſti 1600. & in Reatina 3. Junii 1592, tenoris ſequentis videlicet: Cong. Conc. cenſuit, parochos teneri, & compellendos eſſe, ut in ædibus parochialis Eccleſiæ reſideant, & ſi Eccleſia parochialibus ædibus careat, debere conducere aliam propinquiorem intra limites parochiæ -- Parochos, quorum parochialis Eccleſia ædes non habet, & ob tenuitatem fructuum ſumptus ædibus ædificandis ſuppeditare minus poteſt, debere, conducere aliquam domum intra limites parochiæ; quodſi nulla ſit, quæ conduci poſſit, ſinendum eſſe, habitare extra parochiam in loco propinquiori.

Digitized by Google

ALIA DECRETA EJUSDEM CONGREGAT. CONCIL.

Quoad eorumdem parochorum reſidentiam,

Relata a Fagnano lib.III. de Cleric. non reſid.

Nnn poteſt Epiſcopus uti opera parochi, ut poteſt opera duorum Cauonicorum, etiam conſtitutn idoneo Vicarin: uti tamen pnteſt in viſitatinne diœceſis tempore, a Trid. permiſſo, conſtituto tunc Vicario idoneo, *cap.XVII. Clericos, de Cleric. non reſid. num.* 13. Neque illum præficere poteſt muneri confeſſarii ordinarii Mnnialium, licet in monaſteriis ſuæ diœceſis magnus ſit earum numerus, & pauci reperiantur Sacerdotes, ibidem num. 2n,

Ex cauſa inimicitiarum, exortarum ſine culpa parochi, antequam parochiæ poſſeſſionem adeptus fuerit, poteſt Epiſcopus tunc ipſi aſſignare dilationem ſex menſium, ut interim confugiat ad locum propinquiorem, & ſecuriorem, conſtituto tamen Vicario idoneo cum congrua aſſignatione ex redditibus Eccleſiæ, & debet modis omnibus curare, ut inimicitiæ iſtæ ſedentur, ibidem num.25.

Quod, ſi intra ſex menſes boc obtineri nnn potuerit, debebit Epiſcopus ipſi dare ſex menſium prorogationem, repetitis omnibus, quæ in prioribus literis continebantur, ſine tamen ulterioris prorogationis ſpe, quæ rariſſime concedi ſolet; cum indulta perpetua de parochis non reſidendis, etiam ex rationabilibus cauſis ſublata fuerint a Trid. *ſeſſ.VI. cap.II.* ibid. num.26.

Nec tamen ob unicum parocbianorum odium excuſatur parochus a reſidentia, ibid. num.30.

Item nnn excuſatur propter aeris intemperiem, ibid. num.36.

Pariter neque tempore peſtis, quinimo tenetur miniſtrare peſte laborantibus Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ut S. C. declaravit, inſtante S. Carolo Borronæo, Archiepiſcopo Mediolanenſi, 3. Septem. 1576., ibid. num.38.

Poteſt tamen Sacramenta miniſtrare per alium prout Greg. XIII. die 12. Octobris, audita Congreg. ſententia ſancivit, ea ratione, ne ſcilicet ſani, timentes contrahere peſtem, confiteri recuſarent, utque etiam aliis ſui officii muneribus ſatisfacere poſſit, ibid. num. 40.

ALIA DECRETA EJUSDEM S. CONGREG,

Relata a Benedicto XIV. *Inſtitutione eccleſiaſtica la XVI. in ordine.*

Conſulta S. C. an. 1573. an parochi ab Eccleſiis ſuis abeſſe poſſint per duos menſes ſine licentia Epiſcopi, cenſuit, non poſſe, *lib.I. Decretorum, pag.*131.

Die 13. Octobris an. 1604. S. Cnng. cenſuit, ſolam diſtantiam loci, etiam cum æqua cauſa diſcedendi, non excuſare parochum, ut poſſit abeſſe a ſua Eccleſia ſine licentia, in ſcriptis obtenta, niſi talis neceſſitas repente ſe offerat, quæ nnn patiatur dilationem hujuſmodi licentiam petendi, quo caſu, quamprimum de diſceſſu, & de neceſſitate Ordinarium certiorem faciendum eſſe, ut de cauſa cognoſcere poſſit, *lib. X, Decretorum, pag.*100.

Nec parochum, habentem juſtam cauſam abeundi extra parochiam per duos menſes, aut tres, ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, ſi petat licentiam, jurans, gravem ſe habere cauſam, quam non expediat manifeſtare, ut ſic petita licentia abeſſe poſſit, licet Epiſcopus non concedat.

Similiter abeſſe non poſſe in caſu, quo cauſam rationabilem expreſſit, quam vir bonus, & æquus rationabilem judicaret, licet rigidus Prælatus minus æquam judicet, ac licentiam deneget, vel quia movetur ſuſpicione, quod ficta ſit, cum tamen ſit vera, ſed habere poſſe recurſum ad Superiorem.

Nec poſſe per hebdomadam abeſſe, nnn petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, ab ipſo Ordinario approbato, quæ licentia, cauſa cognita, in ſcriptis concedenda eſt. In caſibus autem repentinis pro abſentia modici temporis, ſufficit licentia Vicarii foranei, juxta permiſſinnem dictæ S. C.

Nec eſſe liberum a culpa, & a pœna amiſſionis fructuum, qui veluti per quatuor menſium ſpatium ex urgenti admodum cauſa ad curandam ſuam valetudinem, morbo gravi inſtante, receſſit, & ad hujuſmodi abſentiam non petiit licentiam ab Epiſcopo, quia bona fide putavit, evidentiam cauſæ ſatis eſſe, niſi periculum fuiſſet in mora petendi licentiam. Nec ſufficere licentiam tacitam, ſed oportere eſſe expreſſam, juxta formam Cnnc. Trid. *ſeſſ. XIII. cap. I.*

Item, quamvis ob aeris intemperiem nemo, niſi indigena. in eadem ſede immoretur, non licet parochoalibi degere, *lib.I. Decretorum, pag.*51.

Si tamen eſſet infirmus, & in loco parochiali curari non poſſet defectu medicorum, vel medicinarum, tunc poſſe ab Ordinarin dari dilationem trium, aut quatuor menſium, ut in locis vicinioribus maneat, recuperandæ ſanitatis cauſa, poſito interea ab ipſo Ordinario in parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejuſdem parochiæ, ut eadem S. Cong. declaravit anno 1573. *lib.I. Decretorum, pag.*51.

Nec ætas ſenilis, nec exiguus parochianorum numerus excuſat parochum a reſidentia, ita decernente S. C. die 6. Aprilis an. 1647. *lib. XVIII. Decretorum, pag.*329.

Item, nec propter exiguum animarum numerum, cui vicinus parocbus ſupplere poteſt, ut ſancivit S.C.C. die 3. Octobris, an. 1671. *lib. XXVIII. Decretorum, pag.*395.

Imo eadem voluit, quod teneantur reſidere, etiam ſi eſſent in parochia tres tantum, vel quatuor incolæ. Nec parochi, urbis vicinitate illecti, majorem anni partem in illa poſſunt traducere, ſubrogato etiam Sacerdote, qui, ſi forte aliquid contingeret, præſto eſſet, ſuamque operam impenderet. Ita reſpondit eadem S. C. die 16. Januar. 1638. *lib. XV. Decret. pag* 649.

Rectores Eccleſiarum parochialium, a civitate diſtantium per duo, tria, aut quatuor miliaria, non poſſunt ſemper ſine licentia expreſſa Epiſcopi immorari in urbe, tam diurno, quam nocturno tempore, relicto etiam idoneo ſubſtituto, & licet diebus feſtivis ad

pro-

ptoprias Eccleſias ſe conferant, ſtatim vero revertantur.

Item, nec licet parocho, qui nocturno tempore in propria reſidet parochia, celebrata ibidem ſumnio mane Miſſa, civitatem petere, ibique immorari, vel tota, vel majori ſaltem anni parte, relicto etiam ſubſtituto.

Nec e contrario poteſt nocturno tempore parochiam relinquere pro tota, vel majore anni parte, relicto ſubſtituto, licet in ea diurno tempore commoretur. Quæ tria capita declaravit S. C. C. reſpondendo ad Epiſcopum Fulginaten. die 10. Maii 1687.

DECRETA EJUSDEM SAC. CONG. EPISCOPORUM,

Quoad Epiſcoporum reſidentiam,

Relata a Fagnano locis, infra notandis.

Epiſcopi tempore peſtis tenentur reſidere in propria diœceſi; præſertim vero cum ipſa indigeat eorum præſentia: ut tamen ſe incolumes ſervent, poſſunt adire tutiorem ipſius diœceſis locum, in quo non vigeat epidemia, ex declaratione Greg. XIII. die 18. Decembris 1576. in *cap. XVII. Clericos, de Cleric. non reſid. n. 46. & 47.* & etiam ex decreto S. C. Epiſcoporum, & Regul. in *Murana*, 23. Julii 1602.

Si vero contingeret, quod Epiſcopns ſine juſtis, & rationabilibus cauſis abeſſet per ſpatium ſex menſium, punitur, ipſo jure, per amiſſionem quartæ partis fructuum, applicandæ, vel in commodum fabricæ Eccleſiæ, vel in pauperum ſublevamen: quodſi in contumacia perſtiterit, alia quarta parte privandus eſt. Quodſi, hoc non obſtante, pertinaciter in contumacia perſeveraverit, ſi ſit Epiſcopus comprovincialis, Metropolitani munus erit, ſi vero Metropolitanus, debebit Suffraganeus antiquior reſidens ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes, vel per literam, vel per nuncium certiorem facere Rom. Pont., qui ſpectata majori, vel minori contumacia, contra Epiſcopos oon reſidentes animadvertet, providendo, ſi ipſi videbitur, Eccleſias de utilioribus Paſtoribus, declarante S. C. C. in *cap. Qualiter XIX. de Cleric. non reſid. num. 9.*

Epiſcopus nequit jungere trimeſtrem abſentiæ, ipſi conceſſum a Trident. ex æqua cauſa, & licet grex non patiatur damnum, jungere, inquam, trimeſtrem antecedentis anni, cum trimeſtri ſubſequentis, jungere tres menſes anni 1766. cum aliis tribus menſibus anni 1767. & ita a diœceſi abeſſe per continuum ſemeſtrem.

Nec viſitans ſacra limina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli in fine triennii, poteſt in principio alterius triennii rurſum viſitare, ac per conſequens abeſſe a ſua Eccleſia per octo menſes continuos.

Item, licet v. g. per decem annos uſus non fuerit vacatione ſingulis annis, a Conc. indulta, non poteſt, deficiente cauſa, ab eodem Conc. prærequiſita, a diœceſi abeſſe; quæ tria capita declaravit S. C. C. in Quirinali die 17. Julii anno 1657. ejuſdemque ſententiam approbavit Alex. VII. *in cap. Qualiter, de Cleric. non reſid. n. 40.*

ALIA DECRETA

Relata a Lucio Ferraris, Prompta Bibliotheca, verbo, Epiſcopus, art. III.

Quamvis nonnulli Epiſcopi habeant Coadjutores, non idcirco a reſidentia excuſantur, ex ſtatuto S. Con. Epiſcoporum in *Neapolitana*, 4. *Martii* 1597. *& in Nicoteren. 7. Sept. 1619.*

Poteſt quidem Epiſcopus morari in qualibet ſuæ diœceſis parte, dummodo tempore, a Conc. Trid. præſcripto. *ſeſſ. XXIII. cap. I.* pergat ad Cathedralem, eadem S. C. 17. Decem. 1649.

Neque reſidens propter aeris, puta intemperiem, in aliqua ſuæ diœceſis parte, removere poteſt tribunal, & Vicariam a Civitate, ut declaravit S. Epiſcoporum Cong. 28. Januar. 1603. die 3. Octobr. 1611. die 22. Febr. 1647. & die 17. Decem. 1649.

Si vero Civitas epiſcopalis peſte vexetur, non poteſt Epiſcopus, hac de ratione ultra trimeſtre extra diœceſim degere; præſertim vero, ſi in ea diœceſi adſint loca ſalubriora, in quibus ſine periculo vivere poſſit; nec ei ſuffragatur prætenſa conſuetudo degendi extra diœceſim, ac per conſequens debebit eum cogere Metropolitanus ad reſidentiam, juxta mentem Conc. Trid. ut S. C. C. declaravit ſub die 18. Sept. 1683.

Die 3. Februarii 1635. requireotibus nonnullis Epiſcopis, an per Conſtitutionem Urbani VIII. ſublata fuiſſet facultas, conceſſa a Conc. Trid. *c. I. ſeſſ. XXIII. de refor.* abſcedendi ſcilicet æqua ex cauſa a diœceſi ſingulis annis, S. C. C. habito prius verbo cum eodem Urbano reſpondit, *negative*.

Ita vero tenentur Epiſcopi temporibus, a Trident. præſcriptis, Adventus nempe, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item, & Corporis Chriſti diebus, apud cathedralem Eccleſiam reſidere, ut alias ſuæ obligationi non ſatisfaciant, niſi tamen munia epiſcopalia in ſua diœceſi eos alio vocent. Si tamen, hoc deficiente, in cathedrali Eccleſia dictis temporibus non reſideant, non incurrunt pœnas, a S. Synodo *ſeſſ. VI. capite I. & cap. I. ſeſſ. XXIII. de ref.* Epiſcopis non reſidentibus inflictas, ut S. C. C. decrevit.

Epiſcopus reſidens in ſua diœceſi, eximitur a reſidentia aliarum dignitatum, beneficiorumque extra diœceſim exiſtentium. Nec aliud amittit, niſi quotidianas diſtributiones, & alia, ſiquæ ſunt, quibus, juſtis de cauſis privantur abſentes, ita S. C. C.

Epiſcopus abſens, etiam ex cauſa, a Conc. approbata, minime gaudet beneficio alternativæ, eadem S. C. declarante.

Circa reſidentiam eorumdem Epiſcoporum affertur ſumma Conſtitutionis Benedicti XIV. *Ad Univerſa*, 3. Septembr. 1746. in qua.

§. *Præfatus autem*, declarat, Epiſcopns promo-

tos

tos in Curia teneri, ſe conferre ad proprias Eccleſias, non poſt unum menſem a die ipſorum promotionis in Conſiſtorio, ut præſcripſerat Urbanus VIII. ſed poſt quadraginta dies, ex indulto Benedicti XIII. cum licentia Card. Urbis Vicarii pro tempore.

§. *Cum vero*, declarat, non licere Epiſcopis conjungere trimeſtrem abſentiam, ſibi a Trident. indultam, ſive cum eo tempore, quo ipſis permittitur poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam ſacrorum Liminum viſitationem eiſdem conceſſum eſt. Neque itidem licere abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni, ut ſupra a Trident. indulti, continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Item nec prædictos tres menſes conjungere cum eo anni tempore, quo propter aeris inſalubritatem ipſis fortaſſe permittitur extra diœceſim degere, ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus, vernos ſimul, & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus extra diœceſim duci contingat; neque tandem licere prædicta trimeſtris abſentia, qua quis uno anno uſus non fuerit, uti ſequenti anno una cum trimeſtri ejuſdem ſequentis anni.

§. *Et quoniam*, declarat, ut ſi quis ex S. R. E. Card. ſimul ſit Epiſcopus ſuburbicarius, & alteri Eccleſiæ præpoſitus, reſidere teneatur in ea, non vero in ſuburbicario epiſcopatu.

§. *Denique, & hujus Congregationis*, deputatur Congregatio particularis circa eorundem reſidentiam, & pœnæ in tranſgreſſores decernuntur, declaraturque, quis ſit ejus caput.

§. *Primum itaque*, confirmantur, & innovantur Conſtitutiones, & ordinationes circa eandem reſidentiam Prædeceſſorum Pontificum Pii IV. Gregor. XIII. Clementis, & Urbani VIII.

§. *Secundo loco*, recenſentur pœnæ contra tranſgreſſores, amiſſionis ſcilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipſo facto incurrendæ, ſi ſex menſibus continuis abfuerint, morando extra diœceſim ſine juſta cauſa, & abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ.

Amiſſionis vero alterius quartæ partis fructuum, ipſo facto pariter incurrendæ, ſi ad alios ſex menſes abſentiam protraxerint, declaraturque præter mortalis peccati incurſum, eos teneri ad reſtitutionem fructuum in abſentia perceptorum, nulla etiam prævia declaratione, hoſque erogare in Eccleſiarum fabricas, ſeu pauperum ſubventionem ipſius loci, quacumque conventione, ſeu compoſitione pro hujuſmodi fructibus, male perceptis, prohibita.

Item amiſſionis facultatum, ſi quibus gaudent, teſtandi, & inhabilitatis ad majores dignitates, & Eccleſias obtinendas. Præterea privationis, ipſo facto indultorum, & privilegiorum, forſan ipſis conceſſorum, tamquam Pontificio ſolio aſſiſtentibus.

Quas pœnas, declaratur nedum incurrere non reſidentes, ſed etiam qui licentiam non reſidendi, falſis, ſimulatiſque cauſis doloſe extorſerint, vel ea ſemel rite, recteque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint.

§. *Tertio loco*, reducitur in uſum Congregatio ſuper reſidentia, ſeſſioneſque ab hac habendæ, ſtatuiturque hanc tantum cogendam, ſeu adunandam. I. Cum alicujus negocii cognitio ipſi a Romano Pontifice remiſſa, & delegata fuerit. II. Quoties deliberandum fuerit de pœnis ſupradictis adverſus tranſgreſſores, reipſa decernendis, & infligendis, cum approbatione Pontificis pro earundem pœnarum executione. III. Cum petita fuerit facultas abeſſendi ad longum tempus, ratione alicujus muneris, ſeu officii.

§. *Quarto loco*, folia, in quibus conceditur facultas, ut ſupra, abeſſendi, decernitur deferenda ad Pontificis ſignaturam.

§. *Quinto loco*, referuntur cauſæ abeſſendi ultra tres menſes, a Trident. indultos I. Neceſſitas aſſiſtendi perſonaliter alicui liti, ſeu controverſiæ, in qua Eccleſiæ, aut Cleri ſui, vel etiam propriæ familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta ſit, vel alia in eadem decidenda. II. Corporalis ægritudo, contracta extra diœceſim intra prædictos tres menſes, itaut ad ſuam diœceſim Epiſcopus reverti nequeat. III. Adverſa valetudo in diœceſi contracta, ad quam depellendam, medicorum judicio, opus habeat, aerem, & ſolum aliquantiſper mutare. IV. Malignitas aeris, in diœceſi vigens, quam aliquibus anni menſibus devitari oporteat. In quacumque ex prædictis cauſis præcipitur, obtinendam eſſe expreſſam approbationem a Romano Pontifice.

§. *Si quis. Qui vero. Ab iis. Et qui tandem*. Præſcribuntur, quæ exprimenda ſint in ſupplici libello pro obtinenda abeſſendi licentia, ratione dictarum cauſarum reſpective.

§. *Sane*, approbatur, & confirmatur Decretum Urbani VIII. circa abſentiam extra diœceſim pro provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, ſeu aſſembleis generalibus celebrandis, aliiſque muneribus, aut reipublicæ officiis, quæ ipſorum Epiſcopatibus, Eccleſiiſque adjuncta ſunt, & in quibus Epiſcopi perſonaliter intereſſe debent.

§. *Expediuntur*, ſtatuitur, ut ſi committenda ſit a Congregatione Sacrorum Rituum confectio proceſſuum in cauſis Beatificationum, aut Canonizationum, committatur alicui Epiſcopo Titulari, ſi fieri poſſit, ſin minus Epiſcopis vicinioribus diœceſi, in qua dicti proceſſus conficiendi erunt. Obtenta tamen licentia abſcedendi a diœceſi, cauſam abſentiæ exprimendo, ſub pœnis contra non reſidentes inflictis, in qua licentia comprehenſi intelligantur conciliares menſes, quibus triginta dumtaxat dies, ſi opus fuerit adjicientur; & ſi adhuc facienda ſuperſint, alii quatuor menſes ſequenti anno in idem opus inſumi poterunt.

§. *Et quia*, ſtatuitur, Epiſcopos Regni Neapolitani teneri obtenta abſentiæ indulta exhibere Nuntio Apoſtolico, Neapoli commoranti, ut ipſe recognoſcat, ſi quid abreptum, vel ſubreptum fuerit in precibus. Cui item præcipitur, ut per ſuos officiales, quos in omnibus Regni diœceſibus retinet, certior fiat, ſi quis Epiſcopus ſine debita licentia a diœceſi recedat, aut ea obtenta abutatur.

§. *Cæterum*, declaratur iiſdem prædictis legibus, & pœnis obſtringi S. R. E. Card. qui ea diſpoſitione Apoſtolica præſunt, & præerunt Eccleſiis patriarchalibus, primatialibus, archiepiſcopalibus, & epiſcopalibus.

In Conſtitutione ejuſdem Benedicti XIV. *Grave, & permoleſtum*, 15. *Augusti* 1741. §. *II.* declaratur, Epiſcopos non ſatisfacere ſuæ obligationi reſidendi, ſi per alios regant Eccleſias ſibi commiſſas, non eſſe tamen culpæ obnoxios, ſi id faciant ad breve tempus, & gravi cauſa.

§. VIII. Indulgetur iiſdem Epiſcopis, ut indicent Rom. Pont. quem idoneum ſibi dandum in coadjutorem putent, ſi ratione longævæ ætatis, aut ægretudinis habitualis, ſe impares noverint ad regendam Eccleſiam.

SECTIO CCCLX.

CAPUT II. NON LICEAT, *ex Decretali deſumpta ex corpore Canonum.*

NON liceat ulli Epiſcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præſtare: ſed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos, vel ſi fecerit, det illis, unde vivere poſſint.

Quia ſtatui clericali opprobrioſum eſt, quod etiam in minoribus Ordinibus conſtituti mendicent; ac appellatione Clericorum, tum in minoribus, cum in majoribus Ordinibus conſtituti, non improprie continentur: volunt DD. ſatis communiter cum Gloſſa hic, ſub ſtatuto hujuſce Decretalis indiſtincte comprehendi omnes Clericos; proindeque Epiſcopum debere a principio, h ceſt ante ordinationem ſervare, an etiam in minoribus ordinandi, titulum habeant, unde congrue vivere poſſint. Etſi vero eſſet valde utile, ac ſtatui clericali indubie magis decorum, hanc diſpoſitionem ubique ſervare; quia tamen promoti ad non Sacros poſſunt retrocedere, aliter, quoad hos, conſuetudine introductum eſſe monet Panormitanus; & Eccleſia Romana non conſuevit cogere Epiſcopos, niſi pro iis, qui ſunt in ſacris Ordinibus: quamvis hic Romæ die 25. Februarii 1718. præceptum fuerit (facto prius verbo cum Sanctiſſimo) ac hactenus obſervatum, ut de cætero nemo ex Romanis prima clericali tonſura initietur, niſi prius per legitima documenta conſtet, eum de patrimonio proviſum eſſe, aut vere intervenire expectativam beneficii, vel capellaniæ, proxime obtinendæ, omni, & quacumque fraude remota, prout teſtatur Honorante *in Prax Secretar. Card. Vicar. cap. I. pag. 9. not. V.*

Et quamvis juxta ſtylum, & laudabilem conſuetudinem almæ Urbis patrimonium debeat eſſe redditus ſcutorum ſexaginta monetæ romanæ pro ſacris Ordinibus, ſolet tamen ab Eminentiſſimo Vicario, facto itidem verbo cum Sanctiſſimo, pro prima tonſura admitti in minori ſumma, dummodo hæc triginta ſaltem ſcuta adæquet, ut ibidem notatur.

Porro hæc Decretalis, quatenus ſtatuit, ordinantem ad ſacros Ordines aliquem ſine titulo teneri neceſſaria ei miniſtrare ad vitæ ſuſtentationem, donec titulum habuerit, ampliata eſt a Trident. *ſeſſ. XXI. cap. II. de reform.* prohibente inſuper ne quiſquam ad dictos Ordines promoveatur ſine ſufficienti beneficio, vel patrimonio, aut penſione, ſi tamen neceſſitas, aut commoditas Eccleſiæ aliquem cum his duobus ultimis titulis expedierit ordinari: & reſpectu ordinati ſine ſufficienti titulo, ſi ipſe ſolus fuit in culpa, quia finxit titulum per falſa inſtrumenta, ex ſtylo Curiæ, & Sacræ Pœnitentiariæ incurrit pœnam ſuſpenſionis latæ ſententiæ ab executione Ordinum, ſic ſuſceptorum, inflictam *a Can. Sanctorum LXX. diſt.*, quæ pœna *in cit. cap. II. Trid.* innovatur.

Textum Triden. leges infra parte II. in qua leges innovationem *cit. Can. Sanctorum.*

SECTIO CCCLXI.

CAPUT IV. EPISCOPUS, *ex Decretali Alexandri III. in Conc. generali Lateran. III. celebrato anno 1179.*

EPiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit; tandiù ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet. Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

Hæc Decretalis, ſtatuens, poſſe Epiſcopum promovere ad Ordines ſacros Clericum ad titulum paternæ hæreditatis ob defectum beneficii, abrogata eſt a Trident. mox citata *ſeſſ. XXI. cap. II. de refor.* præcipiente, Clericum ſecularem promoveri non poſſe ad dictos Ordines, niſi ad titulum beneficii eccleſiaſtici, vel etiam patrimonii, & penſionis, ſi tamen, quoad patrimonium, & penſionem ipſe Epiſcopus judicaverit, promovendum pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiæ, ut antecedenti Sectione notatum eſt.

Cum autem in eadem Decretali exigatur titulus pro collatione Diaconatus, & Presbyteratus dumtaxat, licet cæteroquin Ordo Subdiaconatus, etiam tempore ipſius Alexandri in univerſali Eccleſia latina inter ſacros cooptatus fuiſſet, quod accidit ſeculo XI. ut aſſerit Morinus *De Sac. ordinationib. parte III. Exercit. XII.* ampliata eſt ab Innocentio III. *cap. XVI. Cum ſecundum, hoc eod. tit.* illum exigente, etiam pro Subdiaconatu, ibi.

SE-

Cum ſecundum Apoſtolum, qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari: & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a ſimili, ut Clecici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur, ut ipſa nominis ratio perſuadet. Cum enim *a Cleros*, quod eſt ſors, vel hæreditas, Clerici appellentur, quia in ſui ordinatione, vel aſſumuntur in hæreditatem Domini, vel aſſequuntur hæreditatem in ipſo, ut vero poſſint pſallere cum Propheta, dicente: *Dominus pars hæreditatis meæ*: dignum eſt, ut Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtententur, in qua, & per quam divinis obſequiis adſcribuntur. Licet autem Prædeceſſores noſtri ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint, & inanes: nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel ſucceſſores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos eccleſiaſtica beneficia conſequantur. Inde eſt, quod cum G. lator præſentium a Prædeceſſore tuo fuerit ad ſubdiaconatum, nullo præſentante, promotus, mandamus, quatenus, ſi eum hi, quibus examinationem ipſius duximus committendam, te citato legitime, ut per te ipſum, vel idoneum reſponſalem interſis, & tam ſuper idoneitate perſonæ, quam etiam ſuper quautitate, ac qualitate beneficii proponere tibi liceat, quidquid rationabiliter duxeris proponendum, idoneum eſſe repererint, tandiu ei vitæ neceſſaria congrue ſubminiſtres, donec per te in Zamoren. Eccleſia, vel in alia fuerit competens beneficium eccleſiaſticum aſſecutus: ſciturus pro certo, quod ſi per examinationem eorum fuerit repertus idoneus, & tu ei juxta mandatum noſtrum neglexeris providere, cum hoc nobis per literas eorum innotuerit, ad id exequendum te per diſtrictionem eccleſiaſticam compellemus.

Tranſcriptæ Decretales *Epiſcopus*, & *Cum ſecundum*, innovatæ, & ampliatæ ſunt a Trid. *ut ſupra ſeſſione XXI. cap. II.*

SECTIO CCCLXII.

Caput VI. Cum teneamur, *ex Decretali Alexandri III. ignotum, cui reſcripta.*

CUM teneamur, (& infra.) Si mandatum noſtrum pro alicujus proviſione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode ſuſtentari: niſi forte in literis ipſis de hoc mentio non habeatur; aut ſi non poteſt, ei ſine ſcandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro ea mandatum noſtrum non duxeris exequendum.

Hæc Decretalis, admittens mandata de providendo, abrogata eſt a Conc. Trident. ut ſupra notavi ad cap. XXX. *de Elect.* Sectione X.

SECTIO CCCLXIII.

Caput VII. Referente, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, ignotum, cui ſcripta.*

REferente: I Presbytero, accepimus, quod cum duas haberet Eccleſias, Archidiaconus tuus ipſum altera ſpoliavit: & cuidam Presbytero G. nomine aſſignavit eandem: prædictus autem I ſentiens, ſe in hac parte gravari, ad Metropolitanum, videlicet Rhemen. Archiepiſcopum, appellavit. Cumque de mandato ejuſdem Archiepiſcopi in prædicta Eccleſia reſtitutus fuiſſet, præfatus Archidiac. eundem I. pro eo quod ad præſentiam ſuam vocatus venire contempſit, vinculo excommunicationis adſtrinxit. Nos autem ipſum a ſententia, qua tenebatur, facientes abſolvi, tibi mandamus, quatenus præſcripto I. de prædictis Eccleſiis, una, quam maluerit, relicta, alteram præfato G., ſi Eccleſiam non habet, non differas aſſignare. Alioquin ipſam alteri perſonæ idoneæ, beneficio eccleſiaſtico carenti, incuntanter aſſignes.

Hæc Decretalis, permittens habenti plures Eccleſias optionem dimittendi unam, & retinendi alteram, quam maluerit, abrogata eſt a Trident. *ſeſſ. VII. cap. IV. de reform.* hanc optionem prohibente, & extendente pœnam *cap. de Multa XXVIII. hoc eod. tit.* ad obtinentes beneficia, ex quovis capite incompatibilia.

Imo idem Triden. *ſeſſ. XXIV. cap. XVII. de refor.* declarat, eſſe incompatibilia duo beneficia, etiam ſimplicia, quando primum eſt ſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem, vel quando utrumque perſonalem reſidentiam requirit.

SECTIO CCCLXIV.

Caput VIII. Majoribus, *ex Decretali, deſumpta a Can. I. Concilii Turonenſis IV. celebrati an. 1163.*

MAjoribus Eccleſiæ beneficiis in ſua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum Clericorum præbendæ patiantur ſectionem. Idcirco, ut ſicut in magnis, ita quoque in minimis membris ſuis firmatam Eccleſia habeat unitatem, diviſionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

In hac Decretali prohibetur diviſio, aut permutatio præbendarum, & dignitatum.

Verum hæc prohibitio, quoad diviſionem limitata eſt ab Innocentio III. eam fieri permittente ex cauſa rationabili, ut ex ſequenti ejus Decretali, relata in cap. XXVI. hoc eod. tit.

Vacante quadam præbenda in Eccleſia tua, duas ex ea conſtituens, ad illas de conſenſu capituli tui duos Canonicos aſſumpſiſti: quorum altero viam univerſæ carnis ingreſſo, præbendam, quam defunctus habuerat, quidam Clericus, nomine Hippolytus, fuit auctoritate Sed. Apoſt. aſſecutus. Verum cum idem Hippolytus te ſuper integritate præbendæ per quaſdam noſtras literas inquietet, & alius idem jus adverſus te ſe habere proponat, quid facere debeas, requiſiſti. Super quo ſic duximus reſpondendum, quod cum Turonen. ſtatuta Concilii ſectionem inhibeant præbendarum, teneris utrique de his, quæ vacare contigerit, integrare præbendam, niſi rationabili cauſa de vacante præbenda ſupradicta, duæ fuerint conſtitutæ, ac tot ſint utriuſque proventus, quot per utramque ſit utrique proviſum in beneficio competenti.

Cæterum circa diminutionem præbendarum, & beneficiorum vide notanda infra ad *cap. unicum, Ut noſtrum, tit. Ut beneficia ſine diminutione conferantur.*

Quoad permutationem vero hæc permiſſa eſt, ſi modo debito fiat, ac juſta ſuperveniente cauſa, ab Urbano III., ut in ejus Decretali, relata in *cap. V. Quæſitum, tit. de rerum permutat.* textum leges infra dict. tit.

Eadem permiſſio legitur in Decretali Bonif. VIII. relata *cap. unic. Licet, eod. tit. de rerum permut.*

Licet in tua diœceſi aliqui auctoritate Apoſtolica beneficia proximo vacatura expectent: illos tamen, qui ſecundum formam juris ſua beneficia in eadem diœceſi ad ſuam collationem ſpectantia permutare volentes, libere, ac ſine fraude in manibus tuis ipſa reſignant: nolumus, occaſione præmiſſa (æquitatem præferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem beneficiorum hujuſmodi (quæ alias minime reſignaſſent) ullatenus impediri.

Quamvis huic Decretali, prout admittit expectativas, & mandata de providendo, derogatum fuerit a Conc. Trid. ut ſupra notavi ad *cap. XXX. de Elect.* Sect. X. tamen quoad reliqua ſerio attendenda eſt, ac adamuſſim ſervanda: non ſolum enim deſignat quænam beneficia, præſuppoſitis conditionibus neceſſariis, ad reſignandum, poſſint, ac debeant in manibus Epiſcopi, vel alterius reſpectivi Ordinarii, reſignari: ea ſcilicet, quæ in ejus diœceſi, ſeu territorio ſeparato, ſunt collationis ejuſdem; ſed etiam exprimit modum, quo ipſa reſignatio fieri debeat, nempe ſecundum formam juris: cum enim beneficii reſignatio ſit legitima ejuſdem dimiſſio a ſuperiore admiſſa, fieri debet, ſervata juris forma, ut ſubſiſtat.

Petes tamen, an reſignatio, gravi injuſto metu extorta, ſit ipſo jure nulla? Negant Panormitanus in *cap. Abbas 2. De iis, quæ vi &c. nu. 19.* Flaminius Pariſius *de Reſignat. Benef. lib. 13. quæſt. 2. numer. 8.* Garzias *de Benef., part. II. cap. III. num.* 143. aliique poſt Gloſſam in *cap. Super eo V. de Renunciat.* §. *Reſignationis*; ſi caſum excipias Clement. *Multorum*, 2. §. *Sane de Pœnis*, quo nempe injuſta laicorum detentione, vel incarceratione, beneficium quis cedere compulſus fuerit: in quo & ipſi concedunt, reſignationem ipſo jure nullam eſſe, quia nullius omnino firmitatis eſſe, ibi expreſſe decernitur, adeo, ut non valeat, etiam quoad renunciantem, ut ibidem exponit Gloſſa, §. *Nullus omnino*. Ratio quoad alios caſus per ipſos eſt, quia ex una parte coacta voluntas adhuc eſt voluntas, ſicque intervenit reſignantis conſenſus, de jure adhuc ſufficiens: ut patet, cum quis renunciat ob comminationem gravioris mali, ſibi juſte factam; in utroque enim caſu reſignatio ſit ex libera electione mali minoris ad declinandum majus: cum hoc ſolum diſcrimine, quod quando ſit ob metum juſte incuſſum, reſignatio non eſt reſcindibilis; bene vero cum ſit ex metu inju-

injuſte incuſſo. Ex alia parte nullibi in jure habetur, quod reſignatio taliter facta, nulla ſit; ſed tantum quod carere debeat robore firmitatis: quod beneficium poſſit reſignanti reſtitui, & ſimilia; quæ dumtaxat probant, reſignationem in hiſce caſibus poſſe reſcindi ad inſtantiam reſignantis: adinſtar aliorum actuum, metu extortorum, qui in jure exceptionem non habent. Verum contraria ſententia eſt huic noſtræ Decretali conformior, eamque expreſſe tenuit *Rota Romana dec.* 212. *num.* 13. *par.* 16. & cum aliis pluribus Gonzalez *in cap. Ad audientiam* 4. *De iis, quæ vi*; libertas enim ad reſignationem manifeſte requiſita in hoc *cap. Licet*, eſt quid plus, quam voluntarietas ſecundum quid, mere relicta in reſignante ob gravem metum, ipſi injuſte incuſſum: qui propterea non dicitur proprie reſignare ex libera electione, ſed ex voluntario, mixto cum involuntario; nam reſignatio ex electione vere, ac proprie libera, ea eſt, quæ fit cum voluntarietate ſimpliciter tali, abſoluta, & omnimoda, cum nihil ſit magis contrarium conſenſui libero, quam metus. Hinc liberum, hoceſt, verum omnino conſenſum exigit beneficii reſignatio. *Rota Rom. deciſ.* 172. *num.* 22. *& ſeqq. part.* 16. Nec obſtat paritas de reſignatione ex gravi metu juſte incuſſo, cum enim hæc vi legis, ſeu præcepti fieri debeat, ſive velit, ſive nolit beneficiarius, non exigitur, quod libere fiat, prout fieri debet in alio caſu, ac ſufficit voluntarietas ſecundum quid: in quo ſenſu coacta voluntas adhuc eſt voluntas.

S E C T I O C C C L X V.

CAPUT IX. RELATUM, *ex Decretali Alexandri III., Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripta.*

RElatum eſt (& infra.) Quoniam igitur dignum eſt, ut poſtquam Magiſter I. in Eccleſia tua Canonicus eſt inſtitutus, & a te habuit in promiſſis de conferenda ſibi præbenda cum in Eccleſia ipſa vacaret, ut debeat præbendæ integritate gaudere, mandamus, quatenus, ſi idem I. in Eccleſia tua eſt canonice inſtitutus, & in choro, & capitulo, & aliis, quorum uſus eſt communis, poteſtatem ſicut Canonicus habet, ei præbendam, ſiqua nunc vacat, vel cum ibi primo vacaverit, ſecundum promiſſionem tuam concedas liberaliter, & aſſignes: quia non eſt congruum, ut præbenda careat, qui in Canonicum noſcitur eſſe receptus.

Hæc Decretalis hodie locum amplius non habet, cum nullibi in uſu ſit, ut quis recipiatur in Canonicum ſupranumerarium ſine præbenda canonicali cum promiſſione illi conferendi proxime vacaturam.

Sed circa veram ejuſdem Decretalis interpretationem, attendenda eſt Eccleſiæ diſciplina, juxta temporum diverſitatem ſervata, quam ita hic Gonzalez exponit ,, Sciendum eſt, varia fuiſſe pro temporum diverſitate obſervata, & ſtatuta, circa promiſſionem beneficii, nondum vacantis. Primum tempus, fuit, quo, ſicut hodie, beneficiorum pleniſſima poteſtas ad Summum Pontificem ſpectabat, *cap. Omnes* 22. *diſtin. cap. Cuncta*, 9. *quæſt.* 3., ita ad Epiſcopum inſtitutio in minoribus ſpectabat, *cap. Omnes* 16. *qu.* 7. & collatio præbendarum ad ipſum, vel ejus capitulum pertinebat, *cap. Dudum* 22. *cap. Cum Eccleſia, de elect.* Secundum tempus, fuit Concilii Lateranenſis, celebrati ſub Alexandro III. quo prohibita fuit promiſſio certi beneficii, nondum vacantis, de qua in *cap. Nulla* 2. *de conceſs. præbend.* ubi dicemus. Tertium tempus, fuit Innocentii III. amplianтis prædictam prohibitionem, ita, ut talis promiſſio incerti beneficii non admitteretur, niſi ſub illa clauſula, cum potuero, vel cum facultas ſe obtulerit, ut in *cap. Dilectus* 19. *hoc tit. cap. Ex tenore, cap. Ad aures, de conceſ. Præbend.* Sed quia ſub illa clauſula illicitæ fiebant pactiones, Bonifacius VIII. omnino prohibuit promiſſionem beneficii, nondum vacantis, directe, vel indirecte, etiam ſub illa clauſula factam, *cap.* 2. *De conceſ. Præbend. lib.* 6. juxta quam temporum ſeriem facile hic textus accipitur, & adducta difficultas diſſolvitur; cum enim temporibus Alexandri III. tantum prohibita eſſet promiſſio certi beneficii, nondum vacantis, non vero incertæ præbendæ, ideo in præſenti ſpecie promiſſio futuræ præbendæ incertæ, nondum vacantis, ſuſtinetur. At vero in dicto *cap. Dilectus* 19. etiam talis promiſſio improbatur, quia jam damnata erat per Innocentium III.

SECTIO CCCLXVI.

Caput XI. Significatum, *ex Decretali Alexandri III. ad Præpoſitum, & Capitulum Inſulenſe in Belgio, juxta Gonzalez, & non Inſilienſe, ut legitur in prima collectione, nec Inſularam, ut putat Antonius Auguſtinus in notis ad dictam collectionem.*

Significatum eſt nobis, quod cuidam Sacerdoti præbendam unam in Eccleſia veſtra communi voluntate dediſtis, ita, quod Miſſam de Sancta Maria (niſi corporis infirmitate gravatus ſit) debeat quotidie celebrare; & Eccleſiam veſtram non niſi communi, tam Præpoſiti, quam capituli aſſenſu poſſit dimittere, vel cuiquam præbendæ illius anniverſarium delegare. Quam ſiquidem inſtitutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, aſſidue debeat obſequium ſuum impendere Eccleſiæ memoratæ, & quanto frequentius poteſt (ſalva honeſtate ſua, & debita devotione) Miſſarum ſolemnia celebrare; nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere, ſive cauſa voluptatis, ſive ſe ad aliam Eccleſiam transferendo.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod ei novi aliquid acceſſerit; ſed cum in ea, quod ſpectat ad quotidianam Miſſæ celebrationem, declaretur, hanc licite aliquando intermitti poſſe a Capellano, tum ob corporis infirmitatem, tum ob cauſam honeſtatis, & debitæ devotionis, licet ex capellaniæ fundatione hujuſmodi quotidiano oneri ſit obnoxius; nec intermiſſio illa certis limitibus circumſcribatur, indeque ortæ ſint variæ hujus textus interpretationes, quot ſcilicet diebus intra annum in utroque caſu celebrationem intermittere poſſit, ideo eas in medium affero, ut Capellanus, qui tenetur per ſeipſum celebrare (ſi enim per ſe ipſum non teneatur, certum eſt teneri per alium ſatisfacere, ſi ipſe non poſſit, ut etiam declaravit Congreg. Conc. 18. Septembr. 1683.) ex his eam ſeligat, quæ citra omnem inordinatam ſui affectionem, & conſcientiæ laxitatem magis ſibi æqua videatur, & conformior, tum allatæ pontificiæ declarationi, tum Fundatoris menti.

Quod itaque ſpectat ad celebrationis intermiſſionem ratione infirmitatis, hæc diverſimode aſſignatur a Summiſtis, & Canoniſtis, relatis a Cabaſſutio *Juris Canon. Theoria, lib. II. cap. XXVIII. num. 10.* Eam aliqui plus æquo reſtringentes, limitant ad decem dumtaxat dies, & etiam pauciores, quibus elapſis, ſi infirmitas duret, opinantur, ſubrogandum eſſe a Capellano alterum, qui loco ipſius celebret. Alii latius eandem intermiſſionem extendentes, juxta Decretum Concilii Mediolanenſis VII. *tit. de Miſſis*, menſem ægritudinis aſſignant, quo durante, integrum ſtipendium accipi poſſe putant, abſque eo quod Capellanus obſtringatur celebrationem per alium implere.

Alii tandem æquius ex interpretatione allati textus ratiocinantes, eximunt eundem Capellanum ab onere ſatisfaciendi per alium, ſi ejus infirmitas quindecim tantum dierum ſpatio perduret, nixi naturali æquitati, ſecundum quam optime animadvertit Gloſſa *in L. Arboribus, §. De illa, ff. de uſur. non eſſe denegandum ſalarium famulo, qui exiguo tempore ægrotavit*. Quam æquiorem ſententiam amplexa eſt etiam Cong. Conc. in *Romana Celebrat. Miſſarum, 4. Junii 1689. & 17. Novembr. 1695.* quam & Capellanus hujuſmodi onere gravatus, relictis aliis ſupra recenſitis, ſequi debet; cum declaratio Cong. Conc. utpote quæ in ſimilibus dubiis decidendis auctoritate Papæ procedit, omnino præferenda ſit cuicumque privatorum Doctorum opinioni.

Si vero Capellanus ob aliquam infirmitatem redditus eſſet omnino impotens, & aliunde non haberet, unde viveret, ac ordinatus fuiſſet ad titulum capellaniæ, tunc, durante impotentia, neque per alium teneri ſatisfacere declaravit eadem Cong. in *Piſtorien. 5. Feb. 1650. ut in lib. Decretor. XIX. pag. 24.* quemadmodum ex iiſdem circumſtantiis exemit ſimilem Capellanum *in Patavina, 24. Apr. 1655. dicto lib. XIX. pag. 453.*

Quod autem ſpectat ad cauſam honeſtatis, & debitæ devotionis, de qua in allato textu: opinio multorum eſt, & quidem magnæ notæ Canoniſtarum, & Thologorum (ſcilicet Panormitani, Silveſtri, Angeli, Navarri, Zerolæ, Suarez, & Barboſæ, quos refert Cabaſſutius *loc. cit. n. 9.* ac aliorum, relatorum hic a Gonzalez) ut hujuſmodi Capellanus intermittere poſſit miſſæ celebrationem ſemel in hebdomada: imo Navarrus *Conſilio VI. de Præbendis*, & Zerola arbitrantur, alterum etiam diem, præter unum, in qualibet hebdomada, interdum ſuperaddi poſſe. Alii autem hunc intermiſſionis numerum, omnino reprobant, tanquam nimis abhorrentem a rationabili interpretatione voluntatis Fundatoris, qui præſumi non poteſt, voluiſſe quotidianum ſtipendium Capellano aſſignare, & ſimul privari ſuffragio Miſſarum LII. quolibet anno. Sunt alii, qui putant, poſſe quidem tot diebus celebrationem intermittere, ſed teneri eam per alium ſupplere: & ſunt etiam, qui illum liberant ab hoc onere.

Alii denique, inter quos laudatus Cabaſſutius *loc. cit.* æquius allatum Alexandri textum interpretantes, indubitanter concedunt, uno die in ſingulis menſibus tuto intermitti poſſe celebrationem, honeſtatis, & devotionis cauſa acriter impugnantes laxiorem illam ſententiam, indulgentem intermiſſionem unius diei in qualibet hebdomada. Et merito quidem: cum enim, ſi de cauſa honeſtatis agatur, hæc non ex alio motivo deſumi poſſet, quam ex animæ indiſpoſitione, (ut hic notat

tat Gloſſa, & Doctores communiter) ratione peccati mortalis, cujus ſe conſcium noſcens Capellanus, tunc ſolum poterit celebrationem intermittere, cum copia confeſſarii ei non ſuppetat: quod quidem raro contingere poteſt: alias, ſi qualibet hebdomada id eveniret, imputandum eſſet ejus malitiæ, & habitui malo, quod in detrimentum ſuffragii animæ Fundatoris redundaret. Si vero agatur de devotione, animadvertendum eſt, an & hujus defectus oriatur ex ipſius culpa, *qui* tam ſæpe in ſpiritus fervore deficeret, & non conaretur, oratione, v.g. aliiſque mediis, devotionis impedimenta removere: & ſic in utroque caſu peccaret, & teneretur per alium ſatisfacere.

In hoc opinionum conflictu circa numeri Miſſarum intermiſſionem ex cauſa honeſtatis, & devotionis Congreg. Conc. ne Capellanis habenas laxaret, abſtinuit a declaratione, quot vicibus ipſis in annum liceret hæc intermiſſio: propoſitis enim ſibi ſequentibus dubiis ab Epiſcopo Collenſi *ſub die* 18. *Septembris* 1683. videlicet.

Epiſcopus Collenſis, diœceſim viſitando, comperit, non ſine maximo conſcientiarum periculo plures abuſus irrepſiſſe in adimplendo mentem eorum, qui Miſſas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos diſcutiendum, atque reſolvendum videtur.

I. An Sacerdotes, obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut ſtipendii celebrare quotidie Miſſam per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare?

II. Quando, & quoties a dicta celebratione vacare poſſint?

III. An diebus licitæ vacationis poſſint Miſſam pro ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare? & quatenus affirmative.

IV. An pro aliis celebrando, poſſint ſtipendium pro hujuſmodi celebratione recipere?

V. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur, Miſſam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum?

VI. An Sacerdotes, ut ſupra, obligati celebrare Miſſam quotidie, abſque tamen onere celebrandi per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare?

Sacra &c. ad I. & II. reſpondit affirmative, concurrente aliqua rationabili cauſa. Ad III. IV. & VI. negative. Ad V. diſtulit reſolutionem (& ſub die 13. Novembris 1683. reſpondit, quod dabitur reſolutio in caſibus particularibus.)

Hæc eadem dubia, & reſponſa refert Benedictus XIV. *lib. III. cap. III. de Sacrificio Miſſæ num.* 7. quibus attentis, & ipſe abſtinet ſenſum ſuum aperire, cui ex allatis opinionibus, quoad numeri Miſſarum intermiſſionem, ſit deferendum.

Nota, quod ex tertio Congregationis reſponſo corruit etiam opinio Cabaſutii benigne favens Capellano, quam *cit. num.* 9. his verbis expreſſit „ Ego vero
„ latius iſtam devotionis cauſam exponendam duco, ut
„ interdum etiam ſacrificet ob aliam, quam Fundatio-
„ nis cauſam, etſi rariſſime id ei liceat: duriſſimum
„ enim, & indecorum, & debitæ devotioni oppoſitum
„ nimis eſt, ſi Sacerdos tam iniquo vinculo adſtringa-
„ tur, ut totius vitæ tempore non poſſit, niſi pro uno
„ aliquo defuncto, nunquam vero pro ſeipſo, nunquam
„ pro ſancta Eccleſia, nunquam pro urgentibus populi
„ calamitatibus, nunquam pro parentibus, aut fratri-
„ bus defunctis Sacrum celebrare.

Ex quarto S. Congregat. decreto ſimiliter corruit ſententia eorum, qui dicunt, Sacerdotem, jam ex juſtitia alteri obligatum pro quotidiana applicatione, poſſe in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ab alio accipere novum ſtipendium, & ſecundum hujus intentionem pro alio, vel aliis Sacrificium applicare; Sacra ſiquidem Congr. expreſſe vetat alterius ſtipendii acceptionem; nec unquam declaravit, poſſe tali die quotidianum onus omitti, ut cum novo ſtipendio pro alio, vel aliis celebretur. Hinc Michael Cavalieri *tom.* 3. *Oper. Liturgic. cap.* 1. *ad Decr.* 6. *n.* 4. ſcite animadvertit decretum S. Rit. Congr. *diei* 4. *Auguſti* 1663. *In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum*, male ab iis intelligi, qui exinde putant, ceſſare jus Capellaniæ, in ſuppoſitione, quod Capellanus applicet tali die pro omnibus defunctis; mens Congr. non fuit hæc, ſed eos confutare, qui in omnibus celebrantibus tali die, rigoroſam obligationem adſtruebant applicandi Sacrificium pro omnibus fidelibus defunctis, adeo ut nemini liceret ipſum applicare pro aliquibus tantum. Ad quam ſententiam refellendam S. R. Congr. declaravit, poſſe Miſſam tali die applicari ad libitum celebrantis, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. Cæterum quoad alteri jam obligatos ex juſtitia, ratione Capellaniæ, vel accepti ſtipendii, non egit S. Congr. & ſic tale decretum allegari non poteſt ad eximendum taliter obligatum ab onere ſatisfactionis. Neque dicas, Eccleſiam optare, quod tali die oretur pro fidelibus defunctis generaliter: nam hoc fieri poteſt aliis modis, vel etiam in eadem Miſſa hos commendando in genere, & aliquos etiam in particulari. At ſtatimac Eccleſia non obligat Miſſam applicare pro omnibus, illico clamat obligatio juſtitiæ, quod Sacrificium pro anima illius applicetur, qui ad hunc finem etiam pro Miſſa talis diei integrum reliquit celebranti ſtipendium; hoc namque ſignum evidens eſt, quod voluit applicationem Miſſæ etiam talis diei: quam intentionem profecto Eccleſia non intendit defraudare, ſtatimac liberam Sacerdoti relinquit Miſſæ applicationem. Et ſane, quod talis ſit Eccleſiæ intentio, etiam quoad unum, clare colligitur ex univerſali decreto Clementis PP. XIII. fel. regnan. incipiente *Cum ex veteri*, perpetuis futuris temporibus valituro, in quo die 19. Maii 1761. benigne conceſſit, *ut Miſſa die predicta Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote ſeculari, vel cujuslibet Ordinis, & Inſtituti, regulari, celebranda, gaudeat privilegio, acſi eſſet in Altari privilegiato celebrata, dummodo accipiat eleemoſynam conſuetam &c.* Porro regula generalis eſt, quod privilegium Altaris, ſeu Miſſa in Altari privilegiato celebrata, valeat tantum pro anima unius, ni forte ex gratia ſpeciali, ac extraordinariiſſima privilegium fuerit in aliquo caſu ad plures extenſum; ſe enim habet adinſtar Indulgentiæ Plenariæ, quæ inter plures dividi nequit, niſi ſit reipſa pro pluribus conceſſa tamquam plenaria. Propterea verba conceſſionis privilegii hæc ſunt: *Anima illa, pro qua celebrabit &c.* ergo uni ſoli a celebrante applicabile eſt, qui in caſu, is erit, cui debetur Miſſæ applicatio, cum huic ſit annexum privilegium. Quoniam vero etiam nunc plures tutantur ſententiam de valore Sacrificii infinito extenſive, hic non inficior, Sacrificium, uni ex juſtitia applicatum cum ſtipendio, conditionate poſſe alteri ſimul applicari, vel etiam pluribus, ac omnibus defunctis, ex virtute liberalitatis, pietatis, & charitatis; tunc enim primo nihil detrahitur de eo fructu, qui ipſi debetur, ſed ſolum intenditur

aliis

aliis ſubvenire, ſi, & quantum licet, eo plane modo, quo licet applicare Sacrificium alteri, ſi ei non proſit, ad cujus animam dirigitur applicatio. Addidi tamen *conditionate*, eo quia, licet valde incertus ſit ille valor infinitus etiam extenſive, cum plures ipſum negent, inter quos Patres Concil. Lambetenſis, celebrati ſub anno 1282. penes laudatum Cavalieri *tom.5. Oper. Liturg. cap. 28. Decr. 4. pag. apud me* 109. inter alia hæc habentis: *Ne credat celebrans, ſe dicendo miſſam unam, poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter, & in ſolidum celebrare . . . Licet ipſum, Sacrificium, quod eſt Criſtus, ſit infinitæ virtutis; non tamen in Sacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur, alioquin pro uno mortuo numquam oporteret, niſi unam Miſſam dicere; operatur enim in hujuſmodi myſteriis diſtributione certa ſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdem lege infallibili alligavit.*

Quoniam vero, ut dixi, adhuc quamplures oppoſitum ſentiunt, nec ulla vel minima nota in contrarium eiſdem impingitur ab Eccleſia; ſub conditione, quod iſta opinio vera ſit apud Deum, poteſt etiam pro omnibus vivis, & mortuis fidelibus applicari; quin tamen pro hac applicatione ullum vel minimum accipiatur ſtipendium: non enim pro fructu incerto accipi poteſt ſtipendium certum; præcipue cum iſta duplicis ſtipendii acceptio etiam pro applicatione diverſi fructus ſit omnino interdicta, ut patet ex octava propoſitione damnata ab Alexandro VII. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti reſpondentem; idque poſt decretum Urb. VIII. in decreto nempe S. Inquiſitionis die 24. Septemb. 1665.*

Item ex Decreto S. Congr. Conc. ad ſequens dubium: *An Sacerdos, qui unum ſtipendium accepit pro celebratione Miſſæ v. g. pro defuncto, & ſic cum obligatione applicandi, fructum ſatisfactorium; & aliud ſtipendium pro celebratione Miſſæ v. g. pro infirmo, & ſic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, poſſit unica Miſſa utrique obligationi ſatisfacere, applicando defuncto ſatisfactorium, & infirmo impetratorium? an hoc caſu locum habeat Decretum ſecundum Sacr. Congr. Conc. de Celebr. Miſſar. die 13. Decemb. 1659. S. C. C.* reſpondit: *quoad primam partem non poſſe ſatisfacere; quo vero ad ſecundam habere locum.* Multo minus poteſt aliquid accipi pro ipſamet applicatione privilegii; in primis enim, ut dixi, hoc ſe habet adinſtar Indulgentiæ, pro cujus applicatione S. Congregatio jam declaravit, nullum ſtipendium exigi poſſe. Deinde privilegium conceſſum, ſolet adnecti tali Altari, vel Miſſæ, tali die celebratæ in quocumque Altare, dummodo celebretur pro defunctis, prout diximus ſupra, agendo de Decreto Clementis Papæ XIII. ergo ſtatimac ibi Sacerdos celebrat, applicato pro tali Sacrificio, velit, nolit privilegium eſt pro anima illius, ſeu pro illa perſona, pro qua Sacrificium applicatum fuerit, ſuppoſitis in ea requiſitis diſpoſitionibus: unde nil poteſt pro illius applicatione prætendere, cum privilegium ab ipſo non pendeat, ſed ſola poſitio operis, nempe celebratio, & applicatio Miſſæ, ad quam ex juſtitia eſt jam obligatus, & quidem pro tali, vel talibus, ſicque nil aliud pro ea prætendere poteſt, cum juxta communiſſimam Theologorum ſententiam nil pro eo exigi licite poſſit, ad quod ex juſtitia tenetur.

SECTIO CCCLXVII.

CAPUT XII. DE MONACHIS, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Vigorenſi ſcripta.*

DE monachis, qui Vicarios parœcialium Eccleſiarum gravant, ut hoſpitalitatem tenere non poſſint, eam providentiam habeas, quod ad præſentationem monachorum, nullum recipias, niſi tantum ei de proventibus Eccleſiæ coram te fuerit aſſignatum, unde jura epiſcopalia poſſint perſolvere, & congruam ſuſtentationem habere.

Hæc Decretalis ampliata eſt a Clemente III. alias IV. dictam Alexandri ſanctionem extendente etiam ad Religioſos non exemptos, ex ſequenti Decretali, relata in *cap. I. hoc eod. tit. in VI.*

Suſcepti regiminis nos cura ſolicitat, ut utilitatibus ſubjectorum in iis præcipue, per quos animarum ſaluti conſulitur, nunc novorum editione jurium, nunc antiquorum innovationes ſolicite providere curemus. Sane fuit olim per Sedem Apoſt. provide conſtitutum, ut Diœceſani locorum ad præſentationem Religioſorum nullum ad aliquam Eccleſiam recipiant, niſi tantum ei de proventibus ipſius Eccleſiæ coram eis fuerit aſſignatum, unde jura epiſcopalia poſſint ſolvere, & congruam ſuſtentationem habere. Verum (ſicut nobis querela multorum frequens inſinuat) Religioſi exempti, de proventibus parochialium Eccleſiarum, in quibus jus obtinent patronatus, ſeu Rectorum præſentatio pertinet ad eoſdem, tantum percipiunt annuatim, quod Rectores ipſarum Eccleſiarum non poſſunt de reſiduo commode ſuſtentari, & epiſcopalia jura perſolvere, ac alia incumbentia eis onera ſupportare: propter quod ſæpe contingit, quod non inveniantur perſonæ idoneæ, quæ hujuſmodi Eccleſias velint recipere, ſicque frequenter minus idoneis conferantur, ex quo pericula imminent animarum. Nos itaque volentes ſuper hoc ſalubre remedium adhibere, præſenti decreto ſtatuimus, & mandamus, Conſtitutionem

hujuſ

hujuſmodi, quod omnes patronos Eccleſiarum, Religioſos tam exemptos, quam non exemptos, & alios inviolabiliter obſervari, conſuetudine contraria non obſtante.

Sanctus etiam Pius V. diſtricte ſtatuit in ſua Conſtit. *Ad exequendum*, data Kalend. Novem. 1567. ut hujuſmodi Rectoribus, ſeu Vicariis perpetuis, vel etiam ad tempus, animarum curam adminiſtrantibus, quæ apud alios habitu reſidet ratione alicujus Eccleſiæ parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu monaſteriis, collegiis, aut locis piis olim unitæ, aſſignetur certa pars fructuum, qua ipſi ſe ſuſtentare, & incumbentia onera ſupportare valeant. Et ſi is, vel ii, ad quos ſpectat, id facere renuent, vel ſufficientem non aſſignent, promptum remedium eſt recurſus ad Epiſcopum, qui re ſerio examinata, ac vera reperta, tum a Tridentino *ſeſſ. 7. cap. 7.* cum a fel. rec. Benedicto PP. XIV. in Conſtit. *Cum ſemper*, 19. Auguſti 1744. habet omnem facultatem neceſſariam faciendi, ut ſufficiens ab iis portio aſſignetur: quoad hoc, minime ſuffragantibus quibuſcumque approbationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut ibidem ait Benedictus, ſubdens, quod ſi Eccleſia vacet, ejuſdemque fructus pertineant ad Cameram Apoſtolicam, Epiſcopi eſt agere cum Collectoribus ad eumdem finem.

SECTIO CCCLXVIII.

CAPUT XIV. PRAETERRA, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Burdigalenſi Archiepiſcopo ſcripta.*

PRæterea de G., qui in tua, & Toloſana Eccleſia eſt Archidiaconus conſtitutus, & in utraque Eccleſia regulariter profeſſus, mandamus, quatenus eumdem altero, quem maluerit, Archidiaconatu facias eſſe contentum.

Hæc Decretalis, permittens habenti plures Eccleſias, ſeu beneficia, optionem dimittendi unum, & retinendi alterum, abrogata eſt a Conc. Triden., ut notavi ſupra ad *cap. VII. Referente*, Sect. CCCLXIII.

Cum autem in hac Decretali aſſeratur, iſtum Archidiaconum regulariter fuiſſe profeſſum in utraque Eccleſia metropolitana, Burdegalenſi videlicet, & Toloſana, id tribuendum eſſe, notat hic Gonzalez, uſui, olim vigenti in dictis Eccleſiis, quorum Canonici vitam regularem profitebantur, juxta regulam Sancti Auguſtini.

SECTIO CCCLXIX.

CAPUT XIX. DILECTUS, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo, & Archidiacono Senonenſi ſcripta.*

DIlectus filius T. Canonicus Linconien. propoſuit, quod cum de mandato C. Papæ Prædec. noſt. Linconien. Epiſcopus quamdam præbendam aſſignavit eidem in Eccleſia Linconien. quia Capitulum ipſum ad eamdem recipere contemnebat (& infra.) Ad iſtantiam Rhemenſ. Archiepiſcopi, tunc Epiſcopi Præneſtinen. Apoſt. Sed. Leg. & auctoritate illius, talis inter eum, & Epiſcopum, & Canonicos Linconien. compoſitio interceſſit, quod ipſo ab eis recepto in Canonicum, & conceſſo ſibi ſtallo in choro, & participatione qualibet Divinorum, idem fructus præbendæ percipere non deberet, niſi loco proximo vacaturæ (& infra.) Cum ergo dictum T. in Canonicum recipi, canonicis non obviet inſtitutis, & vacaturam expectare præbendam Lateranen. Concilio non ſit dubium obviare; nos facto ejuſdem Legati illicite reprobato, quod eſt licitum approbantes, quia videtur indignum, ut receptus in Canonicum præbendæ beneficio defraudetur; mandamus, quatenus dictos Epiſcopum, & Canonicos, ut ei præbendam (cum ſe facultas obtulerit) non differant aſſignare, appel. poſtpoſita, compellatis; facientes eidem portiones quotidianas, quæ fiunt in Eccleſia memorata, ſine diminutione qualibet aſſignari.

Hæc Decretalis, admittens expectativas in beneficiis, abrogata eſt a Triden. ut ſupra notavi ad cap. XXX. *de Elect.* Sect. X.

Circa receptionem in Canonicum ſupranumerarium abſque aſſignatione præbendæ canonicalis, vide notata ſupra ad cap. IX. *Relatum*, Sect. CCCLXV.

SECTIO CCCLXX.

Caput XXIII. Tuis quaestionibus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Biſuntino Archiepiſcopo reſcripta*.

Tuis quæſtionibus reſpondemus, quod Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, de patrimonialibus bonis habentes, unde poſſint congrue ſuſtentari, & ſi nondum fuerint beneficium eccleſiaſticum aſſecuti (dummodo aliud canonicum non obſiſtat) ad ſuperiores poteris Ordiues promovere.

Hæc Decretalis, relinquens arbitrio Epiſcopi promovere Clericos ad ſacros Ordines ad titulum patrimonii, limitata eſt a Trid. *cap. II. ſeſſ. XXI.* ſtatuente ad dictum titulum non eſſe promovendos, niſi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum.

SECTIO CCCLXXI.

Caput XXV. Dilecto filio, *ex Decretali laudati Innocentii, Epiſcopo Trecenſi ſcripta*.

Hæc Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere ommitto, permittens Epiſcopo conferre ſuis conſanguineis beneficium vacans, etiam ex cauſa reſignationis, hodie correcta eſt a S. Pio V. Conſtit. *Quanta 1. Aprilis* 1568. *in cujus* §. *Præcipimus* prohibetur Epiſcopis, ne beneficia, in eorum manibus reſignata, ſuis, aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus conferant; alioquin irrita ſit collatio, ut notatum eſt ad cap. IV. *Admonet*, Sectione LXXII.

Et hæc prohibitio Piana habet locum etiam, quando agitur de Eccleſiis parochialibus, ſeu beneficiis, curam animarum habentibus, quæ per concurſum ex Tridentino *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV.* magis idoneis conferri debent; ut in Cremonenſi anno 1573 etiam ex ſententia S. Congr. Conc. declaravit Gregorius XIII. *ex lib. I. Decretor.* ad talem annum pag. 145. & ſeq. Hinc præfati non ſunt admittendi ad concurſum; & ſi fuerint admiſſi, quamvis reperti fuerint magis idonei, beneficium, ſeu Eccleſia nemini ex ipſis conferri poteſt, ut patet ex eodem reſponſo, per extenſum relato a Benedicto PP. XIV. *de Syn. Diœc. lib. XIII. cap. XXIV. n. 4.* Oppoſitum tamen dicendum, ſi beneficium, aut Eccleſia non vacaverit per reſignationem, ſed per obitum; cum enim Bulla Piana loquatur in caſu vacationis per reſignationem, ad illum vacationis per obitum extendi non debet: præcipue cum in hoc caſu ceſſet illa ratio ſuſpectarum pactionum, & fraudum, quæ in reſignationibus facilius intervenire poſſunt. Atque ita occaſione cauſæ Patavinæ ſtatuit Sixtus V. cujus decretum die 15. Junii 1589. S. Conc. Cong. commendavit, & in poſterum ſic in caſibus occurrentibus reſpondendum decrevit, ut videri poteſt apud eundem Benedictum ibid. num. 5. & 6. qui pariter animadvertit num. 9. & 10. Pianam Conſtitutionem complecti quidem, ac prohibere etiam beneficiorum permutationes, quæ mala fide, ac fraudolenter coram Ordinariis fiunt; eas tamen admittere, quæ bona fide, ac ſecluſa omni fraude, uno verbo quæ a canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur: quæ nimirum reſpiciunt utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ; aut in quibus permutantium utilitas quodammodo vergit in utilitatem Eccleſiæ. De quibus jam plura diximus ſupra, cætera ſuo loco dicturi.

Præterea, cum dicta Decretalis permittat expectativas ad vacatura beneficia, correcta pariter eſt a Trid. ut ſupra notavi ad cap. XXX. *de Elect.* Sect. X.

SECTIO CCCLXXII.

Caput XXVII. Dilectus filius, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Vercellenſi Epiſcopo ſcripta*.

Hæc pariter Decretalis, quam tranſcribere omitto, admittens eaſdem expectativas, correcta eſt a Tridentino, ut ſupra.

SECTIO CCCLXXIII.

CAPUT XXIX. GRAVE NIMIS, *ex Decretali, deſumpta ex Can.XXX. Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innocentio III. an* 1215.

Grave nimis eſt, & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum Prælati, cum poſſint viros idoneos ad eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectnm, non judicium rationis: unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut, prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo, & Eccleſiis velint, & valeant gratum impedere famulatum, fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim, ita ut, qui poſt primam, & ſecundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipſum Concilium ſuſpendatur, inſtituta in eodem Conc. perſona provida, & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipſum circa capitula. quæ in his deliquerint, obſervetur. Metropolitani vero delictum Superioris judicio relinquatur, ex parte Concilii nunciandum. Ut autem hæc ſalubris proviſio pleniorem conſequatur effectum, hujuſmodi ſuſpenſionis ſententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ, minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor Patriarchales Sedes ſpecialiter honorentur,

Hæc Decretalis, quoad pœnas contra ordinarios collatores in eadem ſtatutas, confirmata eſt a Trident. *cap.III. ſeſſ.VII. de reform.* ac inſuper ampliata, nullam declarans collationem factam indignis & inhabilibus.

Onus vero inquiſitionis quotannis faciendæ in eadem Decretali injunctum Concilio provinciali, implendum eſſet, non quotannis, ſed quolibet triennio, cum ex jure noviſſimo Tridentini *cap. II. ſeſſ. XXIV. de refor.* ſatis ſit Concilia provincialia quolibet ſaltem triennio celebrare.

Verum, cum hodie neque celebrari ſoleant quulibet triennio ex rationibus afferendis ad *cap.XXV. Sicut olim, tit. de Accuſationib. &c.* hæc Decretalis, quoad hoc locum amplius habere non poteſt: ſicuti neque, quoad facultatem abſolvendi collatores, ei contrafacientes, quatuor Patriarchis conceſſam, cum quatuor patriarchales Eccleſiæ hodie ab Infidelibus occupatæ ſint, ut notabitur ad *cap.XXIII. Antiqua, de privileg.*

SECTIO CCCLXXIV.

CAPUT XXX. EXTIRPANDÆ, *ex Decretali, deſumpta a cap. XXXII. ejuſdem Concilii Lateranenſis IV.*

Extirpandæ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inolevit, quod ſcilicet paræcialium Eccleſiarum Patroni, & aliæ quædam perſonæ proventus ipſarum ſibi penitus vindicantes, Presbyteris, earum ſervitiis deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeant congrue ſuſtentari: nam (ut pro certo didicimus) in quibuſdam regionibus paræciales Presbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent, niſi quartam quartæ, ideſt ſextam decimam decimarum: unde fit, ut in his regionibus pene nullus inveniatur Sacerdos parochialis, qui ullam, vel modicam habeat peritiam literarum. Cum igitur *os bovis ligari non debeat triturantis*; *ſed qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat*, ſtatuimus, ut (conſuetudine qualibet Epiſcopi, vel Patroni, ſeu cujuslibet alterius non obſtante) portio Presbyteris ipſis ſufficiens aſſignetur.

Qui vero paræcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſe ipſum illi deſerviat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi forte dignitati, vel præbendæ paræcialis Eccleſiæ ſit annexa: in quo caſu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cum oporteat, eum in majori Eccleſia deſervire, in ipſa Eccleſia parochiali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium, canonice inſtitutum, qui (ut prædictum eſt) congruentem habeat de ipſius Eccleſiæ proventibus portionem; alioquin illa ſe ſciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit, & poſſit, quod dictum eſt, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, penſionem alii, quaſi pro beneficio, conferre præſumat.

 Huic

Huic Decretali, ſtatuenti, Rectorem Eccleſiæ, non obſtante conſuetudine favore Epiſcopi, vel patroni, debere ſufficientem babere portionem; & ex contrario ſenſu, valere conſuetudinem, legitime præſcriptam favore ejuſdem Epiſcopi, vel patroni aliquid ſibi vindicandi de fructibus Eccleſiæ, ultra ſufficientem Rectoris portionem, derogatum eſt a Trid. *ſeſſ. XXV. cap. IX. de reform.* interdicente, ne patroni, tam eccleſiaſtici, (quibus de jure communi id licebat) quam laici ſe quoquomodo ingerant in perceptione fructuum quorumcumque beneficiorum, ſed illos libere Rectori ſeu beneficiato diſtribuendos dimittant, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.

Hæc eadem Decretalis, declarans §. *Qui vero*, parochum non reſidentem, privatum eſſe ipſo jure parochia, moderata eſt ab eodem Trident. *ſeſſ. XXIII cap. I. de reform.* ſtatuente, privandum eſſe per ſententiam, ad quam procedi debet eo modo, quo ibidem præſcribitur, ut notavi ſupra poſt *cap.* XI. *Ex tua, tit. de Cler. non reſideut.* Sect. CCCLIV. §. *Prædictus autem ordo.*

SECTIO CCCLXXV.

Caput XXXII. Licet vobis, *ex Decretali Honorii III. Abbati, & Priori Sanctæ Genovefæ ſcripta.*

Licet vobis direxerimus ſcripta noſtra, ut magiſtro N. Eboracen. Archidiacono, in ſacra Pagina cupienti ſtudere, proventus ſuos eccleſiaſticos faceretis integre miniſtrari, nolumus tamen, ut quotidianas diſtributiones, quæ tantum reſidentibus in Eccleſtis, & his, qui interſunt horis canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis.

Hæc Decretalis, indiſtincte indulgens Theologiæ ſtudio operam danti, ut integros ſui beneficii fructus, exceptis quotidianis diſtributionibus, percipere poſſit in abſentia a choro, limitata eſt ab eodem Honorio in *cap. V. Super ſpecula, tit. de Magiſtris*, reſtringente hujuſmodi indultum ad quinquennium dumtaxat, cujus textum leges infra in cit. tit. in qua adnotabo alias declarationes, & acceſſiones.

Quia vero declarat hic Pontifex, eum lucrari non debere diſtributiones, intereſſentibus dumtaxat debitas, hæc declaratio limitationem recipit a *cap. I. ſeſſ. V. & cap. III. ſeſſ.* XXI. *de refor. Conc. Trident.* in eo caſu, quo Eccleſia diſtinctas non habeat præbendas, ſeu fructus, ut ajunt *Groſſos*, ſed univerſi redditus in dictis diſtributionibus conſiſtant, quæ habentur loco præbendarum; tunc enim lucratur duas earum partes, omiſſa tertia, intereſſentibus accreſcenda.

Circa hanc limitationem appoſite, hæc habet Fagnanus in boc eodem *cap. num.* 126. „ Verum, quia „ in illis Eccleſiis, ubi nullæ ſunt diſtributiones, vel „ ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, Concilium „ Trid. jubet, ſeparari tertiam partem fructuum, & „ in diſtributiones converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros, divinis intereſſentes dividantur, ut in *cap.* III. *ſeſſ.* XXI. Propterea Sac. Congr. „ poſtea ſemper dixit, in illis Eccleſiis, ubi redditus „ omnes diſtributionibus conſtant, tertiam partem retinere naturam diſtributionum, ita ut non intereſſentes, illam non percipiant: reliquas duas partes ſuccedere in locum præbendæ, & deberi abſentibus ex „ legitima cauſa.

Et num. 125. in terminis abſentiæ cauſa ſtudiorum „ Cum in Eccleſia Anagnina Canonici nullas haberent præbendas diſtinctas, ſed tantum diſtributiones quotidianas, quæ dantur inſervientibus tantum, „ & partim ſunt certæ, ut illæ, quæ ex redditibus Eccleſiæ colliguntur, partim incertæ, ut mortuaria, & „ alia ſimilia: dubitatum fuit, an Canonico abſenti ex „ cauſa ſtudiorum, obtenta legitima licentia, deberentur hæ diſtributiones: Sacra Congr. cenſuit, exceptis incertis illis, & quotidianis diſtributionibus, „ quæ tantummodo inter eos quotidie dividi ſolent, „ qui ſacris interſunt, reliquas debere dari iis, qui, „ obtenta legitima licentia, abſunt ex cauſa ſtudiorum.

In eo autem, quod concernit intereſſentes ad effectum lucrandi tam dictas diſtributiones, quam fructus præbendæ, attendenda eſt ampliatio, quæ huic Decretali acceſſit ex Triden. *cap.* XII. *ſeſſ.* XXIV. *de reform.* præcipiente, ne dum materialem præſentiam, ſed etiam formalem, hymnis nempe, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudando. Sed de hoc fuſius infra dicetur ad *c.* IX. *Dolentes*, Sectione DXCVI.

Prohibitio vero de non gravandis penſionum onere Eccleſias parochiales, quæ legitur in fine ejuſdem hujus Decretalis, innovata eſt a Benedicto XIII. Conſtit. *Quanta*, 8. *Idib. Septembr.* 1724. qua etiam confirmatur edictum Innoc. XII. idem prohibentis.

SECTIO CCCLXXVI.

Caput XXXIII. Exposuisti, *ex Decretali ejuſdem Honorii III. Epiſcopo Veſperinenſi in Hungaria reſcripta.*

Exposuiſti nobis, quod Eccleſiæ tuæ Canonici diminuta ipſorum proviſione a tempore Concilii generalis, cum eis ex tunc non fuerint ad eorum ſuſtentationem conceſſæ capellæ, ſicut ante fieri conſuevit, de redditibus præbendarum ſuarum nequeunt ſuſtentari (& infra.) Si evidens neceſſitas, vel utilitas exigat, præbendas Eccleſiæ tuæ, poteris de capellis in perpetuum annectendis eiſdem (ſicut diſcretione prævia expedire videris) augmentare, reſervata tamen congrua capellarum Presbyteris portione.

Hæc Decretalis, permittens ob paupertatem præbendarum Eccleſiarum cathedralium, poſſe Epiſcopum iis adnectere capellas, ideſt parochiales Eccleſias, abrogata eſt a Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XIII. de reform.* ſtatuente, ne in unionibus, ſive ob redditcum tenuitatem, ſive ob alias cauſas faciendis, parochiales uniantur.

SECTIO CCCLXXVII.

Caput XXXIV. Dilectus, *ex Decretali ejuſdem Honorii, Epiſcopo, Priori, & Archidiacono Maclorienſi in Gallia ſcripta.*

Huic Decretali, quam tranſcribere ommitto, admittenti mandata de providendo, derogatum eſt a Trid. ut notavi ſupra ad caput XXX. *de Elect.* Sectione X.

SECTIO CCCLXXVIII.

Caput XXXVII. Venerabilis, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui reſcripta.*

Venerabilis frater noſter Portuen. Epiſcopus ſupplicavit, ut cum quandam præbendam, quæ in Argentinen. Eccleſia tandiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad Sed. Apoſt. devoluta, I. Clerico contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, ſuam collationem benigno proſequeremur affectu. Verum procurator Argentini capituli propoſuit ex adverſo, quod idem capitulum, hoc audito, conſuetudinem allegans antiquam inviolabiliter obſervatam, juxta quam nullum, niſi nobilem, & liberum, & ab utroque parente illuſtrem, honeſtæ converſationis, ac eminentis ſcientiæ, in ſuum conſortium hactenus admiſerant: ne contra hoc fieret (maxime cum nulla tunc præbenda vacaret, antequam monitorias, vel executorias literas recepiſſet) ad Sedem Apoſt. appellavit (& infra.) Nos igitur attendentes, quod non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deo faciunt, & idoneum ſervitorem, ad cujus regimen non multos, ſecundum carnem nobiles, & potentes elegit, ſed ignobiles, ac pauperes, eo quod non eſt perſonarum acceptio apud ipſum, & vix ad culmina dignitatum (nedum ad præbendas) viri eminentis ſcientiæ valeant reperiri, exceptiones hujuſmodi non duximus admittendas (& infra.) Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus, ſi vobis conſtiterit, prædictam præbendam vacaſſe, quando ipſam dicto I. Epiſcopus contulit memoratus, ipſum ad eam recipi faciatis.

Hæc ſaluberrima ſanctio, qua ſtatuitur, non eſſe repellendos a conſecutione præbendarum, & canonicatuum Clericos ignobiles, alias idoneos, cum juri divino ſit penitus conformis, abrogari quidem nequit contraria conſuetudine; quia tamen hæc in quibuſdam cathedralibus, præſertim Germaniæ, a multis ſeculis viget, nec ita facile tolli poſſit, tolerandam eſſe ait inter cæteros Scriptores, Joannes Molanus, Profeſſor, & Canonicus Lovanienſis *de Vita, & moribus Canonicorum ad Canonicos ſcribens, lib. II. cap. XXIX.* ibi „ Toleranda eſt iſta conſuetudo, ubi, & invaluit, „ & propter nobilitatis potentiam videtur corrigi non „ poſſe. Sed tamen habenda eſt ratio, ut illi demum „ nobiles ad præbendas admittantur, qui nobilitatem „ etiam virtute conſecuti ſunt: Nam ſi tantum ex genere, & majorum progenie nobiles ſint, & eruditio„

„ ac pietas deſint, monſtra erunt, & peſtes in Eccle- „ ſia, ac inani, & futili titulo nobiles “.

Non diſſimilis huic Molani monito eſt ſenſus Fagnani, cum Joanne Monacho, Ancharano, & Geminiano, quorum verba refert in *cap. V. Super ſpecula de Magiſtris num.* 12. ibi, Unde Joan. Monac. *ibidem num.* 1. dicit „ Cum indigentiæ Eccleſiæ ſit ſubvenien- „ dum, ipſa eſt perſonis literatis implenda, non nepo- „ tulis, nec aſinis ferratis, item Ancharan. & Ge- „ minian. *in 2. notab.* dicunt: (nota quia Eccleſia De „ ſumme indiget viris literatis, non porcis, ſeu aſinis „ ferratis, & ob eorum carentiam dicitur ſuſtinere „ jacturam) ut in dicto *cap. Cum ex eo, de Electione* „ *in VI.*

SECTIO CCCLXXIX.

Caput XXXVIII. Cum olim, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX. ignotum, cui ſcripta*

Huic Decretali, quam tranſcribere omitto, admittenti mandata de providendo, derogatum eſt a Trident. ut ſupra notavi ad cap. XXX. *de Elect.* Sectione X.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCLXXX.

Caput II. Licet Ecclesiarum: *ex Decretali Clementis III. alias IV.*

Licet Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere, ita quod non ſolum ipſa, cum vacant, poteſt de jure conferre, verum etiam jus in ipſis tribuere vacaturis: collationem tamen Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, & beneficiorum, apud Sedem Apoſtolicam vacantium, ſpecialius cæteris, antiqua conſuetudo Romanis Pontificibus reſervavit. Nos itaque laudabilem reputantes hujuſmodi conſuetudinem, & eam auctoritate Apoſtolica approbantes, ac nihilominus volentes, ipſam inviolabiliter obſervari, eadem auctoritate ſtatuimus, ut Eccleſias, dignitates, perſonatus, & beneficia, quæ apud Sedem ipſam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacumque ſuper hoc ſit auctoritate munitus, ſive jure ordinariæ poteſtatis ipſorum electio, proviſio, ſeu collatio ad eum pertineat, ſive literas ſuper aliquorum proviſione generales, vel etiam ſpeciales, ſub quacumque forma verborum receperit (niſi ei ſit ſuper conferendis eiſdem in Curia Romana vacantibus, ſpecialis, & expreſſa ab ipſo Pontifice ſummo auctoritas attributa) conferre alicui, ſeu aliquibus non præſumat. Nos enim, ſi ſecus actum, ſeu attentatum fuerit, decernimus irritum, & inane.

Hæc Decretalis moderata eſt a Gregorio X. in Conc. generali Lugdunenſi, ut ex ſequenti Decretali, relata in *cap. III. hoc eodem titulo.*

Statutum fel. recor. Clementis Papæ, Prædeceſſ. noſtri de dignitatibus, & beneficiis in Curia Romana vacantibus, nequaquam per alium, quam per Romanum Pontificem conferendis, decernimus taliter moderandum, ut ii, ad quos eorundem beneficiorum, & dignitatum ſpectat collatio (ſtatuto non obſtante prædicto) demum poſt menſem a die, quo dignitates, ſeu beneficia ipſa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant, tantummodo per ſe ipſos, vel (ipſis agentibus in remotis) per ſuos Vicarios generales, in eorum diœceſibus exiſtentes, quibus id canonice ſit commiſſum.

Verum hæc regula, hic a Gregorio indulta, abrogata poſtea fuit a Bonifacio VIII. qui beneficia in Curia vacantia ſibi reſervavit, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *in cap. I. hoc eod. tit. in Extravagantib. commun.*

Piæ ſolicitudinis ſtudio ducimur, ut dignitates, perſonatus, præbendæ, aliaque beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, quæ apud Sedem Apoſtolicam vacare noſcuntur, perſonis

ſonis conferantur idoneis, per quas in eis debita impendantur obſequia, & Divinorum cultus exerceatur ſolicite in eiſdem. Inde fit, quod nos hujuſmodi dignitates, perſonatus, præbendas, Eccleſias, & alia eccleſiaſtica beneficia, quæ apud Sedem eandem intra unum menſem a data præſentium hactenus in Curia vacaverint, computandum, & quæ ex nunc apud eam vacaverint in futurum, proviſioni Sedis Apoſtolicæ ejuſdem auctoritate Apoſtolica reſervamus: decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus in hac parte ſcienter, vel ignoranter per quemcumque, ſeu quoſcumque, Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, contigerit attentari. Nulli ergo &c.

Ulterius allata Clementis Decretalis declarata, & limitata eſt ob eodem Bonifacio hac ſequenti Decretali, relata in *cap.* XXXIV. *hoc eod. tit. in VI.*

Præſenti declaramus edicto, ſtatutum fel. record. Clementis Papæ Prædeceſſ. noſtri de beneficiis, apud Sedem Apoſtolicam vacantibus, per aliquem per Romanum Pontificem minime conferendis, locum habere in beneficiis, quæ Legati, aut Nuncii Sedis ejuſdem, vel quivis alii ad Rom. Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipſa, obtinere noſcuntur, ſi eos in locis vicinis ipſi Curiæ mori contingat: quemadmodum ſi in loco, ubi eadem Curia reſidet, morerentur. Idem eſt, ſi aliquis Curialis (etiam Eccleſia Romana vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quavis cauſa, ad locum Curiæ vicinum ſecedens, in hujuſmodi loco vicino decedat; dummodo ibi (etiam ſi erat ad ipſam Curiam reverſurus) ejus domicilium, ſeu domus propria non exiſtat. Loca vero intelligantur vicina eidem Curiæ in præmiſſis, quæ remota ultra duas dietas legales (quas hoc caſu ſic ſpecialiter volumus computari) a loco, ubi moratur ipſa Curia, non exiſtunt. Sane, ſi quis in loco, ubi degit Curia, ſuæ originis domum habens, diem claudat extremum in ea, ipſius beneficia ſub prædicto non aliter includantur ſtatuto, quam ſi Curialis eſſet antea, & ibidem occaſione Curiæ moraretur. Porro cum Curiam de loco ad locum transferri contigit, si Curiales in itinere (dum Curiam ſequuntur eandem) vel in loco, unde recedit ipſa Curia, forſitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmiſſum ſtatutum (quantumcumque locus, ubi decedunt, ab ipſa Curia sit remotus) ad illorum beneficia ſe extendit.

Si vero agatur de parochialibus vacatis ante vacationem Sedis papalis, & hac adhuc vacante, non collatis, & vacantibus intra tempus vacationis ejuſdem Sedis, idem Bonifacius limitavit tranſcriptam Decretalem Clem. III. *Licet* II. & Decret. Gregorii X. *Statutum* III. ſtatuens, non obſtante reſervatione, conferri poſſe ab eis, ad quos illas conferendi jus pertinet, ut ex ſequenti Decretali, relata in cap. XXXV. *hoc eod. tit.*

Si, Apoſtolica Sede vacante, aliquas parochiales Eccleſias vacare de cætero contigerit apud ipſam, ſtatuimus, ut de eis (ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos, ad quos pertinet, poſſit libere ordinari, Conſtitutione fel. record. Clementis Papæ Prædeceſſ. noſtri de beneficiis, apud Sedem ipſam vacantibus, per alium, quam per Rom. Pontificem minime conferendis, vel alia quavis contraria ſuper hoc edita non obſtante. Idem volumus, & de illis, quæ ibidem, ipſo Romano Pontifice vivente, vacabunt, ſi de ipſis per eum ante ipſius obitum non fuerit ordinatum.

Item hæc eadem reſervatio legitur in Decretali Benedicti XII. relata in cap. XIII. *Ad regimen. hoc eod. tit. in iiſdem Extravag. commun.* in qua inſuper, nedum reſervantur proviſioni Sedis Apoſt. beneficia Curialium, & aliorum, ad Curiam accedentium, per eorum obitum vacantia, ſed etiam ab ea recedentium, ſi moriantur in locis, ultra duas dietas legales ab eadem Curia non diſtantibus: quæ Decretalis ſemper confirmatur per quemlibet Pontificem, ut ex ſequenti regula prima Cancelleriæ.

In primis fecit eaſdem reſervationes, quæ in Conſtitutione felic. recordat. Benedicti Papæ XII., quæ incipit *Ad regimen*, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamſi officiales, in eadem Conſtitutione expreſſi, Apoſtolicæ Sedis officiales ante obitum eorum eſſe deſierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo officiales erant, obtinebant, declarans nihilominus beneficia, quæ dictæ Sedis officiales, qui ratione officiorum ſuorum hujuſmodi ejuſdem Sedis notarii erant, etiam dimiſſis ipſis officiis, & quandocumque aſſecuti fuerint, ſub hujuſmodi reſervationibus comprehendi; ac reſervavit beneficia, quæ per Conſtitutionem piæ mem. Joan. PP. XXII. incipien. *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerit: quam Conſtitutionem, & reſervationem S. Sua tam ad beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarii,

rii, & alii collatores contra Conc. Triden. decreta diſpoſuerunt, & diſponent in futurum, extendit, & ampliavit, & ea etiam beneficia omnia diſpoſitioni ſuæ reſervavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios collatores, contra ejuſdem Concilii decretorum formam diſpoſitum fuerit, decernens irritum &c.

SECTIO CCCLXXXI.

Caput IV. Quamvis, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

SECTIO CCCLXXXII.

Caput V. Cum de Beneficio, *ex Decretali dicti Bonifacii.*

His duabus Decretalibus, quas transſcribere omitto, admittentibus mandata de providendo, derogatum eſt a Conc. Trid. ut notavi ſupra ad caput XXX. *de Elect.* Sect. X.

SECTIO CCCLXXXIII.

Caput VI. Super eo, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

Super eo, quod præbendas, quibus parochiales Eccleſiæ ſunt annexæ, in quibus ſpiritualem juriſdictionem ſecundum Eccleſiæ veſtræ conſuetudinem approbatam, & sic ſecundum aliquorum interpretrationem curam animarum habetis ſimul cum perſonatibus (quorum aliquibus cura imminet animarum) in eadem Eccleſia obtinetis, vobis (cum hoc generali Concilio non obviet) diſpenſatio neceſſaria non exiſtit.

Hæc Decretalis, permittens, habentem perſonatum, ſimul habere poſſe abſque diſpenſatione præbendam, etiamſi annexam habeat parochialem Eccleſiam, abrogata eſt a Conc. Triden. *cap.* XVII. *ſeſſ.* XXIV. *de reform.* prohibente, nedum hujuſmodi ſimultaneam retentionem, ſed etiam quorumcumque beneficiorum, ſimplici excepto, ad honeſtam ſuſtentationem collato, dummodo perſonalem reſidentiam non requirat.

SECTIO CCCLXXXIV.

Caput VII. Eum, cui *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

Eum, cui Canonicatus alicujus Eccleſiæ a Sede Apoſtolica eſt collatus, licet nondum ſit in ea receptus, decernimus in aſſecutione præbendæ (juxta ſuæ proviſionis ordinem) omnibus præferendum, quibus poſtmodum in ipſa Eccleſia ſimilis gratia eſt conceſſa: licet iſti primo ſuas literas præſentaverint, & primo recepti fuerint in eadem.

Declarat hic Pontifex, pro beneficii conſecutione attendam eſſe prioritatem date literarum Apoſtolicarum, & aſſecutionis tituli, non vero prioritatem præſentationis earumdem literarum, aut receptionis in Eccleſia, & poſſeſſionis obtentæ.

Verum hodie ex Regula XVII Cancelleriæ, etiam in concurrentibus in data ejuſdem diei, præferendus eſt, qui primo literas præſentavit, ibi.

Item voluit, quod de concurrentibus in data ejuſdem diei, ſuper vacantibus, ſeu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiæ, motu proprio, conceduntur, cæteris ſimili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus, ac inter perſonas alias in Curia præſentes, abſentibus ab ea, ac inter præſentes non beneficiati beneficiatis, & ſimiliter inter abſentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, & diœcæſanus, non diocæſano; in reliquis vero ſinguli, qui prius Apoſtolicas deſuper literas eorum executoribus præſentaverint, aliis in ipſorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum aſſecutione præferantur.

Præ-

Præterea ex Conſtitutione Julii III. *Sanctiſſimus*, (quæ eſt la XXXIII. *in* ordine, in Bullario Cherubini, quamque refert Azor. par.II. lib. VII. cap I. quæſt.2. per ſolam ſupplicationem ſignatam, ſubſcriptionem nempe Papæ cum clauſula -- *Placet* -- vel -- *Fiat*, *ut petitur* -- literis non expeditis, nullum acquiritur jus: declarat enim Pontifex, ut impetrantes beneficia a Sede Apoſtolica titulo collationis, vel confirmationis, aut unionis, aut alio, ſi ante literas expeditas dictorum beneficiorum poſſeſſionem apprehenderint per ſe, vel per alium, aut ratam habuerint, per alium ſuo ipſorum nomine apprehenſam, ſint ipſo facto privati omni jure in dictis beneficiis quæſito, & hæc remaneant Pontifici reſervata, & una cum fructibus, etiam in conſcientiæ foro dimittere, & reſtituere teneantur, ut non ſuffragetur eis regula *de Triennali*, & fiunt inhabiles ad illa eadem per novam proviſionem obtinenda.

Notat tamen *Theſaurus de Panis Eccleſiaſt. c.IV. verbo Gratia*, hanc Conſtitutionem non loqui de Epiſcopatibus, ſed de beneficiis inferioribus, & quod -- Iſtæ „ pœnæ non incurruntur, quoties non proceditur cum „ mala fide, ſed ex conſcientia bona: ideo tunc ſuf„ fragabitur regula *de Triennali* . . . . fructus tamen „ ante literarum expeditionem percepti reſtituendi „ erunt, niſi præſcripti ſint ".

S E C T I O C C C L X X X V.

CAPUT VIII. SI PRO CLERICIS, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

SI pro Clericis pauperibus, vel aliis noſtras literas, ut eis de beneficiis provideas, etiamſi animarum cura ſit annexa eiſdem, recipere te contingat: ipſis (licet nec in ſacris ſint conſtituti Ordinibus, nec de defectu Ordinum in eiſdem literis mentio habeatur) poteris de beneficiis, curam habentibus, licite providere. nec prætextu dicti defectus tua poterit proviſio impugnari. Oportebit tamen, ut ipſi ad Ordines, quos requirunt collata eis beneficia, ſe faciant in proximis, ſtatutis a jure temporibus, promoveri.

Hæc Decretalis, in qua declarat Bonifacius, ut, ſi quando mandatur a Papa alicui provideri de beneficio, etiam curato, provideri poſſit, licet non habeat Ordinem requiſitum, dummodo ad illum in proximia temporibus, a jure ſtatutis, promoveatur, ampliata eſt a Conc. Trid. *cap.* IV. *ſeſſ.*XXII. *&* *cap.* XIV. *ſeſſ.* XXIV. *de reform.* ſtatuente, promoveri debere non intra terminum decurrendum uſque ad proxima tempora, ſed intra annum.

Notat hic Wagnerek, ad obtinendos Canonicatus Germaniæ „ nec Sacros Ordines, neque minores re„ quiri, ſed ſufficere ſolam primam Tonſuram.

Idem valere de Canonicatibus Eccleſiarum collegiatarum, docet Benedictus PP. XIV. *de Synod. Diac. lib.* XIII. *cap.*IV. *num.*5. quando fundatio Canonicatus, vel propriæ Conſtitutiones, aut neceſſitas ſervitii propriæ Eccleſiæ aliter non exigunt. Nam jus commune pro eis aliud non requirit, præter ætatem annorum quatuordecim, & clericalem Tonſuram, ut inter alios late probat Pyrrhus Corradus *in Prax. Beneſic. lib.*II. *cap.*XII. Hinc Sac. Congr. Conc. *in Romana juris interesſendi capitulo, & percipiendi diſtributiones*, declaravit die 18. Maii 1686. quoad Canonicos Eccleſiæ collegiatæ S.Mariæ in Coſmedin de Urbe, eos compelli non poſſe ad Subdiaconatus Ordinem ſuſcipiendum; proindeque, etiamſi in ſacris Ordinibus conſtituti non eſſent, eoſdem, ſervitium chori peragendo, diſtributiones recte lucrari; ut loc. cit. refert Benedictus XIV. Eidem tamen Decretali, admittenti mandata de providendo, derogatum eſt a laudato Concilio, ut notavi ſupra ad *cap.*XXX. *de Elect.* Sect.X.

S E C T I O C C C L X X X V I.

CAPUT IX. SI CUM, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

S E C T I O C C C L X X X V I I.

CAPUT X. MANDATO, *ex Decretali ejuſdem*.

S E C T I O C C C L X X X V I I I.

CAPUT XI. SI CLERICUS, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCLXXXIX.

Caput XII. Hi, qui, *ex Decretali ejuſdem.*

SECTIO CCCXC.

Caput XIII. Si postquam, *ex Decretali ejuſdem.*

SECTIO CCCXCI.

Caput XIV. Dudum, *ex Decretali ejuſdem.*

SECTIO CCCXCII.

Caput XV. Quia sæpe, *ex Decretali ejuſdem.*

SECTIO CCCXCIII.

Caput XVI. Cum in illis, *ex Decretali ejuſdem.*

His octo Decretalibus, admittentibus mandata de providendo, derogatum eſt, ut ſupra.

SECTIO CCCXCIV.

Caput XVIII. Eum, qui, *ex Decretali laudati Bonifacii.*

EUM, qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, ſeu ſe ſcienter injuſte intrudit in eo, decernimus ipſo jure fore privatum beneficio, quod cum cura ſimili primitus obtinebat. Non enim decet, ut ſtultus melioris, quam peritus, conditionis exiſtat, vel quod invaſor eo, qui juſte ingreditur, privilegio gaudeat potiori. Inſuper, ut violenti, qui auctoritate (vel verius temeritate) propria occupare dignitates, perſonatus, aut alia quæcumque eccleſiaſtica beneficia non verentur, & ſi non virtutis amore, pœnæ ſaltem formidine, a ſuæ temeritatis audacia refrenentur, eo ipſo jus, ſi quod in dignitatibus, perſonatibus, & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipſis forſitan competebat, amittant.

Privatio primi beneficii curati, quam ex hac Decretali ipſo facto incurrit, vi occupans, ſeu ſe ſcienter injuſte intrudens in ſecundum ſimile, extenſa eſt a Conc. Triden. *cap.* IV. *ſeſſ.* VII. *de refor.* ad ſimultaneam retentionem alterius cujuſcumque ſecundi incompatibilis.

Præter privationem vero, incurrit etiam ex eodem Triden. *cap.* XI. *ſeſſ.* XXII. *de refor.* excommunicationem latæ ſententiæ, Papæ reſervatam; & ulterius excommunicationem, latam in Bulla Cœnæ cap. XVII. cujus textum leges infra in calce hujus Operis, ſtrictius Papæ itidem reſervatam, ſi fructus aliquos, vel proventus ejuſdem beneficii, in quod ſe intruſit, perceperit.

Hanc excommunicationem etiam incurrere tenet cum Mario Alterio Suarez, Navarro, Sayro, & Filiucio *Theſaurus de Pæn. eccleſiaſt. cap. I. verbo Intruſio*, ſe intrudentem, ſeu uſurpantem beneficium, in quo ſint fructus pendentes, ſicuti etſi uſurpet beneficium vacans, ſeu illius fructus.

Nota cum eodem Theſauro loc. cit. quod intruſus omnimoda intruſione, ideſt non proviſus a legitimo collatore, ſeu proviſore, non juvatur, quoad retentionem talis beneficii, regula *de Triennali*, ut apparet ex ipſa regula XXXVI. Cancelleriæ, ubi iſta regula ſolum ſuffragatur pacificis poſſeſſoribus ex titulo per proviſionem Apoſtolicam, vel ordinariam ab eis factam, ad quos talis beneficii proviſio pertinebat: iſte enim in pœnalibus proprie dicitur intruſus, & de eo ſolo leges pœnales intelligendæ ſunt, ut de communi teſtatur *Gomez in dict. regula de Trienn. q. 47. in fine, & quæſt.*48. Alii autem intruſi, habentes ſcilicet titulum coloratum, ſeu vitiatum ex aliqua alia cauſa, ut ob irregularitatem, vel cenſuram, vel ob delictum, inducens privationem ipſo jure &c. fruuntur regula *de Triennali*, ſi non ſit tale beneficium reſervatum diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ ex reſervatione generali, in corpore juris clauſa, ut patet ex eadem regula: & ita *Gomez loc. cit. quæſt.*47. *Sanch. Conſiliorum lib. II. c. I. dubio* 31. *num.*20.

SE-

SECTIO CCCXCV.

Caput XXIII. Si apostolicæ, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

SECTIO CCCXCVI.

Caput XXIV. Si pluribus, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCXCVII.

Caput XXV. Cum in Eccleſia, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCXCVIII.

Caput XXVII. Cui de non Sacerdotali, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCXCIX.

Caput XXIX. Ei cui, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCC.

Caput XXX. Si pauper, *ex Decretali ejuſdem*.

SECTIO CCCCI.

Caput XXXVI. Si cui, *ex Decretali ejuſdem*.

His ſeptem Decretalibus, admittentibus mandata de providendo, derogatum eſt a Trid. ut ſupra notavi ad *cap. XX. de Elect.* Sectione X.

SECTIO CCCCII.

Caput XXXVII. Si Epiſcopus, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

Si Epiſcopus, cui, nullis perſonis expreſſis, in genere commiſiſti, ut vice tua Ordines in tua diœceſi celebraret, ad Sacros Ordines promoverit quempiam, titulum non habentem: ei (cum in culpa fuerit taliter ordinando eundem (tenebitur vitæ neceſſaria miniſtrare, donec ſibi per eum, vel alium de competenti beneficio ſit proviſum. Si vero certas commiſiſti eidem ordinare perſonas, tu (qui prævidere hoc caſu, an haberent titulum debuiſti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te beneficiatus fuerit, obligatus exiſtis. Eis autem, quibus a Diœceſanis datur licentia, ut poſſint, a quo voluerint, Epiſcopo, ad omnes ſacros Ordines promoveri, non qui ordinant, ſed qui tribuunt licentiam (cum eam dare non debeant, titulum non habenti) ad præmiſſa, ſi titulum non habeant, obbligantur.

Hæc Decretalis, duas habet partes, in quarum prima Bonifacius definit, ad quem Epiſcopum ſpectet miniſtrare neceſſaria ordinato in ſacris abſque titulo, quando Epiſcopus proprius commiſit alteri Epiſcopo ordinationem ejuſdem. Pro ſolutione cujus difficultatis ſic Pontifex diſtinguit. Si commiſit ordinationem, in genere, nullis perſonis expreſſis, ſpectat ad illum qui non habentem titulum ordinavit; in hoc enim caſu iſte tenebatur inquirere, an omnes ab ipſo ordinandi haberent omnia neceſſaria requiſita, inter quæ ſufficiens titulus computatur. Proinde cum per culpabilem hujuſce inquiſitionis omiſſionem fuerit in cauſa, quod iſte non habens titulum, ordinaretur, ipſe tenetur hunc alere, quouſque non eſt aliunde ſufficienter proviſus. Si vero eidem commiſit ordinare certas perſonas, inter quas erat non habens titulum requiſitum, in hoc caſu illum alere ſpectat ad proprium Epiſcopum committentem; eo quia hic prævidere debebat, an ſingulæ perſonæ deſignatæ haberent omnia neceſſaria requiſita, & præſertim titulum, ob cujus præviſionis omiſſionem ipſe propterea fuit cauſa culpabilis, quod etiam talis ordinaretur.

Altera pars in eo ſita eſt, quod cum Diœceſani, hoceſt proprii Epiſcopi, non debeant dare licentiam carentibus titulo, ut poſſint ad omnes ſacros Ordines promoveri ab eo, quem voluerint, Epiſcopo, ſi aliquibus eo carentibus hanc conceſſerint, tunc ad ipſoſmet proprios Epiſcopos ſpectat, & non ad Ordinantes, ſic ordinatos alere, quouſque hi aliunde habeant, unde vivere.

Verum circa hanc Decretalem plura notanda ſunt. Et quidem I. quod ex præcepto *Trident. ſeſſ. XXIII. de refor. cap. III.* Epiſcopi per ſemetipſos debent Ordines conferre, niſi fuerint aliquo impedimento detenti, quod Concilium videtur reſtringere ad ægritudinem: — *quod ſi ægretudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant* —. Cæterum quodlibet aliud legitimum impedimentum ad id ſufficere, declaravit S. ejuſdem Conc. Cong. in una *Calaguritan. die* 25. *Auguſti* 1592. II. legitimum illud Epiſcopi impedimentum requiri (etſi ordinandi habeant titulum ſufficientem, nec iſtis deſit ullum requiſitum) ad hoc, ut poſſint ad alium Epiſcopum dimitti. III. mittendos eſſe cum dimiſſorialibus ſimul, ac teſtimonialibus de eorum vitæ, ac morum, probitate, quod nulla cenſura, vel impedimento ſint irretiti; quod fuerint examinati, ac probati, hoceſt idonei reperti: quo non obſtante, Epiſcopus ordinans poteſt eos iterum examinare ſed non tenetur, ut declaravit S. Cong. Conc. in Verulana, 17. Jan. 1693.

Et hic adverte, quod ſi quis ex ordinandis abſens fuerit per plures annos a loco proprii Ordinarii, informatio de ejus vita, & moribus habenda eſt a loco, in quo fuit verſatus, ut declaravit S. Cong. Conc. apud Galemart ad *ſeſſ.* XXIII. *cap.* VIII. *n* 4. Et ſi ordinandi abſentes fuerint, eorum examen committi poterit Ordinario loci, in quo illi degunt, S. C. C. apud cit. Galemart ad *ſeſſ.* VII. *cap.* XI.

Reliqua circa titulum requiſitum in promovendis ad ſacros Ordines, vide ſupra in cap. *Non liceat, II. de Præben.* Sect. CCCLX.

S E C T I O C C C C I I I.

CAPUT XXXVIII. QUAMVIS, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

S E C T I O C C C C I V.

CAPUT XXXIX. SI IS, *ex Decretali ejuſdem.*

S E C T I O C C C C V.

CAPUT XL. QUODAM, *ex Decretali ejuſdem.*

S E C T I O C C C C V I.

CAPUT XLI. MANDATUM, *ex Decretali ejuſdem.*

Eodem

Digitized by Google

SECTIO CCCCVII.

CAPUT I. SI DIGNITATEM , *ex Decretali Clementis V. in Conc. generali Vienuenſi, celebrato an 311. in Gallia* .

His quinque Decretalibus , admittentibus mandata de providendo, derogatum eſt , ut ſupra notavi ad *cap. XXX. de Elect.* Sectione X.

SECTIO CCCCVIII.

CAPUT II. PER LITERAS , *ex Decretali ejuſdem Clementis* .

PEr literas , a Sede Apoſtolica , vel Legati ipſius ſuper proviſione quorumlibet Clericorum directas, de Xenodochiis , leproſariis , eleemoſynariis, ſeu hoſpitalibus (etiamſi Eccleſias , vel capellas , decimas , aut alia ſpiritalia jura noſcantur habere (nulli poſſe decernimus provideri : niſi hoc in Apoſtolicis literis caveatur expreſſe .

Hæc Decretalis confirmata eſt in ſeſſ. IX. Concil. generalis Lateranenſis V. inchoati an. 1512. ſub Julio II. & Clauſi an. 1517. ſub Leone X. per hæc verba , prout referuntur *in VII. Decretalium Clementis VIII. hoc eod. tit. pag.46.*

Statuimus , ut de cætero parochiales Eccleſiæ , ac dignitates majores , & principales, aliaque beneficia eccleſiaſtica, quorum fructus , redditus, & proventus ducentorum ducatorum auri de Camera , ſecundum communem eſtimationem valorem annuum non conſtituunt , vel attingunt , necnon hoſpitalia , leproſariæ , Xenodochia, cujuſcumque valoris , quæ ad pauperum uſum , & alimoniam inſtituta ſunt S. R. E. Cardinalibus non commendantur , aut alio quovis titulo conferantur .

Quatenus vero admittit mandata de providendo , obnoxia eſt abrogationi , ut ſupra .

SECTIO CCCCIX.

CAPUT VI. SI JUXTA , *ex Decretali laudati Clementis V.*

Huic Decretali, admittenti mandata de providendo , derogatum eſt , ut ſupra .

Titu-

SECTIO CCCCX.

Caput I. Cum percussio, *ex Decretali Gregorii, Urbevetano Epiſcopo ſcripta.*

CUM percuſſio corporalis (& infra.) Fraternitatem tuam hortamur, quatenus latorem præſentium ad percipienda, quæ conſueta ſunt, ab Eccleſia tua, ægritudo ſua non debeat impedire: quia ſi alii ejus eſſent exemplo deterriti, forte non poſſet, qui militaret Eccleſiæ, inveniri: ſed ſecundum ejus ordinem quæcumque ei, ſi ſanus eſſet, poterant miniſtrari, de ipſa exiguitate, quæ Eccleſiæ poteſt accedere, fraternitas tua præbeat ægrotanti.

Hæc Decretalis, ſtatuens beneficiatum reſidentiæ lege obſtrictum, infirmitate laborantem, percipere debere integros ſui beneficii fructus, ampliata eſt a Bonifacio VIII. *cap. unico Conſuetudinem, de Cleric. non reſid. in VI.* declarante percipere etiam debere diſtributiones quotidianas, acſi eſſet præſens, nedum ſi non reſideat ob corporis infirmitatem, ſed etiam ob evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem, ut fuſe jam ſupra expoſui, Sectione CCCLVIII. ubi Bonifacianæ Decretalis textum habes.

SECTIO CCCCXI.

Caput III. De rectoribus, *ex Decretali Lucii III. Epiſcopo Linconienſi, in Gallia ſcripta.*

DE rectoribus Eccleſiarum lepræ macula, uſque adeo infectis, quod Altari ſervire non poſſunt: nec ſine magno ſcandalo eorum, qui ſani ſunt, Eccleſias ingredi, hoc volumus teneré, quod eis dandus eſt Coadjutor; qui curam habeat animarum; & de facultatibus Eccleſiæ ad ſuſtentationem ſuam congruam recipiat portionem.

Præcipit hic Pontifex, aſſignandam eſſe congruam portionem de redditibus Eccleſiæ parochialis, Coadjutori, qui dandus eſt parocho lepræ infecto, ut ipſius vice curam animarum gerat: cumque nihil ſtatuat, quanta hæc portio eſſe debeat, taxanda eſt arbitrio Epiſcopi, eo pari modo, quo Trid. *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de reform.* declaravit de Vicario, deputando in parochiali Eccleſia vacante, donec novus Rector inſtituatur.

Qui ſane coadjutor cum eadem congrua ex decreto ejuſdem Triden. *cap. VI. ſeſſ. XXI. de reform.* nedum dandus eſt parocho leproſo, ſed etiam illiterato, & imperito.

An autem hujuſmodi portio referenda ſit ad ſolam ipſius coadjutoris ſuſtentationem, quotam, vel qualitatem, aut ad annuum Eccleſiæ valorem, ſeu redditum, Fagnanus in hoc eodem cap. num. 10. refert S. Cong. Conc. declaraſſe ad hæc omnia eſſe referendam.

Quod ſi quæras, an prius providendum ſit Coadjutori, vel parocho ægrotanti, quando redditus Eccleſiæ non ſufficiunt ad honeſtam utriuſque vitæ ſuſtentationem, ſentio præferendum eſſe parochum „ Alioquin „ (ut optime animadvertit idem Fagnan. *loc. c. n. 12.*) „ ſi ægroto ſubtraherentur ſtipendia, hoc exemplo „ deterriti, non invenirentur, qui vellent Eccleſiæ militare, ut legitur in dicto cap. I. (jam ſupra tranſcripto) & ita ex hoc videretur perturbari ſtatus „ eccleſiaſticus, nedum præſens, ſed etiam futurus.

Imo neque poſſet compelli ad aſſignandum congruum ſtipendium Coadjutori ante deducta alimenta ad propriam ſuſtentationem neceſſaria; ut declaravit etiam Cong. Conc. *in Albinganen. Parochialium, 1. Septembris 1663. lib. Decretor. XXV. pag. 594.*

In hoc igitur caſu cura erit Epiſcopi parochianos cogere ad ſubminiſtranda alimenta Coadjutori, eo pari modo, quo eos cogere debet ex declaratione ejuſdem Cong. *in Novarien. & Cremonen. lib. III. Decretor. pag. 35. & 49.* quando juxta decretum Trident. *cap. IV. ſeſſ. XXI. de reform.* ob numeroſitatem populi, dandus eſt illi Coadjutor, ſi per ſe ſolum non ſufficiat animarum curam exercere: vel quando erigenda eſt nova parochia, ne propter locorum diſtantiam parochiani cogantur cum magno incommodo accedere ad Eccleſiam parochialem pro Sacramentorum receptione, prout infra dicetur in additionibus ad *cap. III. Ad audientiam, de Eccleſiis ædifican.* Sect. DCXVIII.

SECTIO CCCCXII.

Caput IV. Tua nos, *ex Decretali Clementis III. Lingonienſi Epiſcopo, juxta Cujacium, reſcripta.*

TUA nos duxit Fr. conſulendos (& infra.) De Sacerdote, qui divino judicio lepræ morbo repercuſſus, in paræciali Eccleſia prælationis officio fungitur, dicimus, quod pro ſcandalo, & abominatione populi, ab adminiſtrationis debet officio removeri, ita quod juxta facultates Eccleſiæ ſibi neceſſaria, quamdiù vixerit, miniſtrentur.

Statuerat Lucius III. in ſupra tranſcripta Decretali, dandum eſſe parocho, lepra infecto Coadjutorem, qui loco ſui curam gerat animarum, cum aſſignatione congruæ portionis ex Eccleſiæ redditibus deſumenda; nihil de alimentis eidem parocho miniſtrandis diſponens; Clemens vero nulla in hac Decretali facta expreſſa mentione Coadjutoris, removendum eſſe præcipit præfatum parochum ab adminiſtrationis officio: ita tamen, ut ei quamdiù vixerit, neceſſaria, juxta Eccleſiæ facultates, miniſtrentur.

Circa hæc alimenta, ſi Eccleſiæ redditus non ſufficiant pro ſuſtentatione tam parochi, quam Coadjutoris, recurrunt jam mox dicta. Verum, quod ſpectat ad remotionem adminiſtrationis ab officio, hæc Clementina ſanctio, juxta communem Canoniſtarum ſenſum, intelligenda eſt de actuali adminiſtratione, non habituali quoad titulum, Fagnan. in *cit. cap. III. de Rectoribus, num. 7. & 34.* ad cujus tituli ceſſionem cauſa morbi, ne compelli quidem poteſt, ut de Epiſcopo, morbo laborante, reſpondit Innocentius III. Archiepiſcopo Arelatenſi, prout ex ſequenti ejus Decretali.

SECTIO CCCCXIII.

Caput V. Ex parte, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo Arelatenſi reſcripta.*

EX parte tua fuit propoſitum, quod cum Auraſienſis Epiſcopus gravi morbo, & incurabili, fere per quadriennium laboravit, ita quod paſtorale officium non poteſt ullatenus exercere, Princeps Terræ illius, ac cives civitatis ejuſdem a te poſtulant inceſſanter, ut ipſis (cum ſis Metropolitanus eorum) ſtudeas providere. Verum, cum ipſum ad ceſſionem compellere non poſſis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio ſit addenda, imo potius ipſius miſeriæ miſerendum, eo quod idem vir bonus extiterit, & Eccleſiam ſalubriter ſibi commiſſam gubernaverit: nos volentes tam Epiſcopo, quam Eccleſiæ providere, mandamus, quatenus illi Coadjutorem aſſocies virum providum, & honeſtum, per quem tam Epiſcopo, quam populo utiliter conſulatur.

In hac Decretali ſtatuitur, Epiſcopum, incurabili morbo laborantem non poſſe, nec debere compelli ad cedendum Epiſcopatui, ſed ei dandum eſſe Coadjutorem, & quidem ab Archiepiſcopo, ſi agatur de ejus Suffraganeo, quemadmodum nonnulli inferendum eſſe cenſuerunt ex illis verbis — *Cum ſis Metropolitanus eorum.*

Verum hæc illatio eſt penitus inſubſiſtens, cum iſte Archiepiſcopus non auctoritate ordinaria, ſed tamquam Papæ delegatus, Coadjutorem dederit, ut patet ex præcepto, ei injuncto de Coadjutore providendo.

At concesſa etiam hujuſmodi illatione, ſive id olim de jure competierit Archiepiſcopo, ſive de conſuetudine, hodie utrumque prohibitum eſt a poſteriori Decretali Bonifacii VIII. relata in *cap. unico, Paſtoralis, hoc eod. tit. in VI.* in qua ſtatuitur, ad ſolum Papam id pertinere.

Paſtoralis officii debitum exequentes, declaramus, atque ſtatuimus, Coadjutorum Epiſcoporum, & ſuperiorum Prælatorum dationem intelligendam eſſe de cauſis majoribus, & referendam ad Sedem Apoſtolicam, ac ab ea (conſuetudine non obſtante contraria) tantummodo poſtulandam. Verum, ne hoc prætextu Eccleſiæ (exiſtentes præcipue in remotis) diſpendia patiantur: nos earum in hac parte indemnitatibus præcavere volentes, hac generali Conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopus, ſenio, aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium ſuum nequeat exercere, poſſit de ſui conſilio, & aſſenſu capituli, vel majoris partis ipſius, unum, vel duos auctoritate Apoſtolica Coadjutores aſſumere ad dictum officium exequendum. Si vero Epiſcopus demens fuerit, & quid velit, aut nolit exprimere neſciat, vel non poſſit; tunc ejus capitulum, vel duæ ipſius partes eadem auctoritate unum, aut duos Coadjutores aſſumant idoneos, qui ejus officium exequantur. Si autem Epiſcopus, ſenio, aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad ſui

executio-

executionem officii reddatur inutilis, & Coadjutorem aſſumere, vel habere noluerit, licet a capitulo requiſitus proprio, ſe illius non indigere ſuffragio forſitan aſſerendo; tunc nihil per capitulum innovetur, ſed hoc caſu, & etiam proximo, idem capitulum Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ conditionem, & ſtatum, ac facti circumſtantias univerſas, quam cito poterit, fideliter, & explicite referat ad notitiam dictæ Sedis, recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod ſuper hoc per Sedem ipſam contigerit ordinari. Præſenti quoque adjicimus ſanctioni, ut Coadjutores hujuſmodi de proventibus Prælatorum, in quorum aſſumentur auxilium, ſumptus recipiant moderatos: ab alienatione qualibet de bonis eccleſiaſticis Prælatorum ipſorum, vel Eccleſiarum ſuarum, quomodolibet facienda, penitus abſtinentes: rationem non ſolum in diſtricto examine, ſed & Prælatis eiſdem (ſi ſanæ mentis extiterint) ac capitulis eorumdem, ſeu etiam ipſorum Prælatorum ſucceſſoribus (ſi hoc antea non fecerint) plenariam reddituri. Cæterum quod de Epiſcopis præmittitur, ad ſuperiores etiam Prælatos eſſe volumus, & intelligimus referendum.

Verum hodie Sedes Apoſtolica ex ſe ſola providet de Coadjutore, etiam ſine conſilio, & aſſenſu capituli.

Titulus VII. De Inſtitutionibus.

SECTIO. CCCCXIV.

CAPUT I. NON AMPLIUS, *ex Decretali, deſumpta a Can. VIII. Concilii Arelatenſis VI. celebrati ſub Leone III. an.* 813.

NON amplius ſuſcipiantur in monaſterio Monachorum, aut Clericorum, ſeu etiam puellarum, quam quot ſe regere de bonis Eccleſiæ abſque penuria poſſint.

Quid novi acceſſerit ſaluberrimo hujus Decretalis ſtatuto, tam ex Conc. Triden., quam ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, dicetur infra *par. II. cum de cap. III. ſeſſione XXV.*

SECTIO CCCCXV.

CAPUT V. AD DECOREM, *ex Decretali Innocentii III. Petro, tituli Sancti Marcelli, & Benedicto, tituli Sanctæ Suſannæ, Presbyteris Cardinalibus, Sedis Apoſtolicæ Legatis per Orientem ſcripta.*

AD decorem (& infra.) Sicut noſtris auribus eſt ſuggeſtum, Conſtantinopolitanus Patriarcha aliarum nationum Clericos ſpernens, venetos tantum in conſtantinopolitanis Eccleſiis ſatagit collocare, non attendens, quod in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario poſſideri. Quocirca mandamus, quatenus moneatis eundem, ut viros literatos, & alios idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Eccleſiis, & maxime in majori, inſtituere non poſtponat; alioquin indignum ſe reddet, ut vos aliarum Clericos nationum ad ejus obedientiam compellatis. Nec diſſimulare poteſtis, quin hoc noſtris auribus intimetis, ut ex hoc ipſo, an verum ſit, quod ſuper hoc Venetis dicitur promiſiſſe, conjicere valeamus.

Ex hac Decretali clare infertur, quarumcumque nationum Clericos, alias literatos, & idoneos, admitti poſſe, ac debere ad quaſcumque Eccleſias: & hoc quidem de jure communi, ut evitetur acceptio perſonarum, a jure divino reprobata.

Quid autem in aliquibus diœceſibus variarum nationum circa exterorum inſtitutionem ad Eccleſias, & beneficia ſervetur, videnda erunt indulta, a Sede Apoſtolica conceſſa: videnda inſuper notata ſupra ad *cap. XXXVII. Venerabilis, tit. de Praebend.* Sectione CCCLXXVIII.

Titu-

SECTIO CCCCXVI.

CAPUT I. QUI IN VIVORUM, *ex Decretali Gelaſii Papæ I. deſumpta ab ejuſdem Epiſtola VI. ad Epiſcopos Dardaniæ, juxta Gonzalez,*

QUi in vivorum Sacerdotum loco ponuntur, hoc ipſo ſunt ab eccleſiaſtica commmunione pellendi, quo ſe paſſi ſunt ſucceſſores, vivis Sacerdotibus, adhiberi,

Huic Decretali, prohibenti, ne beneficium, a beneficiato, adhuc vivente poſſeſſum, alteri conferatur, acceſſit Regula XXI. Cancelleriæ, qua annullatur illius proviſio, etiam per novam ſupplicationem factam poſt obitum poſſidentis, ibi,

Item, ſi quis ſupplicaverit ſibi de beneficio quocumque, tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante, provideri, & poſtea per obitum ejus vacet, proviſio, & quævis diſpoſitio, etiam vigore alterius novæ ſupplicationis, vel gratiæ dicto ſupplicanti per obitum hujuſmodi denuo faciendæ, nullius ſint roboris, vel momenti.

SECTIO CCCCXVII.

CAPUT II. NULLA, *ex Decretali deſumpta a cap. VIII. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

NUlla eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam beneficia, vel Eccleſiæ tribuantur alicui, ſeu promittantur, antequam vacent, ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cum enim in ipſis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam Gentiles condemnare curarunt. Cum vero præbendas eccleſiaſticas, ſeu quælibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed intra ſex menſes perſonis, quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur. Si autem Epiſcopus, ubi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad capitulum pertinuerit, & intra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Deum hoc cum religioſorum virorum conſilio exequatur. Vel ſi omnes forte neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundum Deum, abſque illorum contradictione diſponat.

Hæc Decretalis, prohibens in ſua prima parte, ne alicui promittantur beneficia, antequam vacent, ne mortem ejus deſideret, cui pro certo habet, ſe ſucceſſurum, confirmata, & ampliata eſt a Trid *cap. XIX. ſeſſ. XXIV. de reformat.* prohibente inſuper reſervationes, etiam mentales. Textum leges infra part. II. cum de eod. cap. XIX.

Hæ autem mentales reſervationes habebantur, quando Papa reſervabat aliquod beneficium, vel in ſpecie, vel in genere per Bullam, perſonæ gratæ conferendum, quam non exprimebat. Per hoc tamen non ita manus Papæ ligantur, quin ex gravi cauſa expectativam concedere poſſit, cum ipſius auctoritatem idem Tridentinum *cap. XXI. ſeſſ. XXV. de reform.* in omnibus ſalvam eſſe voluerit.

Verum tamen eſt, quod poſt dictum Trid. Pontifices nulli amplius expectativas facile concedere ſolent; exceptis primariis Imperatoris precibus, quæ per hanc tranſcriptam Decretalem, aut alias, ſublatæ non ſunt: imo nec per allatum laudati Trid. decretum, ut cenſuit Gregorius XIII. ex ſententia Cong. Conc. ſub die 25 Januar. 1575. relata a Chochier *in Præmio precum primariarum fol. 2.* in cujus fine hæc habet „ Pontificem juſſi ſe fieri declaratoriam per literas Sac. C. „ & ultra rationes prædictas a Cong. addidiſſe, quod „ meminerit tempore Conc. Trid., quando formabatur decretum cap. XIX. aliquos prohibitioni generali „ expectativarum noluiſſe addere primarias preces, „ Imperatori conceſſas, ſed communiorem Patrum „ ſententiam fuiſſe, ne fieret earum mentio, ſicque eas „ non comprehendi dicto decreto Trid. quia non nominatur, videlicet Imperator, qui eſt ſpeciali nota „ ubique dignus, cum nominentur Cardinales, qui, „ & ſunt ipſi ſpeciali nota digni &c. ut ponderat eadem Congregatio Trid. “.

Ut omnis aditus optandæ, vel eam captandæ mortis alienæ, ſub quacumque ſpecie expectativarum occluderetur, ante allatum Trid. decretum Innocent. III. *cap. Conſtitutus, hoc tit.*, & Bonifacius VIII. *cap. Deliberationes, §. Prohibemus, de off. Legati in VI.* illud

lud quoque prohibuerunt, ne cuiquam detur facultas beneficia, cui voluerit, conferendi, vel illorum reſignationes ſub eadem arbitraria facultate admittendi, ne videlicet tali facultate munitus, promittat beneficia, nedum vacantia, ſed vacatura.

Quoad ſecundam tranſcriptæ Decretalis partem ſpectat, devolutionem ſcilicet beneficiorum poſt ſex menſes, ob negligentiam collatorum, declarata eſt.

I. Ab Innocentio III. ſtatuente hoc ſeme ſtre tempus non currere legitime impedito, etiam cauſa ſuſpenſionis ab eo incurſæ (& ut aliqui volunt, etiam cauſa excommunicationis) & incipere non a die vacationis beneficii, ſed a die notitiæ, ut ex ſequenti ejus Decretali, relata *in cap. V. hoc eod. tit.*

Quia diverſitatem corporum diverſitas ſæpe ſequitur animorum (& infra.) Conquerebatur inter cætera Eboracen. Archiepiſcopus, quod cum ad eum in Eccleſia Eboracen., & aliis ſuis Eccleſiis collatio pertineat præbendarum, tempore ſuſpenſionis ipſius, & poſtmodum etiam quidam præter ejus auctoritatem ſe intruſerunt in ipſas (& infra.) Mandamus, quatenus eos, qui præbendas, vel dignitates Eccleſiæ Eboracen., vel aliarum ad donationem ejus ſpectantes, præter auctoritatem acceperunt ipſius, ad eas reſignandas, monitione præmiſſa per excommunicationis ſententiam, & ſubtractionem aliorum beneficiorum, non obſtante confirmatione, a Sede Apoſtolica obtenta ſub forma communi, quæ confirmat beneficia, & præbendas, ſicut juſte, & pacifice poſſidentur, appell. rem. compellas, niſi forte aliqui ea, vel ſpeciali mandato Apoſtolicæ Sedis, vel auctoritate Lateranen. Concilii ab Eboracen. capitulo ſint adepti: ſic tamen, ut tempus ſuſpenſionis in ſex menſibus nullatenus computetur: cum illa Lateranen. Concilii Conſtitutio contra negligentes tantum fuerit promulgata: tunc ſi voluerit, non tamen valuerit Archiepiſcopus ipſe in conferendis præbendis, uti propria poteſtate: a qua etſi fuerit ſua culpa ſuſpenſus, non tamen ad ipſum capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta: ſed ad illum tempore ſuſpenſionis illius, præbendarum donatio pertinebat, qui præter ejus deſidiam, & negligentiam poterat præbendas donare. Tempus etiam, quo ad Apoſtol. Sedem acceſſit, & apud illam permanſit, vel receſſit ab illa, intra ſex menſes nullatenus computetur. Semeſtre autem tempus non a tempore vacationis præbendarum, ſed notitiæ ipsius potius volumus computari.

II. Declarata eſt etiam ab eodem Innocentio, dictum ſemeſtre non habere locum in Eccleſia, ubi non eſt certus numerus Canonicorum, ut videre eſt in altera ejuſdem Decretali, relata in *cap. X. Ex parte, hoc eod. titulo.*

Ex parte Aſtenen. Eccleſiæ noſtris eſt auribus intimatum, quod cum quædam præbendæ in ipſa per quatuor annos, & amplius vacaviſſent, Aſtenen. Epiſcopus quoſdam ibidem inſtituit, credens, ſibi hoc ex Lateran. Concilio licere. Inſtituti autem ſcientes, non eſſe firmam inſtitutionem, hujuſmodi ad Mediolanen. Archiepiſcopum recurrerunt; qui eoſdem in Canonicos Aſtenen. Eccleſiæ ordinavit, & in corporalem poſſeſſionem præbendarum induxit, capitulo ejuſdem Eccleſiæ præbente aſſenſum, tribus tantum exceptis, qui ſe inſtitutioni hujuſmodi opponere curaverunt (& infra.) Tandem utraque pars concorditer eſt confeſſa, quod in prædicta Eccleſia non erant diſtinctæ præbendæ, nec Canonicorum numerus erat certus. Nos igitur intelleximus evidenter, ſtatutum Lateran. Concilii de beneficiis ultra ſex menſes vacantibus locum in hoc articulo nullatenus habuiſſe, & ſi forte Aſtenen. Eccleſia Canonicorum pateretur defectum, unde inſtitutio per Archiepiſcopum, vel Epiſcopum facta, occaſione Concilii memorati carere debet robore firmitatis.

III. Tandem declarata eſt a laudato Innocentio, ſtatuente, hujuſmodi ſemeſtre non extendi ad Archiepiſcopatum, & Epiſcopatum, ſed ad perſonatus dumtaxat, & minora beneficia, ut ex ſequenti ejuſdem Decretali, relata *in cap. XII. hoc tit.*

Dilectus filius magiſter G. Canonicus veſter, nobis ſuggeſſit, quod Epiſcopo veſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, Archiepiſcopus S. Severinæ, aſſerens, quod propter negligentiam veſtram, ad ipſum erat eligendi auctoritas devoluta, in Epiſcopum veſtrum elegit eundem. Nos igitur attendentes, quod Canon Lateranen. Concilii, ab Alexandro Papa contra negligentes editus ad Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum non ſolet extendi, ſed ad perſonatus alios, & minora eccleſiaſtica beneficia coarctari, electionem hujuſmodi, juſtitia caſſavimus exigente.

Sed

Sed circa hoc ſemeſtre tempus quoad beneficia parochialia vacantia, vide notata ſupra ad *cap. XV. Nemo, de Elet. in VI.* Sect.LV.

Nota hanc Decretalem, tribuentem capitulo jus eligendi Epiſcopum, locum hodie non amplius habere, cum hujuſmodi electio privative ſpectet ad Romanum Pontificem, exceptis earum cathedralium capitulis, de quibus notatum eſt ſupra ad *cap. III. Poſtquam, de Electione*, Sect.XXXVII. & alibi pluries.

SECTIO CCCCXVIII.

Caput IX. Literas, *ex Decretali laudati Innocentii, Epiſcopo, & Magiſtro Canonico Hildemenſi reſcripta.*

Hæc Decretalis, cujus textum tranſcribere omitto, ſtatuens, habentem præbendam in eadem Eccleſia, & recipientem dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, privatum eſſe prima, ampliata eſt, ut ſupra notavi ad *cap. XXVIII. De multa, poſt cap. III. Quia nonnulli*, Sect.CCCXLVI.

SECTIO CCCCXIX.

Caput XIV. Accedens, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Abbati, & Conventui Monaſterii S. Michaelis de Caramo, ſcripta.*

Accedens ad Apoſtol. Sed. R. Clericus, ſuam nobis inſinuationem monſtravit, quod cum promiſeritis vos proviſuros eidem in eccleſiaſtico beneficio, cum poſſetis, ſicut per literas judicum delegatorum inde confectas liquido apparebat (& infra.) Nos autem conſiderantes, quod aliud eſt, Prælatum promittere beneficii collationem, cum poterit, aliud cum vacabit: cum in multis caſibus ſe facultas offerre poſſet, in quibus collatio non eſſet in expectatione vacaturi beneficii differenda: mandamus, quatenus memorato R. (cum poteritis) eccleſiaſticum beneficium aſſignetis.

Hæc Decretalis, decernens, adimplendam eſſe promiſſionem factam a Prælato de conferendo beneficio, cum poterit, expreſſe abrogata eſt a Bonifacio VIII. *cap. Deteſtanda II. hoc eod. tit. in VI.* hanc reprobante, & aliam quamcumque, qua directe, vel indirecte aperitur via ad beneficia vacatura. Has eaſdem promiſſiones reprobaverat Conc. Lateran. III. ſub Alexandro III. cap. VIII. prohibens tantum, ne conferatur, vel promittatur alicui beneficium certum Clerici viventis determinati: Innocentius vero III. reprobaverat etiam indeterminate de quibuſcumque beneficiis primo vacaturis, *cap. Relatum* III. & *cap. Cum dilectus* XVI. *relat. in cap. Nulla* II. *hoc eod. tit.* non vero de providendo, cum quis poterit: quod quidem diverſum eſt, ut idem Innocentius docet in ſupra tranſcripta Decretali.

Decretalis Boniſac. VIII. relata *in cit. cap. II. Deteſtanda, hæc eſt.*

Deteſtanda inſquorum perverſitas, abſtinere neſciens a vetitis, nec gaudere debito modo conceſſis, digne plerumque officium excitat præſidentis ad ea, quæ juxta fuerant conſideratione conceſſa (cum in abuſu ea vergere circumſpicit) diſcretione prævia revocanda. Sane licet olim fuerit canonica conſtitutione decretum, quod ii, qui promittunt aliquibus de beneficiis eccleſiaſticis, cum poterunt, vel cum facultas ſe obtulerit, providere, promiſſiones ſuas (facultate ſe offerente) debeant adimplere: quia tamen, ſicut experientia docuit, per promiſſiones hujuſmodi, quæ per importunitatem nimiam (per quam non concedenda, multoties conceduntur) & per ambitionem improbatam, ut plurimum extorquetur, aperitur via ſub tali palliatione verborum ad promittenda damnabiliter contra Lateranen. Concilium beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur, & Eccleſiis, ac Prælatis, & perſonis eccleſiaſticis gravamina plurima inferuntur. Nos, malis hujuſmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promiſſiones eaſdem, & alias quaſcumque, ſub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendas, per quas directe, vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apoſtolica, penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes per eas, vel ipſarum aliquam ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari,

Circa hujuſmodi promiſſiones hoc notat Wagnerek ad ſupra tranſcriptum *cap. II. Nulla* „ Cum vero „ paſſim, etiam à timoratis, ad quos collatio beneficiorum ſpectat, ejuſmodi promiſſiones fieri ſoleant perſonis bene commendatis, aut charis, ſe, cum poterunt, gratificaturos, eoſque voti compotes facturos, & vacante tali, vel tali beneficio, neminem alium promoturos, dicendum eſt vel intelligi promiſſionem, quæ acceptata ſimpliciter obliget; ejuſmodi autem modos loquendi, quos recenſuimus, potius conſiſtere in promiſſione ſpei, quam rei; ut nimirum qui tale quid petit, bonam ſpem habere poſſit, non autem promiſſionis certitudinem: vel hos Canones in vigore tanto non eſſe receptos, quod videtur oſtendi ex illarum Eccleſiarum more, quæ Canonicos expectantes (canonicatum videlicet aliquem vacaturum) aperte admittunt, & calendario inſerunt. Poſſet dari exemplum in Eccleſia cathedrali Conſtantienſi, ubi aliquot nobiles ſuſcipiuntur; ſed cum videatur his dari verum jus canoniæ, & expectativæ ſolum ad præbendam, donec aliquis in menſe capitulari moriatur, non apparet veram expectativam intervenire ".

SECTIO CCCCXX.

Caput XV. Postulastis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Subdiacono, Præpoſito, & Capitulo Ebrodunenſi in Gallia, reſcripta.*

Poſtulaſtis, per Sed. Apoſtol. edoceri, ut cum ad vos, & Archiepiſcopum veſtrum ſimul donatio præbendarum Eccleſiæ veſtræ pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiepiſcopum ipſum remaneat, ſi eam intra ſemeſtre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breviter reſp. quod ſi vos, & idem Archiepiſcopus intra tempus præſcriptum circa hoc negligentes extiteritis, ſicut nec ab illo ad vos, ita nec a vobis ad illum poteſtas devolvitur conferendi, ſed ſecundum ſtatuta Lateran. Concilii ad Superiorem tranſit donatio: niſi forte Archiepiſcopus, non ut Prælatus, ſed ut Canonicus vobiſcum jus habeat conferendi: in hoc caſu, cum doloſe impedierit, dolus ei ſuffragari non debet.

Ex hac Decretali clare infertur, Epiſcopum ſimul eſſe poſſe Epiſcopum, & Canonicum.
Sed cum id contrarium ſit diſpoſitioni Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. relatæ *in cap. VII. Cum in cunctis de Elect. §. Cum vero*, in quo ſtatuitur, ſtatimac quis eſt electus Epiſcopus, confirmatus, & conſecratus, vacare beneficia, quæ ante poſſidebat, dicendum eſt in caſu hujus Decretalis, quod ex ſpeciali conſuetudine electus fuerit ad utrumque, quæ tamen hodie non obtinet.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCCXXI.

Caput I. Quia cunctis, *ex Decretali Innocentii IV. Andreæ, ejus Capellano ſcripta.*

SECTIO CCCCXXII.

Caput III. Ne captandae, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

SECTIO CCCCXXIII.

Caput IV. Executor, *ex Decretali dicti Bonifacii.*

SECTIO CCCCXXIV.

Caput V. Si capitulo, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

SECTIO CCCCXXV.

Caput VI. Si soli, *ex Decretali ejuſdem.*

SE-

SECTIO CCCCXXVI.

Caput VII. Auctoritate, *ex Decretali ejuſdem.*

Eodem Titulo in Clememinis.

SECTIO CCCCXXVII.

Caput Unicum, Cum si, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato an* 1311. *in Gallia.*

Hæ ſeptem Decretales, admittentes mandata de providendo, abrogatæ ſunt a Conc. Tridentino, ut ſupra Sectione X.

Titulus IX. Ne, Sede vacante aliquid innovetur.

SECTIO CCCCXXVIII.

Caput II. Illa, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Calvenſi olim Capuani Archiepiſ. Suffraganeo, ex V. & I. Canonicis Sveſſæ, in agro Veſtino, ſcripta.*

ILla devotionis ſinceritas (& infra.) Eccleſiam Sancti Leucini, de qua Magiſtrum R, donationis noſtræ gratia præcedente, præbendæ nomine de mandato noſtro Capuanus Archiepiſcopus inveſtivit, ſibi duximus confirmandam: non obſtante conceſſione per capitulum facta alii, ſeu confirmatione noſtra, ſiqua in forma communi apparet obtenta: cum nuſquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum, vacante ſede, fungatur vice Epiſcopi in collationibus præbendarum: nec in eodem caſu poteſt dici poteſtas conferendi præbendas ad capitulum per Superioris negligentiam devoluta, cum non fuerit ibi Superior; qui eas poſſet de facto, vel de jure conferre.

Quamvis Honorius hic rectiſſime ſtatuerit, vacantium collationem beneficiorum, ſede epiſcopali vacante, pertinentem ad Epiſcopum, non tranſire ad capitulum, ſed reſervandam eſſe futuro Epiſcopo; tum quia collatio eſt ſpecies donationis, & recenſetur inter actus meræ liberalitatis, qui, ſede vacante, ad capitulum non tranſeunt; tum etiam quia reſervatur inter fructus menſæ epiſcopalis, qui debent reſervari futuro Epiſcopo, hodie tamen hujuſmodi collatio non amplius pertinet ad Epiſcopum, ſed reſervata eſt Sedi Apoſtolicæ per Conſtit. S. Pii V. *Sanctiſſimus*, 9. *Martii* 1568. ibi,

Sanctiſſimus... cupiens pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis de beneficiis eccleſiaſticis providere omnia, & ſingula beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubilibet exiſtentia, ſede epiſcopali, archiepiſcopali, patriarchali, & primatiali quarumcumque Eccleſiarum cathedralium, etiam metropolitanarum, patriarchalium, & primatialium pro tempore Paſtoribus deſtitutarum vacante, quomodolibet vacantia, & vacatura, tam in prædictis, quam aliis Eccleſiis, necnon civitatibus, & diœceſibus, quibuſcumque ad eorundem Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Primatuum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, quomodolibet pertinentia, diſpoſitioni ſuæ reſervavit.

Cui inſuper acceſſit Regula II. Cancelleriæ, eandem reſervationem confirmans, ibi,

Item reſervavit generaliter omnes Eccleſias patriarchales, primatiales, archiepiſcopales, epiſcopales, necnon omnia monaſteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri, communi æſtimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in poſterum vacatura. Et voluit, quod exceſſus hujuſmodi in literis exprimatur. Ac etiam reſervavit dignita-

tes,

Digitized by Google

tes, & beneficia omnia ad collationem, præſentationem, & electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem, Patriarcharum, Primatuum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, necnon Abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, & collatricium ſecularium, & regularium quomodolibet, non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia, quæ poſt illorum obitum, aut Eccleſiarum, ſeu monaſteriorum, vel aliarum dignitatum ſuarum dimiſſionem, ſeu amiſſionem, vel privationem, ſeu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, uſque ad proviſionem ſucceſſorum ad eaſdem Eccleſias, aut monaſteria, vel dignitates, Apoſtolica auctoritate faciendam, & adeptam ab eiſdem ſucceſſoribus pacificam illorum poſſeſſionem, quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum; decernens irritum &c.

Per allatas vero pianam Conſtitutionem, & Cancelleriæ regulam non derogatum eſt ſequenti Decretali Bonifacii VIII. relatæ in *cap. unic. hoc eod. tit. in VI.* in qua excipiuntur duo caſus, in quibus capitulum, ſede vacante, providere poteſt de beneficiis, non obſtante tranſcripta Honorii Decretali, ſcilicet.

I. Quando eorum collatio pertinet ſimul, & communiter ad Epiſcopum, & capitulum.

II. Quando eadem collatio ſpectat ad Epiſcopum cum conditione exquirendi conſilium, vel aſſenſum capituli, & ipſe Epiſcopus eſſet ſuſpenſus, & culpabiliter fuiſſet in mora pro petenda abſolutione.

Neque ex eadem bonifaciana Decretali reſervantur beneficia, quorum collatio alicui competit ex Eccleſiæ conſuetudine, aut ſtatuto ſub conditione conſilii Epiſcopi, nedum quando ſedes epiſcopalis vacat, ſed etiam, quando Epiſcopus in remotis commoratur, ita, ut ipſius præſeotia haberi non poſſit, ibi.

Si ad Epiſcopum, & capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo Epiſcopo, vel a beneficiorum collatione ſuſpenſo, poterit capitulum vacantes conferre præbendas: etiamſi Epiſcopus intereſſe habeat in collatione hujuſmodi, ut Prælatus. Idem poterit Epiſcopus, ſi capitulum ab ipſa collatione ſuſpendi contingat, vel ſingulariter omnes de capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. Cum vero ad ſolum Epiſcopum præbendarum ſpectat collatio, cum conſilio ſui capituli, vel aſſenſu, defuncto Epiſcopo, vel ſuſpenſo (niſi Epiſcopus in petenda relaxatione ſuſpenſionis hujuſmodi ſit in mora) capitulum ſe non poteſt intromittere de eiſdem. Ubi vero de ſpeciali alicujus Eccleſiæ conſuetudine, vel ſtatuto, beneficiorum collatio ad aliquem cum conſilio Epiſcopi noſcitur pertinere, ſublato Epiſcopo de medio (cum conſilium nequeat tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis beneficii collatio differenda: nec etiam ſi egerit in remotis, ita, quod non poſſit ipſius præſentia in brevi haberi: quia in petendo, vel expectando ejus conſilio, poſſet vacanti beneficio periculum imminere.

Titulus X. De his, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli.

SECTIO CCCCXXIX.

CAPUT I. IRRITA, *ex Decretali, tributa Concilio apud Valentiam.*

IRrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei eccleſiaſticæ, abſque collaudatione, & ſubſcriptione Clericorum.

Nomine Clericorum, ſine quorum conſilio, & ſubſcriptione irrita hic decernitur donatio, venditio, vel permutatio rerum Eccleſiæ, facta ab Epiſcopo, quamvis de jure antiquo venirent omnes Clerici, ut obſervat *Mabillon. tom. II. Annal. Benedictin. ad an.* 837. quia tamen, nimium aucto in qualibet diœceſi Sacerdotum numero, difficile foret omnes in unum vocare pro expediendis Eccleſiæ negociis, hodie juxta unanimen Canooiſtarum interpretationem veniunt dumtaxat Canonici Cathedralis, ſi agatur de ipſius bonis: ſi vero de bonis Collegiatæ veniunt illius Canonici; ſi alterius Eccleſiæ, Rector ejuſdem, quorum reſpective conſenſus requirendus eſt. Subſcriptio tameo non eſt de ſubſtantia; imo hodie contraria conſuetudioe abrogatam eſſe animadvertit hic Panormitanus.

Cæterum juxta poſteriorem diſciplinam, præter dictum conſenſum, ad validitatem alienationis, ac permutationis bonorum Eccleſiæ, & aliorum quorumcumque piorum locorum, requiritur ulteris beoeplacitum Apoſtolicum, ex Decretali Pauli II. *Ambitioſæ*, de qua infra Sect. CCCCXLIV.

Hic tamen petes, an, ſi Eccleſiæ inopi legata fuerit ſumma ex. gr. vigiotiquinque aureorum pro emendo calice argenteo, quo indigebat; & ante illius ſolutionem alius benefactor eidem donet pulchrum argenteum calicem: ſumma legata, dein ſoluta, poſſit impen-

impendi cum conſenſu Epiſcopi, ac hæredis in emptione argenteæ pixidis, qua nunc eadem Eccleſia potius indiget? videtur quod non, ob peculiarem diſpoſitionem Clementinæ. *Quia contigit*, 2. de Relig. domib. ubi: *ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (ſalva Sedis Apoſtolica auctoritate) converti*; ubi ly *ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, denotat non ſufficere licentiam Epiſcopi, ſed ſolum Papam poſſe permittere hujuſmodi converſionem, ut ibidem verb. S. Sedis Apoſt. notat Gloſſa. Verum affirmative reſpondeo cum Ugolino de Offic. & Pot. Epiſc. cap. 61. v. quinto diſponere; Giribaldo de Teſtam. & ult. volunt. dub. 14. num. 161. Comitolo, & aliis. Ratio eſt, quia interveniente juſta, & rationabili cauſa, poteſt Epiſcopus legatum pium in æquale, & a fortiori in melius, jure ordinario commutare: cum ita exigat exercitium curæ, ac ſolicitudinis io res, & loca pia, Epiſcopis adeo commendatæ non ſolum a Tridentino pluribus in locis, verum etiam ab ipſamet Clementina citata. Porro quænam cauſa magis juſta, & ratiooabilis ipſamet pixidis indigentia, quæ io caſu intervenit. Neque dicas, legatum implendum eſſe in forma ſpecifica, ut facta diſpoſitio ſuum habeat effectum. Cum enim legans intenderit in caſu ſublevare Eccleſiæ indigentiam, illud habetur pro diſpoſito, quod veriſimiliter fuiſſet ab eo diſpoſitum, ſi diſponens fuiſſet de hoc interrogatus; ut ex variis juribus colligit Everardus *in* Topica juris, loco a ſimili. Jam vero quis inficiabitur, pium teſtatorem, pro objecto habentem ſublevare Eccleſiæ inopiam cum eo legato, veriſimiliter eam ſummam relicturum pro pixide, ſi de majori hujus indigentia informatus, pro conſenſu in hanc fuiſſet interrogatus? Deinde legatum explendum eſt in forma ſpecifica etiam ab Epiſcopo, quando non intervenit cauſa juſta, & rationabilis aliter faciendi; ſecus vero, ſi intervenit, id enim vergeret in Eccleſiæ præjudicium, cui Epiſcopus ex officio obviare debet, quantum poteſt, ut ipſum avertat. Nec diſpoſitio Clement. cit. evincit oppoſitum, ſi attentius legatur; vult enim, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate converti non poſſe in uſum adminiſtrantium, ut clare patet ex verbis immediate præcedentibus, ac toto contextu, *loca ipſa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex proventibus ſuſtentarentur illorum: id renuunt inhumaniter facere, proventus eoſdem in uſus ſuos damnabiliter convertentes, cum tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate) converti: Nos injuriam, & abuſum hujuſmodi deteſtantes &c.* Item vult, convertantur in alium uſum ab Epiſcopis abſque juſta, & rationabili cauſa; non ſic vero, quando id vergit in majorem Eccleſiæ utilitatem, & ad indigentiæ ipſius ſuccurendum, ut in caſu; hoc enim melius, ac Eccleſiæ utilius eſt, proindeque faciendum: nam *qui melius facit, non aliud, ſed idem facit*, *cap. Pervenit de Jurejur. & cap. Scripturæ de Voto*, quæ in caſu Epiſcopi auctoritatem habentis locum habent, Moneta *de Commut. ultim. volunt. cap. 5. qu.* 14. Hinc S. Leo I. in ſua prima Conſt. quæ incipit: *Occaſia*, edita anno 447. §. 2. ita decrevit: *ſine exceptione decernimus, ne quis Epiſcopus de Eccleſiæ ſuæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, niſi forte aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat; & cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum.*

SECTIO CCCCXXX.

CAPUT II. CONTINEBATUR, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Norvicenſi reſcripta.*

Continebatur in literis, a te nobis tranſmiſſis, quod cum ſuper decima de Querchu inter Magiſt. ub. H. ub. & N. de mandato noſtro coram te verteretur, conſtiterit tibi, quod M. Abbatiſſa S. Mariæ de Vvint pro communi voto, & unanimi conſenſu, conventu aſſenſum præſtante, decimam ipſam prædicto H. conceſſit, & Rad. Vinton. Archidiaconus per clavem, & librum ſibi exinde inveſtituram fecit. Magiſter vero N. probavit coram te idoneis teſtibus, quod præfata Abbatiſſa præſcriptam decimam ſibi prius dederat, conventunon contradicente, quam eam præfato Huberto dediſſet, & quod a diœceſano Epiſcopo ejus fuerit conceſſio confirmata. Unde, quia nos conſulere voluiſti, cui conceſſioni innitendum sit, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod conceſſio prius facta, si conventu ſciente, & non contradicente, facta eſt, robur firmum debet habere: verum, si præfata Abbatiſſa, ignorante conventu, aut contradicente, prius prædicto N. decimam ſuam conceſſit, & non poſt multum tempus de aſſenſu conventus eandem decimam memorato Huberto dedit, sic ut tibi eam datam fuiſſe conſtet, ſecunda conceſſio debet præjudicare priori.

Integrum hujus Decretalis textum ex Gonzalez tranſcripſi, non quod novi aliquid eidem acceſſerit, ſed ut percipiatur, qui ſit verus ejuſdem intellectus, pro cujus explanatione hæc appoſite habet idem Gonzalex contra Epigraphem, quæ legitur in Codice Decretalium, qua in ſcholis utimur „ Exiſtimo, textum hunc „ nullo modo eſſe accipiendum de alienatione decima„ rum, vel ſimilis rei eccleſiaſticæ, ſed potius de „ præſentatione ad beneficium, quæ competebat mo„ naſterio S. Mariæ, & ita decimam in præſenti non „ ſignificare, quod ſonat, ſed potius beneficium eccle„ ſiaſticum, ut in *cap. Veſtra* de locato. Suadetur hæc „ ioterpretatio ex eo, quia in præſenti refertur hu„ juſmodi decimæ, ſeu beneficii conceſſionem confir„ maſſe Epiſcopum, & Archidiaconum inveſtituram „ dediſſe per clavem, & librum, quæ omnia propria „ ſunt

„ ſunt inſtitutionis canonicæ, & inveſtituræ corporalis in beneficio: quis autem umquam audivit in alienatione decimarum, a perſonis exemptis facta deſiderari inſtitutionem Epiſcopi, & inveſtituram Archidiaconi, quæ peculiaria ſunt beneficii eccleſiaſtici, ut probavi in *cap. Ut noſtram, de officio Archid. cap. III. de Inſtit.*

SECTIO CCCCXXXI.

Caput IV. Novit, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Hieroſolymitano Patriarchæ ſcripta.*

Novit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput, & illi membra eſſe probantur. Unde non decet, te, omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negociis uti: cum id non ſit dubium, & honeſtati tuæ, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire. Innotuit ſiquidem auribus noſtris, quod tu ſine conſilio fratrum tuorum Canonicorum S. Sepulchri Abbates, & Abbatiſſas, & alias eccleſiaſticas perſonas inſtituis, & deſtituis (& infra.) Ideoque id auctor. Apoſt. prohibemus (& infra.) Nos enim tales inſtitutiones, & deſtitutiones carere decernimus robore firmitatis.

SECTIO CCCCXXXII.

Caput V. Quanto, *ex Decretali dicti Alexandri, eidem Patriarchæ ſcripta.*

Quanto (& infra.) Frat. tuæ mandamus, quatenus in conceſſionibus, & confirmationibus, & aliis Eccleſiæ tuæ negociis, fratres tuos requiras, & cum eorum conſilio, vel ſanioris partis eadem peragas, & pertractes, & quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuas, & errata corrigas, & evellenda, diſſipes, & evellas. Abſentium quoque fratrum nomina inſcribi non ſinas, quia talia munimenta ſunt irrita, & falſa, & tu exinde quæſtionem falsi poteris merito formidare.

Hæ duæ Decretales, quæ de cætero unicam integrant, ſed in duas a Compilatoribus ſecatæ, ſcriptæ fuerunt ad iſtum Patriarcham eo tempore, quo poſt recuperatam Hieroſolymam de manibus Saracenorum a Godefrido anno 1110. reſtauratamque Congregationem Canonicorum S. Sepulchri ſub monte Calvario, ſecundum regulam S. Auguſtini, jam ante inſtitutam, ejus patriarchalis Eccleſia, ut refert Pennottus *lib. III. Hiſtoriar. Canonic. cap. XLI. n. 2.* & Philippus Novarienſis *lib.* III. *Chron. cap. XIV.* habebat eoſdem Canonicos regulares, Abbates, & Priores, ad quos pertinebat eligere Patriarcham, qui erat eorum caput: atque ideo decrevit Alexander, ne, his inconſultis, inſtitueret, ſeu deſtitueret Abbates, & Abbatiſſas, aliaſque perſonas eccleſiaſticas in monaſteriis dictæ Congr.

Jure harum Decretalium Canonici Cathedralis ſunt conſiliarii nati Epiſcopi, itaut huic non liceat aliquod gravis momenti negocium aggredi, & deliberare, inconſulto capitulo; quamvis ſi agatur de ſolo conſilio exquirendo, non adigatur ad illud amplectendum, ut colligitur ex *cap.* VII. *Cum olim de Arbit. & cap.* I. *de Capell. Monac.*

Verum notandum cum Benedicto XIV. *de Synodo Diœc. lib.* XIII. *cap.* I. *n.* 8. *edit. an.* 1755. „ Multum „ hac in re deferendum eſſe locorum conſuetudini, qua „ induci poteſt, ut Epiſcopus ſolutus ſit ab obligatione, qua cæteroquin, ſpectato jure communi, teneretur, requirendi ſui capituli conſenſum, aut etiam „ conſilium; quod aperte colligitur ex *cap. Ex noſcitur de His, quæ fiunt a Prælat. & ex cap. Non eſt de Conſuetudine in VI.* docentque Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap. C. num. alt.* Zerola *in prax. Epiſcop. part.* I. *verb. Capitulum, num* 8. Barboſa, „ *de Canonicis cap.* XLII. *nu.* 19. Formoſinus *de poteſt. Capituli Sed. vac. tract.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 4. “

Imo Lambertinus *de Jur. patronat part.* III. *lib.* II. *qu.* I. *art.* IV. ſentit, hodie dici poſſe, hunc præſentem titulum receſſiſſe ab aula; cum Epiſcopi fere omnia expediant ſine conſenſu capituli.

An autem Epiſcopus poſſit edere, & promulgare novas Conſtitutiones in Synodo diœceſana, ſine conſenſu, & approbatione tum capituli, tum Cleri, dicetur infra *part.* II. *cum de cap.* II. *Trid. ſeſſ.* XXIV. *de reform.*

SE-

SECTIO CCCCXXXIII.

CAPUT VII. CUM APOSTOLICA SEDES, *ex Decretali Innocentii III. R. Archipreſbytero, & Magiſtro Scholarum, & P. de Vico, Canonico S. Aſtregiſili Bituricenſi, reſcripta.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, ſtatuitur, valere donationem decimarum feudalium, quas laicus perpetuo ab una Eccleſia, ſeu monaſterio injuſte poſſidet, dein vero cum conſenſu Epiſcopi, ſine conſenſu capituli, alteri Eccleſiæ, ſeu monaſterio donat; quamvis talis laicus monendus ſit, ut ejuſmodi decimam feudalem reſtituat Eccleſiæ, ad quam ſpectat, ſi autem forte ad id induci nequiverit, & eam cum Epiſcopi diœceſani conſenſu alteri Eccleſiæ aſſignaverit, præſertim religioſo Conventui, valebit ipſa donatio — cum aliud ſit (ut hic diſtinguit Pontifex) alienare, quod ab Eccleſia poſſidetur, & aliud, quod detinetur a laico, ad uſum eccleſiaſticum revocare —.

Ex hoc igitur textu inferunt Canoniſtæ quamplures, relati hic a Fagoano *num. 11. & ſeq.* laicum poſſe decimas prædiales percipere, ſi ab immemorabili tempore eas poſſideat, tamquam vaſſallus, ut talis agnitus ab Eccleſia, vel ſi exhiberet titulum privilegii Apoſtolici, aut probaret immemorabilem, una cum ipſius privilegii fama, quemadmodum multoties, ut idem Fagnanus refert, firmavit Rota; quibus tamen ita ipſe reſpondit,, Tu vero dicas, hanc limitationem hodie non procedere, quia ex Bulla ſan. mem. Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex*, edita 5. Junii 1641. caſſantur quæcumque præjudicialia Sedi Apoſtolicæ, vel juriſdictioni, immunitati, aut libertati Eccleſiæ, Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis, earumque bonis, ac juribus, etiamſi cum immemorabili concurrat fama privilegii Apoſtolici „

Inſuper in hac eadem Decretali ſtatuitur, in alienatione bonorum Eccleſiæ non ſufficere conſenſum Epiſcopi, niſi etiam accedat conſenſus capituli, quo accedente, deducitur ex ſenſu contrario, ſuſtineri alienationem. Verum circa hoc attendenda ſunt dicta ſupra ad *cap. I. Irrita*, Sect. CCCCXXIX.

SECTIO CCCCXXXIV.

CAPUT VIII. TUA NUPER, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Archidiacono Metenſi, ſeu, juxta Gonzalez, Exonienſi, reſcripta.*

TUa nuper (& infra.) Adjeciſti etiam, utrum Epiſcopo, vel Electo cum ſolo Archidiacono præter aſſenſum majoris Eccleſiæ, cum ab ipſa eligatur Epiſcopus, & Archidiaconus aſſumatur de ipſa, cœnobiis, vel Eccleſiis conventualibus, ad quas jus pertinet patronatus, liceat conferre perpetuo vacantes Eccleſias baptiſmales (& infra.) Alterius etiam quæſtionis ſolutio ex Epiſtola Leonis Papæ colligitur evidenter, in qua legitur = Ne quis Epiſcopus de rebus Eccleſiæ quidquam donare, vel permutare, vel vendere audeat, niſi forte aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum =. Irrita enim Epiſcoporum donatio, venditio, & commutatio rei eccleſiaſticæ erit, abſque conniventia, & ſubſcriptione Clericorum: per hoc enim noveris ſolutam ſecundo loco propoſitam quæſtionem, cum conceſſiones Eccleſiarum perpetuas, ad alienationes non ſit dubium pertinere.

Prima hujus Decretalis pars, in qua aſſeritur, competere capitulo Cathedralis jus eligendi Epiſcopum, hodie locum amplius non habet, juxta dicta ſupra ac *cap. III. Poſtquam, de Elect.* Sect. XXXVII.

Circa ſecundam vero partem, in qua irrita declaratur alienatio bonorum Eccleſiæ, ſine conſenſu, & ſubſcriptione Clericorum, recolenda ſunt notata ſupra ad *cap. I. Irrita*, Sect. CCCCXXIX.

SECTIO CCCCXXXV.

CAPUT IX. PASTORALIS, *ex Decretali laudati Innocentii, Epiſcopo Helienſi reſcripta.*

PAſtoralis officii diligentia (& infra.) Præterea quæſiviſti (cum auctoritate Dionyſii fuerint paræciæ limitatæ) quatenus ſingularum paræciarum proventus in uſus Eccleſiæ cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum: ſi Epiſcopo liceat ſine auctoritate Summi Ponti-

tificis, vel ſaltem ſine capituli ſui voluntate, viris religioſis conferre obventiones alicujus parœcialis Eccleſiæ, ſuſtentatione Vicarii reſervata. Et cum Lateranen. Concilii ſtatuta prohibeant, Eccleſiis novam imponi, vel augere veterem penſionem, poſtulas edoceri, an Epiſcopus valeat religioſis, conſentiente Patrono, totam Eccleſiam, vel de novo conferre aliquam portionem? Ad quod breviter reſpondemus, quod, ſalva conſtitutione canonica de concedenda piis locis quinquageſima portione, neque primum, neque ſecundum potuit facere Epiſcopus, niſi de licentia Rom. Pontif. præter capituli ſui voluntatem.

In hac Decretali decernit Pontifex, non poſſe Epiſcopum, etiam cum conſenſu capituli, ſine licentia Romani Pontificis conferre parochialem Eccleſiam Religioſis, ſeu monaſteriis, reſervata portione pro ſuſtentatione Vicarii, quæ ſanctio innovata eſt etiam a Tridentino, hujuſmodi unionem prohibente *cap.* XIII, *ſeſſ. XXIV. de refor.*

Præterea idem Pontifex declarat, poſſe Epiſcopum juxta conſtitutionem canonicam, contentam nempe in *can.LXXIV. Bonæ rei, cauſ. XII. qu. II.* quem ipſemet refert infra in *cap. IX. Apoſtolicæ, de Donat.* donare quinquageſimam partem bonorum ſuæ menſæ monaſterio, de novo ædificando, ſine licentia Romani Pontificis: hanc eandem tamen conſtitutionem limitat in *cit. cap. IX.* Quod indultum an hodie locum amplius obtineat, ibidem animadvertetur Sect. CCCCLXIII.

Nota obiter, in tranſcripta Decretali, diviſionem, & limitationem Eccleſiarum parochialium tribui Dionyſio Papæ, monumento deſumpto ex fragmento Epiſtolæ II. ab ipſo ſcriptæ ad Severum Epiſcopum, relato a Gratiano *can. I. Eccleſias, cauſ.* XIII. *quæſt.* I. ex quo Mercator hujuſmodi diviſionis auctorem hunc Pontificem agnoſcit: mendoſe tamen cum recentiorem longe fuiſſe parochiarum inſtitutionem probet Berardus *tom.* II. *cap.* XXII. *ad Canones genuinos Gratiani*, & ex eadem ratione reprobat illorum opinionem, qui Evariſto potius dictam inſtitutionem tribuunt.

SECTIO CCCCXXXVI.

CAPUT X. ETSI MEMBRA, *ex Decretali Honorii III. non Innocentii III. prout legitur in Codice Decretalium Gregorii IX. ut probat Gonzalez, Archiepiſcopo Senonenſi, & ejus Suffraganeis ſcripta.*

ETſi membra corporis (& infra.) Provinciæ Senon. capitula cathedralium Eccleſiarum ad nos querimoniam tranſmiſerunt, quod Archiepiſcopus Senon., & ejus Suffraganei procuratores eorum nuper ad provinciale Concilium convocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt (& infra.) Viſum fuit nobis, & Fratribus noſtris, ut capitula ipſa ad hujuſmodi Concilia debeant invitari, & eorum Nuncii ad tractatum admitti, maxime ſuper illis, quæ ipſa capitula contingere dignoſcuntur.

In hac Decretali ſtatuitur, Canonicos Eccleſiarum cathedralium invitandos eſſe ad Concilium provinciale, necnon eorum nuncios, ſeu procuratores admittendos ad tractatus, illarum rerum potiſſimum, quæ ad ipſorum capitula pertinere dignoſcuntur.

Ad intereſſendum tamen inviti compelli nequeunt, ut probat hic Pagnanus, & ſi interſint, votum mere conſultivum, non deciſivum habent, ex declaratione Congr. Conc. *in Salernitana Synodi*, 19. *Apr.* 1596, *lib.* VIII. *Decretor. pag.* 174.

An autem invitandi ſint etiam ad Synodum diœceſanam, & invitati, ei intereſſe debeant, Bened. XIV. *de Synodo Diœc. lib.* III. *cap.* IV. *num.* 2. *edit. an.* 1755. probat, juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam invitandos eſſe, & invitatos, ex magis recepta DD. ac uſu comprobata ſententia, ad eidem intereſſendum teneri.

Et num. 3. refert, S. Congr. Concil. cenſuiſſe, ab eadem Synodo excludi non poſſe Canonicum Pœnitentiarium „ Qui eſt quaſi parochus totius diœceſis, & jus „ habet excipiendi ſacramentales diœceſanorum con- „ feſſiones, non ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi, ſed „ a lege, a Conc. ſcilicet Trident. ita ut propterea „ in iis, quæ ſpectant ad forum internum, cenſendus „ ſit ordinarius.

Titu-

Titulus XI. De his, quæ fiunt a majore parte Capituli.

SECTIO CCCCXXXVII.

Caput I. Cum in cunctis, *ex Decretali, deſumpta a Can. XVI. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an 1179.*

CUM in cunctis Eccleſiis, quod pluribus, & ſanioribus Fratribus viſum fuerit, incunctanter debeat obſervari: grave nimis eſt, & reprehenſione digniſſimum, quod per quaſdam Eccleſias pauci quandoque, non tam de ratione, quam de propria voluntate, ad ordinationem eccleſiaſticam procedere non permittant. Quo circa præſenti decreto ſtatuimus, ut niſi a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & oſtenſum, appellat. rem. prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod a majori, & ſaniori parte capituli fuerit conſtitutum. Nec Conſtitutionem noſtram impediat, ſi forte aliquis ad conſervandam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, ſe juramento dicat adſtrictum: non enim juramenta, ſed potius perjuria ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiæ, & SS. Patrum veniunt inſtituta. Si quis autem hujuſmodi conſuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec ſacris congruunt inſtitutis, jurare præſumpſerit, donec dignam egerit pœnitentiam, a perceptione ſit Dominici corporis alienus.

Decernitur in hac Decretali, in capitulis, & collegiis prævalere, quod ſtatutum fuerit a majori, & ſaniori parte, non obſtante contradictione minoris.

Verum hodie non amplius attenditur ſanior, ſed major dumtaxat pars, ut dictum eſt ſupra ac cap. XLII. *Quia propter, de Elect.* Sect. XLVI.

Præterea reprobantur conſuetudines contrariæ, etiam juramento firmatæ, tamquam Eccleſiæ utilitatis læſivæ, quarum obſervantiam, ſi quis jurare præſumpſerit, a perceptione Euchariſtiæ abſtinere debet, donec condignam egerit pœnitentiam.

Quid autem novi acceſſerit, tam ex Nicolao III. quam ex Gregorio XIII. contra præſtantes juramentum de obſervandis iniquis ſtatutis, & conſuetudinibus, dictum eſt ſupra ad *cap. XXXI. Petitio veſtra, de jurejurando.*

SECTIO CCCCXXXVIII.

Caput IV. Ex parte, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo, & Capitulo Rhotomagenſi reſcripta.*

EX parte tua nobis fuit, Frater Archiepiſcope, intimatum, quod ad reſtituendam fabricam Rhotomagen. Eccleſiæ tractatum communiter habuiſtis, te poſtulante, ut quilibet Canonicorum, tecum pariter aliquam ſuorum redituum portionem operi tam pio, & neceſſario deputaret (& infra.) Statuimus, ut ſi quis veſtrum, tuis, Frater Archiepiſcope, & majoris, & ſanioris partis capituli ſtatutis ſuper hoc duxerit reſiſtendum, obtineat ſententia plurimorum.

In hac pariter Decretali decernitur, prævalere, quod ſtatutum eſt a majori, & ſaniore parte capituli; ſed de ſaniori dic, ut ſupra in præcedenti Sectione.

Quia vero ex eadem infertur, poſſe Epiſcopum Canonicos obſtringere ad contribuendum pro reparatione Cathedralis, an hodie hoc onus imponi poſſit, patebit ex dicendis parte II. cum de *cap. VII. Tridentin. ſeſſ. XXI. de reform.*

Titulus XII. Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur.

SECTIO CCCCXXXIX.

Caput Unicum, Ut nostrum, *ex Decretali Innocentii III. Mediolanenſi Archiepiſcopo ſcripta.*

Summa hujus Decretalis (cujus prolixum textum tranſcribere omitto) eſt, quod generalis regula in jure canonico ſtatuta, ſit, ut a collatore beneficii, ſive Epiſcopus ſit, ſive Patronus, ſine diminutione, hoceſt, ſine nova reſervatione alicujus partis redituum conferantur.

Ubi autem ea reſervatio non eſt nova, ſed jampridem introducta, diſtinguendum eſt, an ſit ſolum ad tem-

tempus, non vero in perpetuum, neque in favorem collatoris, aut Patroni, ſed ex alia juſta, & neceſſaria cauſa, qualis eſſet, ſi ex canonicatibus, vel beneficiis reſervaretur portio fructuum ad reparandam fabricam propriæ Eccleſiæ beneficiati, vel ad exolvendum æs alienum, ab eo contractum, ex aliquo infortunio; vel utrum reſervatio jam antiquior facta fuerit in perpetuum: attamen in qualibet vacatione, interveniente novo pacto, ſeu contractu collatoris, vel Patroni cum recipiente beneficium, ut iis reſpective cedat annuatim, vel primo anno partem illius proventuum. Primus modus reſervationis licitus eſt: poſterior vero prohibitus, tamquam ſuſpectus, & laborans generali periculo ſimoniæ, jure, tam naturali, quam divino interdictæ.

Quæ huic regulæ de novo acceſſerint, afferentur infra parte II. cum de *c. XIII. & XIV. Trid. ſeſſ. XXIV. de refor.*

Titulus XIII. De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

SECTIO CCCCXL.

Caput I. Non licet, *ex Decretali, ignotum ex quo Concilio deſumpta.*

Non licet Epiſcopo, vel Abbati terram unius Eccleſiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in ejus ſint poteſtate, tamen, ſi commutare voluerit terras earum, cum conſenſu ambarum partium faciat.

In hac Decretali datur facultas Epiſcopo permutandi fundum unius Eccleſiæ, cum fundo alterius, de conſenſu tamen utriuſque Rectoris.

Verum cum etiam permutatio ſit ſpecies alienationis *L. LXVII. de verb. ſignific.* ut itidem declaratur in *cap. V. Nulli*, hodie attenta, Conſtitutione Pauli II. *Ambitioſæ*, de qua infra poſt *cap. V. Nulli*, Sect. CCCCXLIV. fieri nequit ſine beneplacito Apoſtolico.

Quibus autem Abbatibus competat Jus de bonis Eccleſiæ aliquid alienandi, dicetur infra poſt citat. *cap. V. Nulli*, §. *Hæc eadem* Sect. CCCCXLIV.

SECTIO CCCCXLI.

Caput II. Qui res, *ex Decretali, deſumpta a Can. IV. Concilii II. Arvernenſis, juxta Gonzalez, celebrati an.* 549.

Qui res Eccleſiæ petunt a Regibus, & horrendæ cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & a communione Eccleſiæ (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur.

Quæ aliæ pœnæ acceſſerint contra Eccleſiarum bona capientes, dicetur infra.

SECTIO CCCCXLII.

Caput III. Conſenſus, *ex Decretali, deſumpta a Can. LXVIII. Concilii Toletani IV. celebrati an.* 633.

Conſenſus totius Concilii definiunt, ut Sacerdotibus, qui aut aliquid Eccleſiæ ſuæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua prædia, vel familias Eccleſiis ſuis acquirunt, liceat aliquos de familia ejuſdem Eccleſiæ manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui Canones decreverunt: ita, ut cum peculio, & poſteritate ſua ſub patrocinio Eccleſiæ maneant, utilitates injunctas ſibi, juxta quod poterunt, proſequentes.

SECTIO CCCCXLIII.

CAPUT IV. EPISCOPI, *ex Decretali, deſumpta a Can.LXVII. ejuſdem Concilii Toletani*,

EPiſcopi, qui nihil ex proprio Eccleſiæ Chriſti conferunt, liberos ex famulis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim, ut qui res ſuas Eccleſiæ non attulerit, damnum inferat. Tales igitur liberos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad jus Eccleſiæ convocabit.

Cum hodie non detur rigoroſa ſervitus, hæ duæ Decretales locum amplius non habent, niſi agatur de ſervis adſcriptitiis, & originariis, ut notavi ad *Titulum De Servis non ordinandis*, Sect. CXXX.

SECTIO CCCCXLIV.

CAPUT V. NULLI, *ex Decretali, tributa Concilio Silvanectenſi in Gallia, celebrato temporibus Nicolai I. an 863.*

NUlli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ, ſive agrum, ſive ruſticum mancipium, neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphytheuticum perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes ab hujuſmodi alienatione abſtineant, pœnas timentes, quas Leonina Conſtitutio comminatur.

Olim ex *Can. CVII. Si quis Epiſcopus, cauſa X. quæſt.II. & Can.CXIII. Apoſtolicos, cauſa XII. qu. I.* Epiſcopus, alienans res Eccleſiæ ſine neceſſitate, deponendus erat, ſicut & ex *Can CXXXIX. Nullas reſ. cauſ. XVII. q. IV.* ſi eas alienaſſet ſine licentia Primatis, ſeu Metropolitani, & Suffraganeorum; quemadmodum Abbates, & alii Clerici, ſi abſque licentia proprii Epiſcopi *Can. CXLI. Abbatibus, cauſ. XII. quæſt. II.*

In hac vero Decretali hujuſmodi alienatio prohibetur ſub ſola pœna nullitatis alienationis, cum onere ſatisfaciendi Eccleſiæ per alienationem læſæ, juxta Conſtitutionem Leonis Imperatoris, latam favore Cathedralis conſtantinopolitanæ *L. Jubemus C. de Sacroſ. Eccleſ.* extenſam poſtea ad omnes Eccleſias, & quæcumque pia loca a Juſtiniano *Auth. de non alien. §. Nos igitur, & infra, Quia vero Leonis Collat. II.*

Verum hodie, tam quoad pœnas, quam quoad ſpecies alienationis, ejuſque limitationes attendenda eſt ſequens Conſtitutio Pauli II. *in cap. unic. hoc eod. tit. inter Extravagan. commun.*

Ambitioſæ cupiditati, illorum præcipue, qui divinis, & humanis affectati, damnatione poſtpoſita, immobilia, & pretioſa mobilia, Deo dicata, ex quibus Eccleſiæ, monaſteria, & pia loca reguntur, illuſtranturque, & eorum miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis uſibus applicare, aut cum maximo illorum, ac divini cultus detrimento exquiſitis mediis uſurpare præſumunt, occurrere cupientes, omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypotecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus a jure permiſſis, ac de rebus, ac bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & cum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Conſtitutione præſenti, fieri prohibemus: Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis, ſuper hoc editis, quæ tenore præſentium innovamus, in ſuo nihilominus robore permanſuris. Si quis autem contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quicquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona Eccleſiarum, monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconſulto Rom. Pont. aut contra præſentis Conſtitutionis tenorem, ſi pontificali, ſeu abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus. Et ſi per ſex menſes, immediate ſequentes ſub interdicto hujuſmodi, animo (quod abſit) perſeveraverit indurato, lapſis menſibus eiſdem,

e re-

e regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel monaſterii, cui præſidet, in ſpiritualibus, & temporalibus ſit eo ipſo ſuſpenſus. Inferiores vero Prælati, Commendatarii, & aliarum Eccleſiarum Rectores, beneficia, vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, Canonicatibus, præbendis, aliiſque eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura, ſecularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt dumtaxat, ipſo facto privati exiſtant, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur, poſſintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint) libere de jure conferri, nisi alias diſpoſitioni Apoſt. Sedis ſint ſpecialiter, & generaliter reſervata: nihilominus alienatæ res, & bona hujuſmodi ad Eccleſias, monaſteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujuſmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, & innovationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud Sanctum Marcum, anno Dom. Incarn. MCCCCLXVIII. Kal. Martii Pontif. noſtr. An. IV.

Huc revocandæ ſunt pœnæ, ab eodem Paulo II. ſtatutæ ſequenti Conſtit. *Cum in omnibus*, 11. *Maii* 1465. contra executores beneplaciti Apoſtolici, interponentes decreta, ſeu auctoritatem pro alienatione bonorum Eccleſiæ, non ſervata forma præſcripta in altera ipſius Conſtitutione, necnon contra quoſcumque, ſic alienationem procurantes.

Cum in omnibus judiciis ſit rectitudo Juſtitiæ, et conſcientiæ puritas obſervanda, id multo magis in conceſſionibus alienationum rerum eccleſiaſticarum convenit obſervari, in quibus de Chriſti patrimonio, et diſpenſatione pauperum, non de proprio cujuſque peculio agitur, vel tractatur: quapropter oportet, ut in examinandis hujuſmodi alienationum cauſis, quæ a Sede Apoſtolica in forma, *ſi in evidentem utilitatem cedant*, oneratis eccleſiaſticorum judicum conſcientiis delegantur, nihil favor uſurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmii juſtitiam, conſcientiamque ſubvertat. Monemus igitur, & ſub interminatione divini judicii, omnibus Commiſſariis, et delegatis hujuſmodi diſtricte præcipimus, ut caute, et diligenter attendant cauſas in literis Apoſtolicis per ſupplicationes expreſſas, illaſque ſolicite examinent, atque diſcutiant, teſtes, et probationes ſuper narratorum veritate recipiant, et ſolum Deum præ oculis habentes, omni timore, ac favore depoſito, Eccleſiarum indemnitatibus conſulant, nec in læſionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem Commiſſarius, vel delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus, in gravamen, aut detrimentum Eccleſiæ per gratiam, aut timorem, vel ſordes alienationi conſenſerit, aut decretum, vel auctoritatem interpoſuerit, inferior quidem Epiſcopo, ſententiam excommunicationis incurrat; Epiſcopus vero, aut Superior ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad eſtimationem detrimenti Eccleſiæ illati nihilominus condemnandus: ſciturus quod, ſi, ſuſpenſione durante, damnabiliter ingeſſerit ſe in divinis, irregularitatis laqueo ſe involuit, a quo non niſi per Summum Pontificem poterit liberari. Is vero, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter in detrimentum Eccleſiarum alienationem fieri procuraverit, aut per ſordes, vel impreſſionem, alienationis decretum extorſerit, ſimilem ſententiam excommunicationis incurret, a qua niſi per Romanum Pontificem poſſit abſolvi; ad reſtitutionem nihilominus rerum alienatarum, cum fructibus, quandocumque de præmiſſis conſtiterit, condemnandus. Volumus autem, quod Legati, & Commiſſarii prædicti de pœnis Conſtitutionis noſtræ ſpecifice moneantur, & in quibuſcumque literis, & commiſſionibus hujuſmodi hoc ſtatutum noſtrum inſeratur. Nulli ergo &c.

Item revocanda eſt Conſtitutio Urbani VIII. contra alienantes loca juriſdictionalia Eccleſiarum, & piorum locorum *Humanæ ſalutis*, 1. *Novembris* 1625. in qua prohibetur omnis alienatio, emphyteuſis, infeodatio, locatio ultra triennium, juriſdictionum laicalium, ſeu locorum juriſdictionalium ad Eccleſias, vel pia loca, etiam laicalia, ſpectantium, per univerſam Italiam tantum, etiamſi eſſent ſolita concedi in feudum, vel emphyteuſim, vel nondum incorporata, vel a laicis uſurpata, vel nondum devoluta.

Item prohibetur remiſſio caducitatis, & non obſtante privilegio quocumque Romani Pontificis, aut conſuetudine, etiam immemorabili, aut jure communi ſcripto, & aliis derogatoriis clauſulis.

Contravenire audentes, vel præſumentes dictæ prohibitioni, incurrunt ex eadem Bulla, I. Excommunicationem, ſi non ſint Epiſcopi, vel Abbates, ſed non eſt reſervata, II. Epiſcopi, vel Abbates incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſed non eſt reſervatum. III. Si dicti Epiſcopi, vel Abbates per ſex menſes inſorduerint in interdicto hujuſmodi, incurrunt ſuſpenſionem ab adminiſtratione Eccleſiarum, ſeu monaſterio-

ſteriorum in temporalibus, & ſpiritualibus, ſed non eſt reſervata. IV. Capitula, conventus, & aliæ univerſitates incurrunt interdictum, V. Singulares perſonæ etiam dictarum univerſitatum, & alii, etiam Prælati, qui Epiſcopi, vel Abbates non ſunt, incurrunt privationem omnium officiorum, quorum bona alienarint, & privationem vocis activæ, & paſſivæ, & pœnam inhabilitatis ad prædicta, & alia obtinenda.

Tandem revocanda eſt Conſtitutio Alexandri VII. *In ſuprema*, 23. *Aprilis* 1657. in qua prohibentur fieri locationes bonorum Eccleſiarum, monaſteriorum, hoſpitalium, locorum piorum Urbis Romæ, conſanguineis, vel affi...bus uſque ad tertium gradum, Rectorum, Gubernatorum, Superiorum &c. curam habentium talium Eccleſiarum, nec directe, nec indirecte, ſub pœna nullitatis contractuum, amiſſionis fructuum, emolumentorum, inde provenientium, & excommunicationis latæ ſententiæ, Papæ reſervatæ. Si vero pro utilitate dict...rum locorum &c. expediat eas locationes fieri conſanguineis &c. præfatis, fieri debent de conſenſu capituli, Congregationis &c. reſpective per ſecreta ſuffragia cum duabus (ex tribus partibus) conſentientibus. Quoad Capellanos vero, beneficiatos, Commendatarios, Conſervatorios &c. de licentia Cardinalis Vicarii.

Circa Conſtitutionem *Ambitioſæ*.

Nota I. Prohibitionem locationis bonorum Eccleſiæ ultra triennium, in ea expreſſam, juxta communem Canoniſtarum ſententiam, quam inter cæteros ſequitur Fagnanus in mox tranſcripta Decretali *Nulli*, *num.* 43. locum non babere, quando ex fundo locato percipiuntur fructus quolibet tantum biennio, aut triennio; tunc enim locatio fieri poteſt etiam ad ſexennium, & reſpective novennium, cum dicta Conſtitutio reſpiciat duntaxat fructu...a triennalem, non temporis ſpatium.

Nota II. Nomine alienationis venire etiam venditionem fructus beneficii ad vitam, vel ad longum tempus, juxta Conſtitutionem Benedicti XIV. *Univerſalis Eccleſiæ*, 19. *Auguſti* 1741. in qua prohibentur Clerici quicumque.

Sub nomine alienandi, utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam ipſi beneficiati, per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent, ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ.

Nota III. Inter caſus, a jure permiſſos, in quibus hic Paulus declarat, fieri poſſe alienationem abſque beneplacito Apoſtolico, cum ſola proprii Prælati auctoritate, unum eſſe, quando res alienanda eſt modici valoris, dummodo tamen non ſit Eccleſiæ neceſſaria, & alienatio cedat in ipſius utilitatem, juxta ſequentem Canonem XLV. Concilii Agathenſis celebrati in Civitate Agathenſi in Gallia an 506. tempore Alarici Regis, & LI. relatum a Gratiano cauſa XII. q. II. verbis licet paulo diverſis.

Terrulas, aut Vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, aut longe poſitas, parvas, Epiſcopus ſine concilio fratrum (ſi neceſſitas fuerit) diſtrahendi habeat poteſtatem.

Cui ex declaratione Cong. Conc. ſub die 11. Januarii 1596. neque derogatum fuiſſe refert Fagnanus *loc. cit. num.* 25. ab hac Pauli Conſtit. neque a Trid. *cap. XI. ſeſſ. XXII. & ſeſſ. XXV. de reform.*

Hæc eadem facultas ex Decreto ejuſdem Congr. ſub die 17. Novembris 1703. relato a Cardinali Petra *in Commentar. ad Conſt. V. Pauli II. tit. XIX. num.* 70. competit etiam Abbatibus vere Nullius; non vero aliis Superioribus regularibus, etiam majoribus: quid quid hactenus horum favore firmaverint quamplures DD. contra expreſſam declarationem Cong. Epiſcoporum, & Regularium in Silveſtrina; cum enim P. Timotheus Caldarari, Prior Monaſterii Silveſtrinorum Saxiferrati, Nucerinæ diœceſis, pluribus vicibus alienaſſet cum licentia ſui Generalis bona ejuſdem monaſterii uſque ad valorem ſcutorum ſeptuaginta, S. Cong. ita ſcripſit Epiſcopo Nuceriæ, prout legitur in fine Regeſtri an. 1652. dictæ Congreg.

Nocera al Veſcovo,

10. *Gennaro* 1653.

Non approvano queſti Eminentiſſimi, che circa all' alienatione de beni de' Conventi *poſſano li Superiori regolari valerſi della facoltà*, *che nel Canone* Terrulas *vengano concedute ai Veſcovi*, e particolarmente dopo il Decreto della S. Cong del Concilio, publicato del 1624 per ordine della S M. di Urbano VIII. (quod leges infra Sect CCCCLI. poſt § *Quis vero*) ed altri emanati appreſſo, in eſecuzione, ed eſtenſione di eſſo. Onde, ſebene D. Timoteo Caldarari, già Priore de Monici Silveſtrini in Saſſoferrato, meriti poca pena per più alienazioni fatte da lui di alcuni beni di quel Convento, in tutto di valore di ſcudi ſettanta, avendo, come V. S. dice, inveſtito il prezzo, tuttavia *non avendolo potuto fare con licenza del Generale*, anno l'EE. loro giudicato, che egli ſia caduto nelle pene *contra alienantes*, Condeſcendano però benignamente a dar facoltà a lei medeſima di aſſolverlo dalle cenſure, perciò incorſe, e di reſtituirlo allo ſtato di prima, graziandolo dalle pene ſudette &c. attendendo in tanto di eſſere informati da V S. ſe l' inveſtimento è ſtato fatto con utile del Convento.

Ac proinde eodem die reſcripſit — Non licuiſſe, & abſolvatur —.

Ita etiam reſcripſiſſe legitur in Regeſtro ejuſdem Congr. diei 11. Januar. 1692. in *cauſa Troprein.* diœceſ. S. Severinæ in Calabria, contra P. Maibeum, Ordinis Ciſtercienſis, videlicet — *Sac. Cong. &c. referente*

vente Eño Carafa, cenſuit ab Archiepiſcopo S. Severinæ abſolvendum eſſe P. D. Matheum a cenſuris, remiſſis cæteris pænis; & quatenus conpererit, contractus fuiſſe, & eſſe utiles Eccleſiæ, illos confirmandos eſſe, ſin minus revocandas –.

Quapropter Regulares, quantumcumque exempti, in hujuſmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia, & decreto Ordinarii, ut firmat etiam Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſ. LXIX.* Videndum eſt Decretum Cong. Conc. juſſu Urbani VIII. editum, quod leges infra Sect. CCCCLI.

Si autem quæras, quæ dicantur res exiguæ, vel modici valoris, ex Decreto d. Congr. Epiſc. *in Favent.* 22. Martii 1711. relato ab eodem Petra *loc. cit. n.62.* ex ſtylo Curiæ dicuntur, quæ non excedunt ſummam XXV. ſcutorum aureorum, hoceſt ſcutorum XLI. cum obulis 25. monetæ Romanæ.

Quamvis autem Congr. Conc. (teſte Fagnan. in *cap. Nulli hoc tit.*) uſque ad an. 1612. duxerit nihil circa hanc valoris ſummam ſtatuere, ſed deducendum eſſe ex jure communi: in una tamen *Meſſanen. 29. Novembr. an. 1613. & in Baren. 12. Apr. 1692.* declaravit, poſſe Epiſcopum concedere facultatem alienandi uſque ad dicta XXV. aurea ſcuta.

Nec ultra dictam ſummam alienatio, facta ab Ordinario, ſuſtinetur, ut declaravit dicta Congr. in una *Papien. 15. Maii* 1716. Neque ſuffragatur conſuetudo, ut ex aliis ejuſdem Cong. decretis, relatis a dicto Petra num. 65. a quo ſolide reprobatur abuſus, & dolus, quo res magni valoris per plures alienationes modicas diverſis vicibus concedi poſſe ab Epiſcopis aliqui dictitarunt, cum id fieret in fraudem legis.

Nota IV. Ad incurrendam excommunicationem, latam in dicta Pauli Conſtitutione *Ambitioſæ*, requiri præſumptionem – quæ Conſtitutio (ita Amenus *de Delict., & Pæn. tom.III. tit.III. §. IV. num.32.*) *juxta DD. Card. Zabarel. in Clemen. I. de privil. Narvarro Manual. cap.* XXVII. *num.74. Quaranta verb. Alienatio, num. 9.* „ importat temeritatem, malitiam, & dolum, quibus non exiſtentibus nec crimen, nec pœna incurritur “.

Quamvis vero excommunicatio vi hujus Conſtitutionis non ſit reſervata, eſt tamen reſervata Papæ vi Triden. in cit. *cap. XI. ſeſſ. XXII.* qua ligantur etiam Regulares, ut infra dicetur ad Clementinam I. hoc eod. tit. Sect. CCCCLI.

Nota V. Controverti a DD. an ſæpe dicta Conſtitutio *Ambitioſæ* ſit ubique recepta, vel in certis locis conſuetudine abrogata ex toto, aut ex parte. Quaranta, Piaſec., & alii ſentiunt, eſſe integraliter receptam per totum orbem, Cajetan, Zypeus, Sarmiento, & alii dicunt, non eſſe ubique receptam; immo nullibi extra Italiam, teſte Zypeo, Sayrus, Donatus, Reinfenſt. Engel. Koing. Navarrus, Vallenſis, aſſerunt, receptam eſſe quoad principalem diſpoſitionem, non vero quoad pœnas. Alii tandem dicunt, conſulendam eſſe praxim, & conſuetudinem, vi cujus Epiſcopi Germaniæ, & Prælati inferiores, ſine recurſu ad Papam ſolent alienare; eorumque alienationes ſuſtinentur, ut validæ, non obſtante juramento de non alienando ſine conſenſu Papæ; ratiocinantes hoc (juramentum) in materia juris præſtitum, interpretationem recipere ex jure conſuetudinario, tacitamque habere conditionem – *ſi, vel quatenus Extravagans iſta uſu recepta eſt* –.

Verum in hoc opinionum conflictu placet animadverſio Remigii Maſchat *Inſtitut. Canonic. hoc eodem tit.* per hæc verba „ Laudabilius tamen, & tutius foret „ juramentum hoc in forma ſpecifica obſervare; cum „ non vergat in præjudicium ſalutis æternæ, capitulo „ XXVIII. *de Jurejur.*

Circa alteram Conſtitutionem laudati Pauli
Cum in omnibus.

Nota I. Commiſſarium, ſeu Judicem executorialem beneplaciti Apoſtolici in cauſæ cognitione, pro alienatione facienda, juxta Rotæ *deciſ.* XXXIV. *par.* I. *recent. num.* 3. non teneri judicialiter procedere, ſed ſatis eſſe, ut per teſtes, etiam non juratos, ei conſtet de evidenti utilitate, ſeu neceſſitate alienationis.

Nota II. Si in mandato, ſeu commiſſione appoſita ſit clauſula – *vocatis, vocandis* – non ſufficere edicti affixionem cum citatione generali, ſi adſit aliquis legitimus contradictor, de cujus ſcilicet certo intereſſe agitur, ſed debet perſonaliter citari, v. g. Epiſcopus, ſeu procurator menſæ, ſi res ad menſam pertineat, neque ſufficit, quod Papæ fuerit porrecta ſupplicatio nomine Epiſcopi, niſi conſtet de mandato ſpeciali illius.

Circa Conſtitutionem Urbani VIII.
Humanæ ſalutis.

Nota I. Nullas in ea inferri pœnas contra recipientes alienata.

Nota II. Quod, cum eadem Conſtitutio afficiat loca, intra univerſam Italiam ſita, quamplures DD. relati a *Theſauro de Pæn. Eccleſiaſt. cap. IV. verb. Alienatio*, ſentiunt intra eam contineri etiam Inſulas adjacentes: alii vero probabile eſſe putant, non contineri.

S E C T I O C C C C X L V.

Caput VI. Si quis, *ex Decretali, tributa ſextæ Synodo Romanæ, celebratæ a Symacho Papa Kal. Octobr. an* 503

SI quis Presbyterorum, Diaconorum, ſeu defenſorum alienanti prædium Eccleſiæ ſubſcripſerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: niſi forte, & alienator, et qui acceperit celeri reſtitutione ſibi proſpexerint. Quod ſi minore animæ ſuæ cura remedium oblatum neglexerint, præter pœnam ſuper hoc adſcriptam, confectum ex inde documentum viribus) quamvis ab initio nullas habuerint) vacuetur. Sed etiam licet quibuſcumque eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis offerre, et cum fructibus poſſint alienata repoſcere, et eccleſiaſtica auctoritate fulciri.

Ex-

Excommunicatio, quæ in hac Decretali eſt ferendæ ſententiæ, contra tam alienantes, quam recipientes, donec ſatisfecerit, hodie ex tranſcripta Conſtitut. *Ambitioſæ* contra utroſque eſt latæ ſententiæ, & ex Trid. Papæ reſervata, ut dictum eſt in antecedenti Sect. nota IV.

SECTIO CCCCXLVI.

Caput VII. Ad aures, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Vvigornenſi ſcripta.*

AD aures (et infra.) Illas terras, quæ de ſylvis extirpatæ, ſunt arabiles factæ, eis hæreditario jure poteris concedere ſub annuo cenſu, tenendas a quibus, ſuo, vel parentum ſuorum labore conſtiterit extirpatas. Niſi forte tunc aliis poſſint ad majorem Eccleſiæ utilitatem cum eodem labore, et onere conferri.

Hodie, attenta cit. Conſtit. *Ambitioſæ*, emphyteuſis, de qua in hac Decretali, fieri nequit ſine beneplacito Apoſtolico, dictum eſt, ſupra Sectione CCCCXLIV. etiamſi agatur de valore exigui anni red. ditus, puta juliorum ſeptem, ut declaravit Congregat. Conc. *in Traneſtina emphyteuſis*, 12. *Jan.* 1715. *Decretor. lib. LXV.*

Emphyteuſis eccleſiaſtica cujuſcumque valoris ſit, hodie ex conſuetudine, & ſtylo Congregationum Epiſcopor. & Regul. ac Concilii fieri non permittitur in perpetuum, ſed uſque ad tertiam generationem maſculinam dumtaxat. Et ſi emphyteuta in mora ſit pro ſolutione canonis, conveniendus eſt coram judice eccleſiaſtico, ut declaravit Cong. Conc. *Marſorum*, 10. *Maii* 1631. *lib. XIV. Decretor. pag.*432. *ad* II.

Subnectuntur hic Decr. Cong. Conc. & Epiſcop. & Regularium, prout referuntur in Appendice Synodi Santis Lanucci, Epiſcopi Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ ſub num. XXXV. celebratæ an. 1756.

DECRETUM CONGREG. CONCILII

Super bonis Eccleſiarum ad livellum concedendis in Parmen. 7. Octob. 1602.

I. Bona eccleſiaſtica, quæ excedunt valorem annui redditus quinquagiota ducatorum, non poſſunt dividi, ad hoc ne diminuatur valor, & reducantur infra quadraginta ducatos, ut res fiat alienabilis.

II. Non poſſunt bona eccleſiaſtica hujuſmodi alienari, ipſis Rectoribus Eccleſiarum, nec eorum conſanguineis, & affinibus uſque ad quemcumque gradum.

III. Sicut non poſſunt alienari Parochorum, & Rectorum domus, ita prohibentur etiam, ne alienentur prædia vicina, & contigua ipſis Eccleſiis.

IV. Placet etiam, ut reddatur prohibitio locationis omnium locorum piorum, ultra triennium anticipata ſolutione.

Et facta relatione SS. D. N. annuit, & mandavit expediri Breve, 7. Octobr. 1602.

Hieronymus Agaccius Secret.

ALTRO DECRETO

Della Sagra Cong. de Veſcovi ſopra le conceſſioni Enfiteutiche.

All'Arciveſcovo di Genova, li 12. Febrar. 1597.

Se gli ordina far dichiarazione per decreto particolare nel proſſimo Sinodo, ed inculcare in viſita, che a neſſuno di qualſivoglia ſtato, o condizione ſia lecito locare, inveſtire, o in qualſivoglia altro modo concedere ad altri, beni devoluti alle Chieſe, ſe ben ſoliti concederſi per il paſſato, ſe non colle debite ſolennità, e con quell' aumento, e vantaggio d' affitto, canone, o livello maggiore, che ſia poſſibile, avuto riguardo allo ſtato preſente, ed a quello, che per l' addietro ſe ne ſia cavato, come vuole la ragione: ſotto pena della nullità de' contratti, ed altre impoſte da' Sacri Canoni, e Conſtituzioni Pontificie, contro quelli, che diſtraono beni di Chieſe, o che l' acquiſtino ſenza le debite ſolennità! anzi che potendoſi ſenza far molto ſtrepito, ſi deve procurare di ricuperare i beni già fatti migliori, e devoluti alla Chieſa, e poi conceſſi per l' iſteſſo prezzo di prima, perche queſte convenzioni ſecondo la Rota ſono nulle.

Condizioni, che ſi richiedono nelle dette conceſſioni, in altri decreti della medeſima.

Per conceder licenza di far beni eccleſiaſtici in enfiteuſi, biſogna ſaper prima, come, e da quanto tempo ſono devoluti, Aprunt. 6. Martii 1602. 2. le qualità, e vero valore delle caſe, o terreni da concederſi in enfiteuſi, e loro annuo frutto. 3. che vi ſia pronta occaſione di chi voglia pigliare in enfiteuſi. 4. ſe l' inſtanza venga fatta con parere, e conſenſo capitolare. 5. ſe le caſe ſiano ruinoſe, ovvero i terreni lontani, e ſeparati dagl' altri beni della Chieſa. 6. ſe ſiano gravate di peſi di Meſſe, o di altro legato pio, o ſoggiacciano a peſo, e vincolo di veruna ſorte. 7. con quali condizioni ſi vorrebbono dare in enfiteuſi, Lanciano 20. Apr. 1647. 8. ſe appoſte le ſolite cedole, ſe ne trovi maggior offerta, ovvero qual offerta ſe ne trovi, Acquapendente 30. Settembre 1659. finalmente ſe concedendoſi la licenza ne riſultarebbe l' evidente utilità della Chieſa, e per quali raggioni, Volterra 31. Agoſto 1647.

SECTIO CCCCXLVII.

Caput VIII. Ut super, *ex Decretali Cæleſtini III. Archiepiſcopo Ravennati reſcripta*.

UT ſuper aliqua (& infra .) Sane quæſiviſti a nobis, ſi poſſeſſiones, ſive redditus regalium decimationum, et aliunde ex certis locis provenientes, quos Prædeceſſor tuus, quouſque diem clauſit extremum, ad manus ſuas tenuit, et in proprium uſum excepit, vel expendit, nec aliis infeudavit, de menſa ſint Archiepiſcopi intelligendi, et de eis cum ex ſacramento fidelitatis tenearis Apoſt. Sedi nihil alienare, contractus alienationis cujuslibet poſſit intervenire. Tuæ ergo inquiſitioni taliter reſpon. quod ſive intelligantur de menſa, ſive non, ut non alienentur, conſultius exiſtimamus. Poſſeſſiones vero, quæ Eccleſiæ tuæ minus ſunt utiles, pro aliis utilioribus de Fratrum tuorum, et ſanioris partis conſilio, et aſſenſu, alienandi, ſeu commutandi liberam concedimus facultatem.

Quoad facultatem alienandi, vel commutandi poſſeſſiones Eccleſiæ minus utiles, de qua in ſecunda parte hujus Decretalis, vide dicta ſupra cit. *Can. Terrulas* Sect. CCCCXLIV. Nota III.

SECTIO CCCCXLVIII.

Caput IX. Ad audientiam, *ex Decretali ejuſdem Cæleſtini, Epiſcopo Exonienſi ſcripta*.

AD audientiam noſtram noveritis perveniſſe, quod quidam de Canonicis Exonien. Eccleſiæ quædam prædia ejuſdem (inconſultis aliis Fratribus) in damnum ejus in perpetuum locaverunt. Ideoque mandamus, quatenus (ſi verum eſt, quod aſſeritur) locationes illas legitime revocare procures: ita quod, si eadem prædia non aliter revocari poterunt, eos, quos noveris harum locationum auctores, ad ſuſceptam inde pecuniam conductoribus refundendam, appell. rem. compellas.

In hac Decretali nullitas locationis, in perpetuum factæ a Canonico, tota refunditur in defectum conſenſus, non præſtiti a capitulo.

Verum hodie juxta ſæpe cit. Conſtit. *Ambitioſæ*, non ſatis eſt hujuſmodi conſenſus, niſi interveniat etiam beneplacitum Apoſtolicum, ut notatum eſt ſupra Sect. CCCCXLIV. & vide etiam notata ſupra Sectione CCCCXLVI.

SECTIO CCCCXLIX.

Caput XII. Cum laicis, *ex Decretali, deſumpta a Conc. generali Lateranenſi IV. celebrato ſub Innocentio III. an 1215*.

CUM laicis, quamvis religioſis, diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi: dolemus, in quibuſdam ex illis ſic refrigeſcere charitatem, quod immunitatem eccleſiaſticæ libertatis, quam non tantum Sancti Patres, ſed etiam Principes ſeculares privilegiis multis munierunt, non formidant ſuis Conſtitutionibus, vel potius deſtitutionibus impugnare, non ſolum de alienatione feudorum, ac aliarum poſſeſſionum Eccleſiarum, & uſurpatione juriſdictionum, ſed etiam de mortuariis, necnon & aliis, quæ juri ſpirituali annexa videntur, illicite præſumendo. Volentes igitur ſuper his indemnitatibus conſulere Eccleſiarum, ac tantis gravaminibus providere, conſtitutiones, & venditiones hujuſmodi feudorum, ſeu aliorum bonorum eccleſiaſticorum ſine legitimo perſonarum eccleſ. aſſenſu præſumptas, occaſione conſtitutionis laicæ poteſtatis (cum non conſtitutio, ſed deſtitutio, vel deſtructio dici poſſit, necnon uſurpatio juriſdictionum) ſacri approbatione Concilii, decernimus, non tenere, præſumptoribus per cenſuram eccleſiaſticam compellendis.

Ex

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis infertur, venditiones fundorum, aliorumque bonorum Eccleſiæ factas cum legitimo eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu valere, ſed recolendæ ſunt Conſtitutiones allatæ ſupra Sect.CCCCXLIV.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCCL.

Caput II. Hoc consultissimo, *ex Decretali Gregorii X. in Concilio generali Lugdunenſi, celebrato an 1274.*

HOc conſultiſſimo prohibemus edicto, univerſos, & ſingulos Prælatos, Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere abſque capituli ſui conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali. Non concedendo bona ipſa, vel jura in emphyteuſim, ſeu alias alienando in forma, & caſibus a jure permiſſis: ſed conſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis ea, tamquam a Superioribus, ſe tenere: ſeu ab ipſis eadem advocando, prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur, avoher, vel ipſos patronos, vel advocatos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum perpetuo, aut ad tempus non modicum ſtatuendo. Contractus autem omnes, etiam juramenti pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos (quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia, & conſenſu contigerit celebrari) & quicquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam parent. Et nihilominus Prælatos, qui ſecus fecerint, ipſo facto ab officio, & adminiſtratione; Clericos etiam, qui ſcientes, contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumptum, id Superiori denunciare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quæ in Eccleſia obtinent, ſic gravata, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero, qui Prælatos, vel capitula Eccleſiarum, ſeu alias perſonas eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem (remiſſa ſubmiſſione, quam per vim, vel metum exegerant) Eccleſias, & bona eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate dimittant. Illi vero, qui de cætero Prælatos, vel perſonas eaſdem ad talia facienda compulerint (cujuſque ſint conditionis, aut ſtatus) excommunicationis ſint ſententia innodati. Ex contractibus præterea ſuper præmiſſis) hujuſmodi licentia, & conſenſu intervenientibus) hactenus initis, vel quos in futurum iniri contigerit, ſeu occaſione illorum, laici, ultra id, quod ex natura contractuum ipſorum, vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui vero ſecus egerint (niſi legitime moniti, ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam ea, quæ taliter uſurparunt) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant: & ex tunc ad ſupponendum terram ipſorum (ſi opus fuerit) eccleſiaſtico interdicto libere procedatur.

Excommunicatio hic lata contra uſurpantes bona Eccleſiarum non eſt reſervata; ſed hodie reſervata eſt Papæ ex *cap. XI. Trid. ſeſſ. XXII. de reform.*, & *cap. XVII.* Bullæ Cœnæ, cujus textum habes in calce hujus Operis.

Quoad Clericos ſcientes, & non denunciantes, hi non incurrunt pœnam hic inflictam, ſi probare non poſſint, nec grave ſuum damnum evitare, *Theſar. de Pæn. verb. Uſurpatio cap. II.*

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO CCCCLI.

Caput I. Monasteriorum, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato an 1311. in Gallia.*

MOnaſteriorum, & aliarum adminiſtrationum Regularium diſpendiis occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto, ne quis religioſus monaſterio, prioratui, Eccleſiæ, ſeu adminiſtrationi cuivis præſidens, jura, redditus, aut poſſeſſiones ejuſdem alicui ad vitam

ejus, ſeu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quovis modo concedat: niſi neceſſitas, aut utilitas monaſterii, prioratus, Eccleſiæ, aut adminiſtrationis hujuſmodi hoc expoſcat, conventus ſui, aut ſi conventum non habeat, Prælati proprii aſſenſu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit, pœnam ſuſpenſionis ab officio eo ipſo incurrat, nec ex conceſſione ipsius recipienti jus aliquod acquiratur. Verum præmiſſa ad locationes, vel etiam redditūum, aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi.

In hac Decretali permiſſum eſt Regularibus concedere ad vitam, ſive ad aliud certum tempus cum receptione pecuniæ, jura, redditus, aut poſſeſſiones monaſterii, ſi ejuſdem neceſſitas, aut utilitas id expoſcat, accedente aſſenſu conventus, aut proprii Prælati, ſi conventum non habeant.

Verum hodie id eis interdictum eſt, niſi etiam accedat beneplacitum Apoſtolicum, ex ſæpe laudata Conſtit. *Ambitioſæ*, a qua declaratum eſt ad quot annos ſe extendat modicum tempus, quod hic Clemens indulget, ut fundi, ſeu redditus locari poſſint.

Nec per dictam Conſtit. *Ambitioſæ*, a qua aliæ pœnæ ſtatutæ ſunt contra aliter locantes, ſublata eſt ſuſpenſio in hac Clementina inflicta, ab officio ſcilicet Ordinis, & juriſdictionis; quia hic ſermo eſt de caſu particulari, & genus non derogat ſpeciei, nec lex poſterior, generaliter loquens, derogat legi antiquæ, loquenti in caſu particulari, *Theſaurus de Pæn. eccleſiaſt. cap. V. verb. Alienatio*.

Quia vero nonnulli Ordines regulares habebant privilegia alienandi ſine beneplacito Apoſtolico, cum ſpeciali derogatione, tam dictæ Conſtit. *Ambitioſæ*, quam hujus Clementinæ, eiſque ſæpe abutebantur, Urbanus VIII. ſub die 7. Septembr. 1624. per organum Cong. Conc. promulgavit ſequens decretum, quo iiſdem privilegiis expreſſe derogatum eſt.

Sacra Cong. Card. Conc. Trid. Interpetrum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebro faciunt Regulares, Apoſtolicis privilegiis innixi, ac proinde operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere; ſpeciali S.D.N. juſſu, Generalibus, Provincialibus, capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, & quibuſcumque aliis Superioribus regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Inſtituti, intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus a iure permiſſis, fieri perpetuo prohibet, atque interdicit, abſque ipſius Cong. Conc. expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, in poſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant, ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim fel. record. Pauli II. quæ incipit *Ambitioſæ*, in ſuo robore permanſuris. Alienationes vero, pacta, cenſus, hypothecas, locationes, conductiones, & conceſſiones quaſcumque, contra hujuſmodi prohibitionem faciendas, Sanct. ſuæ auctoritate ipſo jure nullas, atque irritas decernit. Non obſtantibus &c. indultis, privilegiis &c. quibus &c. Sanctitatis ſuæ auctoritate derogat.

SECTIO CCCCLII.

CAPUT II. SI UNA, *ex Decretali laudati Clementis V, in dicto Concilio Viennenſi.*

SI una Eccleſia alteri Eccleſiæ, ſeu dignitati alicui, vel præbendæ per Epiſcopum, ſuo conſentiente capitulo, uniatur, aut religioſo loco donetur, ex eo quod rector ipſius ad hoc vocatus, vel ſi vacabat, defenſor ei ſuper hoc datus non extitit, nequaquam id poterit impugnari. Quod ſi Epiſcopus (ſui etiam capituli accedente conſenſu) menſæ ſuæ, vel ipſi capitulo aliquam duxerit Eccleſiam uniendam; hoc irritum eſſe decernimus, & inane; contraria quavis conſuetudine non obſtante.

Hæc Decretalis, declarans, poſſe Epiſcopum unam Eccleſiam alteri unire, vel loco religioſo donare, limitata eſt a Conc. Trid. *cap. XIII. ſeſſ. XXIV. de refor.* prohibente hujuſmodi unionem, ſi agatur de parochiali, ut notatum eſt ſupra, & notabitur infra, cum de *cap. VIII. Sicut, tit. de Exceſſib. Prælator.*

Videnda eſt etiam Regula XIII. Cancellariæ de Revocatione unionum.

SE-

SECTIO CCCCLIII.

Caput I. Placuit, *ex Decretali, deſumpta, non a Concilio apud Valentiam, ſed juxta Gonzalez, ex Can. VII. Concilii Avernenſis, celebrati ſub Vigilio Papa an.* 541.

Placuit, ut Presbyteri plebes ſuas admoneant, ut & ipſi hoſpitales ſint, & non carius vendant tranſeuntibus, quam mercato vendere poſſunt: alioquin ad Presbyterum tranſeuntes, hoc referant, ut illius juſſu, cum humanitate ſibi vendant.

SECTIO CCCCLIV.

Caput II. Ut mansuræ, *ex Decretali, deſumpta a Synodo Moguntina, nondum excuſo, ut notat Gonzalez.*

Ut menſuræ, & pondera, juſta fiant (& infra.) Si quis juſtas menſuras, & juſta pondera cauſa lucri mutare præſumpſerit, triginta dies in pane, & aqua pœniteat.

Ex his duabus Decretalibus clare patet, onus avertendi cauponum, aliorumque mercatorum fallacias ad Epiſcoporum curam pertinere (hic enim nomine Presbyterorum veniunt Epiſcopi, qui olim Presbyteri dicebantur, *Can. XXIV. Legimus, diſt. XCIII. Can. V. Olim, diſt. XCV.* prout etiam ſtatuitur *in L. I. C. De Epiſcop. audien. L. ult. C. Ut nemini liceat in empt. ſpec.* ne ſcilicet ſinerent neceſſaria tam peregrinis tranſeuntibus, quam aliis quibuſcumque vendere ſupra commune pretium, pondera, menſuraſve, adulterando *L. in lege LXII. & L. Sequenti D. ad legem Falcidiam*, & contra facientibus pœnitentiam imponerent, ut in cit. Decretali, *Ut menſuræ*.

Verum hanc curam hodie politicis ſingularum civitatum judicibus reliquerunt; ita ut in his rebus, ne ullum quidem eccleſiaſticæ juriſdictionis veſtigium remanſerit.

Quod attinet ad triginta dierum pœnam imponendam, poſtquam receſſum eſt a veteri, & primitivo eccleſiaſticæ diſciplinæ fervore, hodie in foro animæ (ſicut & aliæ ſimiles pœnæ, in Canonibus Pœnitentialibus ſtatutæ) eſt arbitraria, & relinquitur arbitrio Confeſſarii, *cap. VIII. Deus qui de pœnit. & remiſ.* Juncto *Can. LXXXVI. Menſuram de pœnit. diſt. I.*

SECTIO CCCCLV.

Caput V. Ad nostram, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Pennenſi ſcripta.*

Ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod cum R. laicus, lator præſentium ab M. mutuum recipere voluiſſet, creditor, ne per Canonem, contra uſurarios editum, poſſet in poſterum conveniri, domos, & olivas recipit ab eodem, titulo emptionis, cum revera contractus uſurarius ageretur: quod patet ex eo, quod creditor debitori promiſit, quod quandocumque a ſeptennio uſque ad novennium daret LX. uncias tarenorum, quæ vix dimidiam juſti pretii contingebant, domos ejus reſtitueret, & olivas. Quia igitur fraus, et dolus cuiquam patrocinari non debent: mandamus, quatenus, ſi res ita ſe babet, inſtrumento venditionis confecto in fraudem Canonis promulgati contra uſurarios, non obſtante, prædictum M. ad reſtituendas domus, et olivas ei, ad quem debent hæreditario jure devolui (cum debitor ſit viam univerſæ carnis ingreſſus) per pœnam in Lateran. Concilio contra uſurarios promulgatam, appellatione remota, compellas.

Hanc

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod novi aliquid eidem acceſſerit, ſed ne Tyrones Canoniſtæ, ex ipſa inferant, indiſcriminatim prohibitam eſſe, tamquam uſurariam emptionem, & venditionem, cum pacto redimendi, ſeu retrovendendi, poſt certum conventum tempus: quandoquidem hujuſmodi pactum licitum eſt *L. II. C. de pact. inic. empt.*, *& cap. X. de Fide inſtrumentor.*, *& Extravag. I. & II. inter comun. hoc eod. tit.* Et ſi iſtud pactum adjicitur gratia emptoris, pretium augetur: ſi vero gratia venditoris minuitur: facta autem revenditione, ſi res vendita, ſit fructifera, illius fructus immaturi pendentes dividendi ſunt pro rata inter utrumque *§. XLI. Inde rer. Domin.*

Cavendum tamen eſt, ne pretium ſit adeo vile, ut argui poſſit, animum emptoris eſſe potius mutuandi, quam emendi, & nolle mutuum dare, niſi hoc modo; potiſſimum, ſi aſſuetus eſſet uſuris, & venditor maxime preſſus egeſtate, indigeret pecunia; quia tunc eſſet uſura palliata, & res empta tamquam in pignus cauſa ſecuritatis retineretur, prout eſt caſus præſentis Decretalis.

Non immoror hic in recenſendis Propoſitionibus proſcriptis circa uſuram paliatam, quia de his inſtituetur ſermo ſuo loco lib. V. tit. XIX.

Huic palliato contractui non abſimilis eſt contractus *Mohatra*, quo mercator vendit merces ſummo pretio juſto non recepta pecunia, cum pacto, ut ab emptore, ea indigente, ſtatim eaſdem emat pretio infimo, pecuniam numeratam illi dando: & iſte contractus, ut vere uſurarius, merito damnatus ab Innoc. XI. prout ex propoſitione la XL. in ordine inter alias ab eodem proſcriptas.

Eodem Titulo in extravagantibus Communibus.

SECTIO CCCCLVI.

Caput I. Regimini, *ex Decretali Martini V. Trevirenſi, Lubicinenſi, & Almicenſi Epiſcopis ſcripta.*

Summa hujus Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, eſt. Emptio, & venditio cenſus annui, ex bonis immobilibus declaratur licita cum ſequentibus tamen conditionibus.

I. Ut illa bona, ſuper quæ conſtituitur cenſus annuus, in contractu exprimantur, ac determinentur.

II. Ut cenſus annuus, qui conſtituitur in ejuſmodi bonis, ſit proportionatus valori onerum, laborum, & fructuum, qui deductis annuis oneribus, laboribus, vel induſtriis poſſeſſorum, annuatim percipiuntur, vel ſpectato medio termino fructuum variantium juxta qualitatem locorum, & temporum veroſimiliter expectantur.

III. Ut bona illa, in quibus cenſus conſtituitur, obligentur emptori in perpetuum.

IV. Ut cenſus ſit tantum redimibilis a venditore, non autem ſit redimibilis ex parte emptoris, itaut venditori liceat ſummam ſibi in pretium venditionis ſolutam emptori reſtituere, non autem liceat emptori eam ſummam repoſcere.

V. Ut ſi illa bona fructificantia penitus deſtruantur, vel deſolentur, ceſſet ex parte venditoris obligatio præſtandi cenſum annuum.

VI. Ut pretium venditionis ſolvatur venditori integraliter in numerata pecunia.

VII. Ut conſuetudo ſic vendendi, & emendi cenſus annuos jam a tempore immemorabili ſit legitime præſcripta, & ab Epiſcopis locorum approbata.

Deficientibus ſecunda, & quinta ex his conditionibus, jure naturali requiſitis, contractus eſt intrinſece uſurarius: reliquæ vero exiguntur jure poſitivo ad precludendum periculum generale, miſcendi variis modis latens venenum uſurarium, & palliandi vitium honeſto ſubventionis prætextu.

Eumdem hunc contractum ab eodem Martino pro Civitate, & Diœceſi Vratislavienſi, ut licitum declaratum, iiſdem fere verbis approbavit Caliſtus III. pro Germania, eo ſolo diſcrimine, quod aliqua explicatius expreſſerit, præſertim irredimibilitatem cenſus ex parte emptoris, ut ex ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. II. Regimini.*

His Martini, & Caliſti Decretalibus ſubſequuta eſt Conſtitutio S. Pii V. *Cum onus*, 19. *Januar.* 1596. qui, confirmatis præfatis conditionibus, alias ſuperaddidit, quas quiſque ſecernere poteſt in eadem, quæ ſubnectitur, Conſtitutione.

I. Hac igitur noſtra Conſt. ſtatuimus, cenſum, ſeu annuum redditum creari, conſtituere nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit.

II. Rurſum, niſi vere in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, ac notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius, recepto integro, juſtoque pretio.

III. Solutiones, quas vulgo anticipatas, appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

IV. Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad caſus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non teneretur, nullo modo valere volumus.

V. Quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, quia volumus rem ipſam libere, & ſemper, ac ſine ſolutione laudemii, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

VI. Ubi

VI. Ubi autem vendenda ſit, volumus dominum cenſus aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.

VII. Pacta continentia, moroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria, aut ad ſalaria, ſeu expenſas, medio juramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſubjectam, ſive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, ſive aliunde acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla.

VIII. Immo, & cenſum augeri, & novum creari ſuper eadem, vel alia re in favorem ejuſdem, aut perſonæ, per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

IX. Sicuti etiam annullamus pacta, continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem alias de jure, & ex natura contractus non ſpectarent.

X. Poſtremo cenſus omnes, in futurum creandos, non ſolum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui, non obſtante longiſſimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum, & plurium annorum præſcriptione, non obſtantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte, talem facultatem auferentibus, quibuſcumque verbis, aut clauſulis concepta ſint.

XI. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & poſt denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti poſſe, & ubi pretium, nec volens intra bimeſtre ſolvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus, quandocumque redditum extingui poſſe, prævia tamen ſemper denuncia, de qua ſupra, & non obſtantibus his, de quibus ſupra, idque obſervari mandamus etiam quod pluries, ac pluries denunciatum fuiſſet, nec umquam effectus ſecutus fuiſſet.

XII. Pacta, etiam continentia pretium cenſus extra caſum prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus.

XIII. Contractusque, ſub alia forma poſthac celebrandos, feneratitios judicamus. Et ità illis propterea, non obſtantibus, quidquid vel expreſſe, vel tacite contra hæc noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a Fiſco volumus poſſe vendicari.

XIV. Hanc autem ſalutiferam ſanctionem, nedum in cenſu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo poſt publicationem Conſtitutionis creatus ſit, perpetuo, & in omnibus ſervari volumus.

XV. Declarantes, pretium ſemel cenſui conſtitutum, numquam poſſe ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui, vel augeri.

XVI. Et licet legem ipſam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos ſub alia forma pervenerunt cenſus, hortamur in Domino, ut ſingulos contractus cenſuræ bonorum religioſorum ſubjiciant, & animarum ſaluti conſulant.

Cum autem circa hanc Conſtitutionem exorta fuerint nonnulla dubia, idem Pontifex ea declaravit ſequenti Conſtitutione, edita 10. Junii 1570.

I. Pridem enim per Conſtitutionem noſtram de cenſuum creatione inter alia voluimus cenſus omnes in futurum creandos, non ſolum re, in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa in totum effecta, ad ratam perire, ſed etiam pro eodem pretio extingui poſſe: ac pacta, continentia, moroſum cenſus debitorem ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu ſalaria, & expenſas, medio creditoris juramento liquidandas, teneri, aut rem cenſui ſubjectam, ſive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus, ſive ex eodem contractu, ſive aliunde acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere ex toto, nulla atque irrita eſſe. Cenſum autem, ſeu annuum redditum, nonniſi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur, ex ſui natura fructifera, atque nominatim certis finibus deſignanda ſit, ſed nec cenſum ipſum, niſi vere in pecunia numerata, præſentibus notario, & teſtibus in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius, recepto integro, juſtoque pretio creari, conſtituive nullo modo poſſe.

II. Deinde per dilectum filium Octavium Spinolam, Regni Siciliæ magiſtrum Portulanum hac de cauſa ad nos deſtinatum, accepimus, in dicto Regno Siciliæ, ſcrupulum exoriri, an rerum

rum prædictarum infructuoſitas etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

III. Et, an per nullitatem pactorum, & aliorum prædictorum, etiam jus recuperandi, ſive repetendi impenſas, quas litigando contra moroſos prædictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex judicum mandato ſubire oportet, auferatur.

IV. Præterea, an tam pro ipſis expenſis, quam etiam pro cenſu recuperando contra tertium poſſeſſorem procedi, & etiam fidejuſſiones dari, aliave bona pro prædii cenſu gravati evictione, & ipſius cenſus ſolutione hypothecari. Denique, an cenſus hujuſmodi ſuper pluribus rebus, inter ſe diviſis, conſtitui poſſint.

V. Poſtremo, an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat, quominus in dotium aſſignatione cenſus creari poſſit.

VI. Nos hæc diſcrimina, quantum in nobis eſt, tollere cupientes, tenore præſentium declaramus, rem in fructuoſam, quæ tota, vel ex parte infructuoſa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribuſve annis, ſive tempeſtate, ſive alio caſu non proveniunt, ſalva alias juris communis diſpoſitione intelligi debere.

VII. Præterea exactionem illarum expenſarum prohiberi, quæ ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita, & inſtrumento cenſus ſpecialiter appoſitæ, refici promittuntur, non autem eæ, quæ ex dicti juris diſpoſitione repetendæ veniunt, & mandato judicis adjudicantur.

VIII. Cæterum fidejuſſores dari, aliave bona hypothecari pro prædii cenſus gravati evictione, aut ſi prædium in alium devenerit, aut aliquis tertius fidejuſſor interceſſerit, tertium poſſeſſorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Hæc autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem ſolutione pœnæ adjudicari poſſe intelligimus.

IX. Poſtremo in dotium aſſignandarum caſu, cenſuum creationem, & conſtitutionem prædictam reſpectu actualis numerationis coram Notario, & teſtibus faciendæ, locum non habere. Sed in hoc caſu cenſus ipſos, etiam pecunia ad manum non habita creari poſſe declaramus.

X. Denique, ut periculis, quæ ex tranſportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt occurratur, permittimus, ut ſi in creatione cenſus pecuniam ad manum commode habere nequierit, illius loco, emptor apocam, ſive cedulam bancariam idoneam integri pretii venditori in ipſo emptionis actu debeat exhibere.

XI. Conſtitutione noſtra prædicta, tam in caſu dotium, quam cæteris omnibus, in ea contentis, in ſuo robore permanentibus.

Allatam Conſtit. *Cum onus*, ut refert Vvagnerex *ad cap. II. Regimini, il 2. hoc eod. tit.* „ inſtante Philippo II. Hiſpaniarum Rege pro Regno Siciliæ ultra „ Pharum, ad terminos Conſtit. Nicolai V. (de qua „ infra) reduxit Gregorius XIII. an. 1574. edita alia „ Conſtit. quæ incipit *Ad perpetuam rei memoriam*: „ unde (ſic proſequitur laudatus Auctor) evidens eſt, „ non omnes conditiones a Pio V. appoſitas, jure di„ vino, aut naturali obligare, ſed poſitivo eccleſiaſti„ co, iis tantum locis, ubi eſt recepta “ quam non fuiſſe promulgatam, nec uſu receptam ex Tamburino refert Felix Poteſtas loco infra citando, in Gallia, Germania, Belgio, & in Regno Siciliæ.

Nota I. In dicta Conſtit. *Cum onus*, non præſcribi, an cenſus redimi poſſit a venditore, ſeu cenſuario unica, vel pluribus ſolutionibus, ex conſuetudine tamen redimi poteſt pro medietate, niſi aliter conventum ſit inter partes. Quamvis Cincius *quæſt. CX. num. 3. & ſeqq. de Cenſibus*, ſuſtineat, cenſum eſſe de ſui natura dividuum, & ſic nullo etiam interveniente pacto, redimi poſſe per partes, invito licet domino.

Nota II. Neque taxari pretium, ſeu quantitatem penſionis poſticipate ſolvendæ de ſemeſtre, in ſemeſtre pro qualibet centenario, & anno: & merito quidem: cum enim rerum pretia pro locorum, & temporum diverſitate varientur, item pro copia, & penuria ementium, aut vendentium, generaliter ſtatui non poteſt dicta quantitas; unde metienda eſt juxta regionum conſuetudinem, dummodo non exceedat valorem redituum, qui annuatim ex fundo cenſito percipiuntur: alias committeretur uſura, ut appoſite notat Fagnanus ad *cap. VI. In Civitate, de uſur. n.22. & ſeqq.*

Nota III. Nicolaum V. indulſiſſe, ut in Regno Siciliæ hæc quantitas eſſe poſſet etiam decem pro quolibet centenario, ut ex ejus Conſtit. *Solicitudo paſtoralis*, 30. *Septembr.* 1452. quæ tamen ſumma in eodem regno redacta poſtea fuit a Philippo II. ad quinque tantum, ſub pœna nullitatis contractus cenſuarii, prout videre eſt in Pragmat. ejuſdem Regni *tit. XLVI. Pragmat. III. de cenſib.* quamvis, hac taxa non obſtante, hodie in præfato Regno permitti etiam ad ſeptem refert Felix Poteſtas *Exam. Confeſ. tom. I. par. II. cap. II. n.2444.*

Nota IV. Benedictum XIV. per ſuum Motum proprium ſub die 7. Septembr. 1745. incip. *Ci è ſtato riferito*, reduxiſſe fructus cenſuum a Communitatibus ditionis eccleſiaſticæ, hactenus venditorum, ac cambiorum, ad quatuor tantum pro qualibet centenario: licet prius Clem. VIII. Conſtit. *Quæ ad ſublevationem*, 1. *Maii* 1592. pro circumſtantia illorum temporum reduxerit favore earumdem Communitatum ad rationem ſeptem.

Titu-

SECTIO CCCCLVII.

CAPUT II. VESTRA, *ex Decretali Honorii III. non Innocentii III.* (*ut legitur in vulgato Codice*) *Abbati, & Conventui S. Petri de Pratellis, Lexovienſis Diœceſis, reſcripta.*

VEſtra nobis relatio declaravit, quod, cum ad firmam fructus veſtrarum dare conſueveritis decimarum (& infra.) Diœceſ. Epiſcoporum ſtatuto contrario non obſtante, veſtrarum decimarum proventus illis libere locare poteſtis, cum quibus Eccleſiæ veſtræ conditionem poteritis facere meliorem; ita tamen, quod hujuſmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi.

Libera facultas hic conceſſa locandi proventus Eccleſiæ, limitanda eſt juxta diſpoſitionem Conſtitutionis Pauli II. in qua prohibetur, ne fiat ultra triennium ſine beneplacito Apoſtolico, ut notatum eſt ſupra ad *c. Nulli V. De reb. Eccleſ. non alien.* Sect. CCCCXLIV.

Notanda pariter eſt Conſtit. Benedict. XIV. *Univerſalis Eccleſiæ*, 29. *Auguſti* 1741. in qua prohibentur ceſſiones exigendi fructus beneficiorum ſub pœna excommunicationis, & annullantur.

SECTIO CCCCLVIII.

CAPUT III. PROPTER, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui ſcripta.*

PRropter ſterilitatem, afficientem magno incommodo conductores, vitio rei ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, colonis Eccleſiæ tuæ pro rata penſionis remiſſio eſt facienda, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari. Verum, invito inquilino, domum inhabitare, vel reficere poteris, ſi neceſſitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id expoſcat; remiſſa ſibi pro reſiduo temporis penſione, qui etiam inde rationabiliter amovetur, ſi perverſe ibi fuerit converſatus, vel cum canonem per biennium non ſolviſſet, ſibi ſatisfactione celeri non providit.

Hanc Decretalem tranſcribo, ut intelligatur, quæ ſterelitas attendenda ſit, ut locum habeat in praxi remiſſio, ſeu condonatio annuæ penſionis, creditori facienda, hic a Pontifice præſcripta.

Diſcrepant quidem DD. in ea determinanda, in quatuor claſſes diviſi: magis tamen recepta ſententia, juxta Barboſam hic num. 3. & Azorium *par. III. lib. VIII. de Locato, cap. X.* tenet, eam eſſe judicandam, „ quando ex fructibus percæptis non poteſt dimidia „ pars debitæ penſionis perſolvi “.

Item cum inter alias cauſas amovendi inquilinum a domo, ei locata, hic a Pontifice aſſignatas, una ſit, ſi diſtulerit ſolutionem canonis, id eſt penſionis, per biennium, niſi celeriter moram purgaverit, juxta praxim Tribunalium hodie attenditur jus cæſareum, itaut non expectandum ſit biennium, ſed ſtatim expelli poſſit, ſi debito tempore penſionem non ſolveret. Quæ intelligenda ſunt in contractu locationis, & conductionis, in quo hodie ex praxi, communiter recepta purgatio moræ non admittitur; ſecus eſt in contractu emphyteuſis, in quo ex benignitate Eccleſiæ ad impediendam caducitatem purgatio moræ ſemper admittitur.

SECTIO CCCCLIX.

Caput IV. Potuit, *ex Decretali ejuſdem Gregorii.*

Potuit emphyteuta (Eccleſia primitus requiſita, eique nunciato, quantum ſibi ab aliis offertur, ſi nolle ſe emere dixerit: vel a denunciationis tempore duorum menſium ſpatium ſit elapſum) meliorationes, & jus ſibi competens aliis vendere: qui ab emptione hujuſmodi minime prohibentur. Emphyteuta quoque ſecus præſumendo, vel ceſſando in ſolutione canonis per biennium (niſi celeri ſatisfactione poſtmodum ſibi conſulere ſtuduiſſet) juſte potuiſſet repelli, non obſtante, quod ei, ut canonem ſolveret non extitit nunciatum, cum in hoc caſu dies ſtatuta pro domino interpellet.

Licet hæc Decretalis non ſit revocata per Extravagantem *Ambitioſa*, quando emphyteuſis conceditur cum beneplacito Apoſtolico in perpetuum, ita, ut tranſitoria ſit ad hæredes quoſcumque, etiam extraneos, locum tamen non habet, ſi conceſſa ſit ad certum tempus, vel ad tertiam generationem, ut fieri ſolet; tunc enim, elapſo tempore, vel finita generatione, dominium utile conſolidatur cum dominio directo, & tranſit ad Eccleſiam, nec emphyteuta jus illud alienandi habet; eo multo minus de eo poterit diſponere, ſi emphyteuſis conceſſa fuerit cum clauſula, ut melioramenta omnia cedant ſolo.

Titulus XIX. De rerum permutatione.

SECTIO CCCCLX.

Caput I. Si Princeps, *ex Decretali, deſumpta a Concilio apud Silvanectum; ſeu potius ex Novella VII. Juliani Anteceſſoris de reb. Eccleſ. non alienand.*

Si Princeps voluerit rem immobilem ſanctis locis præſtare, & accipere ab eis aliam immobilem, eoque modo de communi voluntate permutationem contrahere; liceat ei hoc facere, ſi cauſa rationabilis id expoſcat, & res, quam præſtiterit, major fuerit, vel æqualis, pragmatica ſanctione ſuper hoc promulgata.

Hæc Decretalis, in qua permiſſa eſt permutatio rei immobilis Eccleſiæ cum re mobili æquali, vel majoris valoris, ſi hanc Princeps præſtare voluerit, & cauſa rationabilis id expoſcat, hodie locum amplius non habet, attenta Extravagante *Ambitioſa*, ut notatum eſt ſupra Sect. CCCCXLIV.

SECTIO CCCCLXI.

Caput III. Mancipia, *ex Decretali, deſumpta a dicto Concilio apud Silvanectum, ſeu potius apud Carſiacum.*

Mancipia eccleſiaſtica, niſi ad libertatem, non convenit commutari, videlicet, ut mancipia, quæ pro eccleſiaſtico homine dabuntur, in Eccleſiæ ſervitute permaneant, & eccleſiaſticus homo, qui commutatur, fruatur perpetua libertate; quod enim ſemel Deo conſecratum eſt, ad humanos uſus transferri non decet.

SE-

SECTIO CCCCLXII.

Caput IV. injustum, *ex Decretali, deſumpta a laudato Concilio, ſeu Carſiaco.*

INjuſtum videtur, & impium, ut mancipia, quæ fideles Deo, & Sanctis ejus pro remedio animæ ſuæ conſecrarunt, cujuſcumque muneris mancipio, vel commutationis commercio iterum in ſervitutem ſecularium redigantur, cum canonica auctoritas ſervos tantummodo permittat diſtrahi fugitivos. Et ideo Eccleſiarum Rectores ſummopere caveant, ne eleemoſyna unius, alterius peccatum fiat: & eſt abſurdum, ut ab eccleſiaſtica dignitate ſervus diſcedens, humanæ ſit obnoxius ſervituti.

Cum hodie inter Chriſtianos non detur amplius rigoroſa ſervitus, ſic nec mancipia ſub Eccleſiæ poteſtate, de quibus ſermo eſt in his duabus Decretalibus: niſi agatur de mancipiis, ſeu ſervis adſcriptitiis, & originariis.

Circa ſervos vide differentiam, notatam ſupra Sect. CXXX. inter qualitates ſervorum, & conformiter ad ipſam hic fiat expoſitio.

SECTIO CCCCLXIII.

Caput V. Quæsitum, *ex Decretali Urbani III. ignotum, cui reſcripta.*

QUæſitum eſt ex parte tua, ſi commutationes fieri valeant præbendarum, cum commutatio dignitatum in Turonenſi Concilio fuerit interdicta (& infra.) Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpirituali a, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ. Si autem Epiſcopus cauſam inſpex erit neceſſariam. licite poterit de uno loco ad alium transferre perſonas, ut quæ uni loco minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere.

Huic Decretali, in qua declarat Pontifex, permutantes beneficia auctoritate propria, ſimoniam committere (non quidem juris naturalis, ſed eccleſiaſtici, cum non detur ſpirituale pro temporali) acceſſit Decretalis Pauli II. relata in *cap. II. Cum deteſtabile inter Extravag. comun.* in qua contra taliter permutantes infligitur excommunicatio, quæ juxta communiſſimam Theologorum, & Canoniſtarum opinionem, eſt latæ ſententiæ, & Papæ reſervata.

Circa facultatem in hac, & aliis Decretalibus, Epiſcopo tributam, admittentibus beneficiorum permutationes, notanda ſunt animadverſa a Benedicto XIV. *lib. XIII. cap. XXIV. de Synod. Diœc. edit. anno* 1755. *num. 9. & 10.* ibi „ Permutationes beneficiorum non „ complectitur Bulla S. Pii V. quia, licet ipſe in ſua „ Conſtit. XLII. ſuſpenſam voluerit, quouſque aliter „ ſtatuiſſet, facultatem, qua Ordinarii gaudebant, „ admittendi beneficiorum reſignationes, & permuta„ tiones; cum tamen ſubinde in ſua Conſtitut. LVIII. „ eandem ſuſpenſam facultatem Ordinariis reſtituerit, „ de reſignationibus ita locutus eſt, ut opportuniores „ quaſdam, novaſque reſtrictiones, & cautelas circa „ illas induxerit, ac ſtatuerit, at de permutationibus „ ita indefinite decrevit: *Ad hac beneficiorum, &* „ *officiarum permutationes admittere, quæ canonicis* „ *ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus per*„ *mittuntur*,

„ Complectitur tamen piana Conſtitutio permu„ tationes, quæ mala fide, ac fraudolenter coram „ Ordinariis fiunt, quia S. Pontifex in eadem Conſt. „ uti ſupra dictum eſt, eas tantum permutationes ad„ mitti concedit, quæ ſint ſanctionibus canonicis con„ ſonæ; quod perinde eſt, ac dicere, quæ reſpiciant „ utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ, aut in quibus „ permutantium utilitas quodammodo in utilitatem „ vergat Eccleſiæ. Quapropter, ſi quæ permutantur „ beneficia, valde diſparis ſint redditus, ſi is, qui „ pinguius beneficium obtinet, provecta jam eſt æta„ te, ac infirma valetudine, illudque permutare ve„ lit cum beneficio tenuioris redditus, quod ſuus, vel „ Epiſcopi conſanguineus obtinet; hujuſmodi permu„ tatio non eſt ad Canonum normam exacta; quinimo „ doloſa eſt; ideoque pianæ Conſtit. adverſatur “.

Præterea circa publicationem faciendam poſt admiſſam beneficiorum permutationem, attendenda ſunt diſpoſita in Conſtitutionibus Gregorii XIII. & mox laudati Benedicti, quarum tenorem ſupra retuli in notis ad *cap. IV. Admonet de Renunciat. §. Hæ autem reſignationes*, Sect. LXXII.

S E C T I O C C C C L X I V.

CAPUT UNICUM, LICET IN TUA, ex *Decretali Bonifacii VIII. Bituricenſi Epiſcopo ſcripta.*

Hanc Decretalem hic non tranſcribo, cum jam retulerim ſupra Sect. CCCLXIV. poſt §. *Quoad permutationem*, cum neceſſariis adnotationibus. Pro complemento tamen præſentis materiæ iterum mentionem facio de prohibitione S. Pii V. (de qua ſupra) ne ſcilicet beneficia vacantia per reſignationem, etiam ex juſta cauſa admiſſam, conferantur per Epiſcopum, vel alium collatorem ſuis, aut reſignantis conſanguineis, affinibus, vel familiaribus Epiſcopi. Quæ prohibitio locum habet etiam in Eccleſiis parochialibus, & beneficiis, curam animarum habentibus, quæ conferuntur per concurſum, ut ex decreto Cong. Conc. approbato a Gregorio XIII. prout reſcripſit Epiſcopo Cremonenſi *lib. I. Decretor. pag. 145. & ſeq. ad an.* 1573. ſubdens propterea, monendum eundem Epiſcopum, ne hujuſmodi familiares, vel conſanguineos ad concurſum admittat, etiamſi eorum aliquis ſe cum aliis examinari petierit: & ſi fuerit admiſſus, atque idoneus repertus, beneficium ei conferri non poſſit.

Dictam autem pianam prohibitionem, quoſdhos, declaravit Sixtus V. non habere locum in Eccleſiis, aut beneficiis, curam animarum habentibus, vacantibus per obitum, quam declarationem per extenſum refert Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. XIII. cap. XXIV. num.6.* ubi ſimul rationem diſparitatis aſſignat; primo nempe, quia nec S. Pius, nec Gregorius unquam locuti ſunt in reſpectivo decreto de caſu vacationis per obitum ſed tantum de caſu vacationis per reſignationem; unde fieri non debet extenſio ab hoc ad illum caſum ab ipſia non comprehenſum: deinde, quia in vacationibus per reſignationem irrepere poſſunt fraudes, doloſique circuitus, qui nullo modo, vel ſaltem difficilius, poſſunt occurrere in vacationibus per obitum.

Titulus XXII. De Fidejuſſoribus.

S E C T I O C C C C L X V.

CAPUT I. CLERICUS, *ex Decretali, deſumpta a Can. XIX. Apoſtolorum.*

CLericus fidejuſſionibus inſerviens, abjiciatur.

In hac Decretali prohibetur Clericis frequenter fidejubere, hoceſt creditori promittere pro debitore ſe ſoluturos in illius defectum: & quidem ſub pœna degradationis, ſeu depoſitionis, niſi urgeat pietas, ut addit Gloſſa ad *can. XXIX. Te quidem, cauſ. XI. quæſt. I.*

Verum hæc pœna hodie obſolevit: imo ſi de facto fidejuſſerint, valebit fidejuſſio, & ex ea conveniri poterunt, ut cum Innocentio IV. fere omnes Interpretes colligunt ex cap. II. mox tranſcribendo.

Eſt hic tamen notandum, quod ex decreto Cong. Conc. 15. Martii 1642. ſicuti Clerico, conſtituto in ſacris, interdicta eſt alienatio patrimonii ſine licentia Epiſcopi, ita etiam fidejuſſio ſuper bonis, & fructibus ejuſdem patrimonii; juxta tamen ſequentem hanc declarationem ſub die 3. Feb. 1604. prout reperitur *libr. XVII. Decretorum dict. Congregat. pag. 18.* Sacra Congregatio Concilii cenſuit, neque in ejuſmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum neceſſariis executioni locum eſſe poſſe: elicere autem capere in cauſam judicati eam fructuum partem, quæ quotannis ſupereſſet ultra eam, quæ ad ordinati ſuſtentationem, non laute, ſed tenuiter vivendo, judicis eccleſiaſtici arbitratu fuerit neceſſaria. Poſſet autem ipſum creditorem accipere in ſolutum, atque vendere jus ſibi competens ad hujuſmodi patrimonium, quod per mortem ipſius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria, pertinebit —.

S E C T I O C C C C L X V I.

CAPUT II. PERVENIT, ex *Decretali Lucii III. Archiepiſcopo Helienſi, & Archidiacono Norvicenſi ſcripta.*

PErvenit ad nos ex conqueſtione R. Clerici, quod cum ipſe pro G. & E. Clericis, mercatoribus Bononienſibus fidejuſſerit: illis præſcriptam pecuniam non ſolventibus, coactus eſt ſatisfacere de eadem. Ne igitur diſpendium patiatur, unde videtur præmium meruiſſe: Bononienſi Epiſcopo dedimus in mandatis, ut ſuper debitis illis inſtrumenta, quæ ſunt apud cre-

creditores, inſpiciat, & eorum tranſcripta, ſuo ſigillo ſignata, vobis mittere non po ſtponat. Mandamus itaque diſcretioni veſtræ, quatenus, ſi ex confeſſione prædictorum Clericorum, vel alias legitime vobis rem ita ſe habere conſtiterit, moneatis eoſdem, ut memorato R. pecuniam, quam pro eis ſolvit, reſtituant, ipſumque ſervent indemnem: alioquin de redditibus eorum præſcripta debita faciatis exſolvi, & damna etiam, quæ propter hoc pertulit, reſarciri: aut prædictos redditus ſibi aſſignetis, tamdiu ſine moleſtia detinendos, donec ipſa damna reſarcita fuerint, & debita ſine deminutione ſoluta. Præfatos vero Clericos, ſi religionem fidei, & juramenti ſui eos violaſſe conſtiterit, ab officio, & beneficio ſuſpendatis.

Ex hac Decretali apparet, fidejuſſoribus ſolventi pro debitore principali ſalvam eſſe actionem repetendi quod pro eo ſolvit; quæ tamen ei competit poſt ſolutionem dumtaxat, non autem antea, niſi in his tribus ſequentibus caſibus, exceptis a Gregorio IX. in ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. V. Eum, pro quo*, in quibus ante ſolutionem poteſt debitorem convenire, videlicet.

I. Si hic diu ſolvere diſtulit:

II. Quando incipit bona ſua diſſipare, ſi poſt inchoatam diſſipationem ſe non emendaverit.

III. Quando fidejuſſor in judicio condemnatus eſt ad ſolvendum: (idem eſt, ſi poſt concluſionem in cauſa, manifeſte ſit in periculo condemnationis) ibi.

Eum, pro quo te fidejuſſorem obligaſti, ſi diu in debiti ſolutione ceſſavit, aut diſſipare bona ſua cæpit, ſeu ſuper hoc condemnatus fuiſti, jure poteris convenire, ut te a fidejuſſione debeat liberare.

SECTIO CCCCLXVII.

Caput IV. Quod quibusdam, *ex Decretali Innocentii III. ex Conc. generali Lateranenſi IV. habito an* 1217.

Quod quibuſdam Religioſis a Sede Apoſtolica eſt prohibitum, volumus, & mandamus ad univerſos extendi; ne quis videlicet Religioſus abſque majoris partis capituli, & Abbatis ſui licentia pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat ultra ſummam, communi providentia conſtitutam, alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus reſpondere; niſi forte in utilitatem domus ipſius manifeſte conſtiterit redundaſſe. Et qui contra iſtud ſtatutum venire præſumpſerit, graviori diſciplinæ ſubdatur.

Ex hac Decretali aperte conſtat, quemquam, ex Regularibus pro aliquo fidejubere non poſſe ſine ſui Abbatis, & majoris partis capituli licentia. An vero indiſcriminatim hoc ei liceat etiam cum tali licentia, diſtinguendum eſſe cenſeo, vel enim agitur de fidejuſſione in re parva, raro facta, ac ex rationabili motivo: & tunc id ei licere cum dicta licentia, tenet *Pirhing. lib. III. Decretal. tit. XXII. num.* 13. *Reiffenſtuel. ibid. num.* 35. vel agitur de fidejuſſione in re magna, vel etiam in parva ſine rationabili motivo, tunc dicendum eſt, non licere. Ratio primæ partis eſſe videtur, quia Abbati, & capitulo negari nequit facultas quandoque diſponendi ex rationabili motivo de modica aliqua portione reddituum monaſterii: hanc enim facultem iis competere clare colligitur ex *cap. III. Ceterum de donationib.*, quam etiam eiſdem clare concedit Gloſſa *in Can. LII. Sine exceptione, cauſ. XXII. quaſt. II. §. Quidquam donare*, eamque comprobat praxis, communiter admiſſa, aliquid donandi benefactoribus ex gratitudine, diſtribuendi eleemoſynas ex miſericordia, &c. quæ omnia eis licere, ſive ea faciant per ſe, ſive per aliquem religioſum DD. omnes conſentiunt. Porro ſi Abbas, & capitulum poſſunt per religioſum, ex motivo rationabili aliquid parvum donare, cur non & aliquando tantumdem fidejubere loco doni? Et quidem, eſt quid plus donatio rei, inportans actualem diſtractionem ejuſdem, quam fidejuſſio, importans merum diſtractionis periculum: fidejuſſor namque is eſt, qui de alterius obligatione, interpoſita propriæ fidei cautione, ſecuritatem præſtat §. *I. Inſtit. de fidejuſ. & L. Grave ff. eod.* Ergo ſi primum poſſunt licite facere, a fortiori ſecundum, cum nullibi exceptum, vel etiam implicite prohibitum inveniatur, cum limitatione, ut ſupra. Quin huic aſſertioni obſtet *Extravag. Ambitioſæ*, prohibens ſub pœna alienationis omne pactum; etenim *per ly omne pactum*, expreſſum, tum in ea, cum in decreto Urbani VIII. per extenſum jam ſupra relatis, apperte venit pactum dominii tranſlativum, & quidem rei magnæ, quorum neutra verificatur in caſu fidejuſſionis rei modicæ: fidejuſſor enim licet obligationem contrahat ſatisdandi in defectum debitoris principalis, & ſic incurrat periculum ſolvendi talem modicam ſummam, hujus tamen adhuc dominium retinet, actualemque poſſeſſionem; in quo differt fidejuſſio ab alienatione, cujus proinde non eſt ſpecies, & per conſequens neque prohibita in dicta Extravag. vel alibi: præcipue cum agatur de fidejuſſione rei modicæ, cujus nequidem alienatio ſub illa comprehenditur, ut declaravit Cong. Conc. apud Pagnan. *in cap. Nulli n.* 24. *de reb. Eccleſ. non alien.* & Petram *to. V. Commentar. ad d. Extravag. Sect. II. num.* 59. alioſque communiter ad *can. Terrulas*.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia cum Abbas, & capitulum non ſint domini, ſed adminiſtratores rerum mona-

monaſterii, tenentur ab hoc hoc removere, etiam periculum gravis damni, quod ex fidejuſſione rei magnæ, vel ex illius frequentia eidem impenderet, experientia namque compertum eſt, quod fidejuſſio eſt vigilia ſolutionis, Tartagl. *de Reſervat. ſtatutor. art. XLII. n. 3.* ac proinde jure, ac merito de fidejuſſoribus, ac ſolutionibus Rubricas proximas eſſe perbelle explicat Rota *deciſ. CXLIII. n. 5. & 6. parte XVII. recent.*

Licet autem Abbas, & capitulum permittere poſſent fidejuſſionem rei modicæ ex aliqua rationabili cauſa, non poſſet tamen, hac deficiente, quia eſſet abuſus, & arrogatio poteſtatis, quam non habent, votum ſiquidem paupertatis exigit, ne quidquam, etiam modicum, fruſtra diſtrahatur.

An autem incurrerent pœnas inflictas a prædicta Extravag. ſi impertirentur licentiam pro fidejuſſione in re magna, aſſerere non auderem, cum fidejuſſio non ſit vere, & proprie ſpecies alienationis in ea contenta. Peccarent tamen graviter, cum facerent contra votum paupertatis, ne dum in caſu, quod ſatisdarent in defectum debitoris, ſed etiam ratione periculi ſatisdandi, cui ſe exponerent.

Titulus XXIII. De Solutionibus.

SECTIO CCCCLXVIII.

CAPUT II. SI QUORUMDAM, *ex Decretali Gregorii IX. non III. ut notat Gloſſa marginalis, ad diverſos Prælatos miſſa.*

SI quorumdam (& infra.) Firmiter inhibemus, ne quis præſumat Eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis gravare debitis, aut literas alicui, ſeu ſigilla concedere, quibus poſſent Eccleſiæ obligari; decernentes, ſi ſecus fuerit attentatum, ad ſolutionem talium debitorum Eccleſias non teneri. Si quis autem contra præmiſſa de cætero venire præſumpſerit, ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium noverit ſe ſuſpenſum.

Præter ſuſpenſionem ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium, hic inflictam, nemini tamen reſervatam, quæ juxta Sayrum *lib. IV. cap. VII. nu. 6.* & alios, eſt tantum ab officio juriſdictionis, & a beneficio, non autem ab officio Ordinis, hodie nedum Rector Eccleſiæ, eam gravans alienis debitis, ſed etiam illius Commendatarius, ſicut & beneficiatus ſuum beneficium, ac quicumque curam habens alicujus Eccleſiæ, ſi ita obligat ejuſdem Eccleſiæ, & beneficii bona cum translatione dominii in creditorem, incurrit excommunicationem Extravagantis *Ambitioſæ*, de qua ſupra Sect. CCCCXLIV. cum ſit ſpecies veræ alienationis.

Quæ excommunicatio licet ex vi dictæ Extravag. non ſit reſervata, reſervata eſt tamen Papæ ex Trid. *cap. XI. ſeſſ. XXII.*

Nota, quod quamvis tam ex hac Decretali, quam ex altera Innoc. IV. relata *in cap. IV. Quia periculoſum, de ſent. excomm. in VI.* Epiſcopus bona Eccleſiæ alienans, vel pro alienis debitis obligans nullam incurrat excommunicationem, cum non ſit expreſſe nominatus: hanc tamen incurrit vi dictæ Extrav. ac præterea interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, in quo ſi per ſex menſes inſorduerit, his elapſis, ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus eſt, eo ipſo, ſuſpenſus.

SECTIO CCCCLXIX.

CAPUT III. ODOARDUS, *ex Decretali ejuſdem Gregorii, Decano, & Canonico Tullenſi ſcripta.*

ODoardus Clericus propoſuit, quod cum P. Clericus, D. laicus, & quidam alii ipſum coram officiali Archidiaconi Remen. ſuper quibuſdam debitis conveniſſent, idem in eum recognoſcentem hujuſmodi debita, ſed propter rerum inopiam ſolvere non valentem, excommunicationis ſententententiam promulgavit (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non poſſit ſolvere debita ſupradicta, ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, ut ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi Clericus non habeat unde ſatisfacere poſſit ſuis creditoribus, nec excommunicari, nec aliter moleſtari debeat, ſed idoneam cautionem dumtaxat, ſaltem juratoriam, præſtare de ſolvendo, cum venerit in pinguiorem fortunam.

Quamvis autem in ea nullam faciat Pontifex mentionem de ceſſione bonorum facta, vel facienda a Clerico, Gloſs. tamen hic verſ. *Non valentem*, & Doctores ſentiunt, dictam ceſſionem ab eodem fieri poſſe.

Verum non opportet ad effectum hoc beneficio fruendi, ut bonis cedat; ne ſcilicet clericali ſtatui ignominia irrogetur, juxta Abbatem in *d. cap. Odoardus num. 8. Ancaran. num 7. Fagnan. num. 58. de ſolut. & Bellet. diſquiſit. Clericorum par. 1. de Clerico debitore §. I. num. 35.* ex quibus colligitur, quod ceſſio bonorum infamiam importet, non juxta hominum opinionem tantum, ſed etiam juxta ſenſum Eccleſiæ.

Nota I. Licet olim potuiſſe Clericum pro debito civili excommunicari, ſi contumaciter reſtitiſſet decreto judicis de ſatisfaciendo, hodie tamen excommunicari nequit, niſi in ſubſidium, ob jus noviſſimum Tridentini *cap. III. ſeſſ. XXV.* quo (*ita Fagn. ad d. cap. Odoardus num. 4.*) „ mandatur judicibus eccleſiaſticis, ut in cauſis judicialibus, quandocumque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam definiendo, a cenſuris eccleſiaſticis; ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcumque, etiam laicos, per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem procedere. Ponderanda enim ſunt verba illa, *contra quoſcumque etiam laicos*, quæ aperte oſtendunt, etiam contra Clericos in cauſis civilibus utendum eſſe remedio executionis, ſeu diſtrictionis perſonalis; nec recurrendum eſſe ad remedium hodie extraordinarium cenſurarum, niſi in ſubſidium, videlicet ubi executio realis, vel perſonalis fieri non poteſt ".

Nota II. Quod quamvis ceſſio bonorum facta fuerit abſque ignominia, & abſque eo, quod cedens bonis pileum viridem, aut aliud ignominiæ ſignum deportaverit, ideoque infamis dici nequeat, juxta Baldum ad textum in lege, *Debitores, Cod. de quibus cauſis infamia irrogatur*, non eſt tamen ordinandus ob periculum, quod bona poſt ceſſionem ipſi aſſignata titulo patrimonii ſacri, a creditoribus occupentur; per ceſſionem enim bonorum quis minime liberatur ab ære alieno, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit; cum juxta textum in *cap. Pervenit de Fidejuſſor.* a creditoribus ex defectu bonorum propriorum Clerici, occupari poſſint nedum fructus patrimonii, ſed etiam beneficii, & præbendæ, relicta tamen congrua; ut his innixa rationibus reſolvit Cong. Conc. 23. Junii 1725. *in Adrien. ut in Theſaur. Reſolut. ejuſd. Conc.*

Titulus XXIV. De Donationibus.

SECTIO CCCCLXX.

Caput II. Fraternitatem, *ex Decretali Alexandri III. Pariſienſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) ſcripta.*

Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus eccleſiaſticarum rerum ſit procurator, & non dominus, conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere vero deteriorem non debet. Accepimus autem, quod Prædeceſſor tuus graves donationes in rebus Epiſcopatus fecit in detrimentum Eccleſiæ, ſuis Canonicis inconſultis. Unde, quoniam donationes hujuſmodi de jure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujuſmodi tam a Clericis, quam a laicis legitime revocari.

Ex hac Decretali infertur, quod donationes graves ideſt magnæ, de jure non tenent. I. Si factæ ſint ab Epiſcopo in detrimentum Eccleſiæ. II. Si abſque conſilio capituli.

Verum hodie, interveniente etiam conſilio, aut conſenſu capituli, attenta Extravaganti *Ambitioſæ*, nullatenus valerent, ut notatum eſt ſupra Sectione CCCCXLIII.

SECTIO CCCCLXXI.

Caput III. Cæterum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Vuigorienſi Epiſcopo ſcripta.*

Cæterum, ſi Abbatem donationem cum Priore, & quibuſdam de conventu, vel ſolum Abbatem facere contigerit, & poſtea conventus pars reclamaverit, datæ rei quantitas, & illius terræ conſuetudo (quæ tamen ſacris Canonibus non obviet) eſt diligentius attendenda: & ſecundum hoc eſt donum ratum, vel irritum judicandum.

Cum

Cum hæc Alexandri Decretalis ſit anterior illis Canonibus (ita hic Wagnerek) „ per quos determinata omnimode fuit forma, & ſolemnitas alienationis „ rerum eccleſiaſticarum, habetur in *cap. Dudum*, „ *de reb. Eccleſ. non alienand. in VI. Clement. I. eod.* „ *& Extravag. Ambitioſæ*: cum ſit Alexandri III., „ qui ſedere cœpit anno 1559., ut adeo olim locorum „ diverſa conſuetudo in his alienationibus attenderetur „ poſſetque aliquas alienationes Abbas cum aliquibus „ de conventu, etſi aliqua, & forte major pars conventus reclamaret, facere, cujus conſenſus hodie „ præter evidentem Eccleſiæ neceſſitatem, aut utilitatem ad alienationem requiritur ".

Ac inſuper requiritur beneplacitum Apoſtolicum, cum agitur de alienatione rei magni valoris ad normam Extravag. *Ambitioſæ*, de qua ſupra, aut licentia, & conſenſus Epiſcopi, ſeu Ordinarii, ſi ſermo ſit de alienatione ad normam *can. Terrulas*; ut notatum eſt Sect. CCCCXLIV. §. Nota III.

Cum autem hic agatur de Donatione a Regularibus facta, ſub quibus pœnis eis interdictæ ſint activæ donationes, & munera, quibuſque pœnis, & onere ligentur recipientes, inſtituetur ſermo infra poſt *cap. I. Excommunicamus, de ſent. excom.*

SECTIO CCCCLXXII.

CAPUT IV. CONSULTATIONIBUS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Abbati S. Alberti, monaſterii Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Cantuarienſi.*

CONſultationibus (& infra.) Donationes vero, vel conceſſiones Eccleſiarum, ſiquæ fiant privatis perſonis, viventibus illis, qui ipſas Eccleſias poſſident, nullius debent eſſe momenti. Si religioſis fiant locis ab Epiſcopo, vel ejus auctoritate, ratæ debent haberi: ita quod perſonæ, quæ jam dictas Eccleſias poſſident, ſine ipſorum aſſenſu eis in vita ſua non debeant ſpoliari.

In hac Decretali ſtatuitur, donationem Eccleſiæ, v. g. parochialis, factam perſonæ particulari, vivente ejus beneficiato, eſſe nullius momenti, validam tamen eſſe, ſi auctoritate Epiſcopi facta fuerit alicui loco religioſo, puta monaſterio: ita tamen, ut beneficiatus invitus non removeatur.

Circa hujuſmodi donationem, ſeu unionem recole notata ſupra poſt *Clementinam* II. *Si una de reb. Eccleſ. non. alienan.* Sect. CCCCLII.

SECTIO CCCCLXXIII.

CAPUT IX. APOSTOLICAE, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo S. Andreæ in Scotia reſcripta.*

APoſtolicæ Sedis oraculo (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod licet ſit in Canone definitum, ut ſi quis Epiſcoporum in parœcia ſua monaſterium conſtruere voluerit, & de rebus Eccleſiæ, cui præſidet, ipſum dotare, non amplius ibidem, quam quinquageſimam partem; Eccleſiæ vero, quam monaſticis regulis informare, vel pro ſuis propriis magnificare voluerit ſepulturis, non amplius, quam centeſimam partem cenſus Eccleſiæ, cui præeſt, debeat elargiri. Quia tamen in eodem Canone conſequenter adjungitur, ut hæc temperamenti æquitas obſervetur, quod cui tribuit, competens ſubſidium conferat, & cui tollit, damna gravia non infligat: ea quidem cautela ſervata, ut unam tantummodo, quæ placuerit ex his duabus, remunerationem aſſumat: hoc ſemper eſt obſervandum, quod unus Epiſcopus, vel alius, non ſolum non debet amplius, ſed nec tantum, nec minus cum gravi Eccleſiæ ſuæ detrimento conferre, ſive ſimul, & ſemel id facere velit, ſive pluries ſucceſſive, eiſdem, vel diverſis Eccleſiis conferendo. Unde cum grave detrimentum, ſive de poſſeſſionibus, ſive de proventibus ad epiſcopalem menſam, vel cathedralem Eccleſiam pertinentibus, in quantalibet portione conſtiterit eſſe collatum, poterit legitime revocari, niſi præſcriptione, vel alia exceptione legitima actio hujuſmodi excludatur. Nam etſi prima facie præſumatur, quod collatio quinquageſimæ, vel centeſimæ partis grave non inferat detrimentum; quia tamen non ſolum ſi ſæpe, ſed etiam ſi ſemel id fiat, ex variis circumſtantiis deprehendi poteſt interdum valde damnoſum, quod quidam magis poteſt ex oſtenſione facti, quam expreſſione alicu-

alicujus ſtatuti cognoſci: nec quinquageſima, nec centeſima ſemel, aut ſucceſſive debet cum gravi Eccleſiæ damno conferri. Si vero in tantum abundet Epiſcopus, ut ſine damno Eccleſiæ ſuæ poſſit amplius, etiam, quam per quinquageſimam, vel centeſimam partem neceſſitati alterius Eccleſiæ ſubvenire, quamvis per ſe non debeat ſummam excedere, a Canone præfinitam, per quam incaute largiri volentibus eſt occurſum; de ſuperioris tamen auctoritate Pontificis poteſt etiam in majori ſumma inopiæ alterius provideri.

In hac Decretali repetit Pontifex, verbis pauliſper immutatis, *Can. V. Bonæ rei Conc. Toletani IX.* relatum a Gratiano *Can. LXXIV. cauſ. XII. q. 2.* in quo adſtruitur Epiſcopo facultas donandi quinquageſimam tantum partem cenſus, ſeu reddituum ſuæ epiſcopalis menſæ, ſeu cathedralis Eccleſiæ, cui præſidet, pro conſtructione, & dotatione novi monaſterii intra ſuam diœceſim: centeſimam vero, aut pro augendis redditibus Eccleſiæ, quam, jam ab alio conſtructam, vult monaſticis regulis informare, ſeu, quod idem eſt, regularem ex ſeculari facere; aut pro magnificatione ſepulturæ, quam in aliena Eccleſia ſibi elegerit, hoc tamen adjecto temperamento, ut unam tantummodo, quam maluerit, ex his duabus donationibus aſſumat, ne ejus Eccleſia nimis gravetur duplici onere.

Deinde huic eidem Canoni anguſtiorem donationis modum imponit, quod ſcilicet, ſi hæc, vel minor, ſive ſimul, & ſemel, ſive per plures repetitas vices de poſſeſſionibus, aut de proventibus, ad epiſcopalem menſam, vel cathedralem Eccleſiam pertinentibus, facta eidem, vel diverſis Eccleſiis, tam ab uno, quam a pluribus Epiſcopis, grave ſuæ Eccleſiæ damnum inferat, revocari poſſit ab Epiſcopo ſucceſſore, niſi per præſcriptionem, vel aliam legitimam exceptionem excludatur.

Statuit tandem, ſine facultate Romani Pontificis donare non poſſe Epiſcopum ultra dictam quinquageſimam, aut centeſimam partem, etiamſi per majorem donationem nullum ſuæ Eccleſiæ detrimentum inferret.

De facultate hanc quinquageſimam, aut centeſimam donandi idem Innocentius mentionem facit in altera Decretali, relata in *cap. IX. Paſtoralis, de his quæ ſiunt a Prælat. &c.* Sect. CCCCXXXV.

Cum autem hæc donatio, perpetuo aſſignanda foret, vel ex proventibus, vel ex fundis menſæ epiſcopalis pro rata reſpondente in annuo fructu prædictæ quinquageſimæ, aut centeſimæ, jam alienationem præſeferret, quæ hodie interdicta eſt æque Epiſcopis, ac aliis quibuſcumque a Paulo II. in *Extravag. Ambitioſæ*, quam habes ſupra poſt *cap. V. Nulli, de reb. Eccleſ. non alienan.* Sect. CCCCXLIV. potiſſimum cum pœnis in ea inflictis ſe Epiſcopus ſubjiciat juramento, his verbis concepto, prout inſertum legitur in Pontificali Romano, Clementis, & Urbani VIII. auctoritate recognito.

Poſſeſſiones vero, ad menſam meam pertinentes, non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice. Etſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas, in quadam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere volo.

Cum vero ex hac Decretali liberum ſit Epiſcopo ſibi eligere ſepulturam in aliena Eccleſia, notandum eſt hic obiter, quod uſque ad initium ſæculi IX. nemini permiſſum erat ſepeliri intra Eccleſiam, exceptis Epiſcopis, Abbatibus, fidelibus, & bonis Presbyteris, ac aliquibus laicis, qui per vitæ merita talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſiverit, ut ex *Can. LII. Concilii Moguntini, & Can. VI. Concil. Nannetenſis*, ac ex Epiſtola S. Theodulphi, Epiſcopi Aurelianenſis ad ſuos Presbyteros.

„ Cum autem hæc vitæ merita (ita Vaneſpen. „ *par.* II. *tit.* XXXVIII. *de Sepulturis num.* 32.) ob quæ „ hæc prærogativa eſſet indulgenda, determinata „ non eſſent, hæc exceptio latum campum aperuit lai„ cis ſepulturam in Eccleſia ambiendi, & Sacerdotibus „ plenam eam admittendi libertatem ".

Titulus XXV. De Peculio Clericorum.

S E C T I O C C C C L X X I V.

Caput V. Siquis sane, *ex Decretali, deſumpta a Can. II. non IV. Concilii Toletani II. habiti an 597. ut refert Gonzalez, cum hoc Concilium duos tantum Canones ediderit.*

Siquis ſane Clericorum agella, vel vineolas in terra Eccleſiæ ſibi feciſſe probabitur, ſuſtentandæ vitæ cauſa, uſque ad diem obitus ſui poſſideat: verum poſt ſuum deceſſum Eccleſiæ reſtituat, nec teſtamentario, aut ſucceſſorio jure cuiquam hæredum, prohæredumque relinquat, niſi forſan, cui Epiſcopus pro ſervitiis, ac præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.

Digitized by Google

Juris canonici Interpretes hancDecretalem ſummant juxta triplicem illius intellectum.

I. Poſſeſſiones emptas ex redditibus Eccleſiæ tenebit beneficiatus, de his tamen teſtari non poterit, ita *Innocentius*.

II. Res Eccleſiæ, ad culturam redactæ, non efficiuntur propriæ culturantis, ſed eas uſque ad vitam tenere poteſt, ita *Antonius de Butrio*.

III. Meliorationes factæ per beneficiatum in rebus Eccleſiæ, ſunt ſuæ in vita, etiamſi dimittat beneficium; ita *Cardinal.* additque, hanc interpretationem eſſe communiorem.

Verum cum melioramenta, ſeu emponemata, cedant ſolo, & beneficia ſine diminutione, aut diviſione conferri debeant, crederem, hunc tertium intellectum quoad perceptionem fructus eorumdem melioramentorum, in caſu dimiſſionis beneficii, hodie locum in praxi habere non poſſe: & eadem ratione nec facultatem, hic tributam Epiſcopo dictum fructum largiendi alteri pro ſervitiis Eccleſiæ præſtitis, vel eas meliorationes aſſignandi alicui Clerico pro beneficio, quouſque vixerit, ut putat Gloſſ. verb. *Pro ſervitiis*.

Quod autem beneficiatus de bonis, intuitu Eccleſiæ acquiſitis, teſtari nequeat, quemadmodum in hac Decretali, aliiſque quampluribus, interdictum legitur, in viridi quidem eſt obſervantia, ubi non viget contraria conſuetudo, ut notabo ſequenti Titulo, ad *cap.* I. *Quorumdam*, ubi etiam de iis, qui ex privilegio teſtari poſſunt.

Titulus XXVI. De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.

S E C T I O C C C C L X X V.

CAPUT I. QUORUMDAM, *ex Decretali, per errorem tributa Gregorio IX., cum ſit S. Gregorii Magni, Anthemio, Subdiacono Campaniæ ſcripta.*

QUorumdam ad nos relatione pervenit, quod I. Atellianæ Civitatis Epiſcopus, condito teſtamento, in octo unciis ſubſtantiæ ſuæ, nurum hæredem instituit, Eccleſiam ſuam in reſiduis quatuor. Hortamur igitur, ut ſolicite hoc diſcutias, & quicquid ipſum habuiſſe patuerit, a qualibet perſona detineri nullatenus patiaris, niſi hoc ſolum, quod eum ante Epiſcopatus Ordinem proprium habuiſſe conſtiterit. Quicquid vero Eccleſiæ ante ipſius conſecrationem fuiſſe cognoveris, vel in Epiſcopatus Ordine prædictum Epiſcopum acquiſiviſſe, in ejuſdem Eccleſiæ dominio conſervetur.

In hac Decretali ſtatuitur, Epiſcopum teſtari poſſe de bonis patrimonialibus, non vero de rebus Eccleſiæ, ſeu de acquiſitis illius intuitu; quemadmodum id etiam prohibitum legitur a Juſtiniano *in L.* XLII. §. II. *de Epiſc. & Cleric.*

Hoc quidem de jure communi, quod viguit uſque ad ſæculum XII. uſque nempe ad Concilium Later. III. habitum ſub Alexandro III., ut ex *cap.* VII. *hoc eod. tit.* de quo infra. Secus autem de conſuetudine in aliquibus Regnis jam incæpta, ac publice, & notorie obſervata uſque ab anno 1284. potiſſimum in Gallia, in qua tam Epiſcopi, quam cæteri quicumque beneficiati, inter vivos, vel cauſa mortis libere de bonis, etiam intuitu Eccleſiæ acquiſitis, teſtantur, quibus ſine teſtamento decedentibus ſuccedunt hæredes neceſſarii, ut refert Cabaſutius *Jur. Canon. Theor. lib.* II. *cap.* XXVI. *& Van. Eſpen. par.* II. *tit.* XXXII. *a num.* 14. *ad* 25. Quam quidem conſuetudinem validam eſſe, utpote derogatoriam juri dumtaxat poſitivo eccleſiaſtico probat Fagnanus in *cap.* V. *Si quis, de peculio Clericor. num* 1. & poſt ipſum laudatus Cabaſut. *loc. cit. num.* 7.

Quamvis autem vi conſuetudinis, ubi viget, (ita animadvertit Van-Eſpen *loc. cit. num.* 32.) teſtamenta Clericorum de proventibus eccleſiaſticis in uſus profanos, aut in favorem conſanguineorum non indigentium,
,, minime reprobentur, nec declarentur invalida in foro
,, contentioſo propter odia litium; ſed non eximunt
,, ipſos diſponentes ab injuſtitia, dum proventus eccle-
,, ſiaſticos ſimili modo diſpenſant contra intentionem
,, offerentium, & naturam ipſorum bonorum. Igitur
,, Canones, in quantum vetant de proventibus eccleſia-
,, ſticis non diſponi in uſus profanos, nec ad ditandos
,, parentes inſumi, *abſit, ut etiam num non obligent*, ait
,, Chriſtianus Lupus *tom. I. Schol. in Canones pag.* 484.
,, additque; *Nemo ſe ſeducat, Deus non irridetur*".

Quod ſi juxta benigniorem ſententiam negetur, ſic diſponentes peccare contra juſtitiam, non inde ſequitur, immunes eſſe a mortali culpa, ut cum communi Theologorum reſpondet ad ſequens dubium, quod ſibimet propoſuit Cabaſutius num. VIII. ,, An igitur pec-
,, cent hæredes, dum oblatos ſibi, ſive jure conſuetu-
,, dinis ab inteſtato, ſive ex beneficiarii teſtamento fru-
,, ctus iſtiuſmodi recipiunt? Reſpondeo, ſi ipſi teſta-
,, torem ad hoc induxerint, non eſt dubium, peccaſſe,
,, dum rem ſuaſerunt illicitam, quam ille teſtator ſine
,, mortali culpa exequi non potuit. Sed ſi iidem ſpon-
,, te oblata recipiunt, ante trecentos, & amplius an-
,, nos, conſuetudine conſtanti, obſervabantur Cano-
,, nes, qui vetant Clericis de bonis, ex beneficiis ac-
,, quiſitis, ſive inter vivos, ſive per ultimas volunta-
,, tes aliter, quam ad pias cauſas diſponere. At ſub-
,, ſequuta diſciplinæ ſacræ relaxatione, factum eſt,
,, ut promiſcue Clerici de his, ſive inter vivos, ſive
,, teſtamento diſponant ad libitum, perindeac de patri-
,, monialibus: quinimo, ut ſi inteſtati decedant, vo-
,, centur proximi agnati ad hujuſmodi bonorum ſuc-
,, ceſſionem. Cui praxi ſeſe accommodantes Summi-
,, ſtæ, fatentur quidem, Clericum, ſic diſponentem
,, peccare mortaliter, nec licitum eſſe agnatis eoſdem
,, ad ſic diſponendum ſolicitare, quia hoc agentes, ſua-
,, dent Clericis, ut mortaliter peccent, quod æterna,
,, & indiſpenſabili lege vetitum eſt. Hac docent Co-

var-

Digitized by Google

„ varruvias, *de Teſtamentis in cap. Cum in officiis*, „ *num.9. Leſſius lib. 2. de Juſtitia*, *cap. 19. dub. 4.* „ *num.44. & ſeqq. Bonacina de Contractib. diſput. 3.* „ *quaſt.17. punct.2. num.4.*, aliique communiter. His „ tamen adverſantur Sacri Canones, qui opes, & pro- „ ventus eecleſiaſticos non aliis, quam pietati, ſive ad „ Dei cultum, ſive ad inopum ſuſtentationem, dedu- „ ctis Clericorum victui neceſſariis, impendi licere „ aſſeverant ".

Præter eonſuetudinem, ubi viget, poſſunt etiam de iiſdem bonis teſtari ex Indulto Sedis Apoſtolicæ, quo fruuntur Cardinales omnes, Epiſcopi, ſolio Pontificio aſſiſtentes, ex Conſtit. Pii IV. *In ſuprema 25. Novembr.* 1564. Item quoad cauſas, etiam profanas beneficiati, incolæ, & Cives Urbis Romæ, in ea, & ejus diſtrictu intra decem miliaria decedentes, ex Conſtitut. Pauli V. *In eminenti* 18. *Aprilis* 1606. Quod privilegium conceſſerat prius Julius III. etiam ultra decem miliaria, Conſtit. *Cupientes 6. Idus Martii* 1549. vi cujus paulinianæ Conſtit., & alterius Alexan VII. *Decens*, ſi decedunt inteſtati, ſuccedunt eorum hæredes neceſſarii.

Eodem Indulto fruuntur, qui conveneruot cum ſpoliorum Collectoribus certam ſummam quotannis ſolvere iu favorem Cameræ Apoſtolicæ, ex more, incepto tempore Sixti V.

Sibi tamen conſulant hujuſmodi Indultarii, quicumque illi ſint, ne cum periculo damnationis æternæ, teſtandi facultate abutantur, eo animo beneficiorum redditus congregando, vel ut opulentior aſſis ſuis potiſſimum conſanguineis obveniat, vel ut in profanas, cauſas erogetur cum detrimeoto divini cultus eorundem beneficiorum: lieet enim Papa id ipſis conceſſerit, nunquam tamen intelligi poteſt, concedere voluiſſe cum damno Eccleſiarum.

Cum in tranſcripta Decretali declaratum ſit, poſſe Epiſcopum teſtari de bonis patrimonialibus, ac etiam de bonis acquiſitis, non intuitu Eccleſiæ, quæri hic poſſet, an Religioſus, ad epiſcopatum evectus teſtari & ipſe poſſit de bonis pariter acquiſitis, non intuitu Eccleſiæ. Sed quid juris ſit circa hoc dubium, oſtendam infra in notis ad *cap. XIV. Cum olim*, *de Privileg.*

SECTIO CCCCLXXVI.

Caput II. Quia ingredientibus, *ex Decretali ejuſdem S. Gregorii, Calaritano Epiſcopo, (nunc Archiepiſcopo) ſcripta.*

Quia ingredientibus (& infra.) Gabina Abbatiſſa conqueſta eſt, G. quondam Abbatiſſam monaſterii ſui, poſtquam regendi ſuſcepit officium, condito teſtamento, legata quibuſdam reliquiſſe, dicens, eam uſque in diem obitus ſui non induiſſe habitum monachalem, ſed in veſtibus, quibus utuntur loci illius Presbyteri permanſiſſe, ſicut & illa, quæ ante ipſam fuerat Abbatiſſa, & hoc pene ex conſuetudine licuiſſe (& infra.) Neceſſarium ergo viſum eſt, poſtquam Abbatiſſa ordinata eſt, & in monaſterio per annos plurimos uſque ad obitum præfuit, veſtis qualitatem ad culpam forte Epiſcopi pertinere, qui eam ſic eſſe permiſit, non tamen potuiſſe præjudicium monaſterio irrogare, ſed res ipſius eidem loco, ex quo illic ingreſſa, & Abbatiſſa conſtituta eſt, de jure competere.

Huic Decretali, admittenti tacitam poſſeſſionem regularem, etiam abſque habitus ſuſceptione, hodie derogatum eſt a Trident. *cap. XV. ſeſſ. XXV. de regul.* ſtatuente, habitus ſuſceptionem pro Regularibus utriuſque ſexus eſſe de ſubſtantia novitiatus per integrum annum duraturi, incipiendi ab ejuſdem habitus ſuſceptione; ita ut hoc tempore non ſervato, ſicut & ſi profeſſio fiat ante decimum ſextum annum completum, excluſa ſit etiam tacita, nullamque inducat obligationem.

Verum hic, ut alibi dixi, notandum eſt cum Fagnano in *cap. Ad noſtram VIII. de Regul. num.8.*, & 30. ex decretis Cong. Conc. hanc tacitam poſſeſſionem non fuiſſe a Trident. ſublatam, ſi præceſſerit annus probationis cum ſuſceptione habitus in conventu, pro ea deſignato, quæ induitur per annum, computandum a decimo ſexto completo uſque ad decimum ſeptimum pariter completum ætatis illius, qui monaſterium ingreſſus eſt.

SECTIO CCCCLXXVII.

Caput III. Nos quidem, *ex Decretali laudati S. Gregorii, eidem Epiſcopo Calaritano ſcripta.*

NOs quidem (& infra.) Pervenit ad nos S. de hac luce migrante ſupremæ voluntatis elogio monaſterium præcepiſſe fundari: cujus deſiderium a T. religioſa fœmina ejus hærede protrahitur. Quamobrem te hortamur, ut eam commoneas, quatenus intra annum monaſterium, quod juſſum eſt, debeat ordinare, & cuncta ſecundum voluntatem defuncti ſine altercatione conſtruere. Quod ſi intra prædictum tempus, ſive in loco, quo conſtitutum fuerat, ſeu, ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari, tecum implere neglexerit, tunc per te ædificetur, & omnia per te loco ipſi ſine diminutione qualibet aſſignentur: ſic enim ſecundum piiſſimas leges dilatas defunctorum pias voluntates epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri.

Huic Decretali, juncta altera Gregorii IX. relata in *cap. XVII. Tua nobis*, *hoc tit.* tribuentibus Epiſcopo facultatem exequendi teſtatorum voluntatem circa legata pia, ſi poſt monitionem illorum hæredes neglexerint adimplere, acceſſit Decretalis, tributa Conc. Mog. relata in *c. VI. Si hæredes, hoc eod. tit.* in qua eadem facultas indiſtincte ipſi conceditur in caſu moræ adimplementi quarumcumque ultimarum voluntatum, etiam ad cauſas non pias, cum poteſtate præfatos hæredes privandi rebus omnibus, eis a Teſtatore relictis una cum fructibus, & emolumentis, ibi.

Si hæredes juſſa teſtatoris non adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta eſt, canonice interdicatur cum fructibus, & cœteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur.

Verum, quamvis omnia voluntas teſtatoris pia dici poſſit, ut hic ait Panormitanus num. 8. quia „ eſt „ hominis ingredientis viam univerſæ carnis, qui vo„ luntatem ſuam non poteſt amplius mutare " ideoque quocumque modo de ſuis bonis diſpoſuerit, ob negligentiam hæredum illius executio ad Epiſcopi curam devolvitur; hodie tamen „ Laici, ſive civiles Judices, „ hanc ſibi cauſam arrogant, atque mixti fori eſſe con„ tendunt, ex *L. hæreditas*; 50. *in fine*, *D. de petit.* „ *hæredit.* & *dicta Novellæ* 131., 10. *in princ.* itaut „ eccleſiaſtici Judices ea de re cognoſcant, ſi adverſus „ Clericum agatur actione perſonali; ita Gauffre *hoc* „ *tit.* §. *His autem* ".

Cœterum notat hic Wagnerek, videri etiam eſſe cauſam mixti fori, licet agatur de legatis piis „ itaut „ non ſolum Judex eccleſiaſticus, verum etiam ſecu„ laris interdictum ſuum impertiri poſſit, etiam in „ legatis ad cauſas pias, ut in *Auth. de Eccleſ.* §. *Si* „ *quis, aut ædificationem*, & *in auth. Hoc amplius* „ *C. de Fideicomm.* quare merito arbitratur Panorm. „ hic *num.* 3. inter hos Judices eſſe locum præventio„ ni ".

SECTIO CCCCLXXVIII.

Caput VII. Cum in officiis, *ex Decretali, deſumpta ex Can. XV. Concilii generalis Lateranenſis III. habiti ſub Alexand. III. an 1179.*

CUM in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe, e contra quidam Clerici, cum ab Eccleſiis ſuis multa beneficia perceperint, bona per eas acquiſita in alios transferre præſumunt. Hoc igitur, quia antiquis Canonibus conſtat inhibitum, nos indemnitati Eccleſiarum providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint, ſive aliis conferre voluerint, penes Eccleſias eadem bona præcipimus remanere.

In hac Decretali ſtatuitur, Clericos de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis teſtari non poſſe. Quia vero dubitatum fuit, an appellatio vocabuli Clericorum, tam ad Canonicos, quam ad non Canonicos extendatur, idem Alexander reſpondit Epiſcopo Altiſſiodorenſi, comprehendi etiam Canonicos, ut ex ejus Decretali, relata in *cap. XIII. hoc eod. tit.* quam integram tranſcribo, prout refertur a Gonzalez.

Cum

Cum tibi de benignitate Sedis Apoſt. ſit indultum, quod ordinatio rerum Clericorum, ab inteſtato decedentium libere in tua poteſtate, ac diſpoſitione permaneat, volens omnem materiam ſcandali removere, quod aliquando inter te, & tuos eſt ſubortum, ſuper duobus nos conſulere voluiſti. Primo, an appellatio vocabuli Clericorum, tam ad Canonicos, quam ad non Canonicos extendetur. Secundo, an illi, qui in voluntate, & diſpoſitione alterius ſuam committunt ultimam volnntatem, nihil per ſe penitus ordinantes, vel determinantes, quid cui loco, vel perſonæ conferri debeat, dicantur decedere inteſtati. Primæ igitur conſultationi tuæ duximus reſpondendum, quod appellatio Clericorum non ſolum alios, ſed & Canonicos comprehendat. In ſecunda vero dicimus, quod qui extremam voluntatem alterius diſpoſitioni committit, non videtur decedere inteſtatus.

Rurſus cum exortum fuerit & hoc aliud dubium, an hujuſmodi prohibitio ſe etiam extendat ad bona mobilia, laudatus Alexander, reſcribens Vigilienſi Epiſcopo, declaravit comprehendi, ut ex altera ejuſdem Decretali, relata *hoc tit. cap. IX.* ibi.

Quia nos (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod licet Clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum, non habito reſpectu ad Eccleſiam, pervenerunt ad ipſos, libere diſponere valeant: de his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure poſſunt facere teſtamentum.

Quod etiam clarius declaravit, reſcribent Electo Caſſanenſi, ejuſque capitulo, ut ex ſequenti Decretali, relata *hoc titulo cap. XII.*

Relatum eſt auribus noſtris, quod quia ſtatuimus in Lateranenſi Concilio, ut bona per Eccleſiam acquiſita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur, dubitatis, an hoc ſit de immobilibus tantum, vel de mobilibus ſentientum (& infra.) Reſpondemus, quod generaliter bona quælibet per Eccleſiam acquiſita, eis debent juxta Lateran. Concilium poſt acquirentis obitum remanere. Nomine autem Eccleſiæ, non Epiſcopus, vel Succeſſor Clerici morientis, ubi eſt Collegium Clericorum, ſed communis congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet canonicam diſtributionem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum eſt unus ordinandus, is ea bona (ſicut & alia ipſius Eccleſiæ) in Dei timore diſpenſet. Licet autem mobilia per Eccleſiam acquiſita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſint, conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de his pauperibus, & religioſis locis, & illis, qui viventi ſervierant, ſive ſint conſanguinei, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur. Cœterum, quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, diſtribuentur pro arbitrio decedentis. Quia vero nonnulli in diverſis Eccleſiis beneficia poſſident, dividantur, quæ habuerant, per æſtimationem congruam inter ipſos.

Allatæ autem omnes Decretales in eo, quod ſtatuunt, Clericos beneficiatos teſtari non poſſe de bonis, intuitu Eccleſiæ acquiſitis, eaque poſt illorum mortem adjudicanda eſſe vel Eccleſiæ, vel Succeſſori in beneficio, hodie, ubi viget jus ſpolii, locum amplius non habent, vi cujus ex Conſtit. Pauli III. *Romani*, 3. *Januar.* 1542. ſuccedit Camera Apoſtolica, etiamſi abſque indulto beneficiatus teſtatus fuiſſet ad pias cauſas, ut ex Conſt. Pii IV. *Grave nimis*, 25. *Maii* 1560. Huic ſpolio ſubjiciuntur bona quorumcumque beneficiatorum, teſtandi indulto carentium, ac illorum, qui reſidentiæ lege obſtricti, extra eam decedunt, licet teſtandi facultate fruantur, ex Conſtit. laudati Pii *In ſuprema*, 25. *Novembr.* 1564.

Non autem eorum ſupellectilia domeſtica, etiam acquiſita ex fructibus beneficii; ſicut nec ornamenta, & paramenta Eccleſiæ, vaſa, libri ejuſdem Eccleſiæ, Gradualia, Miſſalia &c., quæ cedere debent Eccleſiæ beneficii: & ſi beneficiatus plura beneficia obtinuerit, dividenda ſunt inter eorundem beneficiorum Eccleſias, ex Conſtit. S. Pii V. *Romani Pontificis*, 30. *Auguſti* 1567.

Ornamenta tamen Capellæ, Calices, Cruces, Jocalia, & ſimilia curialium Epiſcoporum, Cardinalium, & aliorum beneficiatorum, Romæ decedentium, pertinent ad capellam Papæ, ex Conſt. Julii III. *Cum ſicut*, 26. *Jun.* & *Dudum*, 4. *Aug.* 1550. ac *Cum autem*, 18. *Junii* 1551.

Neque itidem ex eadem Pii V. Conſtit. ſubjiciuntur bona Clericorum, qui obtinuerunt beneficia, aut penſiones, non excedentes ſummam triginta ducatorum auri de Camera.

Nec pariter bona Conclaviſtarum, ex Conſtit. Gregorii XV. *Romanus*, 5. *Martii* 1620. §. *XIV.*

Nec tandem bona Cardinalium, ubicumque decedentium ex Conſtit. Pii IV. *Decernens*, 5. *Feb.* 1560.

Ac proinde prædicti omnes a ſpolio exempti gaudent privilegio de iiſdem bonis teſtandi, & ſi inteſtati deceſſerint, eorum hæredes in ea ſuccedunt.

Videnda eſt Conſt. Bened. XIV. *Paſtoralis*, 28. *Aprilis* 1756. in qua poſt relatam Conſt. Innocen. XII. a quo ſpolia Archiepiſc., Epiſcopor., & aliorum Prælatorum per Regnum Neapolitanum, addicta fuerunt Eccleſiis, quibus dum viverent, præfuerunt; ac Conſtitu-

ſtitutionem Benedicti XIII. defendentis iteratis declarationibus dictam Innocentianam Conſt. contra cavilloſas quorundam interpretationes, nova forma aſſeverandis, cuſtodiendis, diſtribuendiſque dictis ſpoliis præſcribitur. In qua inſuper præcipitur, ut, quicumque, Sede vacante, quoquo modo eadem ſpolia adminiſtrarunt, vel adminiſtrationi præfuerunt, novo Præſuli rationem reddere teneantur.

Quæ autem veniant ſpoliorum appellatione, refert ſummatim, una cum Apoſtolicis Conſtitutionibus Laertius Cherubini in Conſtit. Sixti V. *In conferendis*, 23. *Januar.* 1590. ut ſequitur.

= Bona eccleſiaſticarum perſonarum ſine licentia Sedis Apoſt. de eis diſponentium, juxta Conſt. 29. & 46. Pauli III., ac Pii IV. Conſtit. 8. & acquiſita ob illicitam negociationem, juxta Conſtitut. 19. Pii IV. illegitimis relicta, aut vacantia ut hic, & infra in Conſt. 14. Sanctiſſimi D. N. Pauli V. Nec non bona Regularium extra clauſtra decedentium, juxta Conſtitut. 43. Gregor. XIII. Clericorumque extra reſidentiam morientium, juxta Conſtitut. 91. Pii IV. fructus beneficiorum Italiæ, Sedi Ap. reſervatorum, vel affectorum, dum vacant, juxta Conſtit 32. Pii IV. bona decedentium extra reſidentiam, fructuſque beneficiorum inexacti, juxta Conſtit. 7. Julii III. vel ante literarum Apoſt. expeditionem, aut alias male percepti, ut hic. Quæ autem non veniant in ſpoliis, dicam in d. Conſt. 14. Sanctiſſimi D. N. Pauli V. =

Quod autem ſpectat ad ſecundam partem tranſcriptæ Decretalis *Cum tibi*, in qua reſcribit Pontifex, non videri decedere inteſtatum eum, qui extremam ſuam voluntatem in alterius diſpoſitionem, ſeu arbitrium committit; licet aliqui hanc juris pontificii diſpoſitionem ad hæredem, etiam prophanum, extendant, ac propterea jus civile per eandem correctum velint, *L. ſcilicet, Illa inſtitutio ff. de hæred. inſtit.* communis tamen, ac recepta opinio eſt, eandem de ſola diſpoſitione ad cauſam piam procedere, Covarruvias *de Teſtam. cap.* 18. WagnereK *ad hoc idem cap.* Reinffenſt. *hoc tit. §. XIII. num.* 435. Maſchat. *Inſtit. Canon. §. II. n.* 30.

SECTIO CCCCLXXIX.

Caput X. Cum esses, *ex Decretali Alexandri III. Hoſtienſi Epiſcopo ſcripta.*

Cum eſſes in noſtra præſentia conſtitutus, propoſuiſti, talem in tuo Epiſcopatu conſuetudinem obtinere, quod teſtamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus reſcindantur, niſi cum ſubſcriptione ſeptem, vel quinque teſtium fiant, ſecundum quod leges humanæ decernunt. Quia vero a divina lege, & Sanctorum Patrum inſtitutis, & a generali Eccleſiæ conſuetudine id noſcitur eſſe alienum, cum ſcriptum ſit: *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*: præſcriptam conſuetudinem improbamus, & teſtamenta, quæ parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujuſmodi audeat reſcindere teſtamenta.

Hanc Decretalem, ſtatuentem, ut teſtamenta, etiam ad cauſas profanas, facta a parochianis coram proprio parocho, & tribus, vel duobus teſtibus, rata, & firma eſſe debeant, confirmavit Benedictus XIII. in Concilio Romano, habito anno 1725., addita tamen declaratione, dummodo contrarium alicubi non obſtet ſtatutum, auctoritate Apoſtolica ſpecifice confirmatum, in quo caſu juris civilis diſpoſitionem ſervari præcipit, ut *cap. I. tit. XX. de Teſtam.* ibi.

Cum Alexandri III. ſanctione decretum ſit, ut teſtamenta, quæ parochiani coram tribus, vel duobus teſtibus a ſuo presbytero conficienda mandarint, rata ſemper exiſtere, ac firma debeant permanere, advigilent idcirco Epiſcopi, ne (ubi tamen contrarium non obſtet ſtatutum, auctoritate Apoſtolica in forma ſpecifica confirmatum, quo juris civilis diſpoſitio ſervari mandetur (quivis præſumptione aliqua, excommunicationis pœna contra sic præſumentem propoſita, taliter facta teſtamenta reſcindere audeat, vel irritare.

Ad tramites hujus conditionis, hic appoſitæ, hodie reſolvendum eſt dubium, an teſtamenta condita in Urbe juxta diſpoſitionem tranſcriptæ Alexandri Decretalis, ſtante ſtatuto cap. XLII. præcipiente ſervari jus civile, & eo deficiente, jus canonicum, de quo late Fagnan. ad hanc eandem Decretalem *num.* 157. *& ſeqq.* An autem hæc vim habeat in terris Imperii, & in foro civili, magnopere altercantur Legiſtæ cum Canoniſtis qua de re adeatur laudatus Fagnan. *loc. cit. num.* 113. *& ſeqq.*

SECTIO CCCCLXXX.

Caput XI. Relatum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, judicibus Vellitrenſibus ſcripta.*

Relatum eſt, quod cum ad veſtrum examen ſuper relictis Eccleſiæ cauſa deducitur, vos niſi ſeptem, vel quinque idonei teſtes intervenerint, inde poſtponitis judicare (& infra) Mandamus; quatenus cum aliqua cauſa talis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundum leges, ſed ſecundum decretorum ſtatuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis. Quoniam ſcriptum eſt: *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*: unde quia, hujuſmodi cauſa de judiciis Eccleſiæ non ſecundum leges, ſed ſecundum Canones debet tractari, & in ipsis, Divina Scriptura teſtante, duo, aut tres idonei teſtes ſufficiunt.

Hæc pariter Decretalis, ſtatuens, valere ultimam voluntatem ad pias cauſas coram duobus legitimis teſtibus, etiam ſine interventu parochi, confirmata eſt ab eodem Benedicto, loc. cit. ibi.

In legatis vero piis, & quæ ab ægrotantibus ad parochorum aures fieri quandoque ſolent, ut fraudes, liteſque evitentur, teſtes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus teſtator, ſe quædam ad pias cauſas eroganda, ſuo prout parocho, ſeu confeſſario injunxit, ita velle declaret, talique declaratione, pia teſtatoris diſpoſitio ſuum ſemper ſortiatur effectum.

Et quamvis in hoc Benedicti decreto ſermo ſit de ſolis piis legatis, non inde ſequitur, validitatem diſpoſitionis teſtatoris ad ea dumtaxat extendi: non enim præfatum decretum derogat Alexandri Decretali, quæ juxta communiorem ſententiam loquitur etiam de teſtamento, quo cauſa pia hæres inſtitui poteſt, Fagnan. hic num. 6.

Cæterum idem Fagnanus num. 9. ſolide probat, valere teſtamentum ad cauſas pias etiam ſine teſtibus, ſi ſcriptum ſit manu teſtatoris, aut qualitercumque appareat ipſius ultima voluntas legitime probata, etiam ſine parocho, ut clare ſtatuitur in *cap. IV. Indicante, hoc tit.* cum teſtes non ſint de ſolemnitate ſubſtantiali, ſed probatoria, quæ probatio haberi poteſt per æquipollens.

Addit tandem num. 11. „ Cum hoc caput loquatur „ de relictis Eccleſiæ, in quibus poteſtas Papæ non „ reſtringitur ad limites alicujus territorii, *C. Cuncta* „ *per Mundum*, *9. q. 3.* abſque dubio ſervari debet „ non tantum in terris, ſubjectis temporali juriſdictio- „ ni Eccleſiæ, ſed etiam in terris Imperii, & tam in „ foro eccleſiaſtico, quam in foro civili, ut egregie „ probat Bart. *in L. Habeat*, *num. 70. uſque in fin. C.* „ *de Sacroſ. Eccleſ.*, & hic tenet Imol. *in 2. not.* dicens, ita communiter teneri, & Abbas *num. 2. & 3.* „ per ea, quæ notantur *in c. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit. & in c. Quod Clericis*, *de foro compet.*, & nul- „ lus diſcrepat ".

Nota hic obiter circa quodcumque teſtamentum etiam juxta juris civilis ſolemnitates conficiendum, paulo ante S. Pium V. pravum uſum introductum fuiſſe, ut interdiceretur illius factio abſque præſentia Presbyterorum; qui uſus abrogatus fuit ab eodem Pontifice Conſtit. *Etſi*, *16. Maii 1567.* §. 26. ibi.

Cumque maxime deceat, liberam eſſe cujuſvis teſtantis voluntatem, pravum illum uſum, parvo adhuc tempore, ut præfertur, introductum, per quem teſtamenta abſque Presbyterorum præſentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.

Subnectuntur pro praxi animadverſa circa has binas tranſcriptas Alexandri Decretales a Bened. XIV. *Inſtitut. eccleſiaſt. CV.* ibi.

= In prima Decretali *Cum eſſes*, Alexander III. ita ſtatuit: *Teſtamenta, quæ parochiani coram Presbytero ſuo (ideſt parocho) & tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere*. In altera Decretali *Relatum*, idem Pontifex teſtamenta coram duobus, vel tribus teſtibus jure condita eſſe declarat; *Tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis: quoniam ſcriptum eſt: in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*.

In prima Decretali Pontifex præſentem parochum expoſcit, *coram Presbytero ſuo*; in altera *Relatum*, parochum haud nominat. In prima tres ſaltem, nempe parochum, ac duos teſtes requirit; in ſecunda vero duos teſtes ſatis eſſe conſtituit. Quare inter has Decretales repugnantia intercedere videtur; quæ tamen evaneſcit penitus, ſi quis advertat in Decretali *Cum eſſes*, ſermonem haberi de teſtamentis, peractis non ad *pias cauſas*, ſed ad *profanas*; in Decretali autem *Relatum* verba fieri de teſtamentis, ad *cauſas pias* ſolum ſpectantibus. Inſuper Decretalis *Cum eſſes* totum eccleſiaſticæ ditionis ambitum complectitur, niſi forte peculiare loci ſtatutum adverſetur. Decretalis autem *Relatum* univerſo terrarum orbi ſervanda proponitur.

Nos igitur teſtamenta præterimus, quæ ad *pias cauſas* inſtituuntur, veluti ſi bonorum hæres Eccleſia declaretur, ſed de teſtamentis agimus ad *profanas cauſas* pertinentibus, veluti, ſi bonorum hæreditas in conſanguineos, aut amicos conferatur. Hæc vero teſtamenta coram parocho, ac duobus, vel tribus teſtibus peracta, cum in tota eccleſiaſtica ditione vim obtineant. Bononiæ pariter, ac per univerſam diœceſim idem ſtatuendum eſt, quæ Pontificum ditioni prorſus ſubjicitur, cum præſertim nullum ſtatutum Decretali *Cum eſ-*
ſes

Digitized by Google

ſes contrarium afferri poſſit. Ita fatentur Dolphius, & Poſtius, aliique plures, quos Romanæ Rotæ Tribunal commemorat.

Cum hæc ita ſe habeant, & cum Decretalis *Cum eſſes* parochum nominet: *coram Presbytero ſuo*: inquiritur, utrum teſtamentum coram capellano parochi, aut confeſſario teſtatoris conditum, jure exiſtimari debeat, quidve deliberandum videatur, ſi præſto haud fuerint nec parochus, nec capellanus, neque teſtatoris confeſſarius. Cum in eadem pariter Decretali duo, vel tres idonei teſtes exprimantur: *& tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis*; nova quæſtio in medium proferetur, an mulieres ipſæ in teſtamentis ejuſmodi poſſint acciri teſtes. Poſtremo, cum ultimam voluntatem eadem Decretalis memoret: *In extrema fecerint voluntate*: in quæſtionem adducitur, an teſtamentum eo modo, quo diximus, confectum, vim habeat, ſi teſtator animo, & corpore bene valeat, aut ſi morbo aliquo teneatur, nullum tamen mortis periculum immineat.

Hæ quæſtiones omnes facili negocio diſſolvuntur, ſi, ingenii vana oſtentatione prætermiſſa, libris evolvendis tempus impendatur, eæque opiniones ſeligantur, quas tribunalia, forumque ſua auctoritate confirmarunt. Antonius de Budrio, civis noſter, in ſua epiſtola, quam ſcripſit ad explicandum *caput Cum eſſes de teſtamentis*, probavit, ea teſtamenta, licet ad *non pias cauſas*, & etiam ſine parocho confecta, modo tamen duo, vel tres teſtes intervenerint: ſed hanc opinionem verbis illis, *coram Presbytero ſuo*, apertiſſime repugnantem cæteri omnes improbarunt. Nonnulli parochis nimium tribuunt, aſſerentes, teſtamentum coram parocho agreſti nequaquam rite fieri ab illo, qui in civitate morari plerumque conſuevit, & dum ruſticatur, improviſo aliquo morbo correptus ſupremas tabulas exarare deſiderat. Attamen contrariam ſententiam aliqui unanimes ſequuntur, qui agreſtem parochum ruſticantis proprium parochum exiſtimant, cum divina Euchariſtia, vel extrema Unctio graviter ægrotanti conferenda eſt, & ob hanc cauſam probant, teſtamentum coram eodem parocho, & duobus, vel tribus teſtibus inſtitutum.

Quodſi parochus abſens fuerit, difficile admodum valere teſtamentum conſtabit, ad quod capellanus accerſitur, licet illum parochus ſuo loco ſubſtituerit. Nam ob hanc delegationem adminiſtrandi Sacramenta facultatem capellanus tantum aſſequitur. At vero non ſemel in judicio probatum fuit teſtamentum, quod factum fuit coram confeſſario, & duobus aliis, vel tribus teſtibus. Non is tamen Sacerdos intelligitur, qui teſtatoris confeſſionem forte excepit, ſed is, qui Pœnitentiæ Sacramento teſtatorem ipſum expiare jam dudum conſueverit. Nam plurimi *facienda eſt fiducia, quam ſtatuit* quiſque in confeſſario, cui reipſa tribui queunt ea verba *coram Presbytero ſuo*, quemadmodum Cardinalis de Luca recte perpendit, & Romanæ Rotæ tribunal declaravit.

Quapropter, abſentibus parocho, & proprio teſtatoris confeſſario, ad evitandas difficultates omnes, capellanus, vel extraordinarius confeſſarius alium præter conſuetos teſtem accerſant. Si parochus, aut proprius confeſſarius interſint, duo teſtes ſatis eſſe decernuntur. Sin illi abſentes fuerint, tum capellanus, vel alius confeſſarius acciri tertium quoque teſtem curent, qui abſentiam parochi, vel proprii confeſſarii ſupplebit, ſi capellanus, vel extraordinarius confeſſarius inter teſtes recenſentur; tum ſi tres alii teſtes vocentur, numerus teſtium ad rem peragendam neceſſarius perficietur. Hujuſmodi cautio primum deſumitur ex Abbate, cui deinde reliqui omnes aſſentiunt.

Ad reliquas quæſtiones, quæ propoſitæ fuerunt, deveniamus. Primum, Decretalis *Cum eſſes*, teſtes idoneos exigit, non quidem *in ſuperlativo gradu*, cum teſtimonium etiam egenorum, probitate, ac fide præſtantium ſatis idoneum putetur, ſed requirit, ut viri tantum, non mulieres teſtimonium ferant, ut Fagnanus fuſe demonſtrat: cujus auctoritate ducti fatemur rite condi teſtamentum coram parocho, vel conſueto confeſſario, ac duobus teſtibus; aut coram quatuor teſtibus, ſi parochus, aut ſolitus confeſſarius non intervenerint, rite, inquam, condi hac ratione teſtamentum, licet teſtator gravi morbo non teneatur. Nam Alexander III. in Decretali *Cum eſſes*, morbi quidem implicite meminit illis verbis; *In extrema fecerint voluntate*; ſed rem tum ſolum exponebat, pro qua conſilium ab ipſo petebatur; ſententiam vero Pontificis morbo nequaquam inniti, Cardin. de Luca ſapienter oſtendit.

Jam ſatis ſit de iis, quæ a jure canonico circa hoc argumentum deſumuntur, ac de iis quæſtionibus, quæ a Theologis fiunt. Nunc de uſu rei ejuſdem verba faciamus, & ſeriem eorum, quæ peragenda ſunt, explicemus.

Itaque parochus, vel confeſſarius ordinarius, acciti a teſtatore, qui eos adhibere velit ad ſupremas tabulas conficiendas, cum notarius publicus deſit, illi, inquam, teſtaturem admoneant neceſſe eſt, duos alios teſtes ſaltem requiri ex viris, non mulieribus delectos. Si vero capellanum, aut confeſſarium extraordinarium acciri contingat ob eamdem cauſam, tres alios teſtes adhibendos teſtatori patefacient. Deinde reipſa teſtes perquiri deberent, & moneri, teſtamentum ipſorum teſtimonio obſignandum eſſe eo tempore, ac loco, qui indicabitur. In hoc *Rogitus explicitus* declaratur. Sed quoniam ob ægrotantis periculum aliquando res celeriter expedienda eſt, tum ferre teſtimonium poſſunt illi, qui fortuito in ædibus teſtatoris occurrunt, & coram ipſis teſtamentum confici poteſt, modo tamen voluntatem ſuam clare ipſis teſtator exponat; ipſique mentem intendant, ut verba teſtatoris intelligant, quemadmodum leges, iis verbis præſcribunt: *coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat*. Inſuper nulla fraus immiſcenda eſt, atque iis omnibus *rogitus implicitus* continetur, quem ſufficere Juriſconſulti tunc exiſtimant, uti Rogerius ampliſſime comprobat.

Coactis neceſſariis teſtibus, Sacerdos teſtatorem admoneat, ut ſibi, ac præſentibus ipſis teſtibus extremam volutatem ſuam declaret, nempe pia legata, ſi aliqua facere pro animæ ſuæ expiatione deliberaverit; item legata profana, ſi tamen aliqua decernere velit, ac poſtremo teſtamenti ſui executores, ſi ipſos nominare cupiat; & hæredis inſtitutionem, quæ ad teſtamentum rite condendum omnino neceſſaria eſt; eos pariter explicet, qui loco hæredis ſubſtituendi ſunt, ſi illos conſtituendos optaverit. Evenire poteſt, quod teſtator ægrotus ita morbo prematur, ut hæc univerſa exponere nequeat, & opera alterius prorſus indigeat, qui aliqua ipſi in memoriam revocet; idque Sacerdoti, tunc minime interdicitur, præſertim cum de legatis ſtatuendis teſtator moneri debet, ſed prudentia, ſimul ac probitas in Sacerdote appareant, qui ſe prorſus alienum a fraude, privateque utilitate palam debent oſtendere.

Deinde Sacerdos idem manu ſua deſcribat teſtatoris voluntatem, ſibi, ac teſtibus expoſitam, idque ſtatim clara voce coram teſtatore, & teſtibus perlegere tenetur, & emendare fideliter quidquid immutandum teſtatori videbitur. Poſt hæc teſtatori ſcriptum ipſum obſignandum tradet, illud quoque Sacerdos, ac teſtes obſignabunt, aſſerontes, quod teſtamento condendo interfuerint. Si parochus ipſe accitus teſtamentum exaraverit, Eccleſiæ ſuæ ſigillum imprimet. Confeſſarius vero ordinarius, aut capellanus, & confeſſarius extraordinarius proprio ſigillo teſtamentum obſignabunt. Si teſtator nomen ſuum literis efformare neſciat, vel id facere ob gravitatem morbi nequeat, ſatis erunt teſtimonia Sacerdotis, ac præſentium teſtium, qui, ſi literarum ignari penitus ſint, tum ſolus Sacerdos teſtamentum manu ſua ſignabit; teſtes vero crucis ſignum efformabunt, deinde Sacerdos illud crucis ſignum a teſtibus, quos nominabit, appoſitum aſſeret.

Non ſemel aliqua teſtamenta perſpeximus, peracta, vel a parocho, vel ab aliis Sacerdotibus, quos nuper explicavimus, & illa quidem nec diem, neque annum, neque locum, ubi teſtamentum factum fuit, præferebant, & cæteria quoque clauſulis carebant, quæ neceſſario requiruntur. Inſuper experientia compertum nobis eſt, parochos, aut alios Sacerdotes ſcripto teſtamento domum ſuam illud intuliſſe, & omnem deinde cogitationem prorſus abjeciſſe. Quapropter poſt ipſorum, vel teſtium mortem, teſtamentum idem penitus concidit, & multa diſſidia concitavit. Itaque formulam in deſcribendis teſtamentis ſervandam parochis, aliiſque Sacerdotibus in fine hujus Inſtitutionis ptoponimus, ut corruptelæ primo loco expoſitæ conſulamus. Perpauca etiam inferius decernemus, ut futuris litibus ob imperitiam, vel negligentiam parochorum, aut Sacerdotum, omnem aditum occludamus.

Quantocius fieri poterit, nec ſerius octo diebus poſt obſignatum teſtamentum, parochus, aut Sacerdos una cum teſtibus publicum notarium conveniet, cui notum faciet, ſe juſſu teſtatoris eas tabulas ſcripſiſſe. Ipſas deinde oſtendet, ut in acta a notario referantur. Teſtamenti ipſius partes explicari a parocho, vel Sacerdote, ac teſtibus non opus eſt, ſi illud a teſtatore ipſo, ac teſtibus obſignatum fuerit. Satis erit, ſi teſtes eaſdem tabulas, & obſignationes manu ſua peractas fuiſſe confirment: inſuper hæredem inſtitutum, legata, decreta, & reliqua omnia, prout in teſtamento deſcribuntur, a teſtatore conſtituta fuiſſe comprobent. Sin autem a parocho, vel alio Sacerdote, non autem a teſtatore, ſupremæ illæ tabulæ ſcriptæ, ſignatæque fuerint, quamvis teſtes eaſdem tabulas obſignaverint, tum parochus exponere palam debet, ac poſt ipſum ſeorſim teſtes, omnia, quæ in illis tabulis continentur; id vero faciendum præſertim indicitur, cum teſtes literarum imperiti, crucis ſignum tantum effinxerint. Sed prius ipſi teſtea nomen ſuum tabulis obſignatum agnoſcent, vel crucem efformatam, cui parochus ipſorum nomen ſubjecit. Deinde ſcriba, tradito ſibi teſtamento, adjungat, quidquid teſtes depoſuerint. In fine hujus Inſtitutionis totius rei formulam addemus, ut notariis foraneis, quo modo res eadem gerenda ſit, innoteſcat.

Non ignoramus, hæc omnia non ſufficere, ut ſupremæ tabulæ viam ſuam obtineant, & executioni mandentur, niſi parochi, ac teſtium tamen decreto idonei judicis interceſſerit, & illi vocentur ad hoc judicium, ad quos teſtamentum pertinere videatur. Quippe fides parochi, ac teſtium nihil aliud præſefert, quam teſtimonium *ad perpetuam*, quod quidem parvi momenti habetur, niſi, quæ modo expoſita ſunt, omnino obſerventur: hæc tamen haud neceſſaria Monacellus advertit, ſi ob legitimam conſuetudinem teſtamenta ſuum effectum habeant, etiamſi teſtimonia non repetantur, & in publicum tabellarium referri abſque nova promulgatione ſoleant.

Sed hoc negocium a nobia declinandum putamus, & ſolum inſtruendos eſſe parochos, alioſque Sacerdotes operam ſedulam conferre, ne ipſorum imperitia male teſtamenta condantur, aut in tenebris ſepulta deliteſcant. Reliqui vero, ad quos teſtamenta ipſa ſpectant, ad juris peritos confugiant, ex quorum conſilio faciendum ſuſcipient, quidquid utile ſibi, & conſentaneum judicabunt =.

FORMULA TESTAMENTI.

Quod, abſente Notario, conficitur a Parocho.

In Nomine Domini, Amen.

N. N. quondam N. N. ditionis, ac diœceſis Bononienſis, Dei beneficio ſana mente, ac ſenſibus præditus, viſu, loquela, atque intellectu, ſed corpore ægrotus, & lecto decumbens, ne ipſum improviſa mors opprimeret, antequam de bonis ſuis teſtaretur, me inferius obſignatum ore ſuo, & clara voce rogavit, tanquam ipſius parochum, abſente notario publico, ut ejus teſtamentum exciperem, & ſcriberem; ac reipſa coram teſtibus inferius adnotatis, & ob hanc cauſam accitis ab eodem teſtatore N. N. ego excepi, iterumque excipio idem teſtamentum, quod manu mea deſcribo, dum teſtator ipſe tractim enunciat quæ ſuprema voluntate deliberat; haſque tabulas re peracta notario committam: quibus N. N. bona ſua diviſit, ac dividit eo modo, qui ſubjicitur, nempe.

Primum, animam ſuam teſtator Deo Optimo Maximo commendat, cujus opem implorat, morte præſertim proxime impendente, ut ad ſempiterna cœlitum gaudia excipiatur.

Præcipit, corpus ſuum ſepulturæ mandari in Eccleſia N. N. poſtquam in cadaver redactum fuerit, proque animæ ſuæ expiatione ſacra fieri.

Item ratione legati, & quocunque meliori modo, relinquit ſummam pecuniæ N. numerandam N.

Pro reliquis autem bonis mobilibus, immobilibus, ſemoventibus, rebus, rationibus, & actionibus, tum præſentibus, tum futuris idem teſtator N. ore ſuo, & clara voce hæredem ſuum inſtituit, nominat, declarat, & vult N. N. libera voluntate, ac ratione (hoc loco addantur ſubſtitutiones, aliæque conditiones, quas teſtator præſcribet, & quæ notari clare debebunt.)

Commiſſarins autem, & executores poſtremæ hujus voluntatis idem teſtator N. deſignat N. N. quibus facultatem tribuit, ut &c. (hoc loco deſcribantur facultates generales, ſeu peculiares, quas illis conferendas teſtator judicabit.)

Porro ipſe teſtator declaravit, hanc eſſe ſuam poſtremam voluntatem, ac teſtamentum; quod ſi ratione teſtamenti vim non aſſequatur, decernit, illud valere tanquam codicillum, vel donationem cauſa mortis, aut cujuſcumque poſtremæ voluntatis, quæ valida, & efficax habeatur. Revocat autem, obliterat, & irritam facit aliam quacumque voluntatem, aut teſtamentum, quod ipſe alio quocumque tempore, vel

ratione condiderit, ita nt hoc poſtremum valere ſolum debeat, & perpetuo obſervari a ſuis bæredibus, & ab aliis, ad quos pertinebit; idque totum fieri præcipit quocunque meliori modo, qui rationi conſeutaneus ſit.

His omnibus, & ſingulis continue præſentes adfuerunt in eodem oppido, ac domo teſtatoris nempe in cubiculo, ubi ipſe ægrotus decumbit, jam nominati teſtes N. filius N. &c. qui teſtatoris ore proprio rogati fuerunt, ut teſtimonium facerent. In fidem &c. manu mea has ſupremas teſtamenti tabulas obſigno, & ſigillum Eccleſiæ meæ ſuperaddo.

FORMULA SERVANDA

Dum Parorhus teſtamentum Notario publico committit.

Reverendus D. N. Filius D. N. N. Rector Eccleſiæ parochialis N. coram teſtibus, inferius ſignatis, ut obſervantiam teſtamenti inferius deſcripti certam, ac perpetuam redderet, commiſit, deditque mihi notario publico folium, in quo aſſeruit, contineri teſtamentum, & voluntatem ultimam N. N. in ſua parochia commorantis (nempe, ſi adhuc ſuperſtes fuerit, ſin autem e vivis deceſſerit, addatur) in ſua parochia commorantis, dum viveret, & dum animam poſtremo exhalavit, quod teſtamentum ab eodem reverendo parocho conditum fuit, rogante ipſo teſtatore, & abſente notario publico die menſis hujus anni Idem teſtamentum exceptum coram teſtibus, in ipſo deſcriptis, & ſimiliter ab eodem teſtatore rogatis, ſcriptumque fuit manu ipſius reverendi parochi, teſtatore dictante, quæ vellet; qui ſane teſtator, dum ſupremas has tabulas conficeret, corporis quidem ægritudine tenebatur, mentis tamen ſanitate, ſenſu, viſu, auditu, intellectuque præditus erat; in quibus tabulis teſtator affirmat, legata decreviſſe, hæredem ore ſuo declaraſſe, & reliqua omnia, prout in teſtamento continentur, libere conſtituiſſe; & inſuper poſtulat, ut traditum mihi, exceptumque ſuum teſtamentum publica fide confirmarem, & illud in acta mea referrem; quæ omnia meliori modo &c. Sententia vero ejuſdem teſtamenti eſt bujuſmodi (hoc loco referatur teſtamentum.

FORMULA DEPOSITIONIS PAROCHI,

Cum interrsgatur de iis, quæ in teſtamento continentur.

Ac deinde interrogatus a me notario idem reverendus parochus de iis, quæ habentur in teſtamento, mihi tradito, ipſe, jurejurando interpoſito, & tacto de more pectore ſacerdotali, deferente me notario publico, reſpondit hæc, quæ ſeqnuntur.

In teſtamento peracto, ut ſuperius expoſitum fuit, tibique tradito N. teſtator, anima ſua prius Deu commendata, decretoque ſibi tumulo in Eccleſia N. & pro animæ expiatione Miſſarum Sacrificiis indictis præcepit, numerari N. ſummam pecuniæ N. (hoc loco cætera legata, & alia, ſiquæ propoſita fuerint a teſtatore, ſingillatim enumeret.)

Hæredes bonorum ſuorum generales inſtituit N.N. ore ſuo, & clara voce (hoc loco explicentur ſiqui alii ſubſtituti ſint, vel aliquid aliud circa bæredis inſtitutionem a teſtatore decretum fuerit.)

Poſtremo commiſſarios ſuos deſignavit N, N. & reliqua omnia, prout in teſtamento deſcribuntur, quod ego teſtor, & approbo, illud idem eſſe, quod excepi, ſcripſi, obſignavi, addito pariter ſigillo Eccleſiæ meæ parochialis,

FORMULA DEPOSITIONIS TESTIUM,

Cum interrogantur de eodem teſtamento.

Poſt hæc idem reverendus parochus adduxit jam nominatos, & inferius ſcriptos teſtes, qui condendo teſtamento interfuerunt.

Ac primum N. filius N. N. oppidi N. interrogatus a me de rebus in eodem teſtamento contentis, jurejurando interpoſito, tactiſque ſcripturis, deferente me notario publico, in hunc modum reſpondit.

Die .... Menſis .... Anni .... accerſitus domum .... in oppido .... ubi ipſe gravi morbo decumbebat, ore ſuo, claraque voce me rogavit, & etiam N., ut teſtes eſſemus poſtremis ſuis tabulis, ultimæque voluntati. Quare reverendum N. parochum ſuum illic præſentem exoravit, ut, abſente notario publico, teſtamentum ſuum exciperet; illud reverendus idem parochus N. exeepit, ſcripſitque, enunciante teſtatore, quæ vellet. Is quidem anima ſua Deo commendata, ſepeliri corpus juſſit in Eccleſia &c. (hoc loco deſcribatur reſponſum ejuſdem teſtis ad ſingula capita teſtamenti, quemadmodum in reſponſione, a parocho facienda ſuperius expoſuimus; deinde notarius hoc modo proſequatur.)

Inſuper teſtamenti tabulas ego notarius teſti N. N. palam oſtendi, quas ipſe diligenter expendit, & nomen ſuum in fine obſignatum, vel ejus loco crucis ſignum perſpexit, cui ſubjiciebantur ipſius nomeu, & cognomen; quibus peractis, teſtis ipſe jurejurando dixit. Hoc eſt revera teſtamentum N. N. cui ego teſtis interfui cum alio teſte, quem ſuperius nominavi. Super his omnibus &c.

Poſt hæc notarius depoſitionem eliciet ab illo, vel allis teſtibus, qui forte interfuerint, & pro hac eadem cauſa coram adducantur.

Quod ſi teſtamentum manu teſtatoris obſignatum fuerit, nullum tunc examen parochi, vel teſtium requiritur, & ſatis erit, ſi ipſi teſtamentum idem agnoſcant eo modo, quem explicavimus, & etiam ſuper addant legata, hæredis inſtitutionem, aliaque omnia decreta fuiſſe ab ipſo teſtatore, prout in ejus ſupremis tabulis exhibetur; nec opus eſt, ut ſingillatim enumerent &c.

S E C T I O   C C C C L X X X I.

Caput XIV. Officii, *ex Decretali Innocentii III. C. Preſbytero Cardinali Tit. S. Laurentii in Lucina, Apoſtolicæ Sedis Legato, reſcripta*.

OFficij (& infra.) Secundo quæſiviſti, cum quis in teſtamento relinquit Epiſcopo propriam portionem, & alia multa monaſteriis, vel Eccleſiis, utrum Epiſcopus ex illis legitimam poſſit petere portionem (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi portionem illam cum conditione legavit Epiſcopo, ut eſſet illa ſola contentus, & Epiſcopus acceptavit, quia per hoc aliis renunciaſſe videtur, de cæteris non poterit exigere portionem. Quod ſi eam ipſi abſolute reliquit, portionem ſibi debitam, poterit nihilominus de cæteris vindicare. Si vero conſtiterit, quod in fraudem modicum conſtituit mortuarium, ut in cæteris Epiſcopus portione debita fraudaretur (quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet) Epiſcopus portionem ex illis poterit exigere, a Canone conſtitutam, ſalvis indulgentiis Romani Pontificis, quæ quibuſdam Regularibus ſunt conceſſæ,

In hac Decretali, ſicut & in altera laudati Innocentii, eidem Cardinali reſcripta, relata cap. XV. *Requiſiſti*, *hor. eod. tit.*, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, agitur de portione canonica, ſeu quarta epiſcopali, debita Epiſcopo lege diœceſana ex bonis per ultimam voluntatem relictis Eccleſiæ, vel alii pio loco.

Cum autem cauſa hujus portionis, Epiſcopo aſſignandæ, initio fuerit inopia Epiſcopatuum, hique poſtea melius dotati, & ditati fuerint, hodie in omnibus fere diœceſibus contraria conſuetudine eadem hæc portio ſublata eſt, ut probant Navarr. *ad hoc idem caput XV. num.* 14. Reinfeſtuel *tit. de Sepult.* §. 2. *n.* 64. & Remigius Maſchat. *eod. tit. n.* 18.

Si vero alicubi adhuc vigeat, ejus quantitas metienda eſt juxta locorum conſuetudinem: eam tamen ex communiori ſententia non tenentur ſolvere loca pia, & monaſteria exempta, utpote immunia a lege diœceſana, Auctores laudati *loc. cit.*

Nec itidem debetur tam Epiſcopo, quam parocho ex aliis legatis, Eccleſiæ relictis, enumeratis in ſequenti Gregorii IX. Decretali, relata *hor. eod. tit. cap.* XX. quæ ad declarationem harum duarum præcedentium emanata eſt, ibi:

De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, ſeu fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo die, ſive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur Eccleſiis, vel reliquis piis locis, canonica portio, dummodo in fraudem non fiat, ut ea Epiſcopus, ſeu parochialis Eccleſia debeat defraudari, deduci non debet,

Neque hæc Decretalis abrogata eſt a Decretali Bonifacii VIII. *Super cathedram*, inſerta in Clementina II. *Dudum*, ſtatuente, ut de omnibus, & ſingulis, vel per ultimam voluntatem, vel occaſione funeris, Eccleſiæ tumulandi obvenerint, debeatur portio canonica, ac etiam de illis, de quibus dari, vel exigi non conſueverint, vel non debent de Jure, ut notabo ad dictam Decretalem *Super cathedram*.

Titulus XXVII. De Succeſſionibus ab inteſtato.

S E C T I O   C C C C L X X X I I.

Caput I. Sed hoc, *ex Decretali, deſumpta a Concilio, habito apud Altheim in Germania, incertum, an ex Concilio I. habito anno 916, an ex II. habito anno 931*.

SEd hoc ibidem inventum eſt de Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, ut ſi hæreditatem, vel alio modo, intuitu perſonæ, aliquid acquiſierint, donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt. Si autem ante obierint, quam hoc fecerint, altari cui ſerviunt, omnia perpetuo ſanctificentur, & in jus Eccleſiæ tradantur.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi Epiſcopus, Presbyter, vel quicumque alius Clericus inteſtatus deceſſerit, in ejus bona, etiam intuitu perſonæ, & non Eccleſiæ, acquiſita, ſuccedat Eccleſia, cui inſervierit,

Verum juxta communiſſimam Interpretum ſententiam, id duntaxat locum habet in defectum conſanguineorum, qui ab inteſtato ſuccedant.

Imo in horum etiam defectum hodie non succe-

 dit

dit Eccleſia, ſed „ Camera Apoſtolica (ita Remigius Maſchat. *hoc tit. num.7.*) „ maxime ſi Clericus non ſit beneficiatus, per varias Bullas Pontificum, Julii III. Pauli III. & IV. Gregorii XIII. &c. quæ tamen dicuntur non eſſe uſu receptæ in Gallia, Luſitania, & Germania “.

Ubi autem dictæ Conſtitutiones non ſunt receptæ, ſi Clericus, nec beneficium habens, nec conſanguineos, inteſtatus decedat, in ipſius bona ſuccedit Fiſcus epiſcopalis, cum onere ea erogandi in cauſas pias, Reinffenſtuel, *hoc tit.* §. *IV. num.63.*

In aliquibus Regnis ea viget conſuetudo, ut ſi quis, etiam laicus, inteſtatus deceſſerit, Epiſcopi teſtamenta efficiant, quæ animarum vocantur, aliquid pro illius animæ ſuffragio diſponendo, licet hæredes ſuperſtites relinquat. Quam conſuetudinem, ubi non viget, Benedictus XIII. in Concilio Romano, *tit.* 20. *de Teſtam. cap.* 2. admonet Epiſcopos, ut ſubditos ſuos hortentur amplecti, ibi:

Eam poſtmodum laudabilem, quæ quibuſdam in locis viget, in Regno præcipue Neapolitano, aliiſque Regnis, conſuetudinem, ut pro decedentibus ab inteſtato, ſuperſtites hi licet relinquant hæredes, teſtamenta, ut ajunt, animarum, per Epiſcopos efficiantur, aliquid de defuncti bonis pro ejus animæ ſuffragio diſponendo, approbamus: & Epiſcopos omnes, ut eorum plebes ad uſum pium, ubi non adſit, amplectendum hortentur, admonemus.

Eſt etiam hic notandum, quod bona peregrinorum in Noſocomiis decedentium, ſi fieri poteſt, tradenda ſint hæredibus, ab inteſtato ſuccedentibus, ſecus per Epiſcopum in pias cauſas eroganda, & ſi hoſpes aliquid ex iis ſurripuerit, triplum reſtituere teneatur Epiſcopo, *auth. Omnes peregrini C. commun. de ſucceſſ.* quam approbavit etiam Honorius III. Conſt. *Has leges*, an. 1220. la 1. in ordine apud Bullar. Cherub.

Circa bona in dictis Noſocomiis decedentium, ſive condito, ſive non, teſtamento, ſive ad cauſas profanas, ſive pias, non inutile erit pro praxi ſub oculos habere ſequentia Cong. Conc. reſponſa ad dubia in *Pragen. facultatis teſtandi*, 8. *Maii* 1683. inter Fratres Servorum B. Mariæ Virginis Pragæ, & Sancti Joannis de Deo, prætendentes vigore aſſertorum privilegiorum, atque conſuetudinis, bona morientium in ipſorum Noſocomiis, & apud morientes reperta, eorumdem Noſocomiorum commodo cedere debere.

I. An aliquis decedens in hoſpitali Fratrum Miſericordiæ Ordinis B. Joan. de Deo, qui in eodem hoſpitali prius aſportaverat pecunias, & alia mobilia, poſſit de iis pecuniis, & mobilibus adſportatis diſponere per teſtamentum; ita ut dicti Fratres teneantur tradere dictas pecunias, & mobilia pro adimplenda voluntate defuncti; maxime ſi diſpoſitio teſtatoris fuerit ad pias cauſas, & cum onere Miſſarum? & quatenus affirmative.

II. An idem dicendum ſit, caſu, quo diſpoſitio non fuerit ad pias cauſas.

III. An aliquo decedente in dicto hoſpitali, nullo condito teſtamento, ejus ſubſtantia, ibi aſportata, cedat totaliter hoſpitali, excluſis omnibus ſanguine conjunctis; præſertim, ſi hoſpitale de reliquo ſervetur indemne.

Sac. Cong. reſpond. ad I. & II. affirmative, etiam de conſenſu partium.

Ad III. negative, niſi conſtet de contraria conſuetudine, legitime præſcripta.

Agebatur hic de pecunia, & mobilibus pretioſis, ſecum ad d. Noſocomium aſportatis ab Antonio Ebertino Peruſino, quæ morti proximus ibidem teſtamento legavit diverſis perſonis, & ſignanter Ungaricos centum præfatis Fratribus Servorum cum onere Miſſarum.

SECTIO CCCCLXXXIII.

Caput II. Sancto, *ex Decretali, ex Concilio Triburienſi, celebrato ſub Arnulpho, juxta Gonzalez.*

SAncto Concilio allatum eſt, quod quidam laici improbe agunt contra Presbyteros ſuos, itaut de morientium Presbyterorum ſubſtantia partes ſibi vendicent, ſicut de propriis ſervis. Interdicimus itaque, ne hoc ulterius fiat, ſed ſicut liberi facti ſunt ad ſuſcipiendum gradum, & agendum officium divinum, ita nil ab eis præter divinum officium exigatur. Peculium vero ipſorum dividatur in quatuor partes, quarum una Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus aſſignetur; & ſi non ſint idonei parentes, Epiſcopus eam recipiat, & in uſum Eccleſiæ diligenter diſtribuat. Et ſi quis contra hoc præſumpſerit, anathematizetur.

Hæc Decretalis agit de Presbyteris, qui ex ſervitute promoti fuerant ad Sacerdotium, eorum dominis conſentientibus.

Verum cum hodie rigoroſa mancipiorum ſervitus inter Chriſtianos exoleverit, ut notavi *Tit. de Servis ordinand. vel non*, Sect. CXXX. peculii quoque ejuſmodi Sacerdotum diviſio, hic præſcripta, uſum amplius non habet.

Titu-

SECTIO CCCCLXXXIV.

CAPUT I. NOS INSTITUTA, *ex Decretali Leonis III.*

NOs inſtituta majorum Patrum conſiderantes, ſtatuimus, unumquemque in majorum ſuorum ſepulcris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere ſepulturam, & etiam alienam. Dominus enim, & Magiſter alienam elegit, ut propriam. Sed quia dignus eſt operarius mercede ſua, tertiam partem ſui judicii illi Eccleſiæ dari cenſemus, in qua cœleſti pabulo refici conſuevit, ut juxta Apoſtolum ſint conſolationum ſocii, ut fuerunt paſſionum: & ſic demum ubicumque libitum fuerit, eligat ſepulturam. Aliter ne fiat, auctoritate Domini Noſtri, qui per Prophetam loquutus eſt, dicens: *Ne trasgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*; ſub anathematis vinculo deteſtamur, & contradicimus.

Nominæ tertiæ partis *judicii* defuncti, quæ Iu... in hac Decretali dari præcipitur proprio ejuſdem defuncti parocho, tam cum ſepelitur in ſepultura majorum, quam cum extra ſuam porochialem Eccleſiam ſepeliri mandaverit, venit tertia pars ex intorticiis, candelis, circa cadaver accendi ſolitis, cæteriſque rebus, quæ ratione funeris Eccleſiæ tumulanti obveniunt, de quibus fuſior inſtituetur ſermo *part. II. cum de cap. XIII. Trident. ſeſſ. XXV.*

Quare autem hic tertia tantum pars dari ſtatuatur, & non quarta, aut medietas, ut in ſequentibus Decretalibus, Clemens III. id tribuendum declarat diverſæ locorum conſuetudini, quam etiam obſervari præcipit in ſequenti Decretali, relata *cap. IX. hoc eod. tit.*

Certificari voluiſti a nobis, quomodo illa clauſula, quæ in privilegiis ſolet apponi, ſalva juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur, intelligi debeat, & exponi. Cum autem ſuper hoc articulo diverſa Anteceſſorum noſtrorum manaverint inſtituta, Leone, juſtitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, & Urbano, quartam fore cenſentibus: nos tale præbemus in hac varietate reſponſum, ut ſicut B. Hieronymus inquit, unaquæque provincia in ſuo ſenſu abundet, & ſecundum rationabilem conſuetudinem regionis illa juſtitia circa mediet. vel tertiam, aut quartam partem pro locor. diverſitatibus attendatur.

Cum ex hac Decretali nulli prohibita ſit electio ſepulturæ, ſubnectuntur hic.

DECRETA

SACRA CONGREGAT. CONCILII

Circa validitatem electionis Sepulturæ, relata in Appendice Synodi Civitatis Caſtellanæ, celebrata a Sante Lanucci an. 1757. num. XLII.

I. Se ſia valida la ſepoltura, che ſi fa nella preſenza del paroco da chi è ſano, ò infermo.

II. Se al valore della elezione della ſepoltura ſi richieda il teſtamento nell' ultima volontà, ò vero baſti, che ſi elegga innanzi per altro atto publico, che non ſia teſtamento.

III. Se ſia nulla eſſa elezione, quando ſi elegge eziandio per teſtamento, fatto in vita, e non in morte.

IV. Se chi ha cappella di ſua famiglia con propria ſepoltura, morendo ſenza elezione di ſepoltura, ſi debba ſeppellire nella Cathedrale.

V. Se ſia valida l'elezione della ſepoltura, fatta alla preſenza di due, o più teſtimonj.

VI. Se l' elezione della ſepoltura, fatta per nutum, & per ſigna, in caſo, che taluno non poſſa parlare, ſia valida.

VII. Se li fratelli delle Confraternite ſi poſſono ſeppellire nella ſepoltura della loro Chieſa, non facendoſi elezioni d'altra.

VIII. Se l'elezioni della ſepoltura, le quali de jure præſumuntur, come quella della moglie riſpetto al marito, de figli riſpetto al padre, e loro maggiori, de ſchiavi, e ſimili, riſpetto a padroni, e ſimili, ſiano valide. Che è quanto dall' Eminenze voſtre benignamente ſi deſidera di dichiarare, ed il tutto &c.

Quæritur quid ad ſingulas prædictas dubitationes reſpondendum.

Die 13. Februarii 1566. S. Cong. Eminorum, S. R. E. Card. Conc. Trid. Interpretum.

Ad I. cenſuit, eſſe validam, dummodo parochus non atteſtetur ad proprium commodum. Ad II. cenſuit, non requiri neceſſario teſtamentum. Ad III. cenſuit, non eſſe nullam. Ad IV. non eſſe ſepeliendum in Cathedrali. Ad V. eſſe validam. Ad VI. eſſe validam, dummodo ſufficienter conſtet de voluntate eligentis. Ad VII. negative. Ad VIII. cenſuit, quatenus electa non fuerit ſepultura, uxorem in ſepultura ultimi viri ſepeliendam, filios vero in ſepulcro majorum, ſervos autem in parochia.

Ita reperitur in Regeſto Decretorum *lib. XXV. fol. XXIX.* ejuſdem Sac. Congr. *Neapolitana juris funerandi.*

Confratres, & conſorores paucis ab hinc annis conſueverunt collective, & collegialiter per publicum inſtru-

inſtrumentum eligere ſepulturæ ſuæ locum in aliis Eccleſiis, & ſignanter Regularium, in quibus ædem Sodalitates erectæ reperiuntur.

An hujuſmodi electio ſepulturæ, collective, & collegialiter facta, ſuſtineatur in caſu, de quo agitur? Die XVI. Maii 1682. S. C. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum reſpondit: ſuſtineri electionem ſepulturæ, collective factam per Confratres, individualiter conſentientes, & die XIX. Decembris ejuſdem anni 1682., repropoſita hujuſmodi cauſa, utraque parte, ore, & ſcriptis informante, ſtetit in deciſis, addita clauſura, *revocabiliter tamen*.

F. Card. Columna Præfectus.

A. Altovitus Secretarius.

SECTIO CCCCLXXXV.

Caput II. Relatum, *ex Decretali, ab aliis tributa eidem Leoni III. ab aliis Leoni IX.*

RElatum eſt auribus noſtris (& infra.) Mandamus, ut quicumque ammodo in monaſterio converti voluerit, ſive in morte, ſive in vita, omnium rerum, & poſſeſſionum, quas pro ſalute animæ ſuæ decreverit diſponere, medietatem Eccleſiæ, ad quam dignoſcitur pertinere, relinquat.

Hæc Decretalis, ſtatuens, deberi propriæ parochiæ medietatem bonorum, de quibus ſive in morte, ſive in vita monaſterium ingreſſurus diſpoſuerit, pro ſalute animæ ſuæ, præter contrariam conſuetudinem, abrogata eſt etiam ab Alexandro III. *cap. De his IV. hoc eodem tit.* declarante, ad id cogi non poſſe, ibi.

De his, qui in infirmitate, vel ſanitate cum bonis ſuis ad religioſa loca ſe transferunt, nihil tibi, vel Eccleſiis, a quibus receperunt ſalutis pabula, relinquentes, hoc tuæ volumus prudentiæ innoteſcere, quod ſi in ægritudine ipſa ad Religionem tranſeant, dummodo de ægritudine illa decedant, de bonis ſuis ipſis Eccleſiis, a quibus aſſumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi. Si vero ad religioſa loca ſe in ſanitate tranſtulerint, de his, quæ locis ipſis conferunt, cogi non poſſunt, aliquid præſcriptis Eccleſiis impertiri, quia liberum eſt eis tunc bona ſua, non ſolum religioſis, ſed etiam quibuslibet privatis conferre perſonis.

Circa autem medietatem portionis canonicæ dandam proprio parocho in caſu tumulationis defuncti in aliena Eccleſia, dic ut in præcedenti Sectione.

Notandum hic eſt; quod quarta funeralia ſit in totum præſcribibilis poſt lapſum XL. annorum *cap. IV. De quarta, de Præſcriptionib.* & ibi Wagnerex.

SECTIO CCCCLXXXVI.

Caput III. Fraternitatem, *ex Decretali, perperam tributa Innocentio III. cum ſit Innocentii II. ut probat Gonzalez.*

FRaternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum ſepulcra, & cœmeteria apud illas Eccleſias, & monaſteria ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus religioſorum fratrum conventus ſunt conſtituti, & orationes, atque Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur, unde ipſorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujuſmodi Eccleſias ſepeliri deſiderant, minime contradicendum eſt. Qui vero, relictis antiquis Eccleſiis, & patrum, aliorumque parentum ſuorum ſepulcris contra conſuetudinem Patrum veteris teſtamenti, qui cum Patribus ſuis ſepulti eſſe leguntur, ad nova, & minus religioſa loca ſe transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam inſtitutionem facere videntur. Unde ſi P. de Caſtello contra antiquam, & rationabilem conſuetudinem aliquid de corpore ſuo ſepeliendo mandavit, hoc non præjudicat rationi, ſed viribus debet carere. Quocirca mandamus, quatenus corpus ipſius monachis Sancti Stephani reddi facias, & cum ſuis patribus ſepeliri.

Huic Decretali, in qua improbatur electio ſepulturæ in loco minus religioſo, ideſt in alia Eccleſia, relicto ſepulcro majorum (patris videlicet, avi, proavi, aliorumque aſcendentium in linea recta, cum omnes veniant nomine majorum *L. juriſconſult. X. ff. de Gradibus*) derogatum eſt a Bonifacio VIII. *cap. II. Cum quis, hoc eod. tit. in VI.* decernente §. *Si quis*, talem electionem non eſſe improbandam. Textum legea infra Sect. CCCCXCIII.

SE-

S E C T I O   C C C C L X X X V I I.

Caput V. Ex parte, *ex Decretali Alexandri III. ignotum, cui reſcripta.*

EX parte Canonicorum Obrigen. nobis eſt intimatum, quod Prior de Inſula quendam parochianum ſuum, poſt appellationem ad nos factam, in ſua Eccleſia ſepelivit (& infra.) Mandamus, quatenus præfatum Priorem compellas, ut memoratis Canonicis prædicti parochiani corpus reſtituat, & exinde amicabiliter conveniat cum eiſdem,

Eadem ratione, qua hic præcipitur, reſtituendum eſſe cadaver una cum funerariis emolumentis ab eo, qui alienum parochianum ſepelivit, reſtitui etiam debet a parocho, qui in ſua Eccleſia ſepelivit proprium parochianum, qui in aliena Eccleſia ſibi ſepulturam elegit, ut ex decreto Cong. Epiſcop., & Regul. confirmato ab Alexandro VII. Conſt. *Cum ex parte*, 10, *Aprilis* 1660.

S E C T I O   C C C C L X X X V I I I.

Caput VII. De uxore, *ex Decretali Urbani III. non Lucii III., ut perperam legitur in collectione Gregorii IX.*

DE uxore vero, utrum quemadmodum vir, liberam habere debet ſepulturam; nobis videtur, quod nulla ſuper hoc inter virum, & mulierem ſit facienda diſtinctio, ſed utrique in caſu iſto æqualem eſſe credimus facultatem, cum electio iſta ad eum potius ſtatum pertineat, in quo mulier ſolvitur a lege viri. Utrum autem pater, quo magis voluerit, minores filios valeat ſepelire, non invenimus a Sanctis Patribus definitum: & propterea terræ conſuetudini decernimus relinquendum,

Primæ hujus Decretalis parti, declaranti eandem facultatem eligendi ſepulturam, quæ competit marito, competere uxori, acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. III. Is, qui hoc eod. tit. in VI.* cujus textum leges infra, ſtatuens ſepeliendam eſſe cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, ſi plures ſucceſſive habuit, & ſibi alibi non elegerit ſepulturam.

Quæri hic poſſet, an ſicut uxor, non electa ſepultura, juxta dictam Bonifacii Decretalem, juncto *can. III. Unaquæque cauſ. XIII. q. 2.* ſepelienda eſt in ſepulcro mariti, ita etiam hic ſepeliendus ſit in ſepulcro uxoris. Motivum dubitandi ſumitur ex *can. II. Ebron. dicitur cauſ. XIII. q. 2.* in quo refertur, tres Patriarchas ſepultos fuiſſe cum uxoribus ſuis, ideſt Abraham, cum Sara, Iſaach cum Rebecca, & Jacob cum Lia, additurque ratio, quia = *Quos* conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum, quia una caro ſunt, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet =.

Verum cum vir, & uxor æquiparentur dumtaxat quoad jus maritale, non quoad alia jura, puta domicilii, fori, ſepulcri &c, in quibus uxor maritum ſequitur, non maritus uxorem, argumentum a pari minime valere ſentiunt Juris canonici Interpretes, attenta etiam contraria praxi, Maſchat. *Inſtitut. Canonic. hoc tit.* num. 6.

Ad ſecundam partem tranſcriptæ Urbani Decretalis quod ſpectat, ſtatuentem poſſe patrem, ubi talis viget conſuetudo, eligere ſepulturam pro filiis minoribus, cum pro minoribus intelligi poſſit de conſtitutis in ætatate infra annum XXV. acceſſit Decretalis ejuſdem Bonifacii, relata in *cap. IV. Licet, hoc tit. in VI.* declarans pro minoribus intelligendos eſſe, qui ad annum pubertatis nondum pervenerint, quæ in maſculis incipit poſt annum XIV. completum, in fœminis autem poſt XII. ut per Gloſſ. *hic* verb. *Pubertatis*, poſt quem liberum eſt filiis, etiam ſub patris poteſtate conſtitutis, ſibi eligere ſepulturam, cum quoad jura ſpiritualia patriæ poteſtati, jure tantum civili inductæ, non ſubſint: licet eam eligendo, nihil pro anima ſua diſponere poſſit ſine conſenſu patris, exceptis bonis caſtrenſibus, aut ſemicaſtrenſibus, ibi,

Licet pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis proveniant, eligere ſepulturam, poſſit (ſi conſuetudo terræ id habeat) quo voluerit ſepelire, hoc tamen poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur, ſed ſunt cum ſuis majoribus, vel in parochiali Eccleſia tumulandi. Quamvis autem filiusfamilias abſque patris aſſenſu ſibi poſſit libere eligere ſepulturam, pro anima tamen ſua præter ipſius aſſenſum (niſi peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe habeat) aliquid judicare non poteſt,

Eſt hic notandum, quod ſi pater elegerit ſepulturam pro filio impubere, proxime morituro, & hic poſtea convaluerit, & factus eſt pubes, non valebit electio, niſi idem eam ratam habuerit, ut declaravit Congregat. Epiſcopor., & Regul. 20. Januar. 1640. teſte Mattbæuc. *Offic. Cur. cap. XLVIII. num.* 24.

Quamvis autem id jus in hac Decretali tribuatur patri, ex decreto tamen Cong. Conc. *in Placentina*, 27. *Novembris* 1649. relato ab eodem Mattæhuccio, *loc. cit. num.* 25. competit etiam matri, ubi viget conſuetudo, ibi = Ad primum reſpondit: Patrem, ſi conſuetudo loci id non habeat, eligere non poſſe. Et alias, prout in d. Conſt. Innoc. X. ad dubium, an mater pro filiis impuberibus poſſit eligere ſepulturam? reſpondit non licere matribus eligere ſepulturam pro filiis impuberibus, ceſſante legitima conſuetudine = Cum hoc tamen diſcrimine, quod cum patri aſſiſtat jus ex allatis *cap. Licet, & De uxore §. Utrum pater*, reſpectu illius ſufficit, ut conſuetudo præſcripta ſit ſpatio decem annorum; reſpectu vero matris, cui id jus non aſſiſtit, requiritur, ut præſcripta ſit ſpatio quadraginta annorum, prout notavit Sperellus *deciſ. LXIV. n.* 20. =

Notandum eſt tamen, quod vi hujus reſpectivæ conſuetudinis valebit electio ſepulturæ, ſi facta fuerit a patre, vel a matre ante mortem filii impuberis, non vero poſt, ut declaravit S. Congr. Epiſc. & Regul. in *Fulginaten.* 27. *Octobr.* 1587. in una *Montis Peluſii* 6. *Jun.* 1659. ac Cong. Conc. *in Avellinen.* 15. *Septem.* 1605. per hæc verba = Matrem, cum pater non adeſt, poſſe impuberi filio ſepulturam eligere, vivente tamen filio =.

Si autem quæras, in qua parochiali Eccleſia ſepeliendi ſint infantes, qui nutricibus extra propriam parochiam alendi dantur, crederem deſumi poſſe regulam a ſtatuto Cleri Romani, niſi aliter locorum conſuetudines, & municipalia ſtatuta diſponerent, quæ, prævio examine Congregationis particularis, a Clem. XI. deputatæ, legitur in additionibus ejuſdem ſtatuti, §. 7. & 8. ibi = *Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena parochia decedant. Patre vero orbatos, quouſque apud ipſam matrem aluntur, licet in poteſtate tutorum, non matris, exiſtant, de parochia matris, non tutorum, eſſe declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam parochiam dentur a matre, domicilium in parochia matris: ſi vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod ſi nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, tumulentur.*

Si iterum quæras, in qua Eccleſia ſepeliendæ ſint Educandæ, decedentes in monaſteriis monialium, non electa ſepultura, nec habentes majorum ſepulchrum, S. Congr. Conc. in *Feretrana* 21. *Aprilis* 1742. *ut in Theſauro Reſolution. ejuſdem Cong. tom. II. pag.* 68. declaravit, ſepeliendas eſſe in parochiali Eccleſia, intra cujus limites ſitum eſt monaſterium, non in Eccleſia monialium, in qua tamen ſepeliri poterunt, ſi ibi eam ſibi elegerint: & tunc parocho ejuſdem parochiæ debetur tantum quarta funeralis. Idipſum dicendum eſt de ſecularibus mulieribus in iiſdem monaſteriis, vel famulatus, vel alia quacumque cauſa, legitima facultate commorantibus, & ibidem decedentibus, ut diſponitur in additionibus ad dictum ſtatutum Romanum *cap. III. de Jur. eligen. Sepult. ad §. IX.*

SECTIO CCCCLXXXIX.

CAPUT VIII. CUM SUPER, *ex Decretali, falſo tributa Lucio III., cum ſit Urbani III. de quo teſtatur Clemens III. in jam tranſcripta Decretali* Certificari *Sectione CCCCLXXXIV.*

CUM ſuper quodam capitulo (& infra.) Præſentium auct. ſtatuimus, ut ſi aliquem parœcianorum veſtrorum alibi contigerit eligere ſepulturam, de teſtamento ipſius quarta vobis portio relinquatur.

Circa quartam partem mortuariorum, quæ hic ſolvenda præcipitur Eccleſiæ parochiali, cum quis extra eam elegerit ſepulturam, dic, ut notatum eſt in citata Sect. CCCCLXXXIV.

SECTIO CCCCXC.

CAPUT XII. SACRIS, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Nidroſienſi ſcripta.*

SAcris eſt Canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab eccleſiaſtica unitate præciſi, nec in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint. Unde, ſi contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel aliquo caſu in cœmeterio eccleſiaſtico tumulentur, si ab aliorum corporibus diſcerni poterunt, exhumari debent, & procul ab eccleſiaſtica ſepultura jactari. Quod ſi diſcerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur fidelium, cum licet non obſit juſtis ſepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel ſpecioſa non proſit.

Huic

Huic Decretali, in qua ſtatuitur, eccleſiaſtica ſepultura non donari debere excommunicatos, niſi in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint, & ſi non reconciliati deceſſerint, exhumanda eſſe eorum cadavera, ſi diſcerni poſſint, acceſſit Decretalis Gregorii X. relata in *cap. XIV. hoc tit.* idem ſtatuens, nedum quoad excommunicatos, ſed etiam quoad alios, ibidem expreſſos, niſi abſoluti fuerint a proprio Presbytero, ideſt parocho.

Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifeſtis exceſſibus, videlicet homicidio; incendio, violenta manuum injectione in perſonas eccleſiaſticas, Eccleſiarum violatione, vel inceſtu, fuit, dum ageret in extremis, per Presbyterum ſuum juxta formam Eccleſiæ abſolutus, non debent cœmeterium, & alia Eccleſiæ ſuffragia denegari. Sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, cenſura ſunt eccleſiaſtica compellendi.

Circa abſolutionem obtinendam a proprio parocho, ut hic ſtatuit Gregorius, hodie ſatis eſt, ut abſoluti fuerint a quocumque Sacerdote, juxta Tridentin. *cap. VII. ſeſſ. XIV. de Pœniten.* imo non eſt eis eccleſiaſtica ſepultura deneganda, ſi evidentia pœnitentiæ ſigna dederint, ut idem Innocentius declaravit in ſequenti Decretali, relata in *cap. XXVIII. a Nobis de ſenten. excommun.* dummodo tamen poſt mortem abſolvantur ab eo, a quo vivi abſolvendi fuiſſent, ibi.

A Nobis eſt ſæpe quæſitum, utrum, ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifeſta, nec per eum ſteterit, quominus reconciliaretur eccleſiaſticæ unitati, non ſuſcepto beneficio abſolutionis, deceſſerit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus, & utrum pro tali recipienda ſit eleemosyna, & a fidelibus ſit orandum (& infra.) Nos igitur conſult. tuæ breviter reſpondemus, quod judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur: illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur; quod in ſuſcitatione Lazari ſermo evangelicus manifeſtat, quem prius Dominus ſuſcitavit, & Apoſtolis præcepit poſtmodum ſolvere ſuſcitatum. Unde quantumcumque ſe quis juramento præſtito, quod Eccleſiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantacumque pœnitentiæ ſigna præceſſerint, si tamen morte præventus, abſolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus. Poteſt tamen, & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. Nec obſtat, quod Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi, atque ſolvendi homines ſuper terram, tanquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos: & quod legitur: Non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit, & in certis caſibus, a Canonibus denotatis ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe. Ut autem in uno pariter, & eodem negocio, & ſervemus rigorem, & manſuetudinem oſtendamus, ſtatuimus, ut illius mortui abſolutio a Sede Apoſt. requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat abſolvendus: aliorum autem abſolutionem ex præmiſſa cauſa cœteris indulgemus, a quibus dum viverent, fuerant abſolvendi. Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum pœnitentiali pſalmo, & tam oratione Dominica, quam alia conſueta. Hæredes quoque ipsius ad ſatisfaciendum pro ipſo, si, monitione præmiſſa, noluerint, per diſtrictionem Eccleſ. compellantur.

Hanc praxim abſolvendi excommunicatos poſt mortem ſervat etiam ſacra Pœnitentiaria: abſolutionem tamen hodie committere non ſolet, niſi ad effectum ſepeliendi cadaver in loco ſacro, & tunc quidem in forma publica, juxta præſcriptum in hac Innocentii Decretali.

Notat tamen Theſaurus *de Pœnis eccleſiaſt. par. I. cap. XXV. Reſpondeo V.* „ Quod ſi excommunicatio, „ ſeu cenſura erat occulta, vel ſaltem non denuncia- „ ta, neque ob notoriam Clerici percuſſionem, multi „ dicunt, quod non indiget mortuus abſolutione, quia „ abſolutio datur, non mortuo directe, cum ipſe ſit „ jam ſolutus vinculo cenſuræ quoad ſe, ſed tanquam „ licentia fidelibus vivis cum eo communicandi, quæ „ non requiritur, ſi non erat vitandus, juxta *Extrav.* „ *Martini V. ad Evitanda*, & ita Navar. *cap. 27. numer* 271. Tamen æſtimo, etiam tunc fore utilem „ abſolutionem, & eſſe concedendam, ſi ſigna edidit „ contritionis, ut Marta *loc. cit. & dict. cap. A nobis.*

Hoc autem indultum ſepeliendi prædictos omnes, ſi pœnitentes deceſſerint, non ſuffragatur publicis uſurariis, niſi prævia uſurarum reſtitutione, vel ſaltem præſtita cautione ab ipſo, vel ejus hæredibus de reſtituendo, quamprimum fieri poterit, pro viribus patrimonii, ut ex *cap. III. Quia in omnibus de uſuris*, & *cap. II. Quamquam eod. tit. in VI.*

Neque decedentibus ex cauſa duelli, etiam extra locum conflictus, ut declaravit Benedictus XIV. Conſt. *Deteſtabilem*, *V. idus Novembr.* 1752. ibi.

Præterea decernimus, & declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem, ex Sacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante ſententiam judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit; ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis, & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis locorum ſuper hac pœna interpretandi, ac diſpenſandi facultate.

Quod ſpectat ad ſatiſfactionem, parti læſæ præſtandam ab hæredibus, quam hic Innocentius, & Gregorius exigunt, hoc non eſt intelligendum de quibuſcumque excommunicatis, ſed de iis dumtaxat, qui excommunicationis vinculo innodati erant propter delictum, vel contractum, ex quo alteri temporale damnum provenerit.

Allatis denique Innocentii, & Gregorii Decretalibus, ſtatuentibus, denegandam eſſe eccleſiaſticam ſepulturam in caſibus, & terminis ibidem expreſſis, acceſſit Decretalis Clementis V. *relata cap. I. hoc aad. tit. in Clementinis*, nedum id prohibens, ſed inſuper addens excommunicationem, ipſo facto incurrendam a præſumentibus ſepelire quoſcumque tempore interdicti in caſibus, a jure non expreſſis, ac cæteros, ut ſequitur.

Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora non ſine contemptu clavium Eccleſiæ, in cœmeteriis, interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt: decernimus, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere; a qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi eis, quibus per præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem; nullo eis circa præmiſſa exemptionis, vel quovis alio privilegio, ſub quacumque forma verborum conceſſo, aliqualiter ſuffragante.

SECTIO CCCCXCI.

Caput XIII. Abolendae, *ex Decretali, falſo tributa Innocentio III. cum ſit Honorii III. Bernardo, Epiſcopo Magaronenſi, Provinciæ Narbonenſis in Gallia ſcripta.*

Abolendæ conſuetudinis perverſitas apud Montem Peſſulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi ſepultura, quam pro terra, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium Eccleſiæ perſolvatur (& infra.) Mandamus, quatenus cum loci Diœceſanus exiſtas, inhibeas Clericis, ne quicquam omnino præſumant exigere hac de cauſa.

Præcipit hic Pont. ne aliquid exigatur pro ſepultura effodienda. Verum hæc prohibitio, & quidem ſub pœna ſimoniæ, locum habet, ſi aliquid exigatur pro ſepultura, ſeu pro loco ordinario, & publice deſtinato ad fideles ſepeliendos, non vero pro loco honorabiliori, ſeu extraordinario, defuncto non debito; qui ex communiſſima praxi vendi poteſt, ſicuti & capella pro conſtruenda ſepultura, etiam ſine beneplacito Apoſtolico, ex decreto Congr. Conc. 6. Septembris 1659. in *Meliten. alienation.* relat. a Card. Petra *ad Conſt. Pauli II. Sect. II. num.* 18., quod tamen beneplacitum requiritur, ſi concedatur uſus capellæ, ſeu ſepulturæ, jam conſtructæ, *ibid. num.* 19.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO CCCCXCII.

Caput I. Animarum, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Animarum periculis, & ſcandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, univerſis Religioſis, & ſecularibus Clericis, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute S. obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſime prohibemus, ne

ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim (ſi ſecus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis. Statuentes, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi, (ne contra votum, juramentum, aut promiſſum hujuſmodi a ſe factum materiam habeant veniendi) poſſint eligere ſepulturam: ſed contradictione quacumque ceſſante, ſepeliatur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias, ſepultura non electa, forſitan deceſſiſſent. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel cœmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem, intra decendium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & cœmeteria earundem, ex tunc eo ipſo ſint, & tandiu maneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum.

Hæc Decretalis, in qua ſub præcepto S. obedientiæ, & pœnæ maledictionis æternæ, ideſt ſub mortali culpa, ut communiter hujuſmodi clauſulam interpretantur DD. prohibetur Clericis, tam ſecularibus, quam regularibus inducere aliquem ad eligendam ſepulturam in propriis Eccleſiis, vel electam non immutandam, medio voto, juramento, vel pacto, ampliata eſt a Clemente V., firmis remanentibus aliis pœnis, a Bonifacio hic inflictis, addente excommunicationem ipſo facto, Papæ reſervatam, ſecuta electione per juramentum, vel votum, aut pactum, etiam non ſubſecuto effectu ſepulturæ, ut in ejus Decretali, relata in *cap. III. Cupientes, de pœnis, in Clementin.* §. *Sane*.

Sane temerarios violatores Conſtitutionis illius, quæ Religioſis, & Clericis ſecularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum, inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſimilem ſententiam (*ideſt excommunicat.*) (pœna in d. Conſtit. contenta in ſuo perdurante robore) incurrere volumus ipſo facto, ab alio, quam a Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendos: nullis privilegiis, aut ſtatutis, cujuſcumque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.

Romæ ipſo facto incurrunt excommunicationem, reſervatam Urbis Vicario ſeculares quicumque, & confratres Societatum ſecularium, inducentes quemquam ad eligendam ſepulturam in propriis Confraternitatum Eccleſiis, vel ſepulchis, vel ut, jam electam non mutent, non abſolvendi, niſi facta reſtitutione cadaveris, & omnium emolumentorum, ex decreto Clement. XI. 22. *Aug.* 1708. *ut videre eſt in Statuto Cleri Romani, cap. III. De jure eligend. ſepul. in addit. ad* §. *XXVII.*

S E C T I O C C C C X C I I I.

Caput II. Cum quis, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

CUM quis, cujus majores ſunt ſoliti ab antiquo in aliqua Eccleſia ſepeliri, ea dimiſſa, eligit alibi ſepulturam, canonica portio dimiſſæ non debetur Eccleſiæ, ſed illi dumtaxat, in qua ille officia conſuevit audire divina, & eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Cum ab eo, qui duo habet domicilia, ſe collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe canonicam dividere portionem. Si quis, antiqua dimiſſa, novam, etiam in loco minus religioſo, elegerit ſepulturam, electionem hujuſmodi (licet jura ſuper hoc videantur eſſe diverſa) nequaquam volumus impugnari.

Quoad diviſionem portionis, ſeu quartæ inter parochiales, ſi ſint plures, hic præſcriptam, quod contingere poteſt, cum quis duo domicilia æqualiter inhabitat, v. g. per ſex menſes in uno, & per ſex alios in altero, eſt in viridi obſervantia etiam in Urbe, ut in cit. *Statuto Cleri Rom. cap. III.* §. *XIX.* quæ tamen æqualitas non mathematice, ſed moraliter intelligi debet, ut ibid. explicatur.

Si vero quis inhabitet domum, habentem unum ingreſſum intra unam, & alterum intra aliam parochiam, tunc portio canonica integra debetur parochiæ, intra quam eſt principalior ingreſſus, Aloiſ. Ric. *in praxi for. eccleſ. deciſ.* 333. *in* 1. *edit. & reſolut.* 510. *in* 2. *edit.* & ita etiam deciſum fuit ab Alex. Sperelli 10. Septembris 1694. tunc Vicesgerente, favore capituli S. Mariæ ad Martyres de Urbe contra capitulum S. Euſtachii, reſpectu clariſſimæ Familiæ D. Virginii Marchionis Creſcenzii, cujus palatium principaliorem ingreſſum habet

intra parochiam dict. Sanctæ Mariæ.

Cum autem §. *Si quis*, declaret Bonifacius, novam poſſe eligi ſepulturam, antiqua dimiſſa, nomine antiquæ intelligenda eſt ſepultura non parochialis, vel majorum.

In quacumque tamen Eccleſia eligatur, ex Conſtit. S. Pii V. *Cum primum*, 5. *Aprilis* 1566. §. VI. defuncti corpus ſemper collocandum eſt in tumba profunda infra terram, & capſæ omnes, depoſita, ac alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia, amovenda ſunt.

SECTIO CCCCXCIV.

Caput III. Is, qui, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii*.

IS, qui habens domicilium in civitate, vel caſtro, quandoque ad villam ruralem ſe transfert, recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi, non electa ſepultura, decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipſius ab antiquo ſepultura extitit, ſepeliri debebit: dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari. Mulier autem, quæ plures viros habuit ſucceſſive, ſi ſepulturam non eligat, eſt cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda.

Quando in caſu hujus Decretalis cadaver deportari poſſit ſine periculo ad Eccleſiam, in qua de jure tumulari debet, patebit ex notandis Sectione ſequenti.

SECTIO CCCCXCV.

Caput V. Religiosi, *ex Decretali laudati Bonifacii*.

REligioſi, niſi a propriis monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non poſſint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua monaſteria tumulandi.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod novi aliquid eidem acceſſerit, ſed ut exponatur, quid praxis ferat, tam cum cadaver Religioſi, extra clauſtra defuncti, commode deferri poſſit ad illus monaſterium, quam cum non poſſit, vel ob notabilem diſtantiam locorum, vel ob periculum corruptionis ejuſdem cadaveris.

In primo igitur caſu deferri debet ad Eccleſiam ſui Ordinis, etiam parochis inconſultis, ut reſpondit Cong. Conc. ad X. Dubium, inter cætera excitata a parochis Bononienſibus 2. *Julii* 1620. *lib. XII. Decretor. fol.* 45. ita tamen, ut aſportatio privatim fiat ſine Cruce, & Proceſſione, ut de praxi etiam Romæ ſervata teſtatur Matthæucci, *Officialis curiæ*, *cap. XLVIII. num.* 16. Si autem fieret cum pompa, & proceſſionaliter, conſuetudo eſt, ut interveniat parochus, *Card. Petra ad Conſtit. IX. Innocentii III. Sect. unic. num.* 11.

Quocumque autem modo aſportetur, monaſterium nihil tenetur ſolvere eidem parocho ratione funeris, licet ab eo adminiſtrata fuerint Religioſo infirmo Sacramenta Viatici, & extremæ Unctionis, ut declaravit eadem Congregatio 22. Maii 1615. Reiffenſtuel *hoc eod. tit.* §. 5. *num.* 19.

In ſecundo caſu, vel Religioſus ſibi non elegit ſepulturam, vel elegit, ut ex hac Decretali eligere poteſt, ſi deceſſerit in loco valde remoto, ut Gloſſ. hic. Si primum, ſepeliri debet in parochiali, intra cujus limites morabatur, ead. Gloſſ. ad hanc Decret. verſu *Nota primo*, & cum ea DD. communiter, relati a Petra *l. cit. num.* 31. & quidem expenſis peculii ejuſdem Religioſi, pro exequiis peragendis, & ſi eo careat, expenſis monaſterii, cujus erat filius, vel in quo degebat de familia, ſi bona in communi poſſideat; ſin minus, gratis ſepeliendus eſt, ut reliqui pauperes, idem Petra *n.* 36.

Si ſecundum, nulla inde oritur quæſtio, quominus non debeat in ea ſepeliri, quemadmodum ſepeliri debent quicumque ex diſpoſitione Juris communis jus habent ſibi eligendi ſepulturam.

Sed hic quæri poſſet, quæ diſtantia requiratur inter locum, in quo Religioſus e vivis deceſſit, & locum, ubi ſitum eſt monaſterium, itaut cadaver commode, & ſine periculo ad illud aſportari non poſſit.

Cum nihil hac de re in jure cautum ſit, conveniunt Doctores, id remittendum eſſe arbitrio viri prudentis: quamvis non deſint, qui aſſerant, remotum locum dici tantum illum, ad quem per unius diei iter cadaver transferri nequat, Petra *loc. cit. num.* 31.

Si autem quæras, an vi hujus Bonifacianæ ſanctionis interdicta ſit electio ſepulturæ etiam Religioſo, a Religione expulſo, negativam ſententiam ſatis ſolide tuetur laudatus Petra *loc. cit. num.* 37. his verbis = „ Religioſus tamen expulſus, ſeu ejectus, quia relinquitur a Religione, ac ſi Religioſus non eſſet, quandiu a Prælato non revocetur, habet velle, & nolle „ ab ipſa obligatione relaxatum in aliquibus, idcirco „ poteſt ubilibet ſibi ſepulturam eligere, cujuſmodi „ poteſt pecuniam expendere, ſine obligatione ad reſtitutionem, permiſſa eidem libera ſuorum bonorum „ adminiſtratione, Leſſius *De juſt. & jure lib.* 2. *cap.* „ 41. *dub.* 15. *num.* 113. Molin. *tract.* 2. *diſput.* 276. „ *& in his terminis*, Murga *cit. diſquiſ.* 8. §. 5. *per tot.*

Sed objici poteſt: Religioſus ejectus ob malos mo-

„ mores, ſeu ex delicto, quod favorabilia habetur pro „ vero ejecto, & laico, ſed quoad odioſa remanet „ Religioſus profeſſus, puta in votis, & aliis one- „ ribus, *Card. in Clem. I. §. quia vero in prima quæſt.* „ *de Stat. Monach.* Sanchez *ad precept. decal. lib. 6.* „ *cap.9. num.45. Add. ad* Burat. *dec.756. num. fin.*

„ Sed nihil urget objectio: nam, ut dixi, inca- „ pacitas eligendi ſepulturam non provenit directe ex „ voto, ſed ex privatione velle, & nolle, quod Re- „ ligioſus non habet ex ſe ſine Superioris conſenſu; „ cum enim ejectus habeatur pro derelicto a Religio- „ ne, videtur ei permiſſa adminiſtratio, & remiſſum „ in pluribus velle, & nolle, etiam in electione ſe- „ pulturæ, quia cum Religio eum expulſerit, videtur „ eo magis, nolle ejus corpus cum illis Religioſorum „ ſociari, & ſic relaxaſſe facultatem eligendi ſepul- „ turam in alio loco, ne ſepultura careret. Rurſus „ hæc potius eſt pœna, ne ſepeliatur in ſepulcro Reli- „ gioſorum, quam favor, ut eligat aliam ſepultu- „ ram ‟.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO CCCCXCVI.

Caput II. Dudum, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennensi, habito an. 1311.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, inſeritur per extenſum, & ſimul innovatur Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. I. Super Cathedram, hoc ead. tit. in Extravag. commun.* quæ prius revocata fuerat a Benedicto XI., ut *cap. I. Inter cunctas, tit. de Privileg. in dictis Extravag.*

Præfatæ autem Bonifacianæ Decretalis ſummam referam infra Sect. CCCCXCVIII. una cum derogationibus, quæ eidem acceſſerunt.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO CCCCXCVII.

Caput I. Detestandae, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum pariter tranſcribere omitto, reprobatur abuſus illorum, qui corpora nobilium, aut dignitate inſignitorum, præſertim peregre morientium, exenterant, & membratim, vel in fruſta conciſa, aut ignibus decocta, & tegumento carnis ob oſſibus excuſſo, ad ſuas, vel alienas remotas partes mittunt, ſive deferunt tumulanda; ideoque ſtatuit Pontifex, ut ſi quis, cujuſcumque ſtatus, aut dignitatis, in locis catholicis de cætero moriatur, nequaquam hujuſmodi abuſus obſervetur, ſed defunctorum corpora ad locum, ubi elegerint ſepeliri, deferantur, vel in loco, ubi deceſſerunt, vel vicino ſepeliantur ad tempus, incineratis demum corporibus, aut alias ad loca, ubi ſepulturam elegerint deferendi. Denique in contravenientes excommunicationis ſententiam fert, ipſo facto incurrendam, Papæ, excepto mortis articulo, reſervatam. Illum autem, de cujus mandato ipſius corpus, tam inhumaniter tractatum fuit, vult eccleſiaſtica carere ſepultura.

Hanc Decretalem, notat hic cum Navarro Wagnerek, valde credibile eſt, non eſſe paſſim receptam, additque „ id certum eſt, quod idem Navar. *cap. XXVII.* „ *Manual. num.*105. aſſerit, ejuſmodi exenterationem, „ & diviſionem cadaverum non eſſe per ſe malam, & „ illicitam, ac poſſe fieri ſine ulla prohibitione in ter- „ ris Infidelium, ubi non ſunt ſacræ ſepulturæ, ideo- „ que Bonifacius illam reſtringit ad loca catholica. „ Neque habet locum hæc Decretalis in eo, qui facit „ id alio fine, v. g. anatomiæ, aut fœtoris tollendi, „ aut medicamenta inde componendi cauſa, aut, ut „ debitus honor exhibeatur cadaveribus Regum, Prin- „ cipum, Magnatum, qui frequenter petunt, corpora „ ſua dividi, & alibi ſepeliri cor, alibi alia membra. „ Non vult vero Pontifex illos gaudere eccleſiaſtica „ ſepultura, qui corpora ſua ita tractari jubent, in „ pœnam mandati, quod ante mortem dederunt, de „ cadavere ſuo exenterando, vel ſolum in exemplum, „ ad alios ab hoc uſu facilius abſterrendos ‟.

SECTIO CCCCXCVIII.

Caput II. Super cathedram, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

Hæc Decretalis, cujus itidem prolixum textum tranſcribere omitto, prius revocata a Benedicto XI. & poſtea innovata a Clemente V., ut innui Sectione CCCCXCVI. emanata fuit ad gravem, & periculoſam diſcordiam ſedandam, quæ ſuborta videbatur ſuper prædicationibus, confeſſionibus audiendis, & tumulandis defunctis, inter Prælatos, & reſpective Rectores parochialium Eccleſiarum, & Ordines Prædicatorum, ac Minorum.

Circa prædicationem igitur verbi Dei in ea ſtatuitur. I. Ut dictorum Ordinum Fratres, in Eccleſiis, & locis ſuis, ac communibus plateis libere valeant prædicare, hora illa dumtaxat excepta, in qua Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, niſi aliud iidem Prælati per ſpecialem licentiam conceſſerint. II. Ut in ſtudiis generalibus illis diebus, quibus ſermones fiunt ad Clerum, & ſolemniter prædicatur; item ad funera mortuorum, & in feſtis ſpecialibus ſuorum, poſſint iidem Fratres libere prædicare, niſi in illa hora Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe convocaret. III. Ut in Eccleſiis parochialibus dicti Fratres nullatenus audeant, vel debeant prædicare, niſi a parochis invitati, vel vocati, & de ipſorum aſſenſu, & petita licentia, ac obtenta, aut niſi Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior per eoſdem Fratres prædicari mandaret.

Circa Confeſſiones audiendas ſtatuitur. I. Ut Superiores dictorum Ordinum in ſingulis civitatibus, & diœceſibus, ubi loca habent, vel in vicinis, ubi loca non habent, per ſe, vel ſuos ſeſe ad Prælatos conferant, humiliter petituri, ut Fratres, ad hoc electi, in iiſdem civitatibus, & diœceſibus confeſſiones audire, & pœnitentias imponere de ipſorum licentia valeant. II. Ut præfati Superiores eligant perſonas idoneas, eaſque præſentent, vel faciant præſentari Prælatis, ut de illorum licentia confeſſiones audiant. III. Extra civitates autem, & diœceſes, per quas, & non per provincias (quæ ſecundum diviſionem Ordinum multas civitates, & provincias complectuntur) debent deputari, confeſſiones nullatenus audiant. Numerus autem deputatorum debet eſſe, prout Cleri, & populi multitudo, aut paucitas exigit. IV. Si dicti Prælati aliquem ea Fratribus præſentatis nollent habere, loco ipſius debeat, & poſſit alius præſentari, & ſubrogari. V. Si iidem Prælati Fratribus, ſic electis, licentiam negent, ut confeſſiones libere, liciteque audiant, Pontifex illis gratioſe concedit, non tamen intendit per hoc iis, ſic deputatis, poteſtatem dare ampliorem, quam eſt parochis a jure conceſſa, niſi Prælati uberiorem gratiam ſpecialiter facerent.

Circa tumulationem tandem defunctorum ſtatuitur. I. Ut prædicti Fratres omnes ad ſepulturam recipere valeant, qui in ipſorum Eccleſiis ſepulturam elegerint. II. Ut de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuſcumque, quomodocumque relictis ad quoslibet uſus (etſi de illis canonica portio exigi non ſoleat) necnon de qualitercumque datis, vel donatis in morte, ſive in infirmitate dantis, in qua deceſſit, quartam partem parochis integre largiantur, ultra quam iidem parochi nihil exigere valeant. III. Ne iidem Fratres procurent, ut ſibi relinquantur ea, de quibus portio canonica ſolvenda non foret; ſuper quo illorum conſcientia oneratur.

Ad primum, & ſecundum quod ſpectat, prædicationem videlicet verbi Dei, & confeſſiones audiendas, hodie attendendæ ſunt revocationes, & moderationes, tam a Concilio Tridentino, quam a Summis Pontificibus ſancitæ, de quibus inſtituetur ſermo parte II. cum de cap. II. Trident. *ſeſſ. V. de refor. & cap. VII. ſeſſ. XIV. de Sacram. pœnit.*

Quoad tertium vero in ea parte, qua præcipitur, ut de omnibus, & ſingulis, quæ per ultimam voluntatem, vel occaſione funeris dictis Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus obvenerint, debeatur parochis portio canonica, ac etiam de illis, *de quibus* (ſunt verba Bonifacii) *quarta, ſeu portio canonica dari, vel exigi non conſuevit, vel non debet de jure*, derogatum eſt reſpectu Prædicatorum per privilegium Sixti IV. Conſt. *Regim.* 1474. & reſpectu Minorum, tam ab d. Sixto Conſtit. *Regimini*, 31. *Auguſti ejuſdem anni*, quam a S. Pio V. Conſtit. *Etſi Mendicantium*, 16. *Maii* 1567. & reſpectu quorumcumque aliorum Ordinum regularium, quatenus dicta Bonifacii Decretalis ad eos extendenda eſſet, ac etiam reſpectu quarumcumque Eccleſiarum tumulantium, derogatum eſt nedum a contraria conſuetudine, ſed noviſſime etiam a Benedicto XIII. Conſtit. *Romanus Pontifex* 4. *Kalendas Maii* 1725. vi cujus, nomine funeralium ad effectum detrahendi quartam, debitam defuncti parocho, veniunt ea tantum, quæ cum funere deferuntur circa cadaver a domo ejuſdem defuncti ad Eccleſiam tumulantem, ut fuſius in cit. Conſtit. quam leges infra parte II. cum *de cap. XIII. ſeſſ. XXV. de refor.*

Titulus XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis.

SECTIO CCCCXCIX.

Caput I. Si Episcopus, *ex Decretali, deſumpta a Can. LXXXV. Concilii Africani.*

SI Epiſcopus ex Donatiſtis ad catholicam unitatem eſt converſus, æqualiter inter ſe dividant eas, quæ ſic inventæ fuerint, ubi ambæ partes fuerint; id eſt, ut alia loca ad illum,

alia

alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in epiſcopatu habet, & minor eligat. Quod ſi forte unus fuerit locus, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. Sed ſi antiqui Catholici ſuum voluerint, & illi ſuum, qui ex Donatiſtis converſi ſunt, plurimorum voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales ſunt, majoris temporis Epiſcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerint, ut non poſſint æqualiter dividi, veluti ſi in impari numero fuerint, diſtributis locis, qui parem habent numerum, quicumque locus remanſerit, hoc in eo ſervetur, quod dictum eſt, cum de uno loco ſuperius tractaretur.

Cum ex hac Decretali in una, eademque diœceſi deberent eſſe duo Epiſcopi, quod ab Innocentio III. *cap. XIV. Quoniam, de offic. Jud. ord.* reprobatur tamquam monſtrum cum duobus capitibus in uno corpore; credit hic Fagnanus, hodie S. Sedem aliter Epiſcopo ſubſtituto in ſimili caſu proviſuram. Quare videtur hanc ſanctionem non amplius in praxi locum habituram; ſi enim aliquis Epiſcopus cum parte populi declinaret ad Hæreticos, & rurſus rediret, potius, vel remaneret privatus epiſcopatu, vel alteri præficeretur, quam ut divideretur prior; niſi Pontifex ultro ſe vellet conformare ſanctioni hujus Decretalis.

SECTIO D.

CAPUT II. UT DOMINICIS, *ex Decretali, deſumpta a Can. I, Concilii Nannetenſis.*

UT Dominicis, vel feſtivis diebus Presbyteri, antequam celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parœcianus in Eccleſia ſit, qui, proprio contempto Presbytero, ibi velit Miſſam audire: quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia abjiciant.

Huic præcepto de ejiciendo alieno parochiano, qui diebus Dominicis, & feſtis, contempto proprio parocho, miſſam audiret in Eccleſia parochiali non ſua, derogatum eſt a contraria conſuetudine, cum hodie cuique liberum ſit ex eadem contraria conſuetudine, in toto chriſtiano orbe recepta, & tacito parochorum conſenſu, accedere ad quaſcumque Eccleſias, tam ſeculares, quam regulares, ad ſatisfaciendum præcepto auditionis Miſſæ. Et quoad Eccleſias regulares, ita etiam declaravit Leo X. Conſtit. *Intelleximus, 13. Novembris 1517.* ibi.

Intelleximus, quoſdam in dubium revocare, & perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſtifideles, qui Dominicis, & feſtis diebus extra Eccleſias ſuas parochiales, Miſſas audiunt in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia Fideles quique Deo Creatori ſuo ſerviant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſtifideles utriuſque ſexus (qui, non contempto proprio Sacerdote parochiali) in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Succeſſive S. Pius V. ſuis Apoſtolicis literis, datis 17. Kalen. Septembris 1567. relatis a Benedict. XIV. *de Synod. Diœc. lib. XI. cap. XIV. n. 8. edit. an. 1755.* definivit, ut.

Chriſtifideles audiendi Miſſas in Eccleſia Fratrum hujuſmodi (Mendicantium) diebus Dominicis, aut feſtivis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur.

Poſtremo, idem ſtatuendo, declaravit Clemens VIII. in Brevi incipien. *Significatum*, an. 1592. relato ab eodem Benedicto *loco citato*, ibi.

Præſenti noſtro Decreto ſancimus, ſecularibus univerſis libere Miſſas diebus Dominicis, & aliis majoribus feſtis audire in Eccleſia tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, necnon etiam Societatis Jeſu licite poſſe; dummodo in contemptum parochialium Eccleſiarum non faciant.

Non

Non obſtantibus his declarationibus ,, Non deſunt ,, auctores (ut notat laudatus Benedictus *loc.cit. n.8.*) ,, inter quos Juenin. *de Sacramentis differt.* 5. *qu.* 7. ,, *cap.2. art.2.* & Van-Eſpen *Jur. Eccl. part.* 2. *tit.* ,, 5. *cap.*2. propugnantes , ne hodie quidem , citra ,, grave peccatum , fas eſſe Fidelibus , ſolemnioribus ,, ſaltem diebus feſtis , rei Divinæ , alibi , quam in ,, propria parochia , intereſſe : neque enim juri com- ,, muni derogatum , ajunt , per præfatas Conſtitutio- ,, nes , quibus poteſtas ſit ſecularibus Miſſam audiendi ,, in Eccleſiis Regularium , quoniam in illis hæc adji- ,, citur limitatio , nimirum . Dummodo id non faciant ,, in contemptum parochialium Eccleſiarum : eſt au- ,, tem impoſſibile, pergunt , contemptum abeſſe, cum ,, iidem , ſine ulla rationabili cauſa , a propria ſe ſub- ,, ducunt parochia ".

Quos tamen *n.* 9. ita confutat ,, Verum hac expli- ,, catione , præfata Summorum Pontificum indulta ,, penitus evertuntur ; nullo etenim opus fuerat privi- ,, vilegio ad hoc , ut Fideles, legitima urgente cauſa ,, alienam adirent Eccleſiam , ut ibi Miſſæ aſſiſterent ,, Sacrificio , quod ex præfatis juris communis ſanctio- ,, nibus perſpicuum eſt : quare ne dicamus , Leon. X. ,, S. Pium V. & Clementem VIII. verbis luſiſſe , nec ,, quidquam ſpecialis privilegii Regularibus conceſſiſ- ,, ſe , neceſſario fateri debemus cum Azorio *Inſtitut.* ,, *part.I. lib.VII. cap.6. quæſt. 4. in fin.* Fagundez *li-* ,, *bro II. cap.III. num.9.* aliiſque, ab his citatis, nomi- ,, ne contemptus , ab illis intelligi , actum aliquem di- ,, ſtinctum ab ipſa auditione Sacri extra parochiam , ,, quo quis ſive expreſſe , ſive tacite ſe a proprio pa- ,, ſtore adverſum oſtendat ".

Cæterum , licet præcepto non adigendi ſint parochiani , ut ad ſuas parochiales Eccleſias accedant ad Miſſam audiendam, monendi tamen ſunt, ut ad ipſas accedant, juxta mentem Trid. quod *ſeſſ. XXII. in Decreto de obſervand. & evitand. in Celebrat. Miſſ.* ita Epiſcopos alloquitur.

Moneant eundem populum , ut frequenter ad ſuas parochias , ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedant .

SECTIO D I.

Caput III. Nullus Episcopus , *ex Decretali , deſumpta a Can.XVI. inter LXXII. Hadriani Papæ editos an.785.*

NUllus Epiſcopus alterius parochianum judicare præſumat (& infra .) Nam qui eum ordinare non potuit , nec judicare poteſt .

Pro intellectu hujus Decretalis , in qua ſtatuitur, eum, qui ab Epiſcopo ordinari nequit , neque judicari poſſe , attendenda eſt limitatio , quam eidem dandam eſſe bene notat Gloſſa hic , verbo *præſumat* , judicari ſcilicet poſſe ab Epiſcopo , a quo non poterat ante ordinari , ſi a propria diœceſi diſcedens , ubi ordinatus fuit, in aliam domicilium tranſtulerit , aut ibi deliquerit .

Titulus XXX. De Decimis , Primitiis , & Oblationibus .

SECTIO D I I.

Caput II. Novum , *ex Decretali Paſchalis II.*

NOvum genus exactionis eſt , ut Clerici a Clericis decimas exigant , cum nuſquam in lege Domini hoc legamus : non enim Levitæ a Levitis decimas accepiſſe leguntur . Illi profecto Clerici , qui a Clericis ſpiritualium miniſteriorum labores excipiunt , decimas eis debent.

Cum in hac Decretali aſſerat Pontifex , non teneri Clericos Clericis (ideſt parochis) decimas ſolvere, & ſtatim ſubdat , eoſdem Clericos, ſpiritualia a parochis recipientes, ad earum ſolutionem teneri, in varias traxit ſententias Repetentes . Verior tamen , & communior recepta interpretatio ea eſt, quam affert hic Gloſſa , videlicet , non teneri decimas ſolvere de bonis titulo ſpirituali acquiſitis , puta ratione beneficii ; teneri vero de bonis patrimonialibus , quæ titulo temporali ad eos pervenerunt v. g. ex contractu , donatione, hæreditate , legato , aut ſimili , de quibus , antequam ad eorum manus pervenirent , decimæ ſolvebantur , etiamſi ad eorum titulum fuerint promoti , niſi adſit legitima conſuetudo in contrarium, ut declaravit Cong. Conc. *in Marſicana 12. Auguſti* 1651. *lib. Decret. XIX. pag.* 143. *& in Uſſellen. Decimarum* 11. *Maii* 1658. *lib.XXI. pag.*248. cum non minus tales Clerici , quam laici ſubſint parocho, ſpiritualia ab eo recipientes: imo

ad

ad earum ſolutionem tenentur, etiamſi Sacramenta ab ipſo parocho non recipiant, ut pluries declaravit eadem Congr. *in Feretrana 19. Januarii 1636. lib. Decretor. XV. pag. 310. in Hortana Decimarum 25. Septembris 1694. lib. XLIV. & prius in Aſſiſien. 30. Maii 1620. lib. XII. pag. 42.*

SECTIO DIII.

CAPUT V. PERVENIT, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Cantuarienſi, & ejus Suffraganeis ſcripta.*

PErvenit ad nos (& infra.) Mandamus, quatenus paræcianos veſtros monere curetis, & ſi opus fuerit, ſub excommunicationis diſtrictione compellere, ut de proventibus molendinorum, piſcariarum, fœno, & lana decimas Eccleſiis, quibus debentur, cum integritate perſolvant.

SECTIO DIV.

CAPUT VI. NUNCIOS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Vintonienſi reſcripta.*

NUncios (& infra.) Mandamus, quatenus paræcianos tuos de apibus, & de omni fructu decimas perſolvere eccleſiaſtica diſtrictione compellas.

Decimam, quæ in his duabus Decretalibus ſolvenda præcipitur de proventibus molendinorum, piſcariarum, fœno, lana, & apibus, jam paſſim exoleviſſe notat hic WagnereK. Attendenda tamen eſt conſuetudo, ſi alicubi adhuc vigeat.

SECTIO DV.

CAPUT VIII. DILECTI, *ex Decretali laudati Alexandri, Monachis de Neubothelin Scotia ſcripta.*

DIlecti Filii Abbas, & Fratres Sanctæ Crucis ſua nobis conqueſtione monſtrarunt, quod prædia, unde decimas, & in magna parte ſuſtentationem conſueverunt habere, a pleriſque laicis conduxiſtis, & recepiſtis ad firmam. Unde quoniam iidem Fratres ex hoc gravantur enormiter, nec fuit intentionis noſtræ, aut Anteceſſorum noſtrorum, ut de poſſeſſionibus, quas conduxiſtis, decimas non ſolvatis: mandamus, quatenus de prædiis, quæ conduxiſtis, in paræciis ſuis, de quibus conſueverunt decimas percipere, plenarie ſolvatis eiſdem, vel cum illis amicabiliter componatis.

Ex hac Decretali clare infertur, permiſſum eſſe Regularibus prædia conducere; verum cum hujuſmodi conductio ſit vera negociationis ſpecies, interdicta eſt etiam Clericis ſecularibus a Clemente VIII. Conſt. *Inter multiplices 4. Decembr.* 1600. §. *V.* ibi.

Statuimus etiam, quod Clerici, in caſalibus tamen propriis, & non conductis, poſſint dictam artem agriculturæ per ſe, vel per alios exercere, & exerceri facere, nec eis, vel eorum hæredibus per Cameram Apoſtolicam, ſeu illius miniſtros objici, aut imputari poſſit, quod illicitam negociationem fecerint, aut ſpoliis aliqua ex cauſa præfata ſubjaceant. Declarantes, dictam artem agriculturæ etiam ipſis Clericis in eorum caſalibus licitam, & permiſſam,

SECTIO DVI.

Caput X. Ex parte, ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Terraconenſi ſcripta.

Ex parte tua ad nos noveris perveniſſe, quod albi Monachi, & nigri, & quidam alii Religioſi Eccleſias tuæ juriſdictionis, redditibus decimarum, occaſione privilegiorum, quæ ſibi romana indulſit Eccleſia, ſpoliare præſumant; ſane nolumus, te latere, quod Prædeceſſores noſtri fere omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerant: ſed Prædeceſſor noſter Hadrianus ſolis Fratribus Ciſtercienſis Ordinis, & Templariis, & Hoſpitalariis decimas laborum ſuorum, quas propriis manibus, & ſumptibus colunt, indulſit; cæteris vero, ut de novalibus ſuis, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſolvant, quem ſumus ſuper his imitati. Quare ii, quibus hoc indultum eſt, hac occaſione, decimas de aliis rebus Eccleſiæ ſuæ non poſſunt ſubtrahere, vel ſibi aliquid ulterius vindicare.

Indulſerat hic Alexander, quemadmodum jam indulſerat Hadrianus IV. Monachis Ordinis Ciſtercienſis, ne tenerentur perſolvere decimas ſuorum prædiorum, quæ propriis manibus, & ſumptibus excoluiſſent. Poſtmodum declaravit, hoc indultum ipſis non ſuffragari quoad ea prædia, quæ aliis locaſſent, ut ex altera illius Decretali, relata *hoc tit. in cap. Licet XI. ibi.*

Licet de benignitate Sed. Apoſt. ſit vobis indultum, ut de laboribus, quæ propriis manibus, vel ſumptibus colitis, nemini decimas ſolvere teneamini; propter hoc tamen non eſt licitum vobis decimas de terris veſtris ſubtrahere, quas aliis traditis excolendas.

Cum vero contendiſſent parochi, præfatum indultum referri dumtaxat ad novalia, ad agros ſcilicet de novo ad culturam redactos, de quibus non extitat memoris, quod aliquando culti fuiſſent *cap. XXI. Quid per novale, de verborum ſignific.*; idem hujuſmodi interpretationem improbavit, ut ex ſequenti Decretali, relata *hoc tit. cap. XII.*

Ad audientiam noſtram (& infra,) Illud privilegii capitulum prava quadam interpretatione pervertentes, quo Ciſtercienſibus indulgetur, ne de laboribus, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, aliquis decimas ab eis exigat, aſſerunt, quod pro laboribus novalia intelligi debent (& infra.) Mandamus, quatenus non permittatis hoc fieri, nam ſi intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus.

Tranſcripta tamen Decretalis *Ex parte tua* obnoxia poſtea fuit limitationi adjectæ ab Innocentio III. qui in Concilio generali Lateranenſi IV. ſancivit, ut tam dicti Ciſtercienſes, quam reliqui omnes Religioſi omnino decimas perſolverent de poſſeſſionibus, deinceps acquiſitis, ex quibus prius decimæ perſolvebantur, etiamſi propriis manibus, ac ſumptibus eas excolerent, ut ex ejus Decretali, *relat. hoc tit. cap. XXXIV.*

Nuper Abbates Ciſtercien. Ordinis in generali Concilio congregati ad commonitionem noſtram provide ſtatuerunt, ne de cætero Fratres ipſius Ordinis emant poſſeſſiones, de quibus decimæ debeantur Eccleſiis, niſi forte pro monaſteriis noviter fundandis. Et ſi tales poſſeſſiones eis fuerint pia fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro monaſteriis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, a quibus Eccleſiis decimæ perſolvantur. Ne occaſione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ ulterius prægraventur, decernimus, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamſi eas propriis manibus, aut ſumptibus excolant, decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipſum ad alios Regulares, qui gaudent hujuſmodi privilegiis, extendi volumus, & mandamus, ut Eccleſiarum Prælati promptiores, & efficaciores exiſtant ad exhibendam eis de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum, eorumque privilegia diligentius, & perfectius ſtudeant obſervare.

Huic Decretali obſequens Congregatio Concilii *die 21. Auguſti 1728. in Pampilonen. Decimarum* declaravit = quod Regulares, non habentes in privilegiis expreſſam derogationem *cap. Nuper*, teneantur ſolvere integras decimas, exceptis bonis, & rebus præſcriptis *in cap. Ex parte X. de Decimis* = ut videre eſt in *Theſauro Reſolutionum ejuſdem Cong. tom. IV. pag. 213.*, *& Tom. VI. pag. 29. & ſeq.*

Ex his igitur allatis juribus certum eſt, omnes Regulares exemptos eſſe a ſolvendis decimis, tam perſonalibus, quam ex prædialibus illis, quæ dari deberent ex fructibus hortorum ſuorum, nutrimentis anima-

malium, & de noralibus, quæ ſiunt ex terra prorſus inculta, quam propriis manibus, ſeu ſumptibus excolunt; ſecus vero ex fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere translati ſunt, niſi quoad hoc ſpeciatim exemptionis privilegio muniti ſint, ut etiam expreſſe declaravit Alexander IV. in ejus Decretali, relata in *cap.IV. Statuto, hoc eod. tit. in VI. §. Caterum*, qua confirmatur tranſcipta Decretalis *Nuper*, ibi.

Cœterum iidem Religioſi, tam exempti, quam non exempti, de terris, & poſſeſſionibus acquiſitis hactenus, & amodo acquirendis, decimas integre ſolvant illis Eccleſiis, quibus eædem poſſeſſiones, & terræ prius fuerant decimales, niſi ſuper hoc ſpeciali jure, vel privilegio ſint muniti.

De re decimali reſpectu Regularium exemptorum adeatur præ cœteris DD. Paſſerinus *Commentar. ad librum III. Sexti Decretal. tit. de Decimis, quæſt.unic. art.XV. per totum*, Reiffenſtuel *tom III. hoc tit. §.IV.* Cardinalis Petra *Comment. ad Conſt. Apoſtol. tom.IV. ad Conſtit. VIII. Martini V. pag.243. & noviſſime* Gaudentius a Janua *de Viſit. cujuſcumque Prælati tom. I. cap.V. dub.XIII. Sect.VI.*

S E C T I O D V I I.

Caput XVI. De terris, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Marſilienſi reſcripta.*

De terris, quas judæi colunt, tuæ prudentiæ reſpondemus, ut eos ad decimas perſolvendas, vel poſſeſſiones penitus renunciandas, cum omni diſtrictione compellas, ne forte occaſione illa Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari.

Huic Decretali, in qua permittitur Judæis bona immobilia poſſidere, in terris ſaltem Eccleſiæ, derogatum eſt, ut notabitur ad *cap. II. Multorum, tit. de Judæis*.

S E C T I O D V I I I.

Caput XX. Ad Apostolicæ, *ex Decretali Lucii III. reſcripta Epiſcopo Strigoniæ, Metropoli Hungariæ.*

Ad Apoſtolicæ Sedis regimen (& infra.) Intelleximus, quod quædam conſuetudo in Hungaria inolevit, ut multitudo populi plerumque de paræcia unius Epiſcopi, in diæceſim alterius transferatur: in qua licet per multa tempora moram traxerit, uterque tamen Epiſcoporum, tam is, cujus parochiam reliquerunt, quam Is, cujus parochiani ſunt facti, decimationem requirit; ideoque tua nos duxit fraternitas conſulendos, cui potius decimæ ſint reddendæ. Noveris igitur, quod æquum eſt, ut illi Eccleſiæ decimæ perſonales reddantur ab eis, in qua eccleſiaſtica percipiunt Sacramenta. Decimas vero meſſium, vel fructuum arborum, ſi coluerint in alia parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diverſis diverſa conſuetudo tenetur) tu eligas in hoc caſu, quod per conſuetudinem diu obtentam, ibidem noveris obſervatum.

In hac Decretali ſtatuerat Lucius, ut ſi quis parochianus ad alienam parochiam ſe transferret cauſa artificii, exercendæ negociationis, & agriculturæ, ibique *per totum anni circulum* divina audierit, & eccleſiaſtica perceperit Sacramenta, huic, & non alteri, decimas perſonales perſolvere deberet, ut legitur in integra hac Decretali, relata a Gonzalez; Gregorius tamen IX. ab eo ſolvendas eſſe ſtatuit, licet per totum anni circulum in illa non permanſerit, dummodo ibidem eccleſiaſtica receperit Sacramenta: quandoquidem in vulgata ſua Decretalium collectione omiſit dicta verba *per totum anni circulum*, ut videre eſt in eadem hic tranſcripta Decretali. Huic etiam conformis eſt ſententia Congregat. Conc. *quæ in una Venetiarum* 1595. *lib. VIII. Decretor. pag.* 141. declaravit: *decimas perſonales ſolvendas eſſe a mercatoribus in loco, ubi percipiunt Sacramenta.*

Verum, quidquid ſit de hac variatione, & declaratione, certum eſt, hodie decimas perſonales fere ubique ex conſuetudine abrogatas eſſe; ſicuti & decimas prædiales minutas, ex certis fructibus dari ſolitas, quæ conſuetudo approbata legitur in hac eadem Decretali, & aliis relatis in *cap.* XVIII., *&* XXXIII. *hoc tit.*

SECTIO DIX.

Caput XXI. Ex parte, *ex Decretali Celeſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

EX parte Canonicorum Eccleſiæ tuæ nobis eſt querela propoſita, quod quidam agricultores, cum ſimul, vel diverſis temporibus anni in eodem horto, vel agro diverſa ſemina ſparſerint, non niſi de unius illorum ſeminum fructibus decimas illi perſolvant (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi noveris, rem taliter ſe habere, agricultores illos, ut de omnibus prædiorum fructibus decimas abſque diminutione perſolvant, eccleſiaſtica cenſura compellas.

SECTIO DX.

Caput XXII. Non est, *ex Decretali ejuſdem Celeſtini, ignotum pariter, cui reſcripta.*

NON eſt in poteſtate hominum, cum plantant arbores, vel aliqua ſemina terræ mandant (& infra.) Revera, ſicut SS. Patres in ſuis tradiderunt ſcripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negociatione, de ipſa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimæ ſunt miniſtris Eccleſiæ tribuendæ, ita ut, qui de his eas ſolvere neglexerint, eccleſiaſtica diſtrictione debeant percelli (& infra.) Volumus ergo, & diſtricte præcipimus, quatenus, antequam ullas deducatis de bonis prædictis expenſas, decimas Eccleſiis, ad quas pertinent, cum debita integritate perſolvatis.

SECTIO DXI.

Caput XXIII. Ex transmissa, *ex Decretali laudati Celeſtini, ignotum itidem, cui reſcripta.*

EX transmiſſa querela Rectoris Eccleſiæ de N. intelleximus (& infra.) Quia fidelis homo de omnibus, quæ licite poteſt acquirere, decimas erogare tenetur, mandamus, quatenus H. militem ad ſolutionem decimarum de his, quæ de molendino ad ventum proveniunt, ſine diminutione aliqua compellatis.

Circa omnes decimarum ſpecies, quas in his tribus Decretalibus ſolvendas præcipit Cœleſtinus, hodie attendenda eſt locorum conſuetudo dumtaxat, ut notatum eſt ſupra.

SECTIO DXII.

Caput XXVI. Tua Nobis, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Vercellenſi reſcripta.*

TUA Nobis .... Cum de cunctis omnino proventibus decimæ ſint reddendæ, ſicut colonus de parte fructuum, quæ ſibi remanet ratione culturæ, ſic & dominus de portione, quam percipit ratione terræ, decimam reddere ſine diminutione tenetur. Prætextu vero nequitiæ Clericorum, nequeunt eas (niſi quibus ex mandato divino debentur) pro ſuo arbitrio erogare: cum nulli ſit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem (& infra.) Quoniam igitur pati nolumus, ut Eccleſiarum, & Clericorum jura præſumptione qualibet minuantur, mandamus, quatenus omnes, qui ratione perſonarum, aut etiam prædiorum decimas Eccleſiis, & Clericis tuæ diœceſis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas, appellatione remota, compellas.

Cum

Cum in hac etiam Decretali ſtatuat Pontifex, perſolvendas eſſe decimas perſonales, quandoquidem declarat, has deberi, tam ratione perſonarum, quam prædiorum, hodie præciſa conſuetudine perſonales non amplius ſolvuntur, ut notavi ſupra Sectione DVIII.

SECTIO DXIII.

Caput XXVIII. Pastoralis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Elienſi reſcripta.*

PAſtoralis officii diligentia (& infra.) Explicari poſtulaſti, utrum quis poſſit de molendinis, & piſcariis neceſſarias expenſas deducere, priuſquam ſolvat decimas ex eiſdem, ſicut eſt in negociatione conceſſum: ad quod reſpondemus, quod licet circa res acquiſitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipſæ venduntur, credamus deducendas expenſas, & de reſiduo, quaſi de lucro decimas perſolvendas, ut ſi vendantur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces; expenſas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de quibus fructus. poveniunt, non credimus deducendas, etiamsi fuerint decimatæ; quoniam, ſalva decima, fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipſas expenſas. Fructus autem ipſos alienari poſſe non credimus, niſi cum onere decimarum. Nec pro reſtaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ perſolvuntur, credimus deducendas expenſas de proventibus decimandis; quia penes dominum res permanent reſtauratæ: ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus deſtruatur.

In hac Decretali ſtatuitur, ſolvendas eſſe decimas de molendinis, piſcariis, & negociatione: verum & circa has attendenda eſt dumtaxat conſuetudo, ſi alicubi adhuc vigeat, ut mox notavi.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DXIV.

Caput I. Discretioni, *ex Decretali Gregorii IX. Patribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum ſcripta.*

DIſcretioni veſtræ mandamus, diſtrictius inhibentes, ne talia, quæ audientes a decimarum, ſeu aliarum rerum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium, in ſermonibus veſtris, vel alibi, proponere de cætero præſumatis. Imo verbo, & opere informetis eoſdem, ut ad ſolutionem prædictorum promptæ voluntatis animo ſint intenti.

Huic Decretali, cui occaſionem dedit querela Archiepiſcopi, & Capituli Piſani contra quoſdam ex dictis Ordinibus, qui, ut notat hic Gloſſa, prædicabant, decimas ex præcepto non deberi, acceſſit Decretalis Clementis V. relata ***in cap. III. Cupientes, tit. de pœnis, in Clementin.***, in qua declaratur, nedum dictos Fratres, ſed etiam alios omnes quorumcumque Ordinum, qui aliquos, ut audientes, a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi, proferre præſumpſerint, excommunicationem, ipſo facto incurrere.

Declaratur inſuper, ut, ſi ſcienter ſuis pœnitentibus illarum ſolutionem ſuadere neglexerint, ab officio prædicationis tandiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis, habita occaſione, conſcientiam fecerint de eis perſolvendis: & ſi interim prædicare præſumpſerint, prædicta negligentia non purgata, excommunicationem incurrant ipſo facto, ibi.

Cupientes eos, quos ad obſervantiam jurium virtutum prœmia non inducunt, tam adjectarum exageratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo formidine a temerariis auſibus refrænare, transgreſſores Conſtitutionis, quæ Religioſis mendicantibus domos ad habitandum, vel loca quæcumque de novo recipere, recepta hucuſque mutare, vel ea transferre in alios cujuſvis alienationis titulo interdicit. Illos etiam Religioſos, qui aliqua, ut audientes, a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſubjacere ſententiæ decernimus ipſo facto. Et quia, niſi fiat quod bonum eſt, a malo abſtinere non ſufficit, Religioſis omnibus injungimus ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut, quoties populo prædicabunt, in prima Do-

Dominica, quarta, & ultima Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis, Dominicæ Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris Dei, audientes expreſſe ſtudeant informare, ſi ab Eccleſiarum Rectoribus, vel Vicariis, aut loca tenentibus eorundem, requiſiti fuerint: nec non & iis, quorum confeſſiones audient, conſcientiam facere, quod decimas ſolvere non omittant. Quod ſi forte in prædicationibus hoc ipſum ſupradictis diebus ſuadere ſcienter omiſerint, per Superiores eorum graviter arguantur. Quibus etiam Superioribus in virtute S. obedientiæ diſtricte præcipimus, ut contra taliter omittentes ſtatuta pænalia faciant, ſecundum quæ ſic acriter puniant transgreſſores, quod pæna eorum ſit cæteris in exemplum, Conſtitutione bon. memor. Gregorii Papæ X. Prædeceſs. noſtri circa hæc edita, in ſuo nihilominus robore duratura. Qui vero ſcienter poſtpoſuerint confitentibus conſcientiam facere de ſolvendis hujuſmodi decimis, ab officio prædicationis tandiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis (ſi hoc ipſum ſibi dicendi commode facultatem habuerint) conſcientiam fecerint: exinde excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint, prædicta negligentia (ut præmittitur, non purgata.) Ad Religioſos tamen monaſteriorum, vel Rectores Eccleſiarum decimas percipientium nolumus hoc extendi.

Hujus Clementinæ veſtigiis inhærens Concilium generale Lateranenſe V inchoatum ſub Julio II. anno 1512. & clauſum ſub Leone X. an. 1517. ſequens addidit decretum, relatum *hoc eod. tit. in VII. Decretalium Clementis VIII.*

Ut animarum utriuſque ſexus Chriſtifidelium ſaluti uberius conſulatur, Fratres quorumcumque Ordinum, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cujuſcumque ſtatus, & conditionis fuerint, ad ſolvendum decimas, ſive aliam bonorum, ſeu fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipſæ, aut ſimilia ſolvi conſueverunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere, & hortari, ipsisque etiam illas ſolvere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo, etiam publice prædicare, & perſuadere teneantur.

Nota cum Wagnerek ad allatam Clementiæ Decretalem, præceptum, in ea injunctum de prædicanda, & ſuadenda decimarum ſolutione, videri hodie ceſſaſſe = quia his temporibus in hoc nihil difficultatis Religioſi faciunt = a quo tamen onere nullatenus exemptos crederem, ſi ad id publice prædicandum, & ſuadendum pro rerum, & locorum opportunitate requiſiti eſſent.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DXV.

CAPUT I. RELIGIOSI, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, habito Viennæ in Gallia, an. 1311.*

Religioſi quicumque, qui novallium, aut alias decimas, Eccleſiis debitas, ad eos ex aliqua cauſa legitima non ſpectantes, appropriare ſibi præſumpſerint, aut exquiſitis fraudibus, ſive coloribus uſurpare: ſeu, qui de animalibus familiarium, & paſtorum ſuorum, vel aliorum etiam animalia ipſa eorum gregibus immiſcentium: ſeu, qui de animalibus, quæ in fraudem Eccleſiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel aliis ab ipſis tenenda: ſeu qui de terris, quas tradunt aliis excolendas, decimam ſolvi Eccleſiis non permiſerint, aut prohibuerint: niſi poſt requiſitionem per eos, quorum intererit, ſuper hoc eis factam, a præmiſſis deſtiterint intra menſem, aut ſi de iis, quæ contra præmiſſa uſurpare, vel retinere præſumpſerint, intra duos menſes damnificatis Eccleſiis emendam non fecerint competentem, ſint, & tandiu maneant ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficiis ſuis ſuſpenſi, donec deſtiterint, & ſatisfecerint, ut ſuperius eſt expreſſum. Quodſi Religioſi hujuſmodi adminiſtrationes, vel beneficia non habeant, eo caſu, quo alii ſupradicti ſuſpenſionis, ipſi ſententiam excommunicationis incurrant, ante ſatisfactionem condignam nullatenus abſolvendi: privilegiis non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum præmiſſa extendi nolumus ad animalia, quæ per Religioſorum ipſorum Donatos, ſeu Oblatos tenentur: dum tamen illi Religioſis eiſdem cum effectu donaverint, aut obtulerint ſe, & ſua,

Hæc

Hæc Decretalis, in qua Religioſi, uſurpantes, & impedientes decimas, Eccleſiis debitas, ſuſpenduntur ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficiis, his vero carentes, excommunicantur, ſine ulla tamen reſervatione, ſi intra duos menſes dictis Eccleſiis non ſatisfecerint, ampliata eſt a Triden. *cap. XI. ſeſſ. XXII. de reform* declarante, eos, & quoſcumque alios, id facere præſumentes, excommunicatos, & non abſolvendos, niſi a Papa, poſt integram reſtitutionem: privante inſuper eo ipſo patronos Eccleſiæ, hujus delicti reos, jure patronatus, præter excommunicationem: Clericos vero conſentientes tali delicto, ultra dictas pœnas declarat eo ipſo privatos beneficiis, & inhabiles ad eadem, ac ſuſpendendos per Ordinarios ab exequutione ſuorum Ordinum.

Hæc eadem excommunicatio lata eſt in Bulla Cœnæ cap.XVII. cujus textum leges in calce hujus Operis.

Quia vero in fine tranſcriptæ clementinæ Decretalis declaratur, hanc ſanctionem non procedere quoad animalia, quæ per religioſorum Donatos, ſeu Oblatos tenentur, dummodo hi vere, & non ficte ſe, & ſua Religioni obtulerint, diſcutiendum remanet, quæ conditiones verificari debeant, ut pro talibus habeantur; de hiſce inſtituetur ſermo in notis ad *cap. III. Cum & plantare, de Privileg.*

Nota I. Cum *Theſauro de pœn. eccleſiaſt. cap. I. verb. Decima, & DD. ibi citat.* ſuſpenſionem ab officiis, & adminiſtrationibus, de qua in dicta Decretali, non intelligendam eſſe a Divinis, ſed ab adminiſtratione rerum conventus, aut perſonarum, ſive ſint ſpiritualia, ut Superiores, ſive ſint temporalia, ut Cellerarii, aut Sacriſtæ.

Nota II. Excommunicationem, ibidem latam incurri a Religioſis uſurpantibus, & impedientibus dumtaxat decimas, non vero ab eas ſibi furtive, & moratorie retinentibus.

Hactenus de decimis, Eccleſiæ parochiali debitis ex fructibus prædiorum, aut laborum juxta locorum conſuetudinem. Si autem agatur de decimis beneficiorum, quæ a Romano Pontifice imponuntur ad tempus propter aliquam neceſſitatem, vel publicam Eccleſiæ utilitatem, aut quæ ab eodem perſolvi mandantur alicui Principi, qui Eccleſiam defendit, pro quibus colligendis conſtituuntur Collectores, & Subcollectores, adeatur Decretalis laudati Clementis V. *relata hoc eodem tit. in cap. II. Si beneficiorum*, & Bonifacii VIII. *relat. in cap. unic. Declarationes, dict. tit. in Extravag. commun.*

Titulus XXXI. De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.

S E C T I O D X V I.

Caput I. Nullus, *ex Decretali, deſumpta, juxta Gonzalez, a Can. XXIII. Concilii Moguntini, celebrati a Ridolpho, Archiepiſcopo Moguntino an. 813. tempore Caroli Magni.*

NUllus tondeatur, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate.

In hac Decretali prohibetur, ne quis admittatur ad profeſſionem religioſam, niſi conſtitutus ſit in legitima ætate, & niſi ſponte eam emittere velit.

Ad legitimam ætatem, quod ſpectat, cum hic præſupponatur, eam eſſe, quæ ab antiquo jure ſtatuta erat, in viro ſcilicet annorum XIV. & in fæmina XII. completorum, ut decernitur in *cap. VIII. Ad noſtram, & cap. XI. Significatum, hoc eod. tit.* hodie pro validitate profeſſionis attendenda eſt diſpoſitio Tridentini, ut notabo ad *cit. cap. Ad noſtram*, Sect.DXXII.

Quod autem ſpectat ad libertatem voluntatis, ſi agatur de coactione, ſeu vi illata profeſſuro, vel profeſſuræ, cadente in virum conſtantem, profeſſio erit nulla reſpectu utriuſque, de qua nullitate videnda erunt notata ſupra ad *cap. I. Perlatum, De iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt* CCXII.

Si vero agatur de vi, non cadente in virum conſtantem, & hæc inferatur mulieri, nedum, ut monialis fiat, ſed etiam, ut aut monaſterium ingrediatur, aut habitum religioſum ſuſcipiat, incurritur ab inferente ipſo facto excommunicatio, nemini tamen reſervata, quam pariter incurrunt quicumque conſilium, auxilium, vel favorem dederint, quique ſcientes, eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint, ut ex *cap. XVIII. Trident. ſeſſ. XXV. de regul. textum leges par. II.*

Et ut magis profeſſuræ libertati conſuleretur, idem Concilium *cap. XVII. dictæ ſeſſ.* ſtatuerat, ut antequam profeſſionem emittat, per Epiſcopum, vel per alium ab eo deputatum, illius exploretur voluntas, an coacta, aut ſeducta fuerit, & an ſciat, quid agat, ibi.

Libertati profeſſionis virginum, Deo dicandarum, proſpiciens Sancta Synodus, ſtatuit, atque decernit, ut, ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit; an ſciat, quid agat: &,

ſi vo-

ſi voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requiſitas juxta monaſterii illius, & Ordinis regulam; nec non monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat.

Creſpinus in methodo viſitationis, ab Epiſcopo faciendæ, præſcribit ritus ſervandos pro exploratione voluntatis novitiæ profeſſuræ, inter quos eſt traditio Breviarii, jubeturque novitia, ut illud legat. Hinc oritur dubium, an & id præcipere poſſit, cum agitur de profeſſura in monaſterio monialium, Regularibus ſubjectarum. Ego quidem negative ſentirem, ea ductus ratione, quia cum hujuſmodi lectio ideo præciperetur, ut fieri poſſet experimentum de illius idoneitate, hæc inſpectio de jure pertinet ad illum Superiorem, a quo novitia admittenda eſt tam ad habitum, quam ad profeſſionem, & ſic ad Superiorem regularem, & non ad Epiſcopum, cui in hoc caſu exploratio dumtaxat voluntatis, non idoneitatis a Tridentino commiſſa eſt.

Caſus autem in jure expreſſi, quos ab hujuſmodi prohibitione, cogendi nimirum ad ingreſſum in monaſterium excipit Tridentinum in cit. cap. XVIII. referuntur ſequentes a *Theſaur. de pœnis eccleſiaſt. verb. Monialis cap. I.*

,, I. Quando uxor, quæ, emiſſo continentiæ voto, licentiam dedit viro profitendi Religionem, ſuſpecta ,, eſt de incontinentia, ut ſtatuitur in *cap. XVIII. Significavit de Converſ. conjugator.*

,, II. Quando uxor adultera, poſtquam reverſa ,, eſt ad frugem melioris vitæ, recipi nolit a marito, ,, cogi poteſt monaſterium ingredi, ut perpetuam ibi ,, agat pœnitentiam *cap.* XIX. *Gaudemus, dicto tit.*, ,, imo ſi poſt biennium a viro non recipiatur, debet ,, ibidem habitum ſuſcipere, *Auth. Sed hodie Cod. ad legem Juliam de adult.* neque id correctum fuiſſe a ,, jure canonico notat Sanchez *lib. X. de Matrim. diſp.* ,, XIX. *num.* 8.

,, III. Quando puella impubes cogitur a patre, ,, vel matre ingredi monaſterium cauſa devotionis, ,, quia eam devoverunt tali monaſterio, ſeu Religioni: ,, nam dum manet impubes, id eſt uſque ad 12. annum, ,, ibi manere tenetur, etiam in habitu dictæ Religionis, devotionis nomine, & habet privilegia novitiarum" additque, huic rei non obſtare cap. XVII. ejuſdem Trident. vitans admitti ad habitum Religionis minores tredecim annis, quia loquitur de admiſſione ad novitiatum in ordine ad profeſſionem.

Fagnanus tamen circa hos eoſdem caſus exceptos hæc habet *tom.* III. *ad cap.* XII. *Cum virum, de Regul. num.* 22. ,, Quamobrem, ut verificetur exceptio Concilii, neceſſe eſt, aſſignare aliquem caſum, in jure ,, expreſſum, in quo puella cogi poſſit habitum Religionis ſuſcipere. Et certe non ſuccurrit alius caſus, quam in puellis, nondum conſtitutis in ætate ,, nubili, quæ invitæ a parentibus monaſterio offeruntur, ſecundum prædicta. Et forte ad hunc caſum ,, reſpexerunt Patres Concilii. Niſi dixeris, exceptionem illam poſſe habere locum in mulieribus, ,, quæ votum Religionis emiſerunt; poſſunt enim cogi ad voti obſervantiam, *cap. I. & per tot.* 27. *q.* 1. ,, *Licet infra de voto*. Sed tamen adhuc reſtat difficultas, quia cum Concilium loquatur per verba pluralis numeri, in caſibus in jure expreſſis, oportet ſaltem aſſignare duos caſus, in quibus puellæ poſſunt ,, cogi ad ſuſceptionem habitus. *L. Ubi numerus, ff. de teſtib.* & ſic caſus oblationis adhuc remanet in prædicta exceptione incluſus. Et ſtante hoc intellectu, ,, ineptum eſſet, ut in decreto *d. cap.* XVIII. *ſeſſ.* XXV. ,, *de regul.* Concilium præſervaſſet Sacrorum Canonum diſpoſitionem circa puellas natu minores, quæ ,, a parentibus monaſterio traduntur invitæ, ſi in præcedenti decreto eandem diſpoſitionem ſuſtuliſſet, vel ,, certe ſe in continenti correxiſſet, quod non eſt dicendum, *L. Non ad ea, & ibi gloſ. in verb. Præſens, ff. de condit. & demonſtr.* Porro, quia puellæ ,, minores non debent indiſtincte ad habitum regularem ,, admitti, ſed a parentibus, vel tutoribus oblatæ, & ,, nonnunquam ſubeſſe poteſt ſeductionis periculum a ,, monialibus, & aliæ rationes vigere poſſunt, cur ,, non expediat illas admittere; hinc factum eſt, ut ,, S. Cong. Conc. aliquando, & præſertim in cauſa ,, Lucana, dixerit, non eſſe diſpenſandum, ut puella, ,, quæ duodecimum annum nondum exceſſerat, ad ,, habitum admitteretur. Et hinc etiam inolevit praxis, ut licentiæ admittendi ad habitum ejuſmodi puellas, natu minores petantur a S. Congr. Epiſcopor. ,, & Regul., quæ nonniſi raro, & matura deliberatione illas concedere conſuevit".

Et n. 21. præmittit reſponſum Cong. Conc. ,, *In cauſa Salmantina die* 19. *Febr.* 1604. = reſpondit non ,, licet ullo modo Epiſcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex cauſis litium matrimonialium, adulteriorum, ac diſſenſionum inter ,, viros, & uxores, & his ſimilibus, ingrediantur monaſteria monialium; imo ingredientes incidere in excommunicationem, a decreto Concilii, atque ſummorum Pontificum Conſtitutionibus impoſitam".

Advertendum tamen eſt, quod hodie puellæ admitti nequeunt in monaſterium, etiam devotionis, aut educationis cauſa ſine beneplacito Apoſtolico, ut notabitur parte II.

Nota I. Cum eodem Theſauro, & DD. *loc. cit. Amplia ſecundo*, pœnam excommunicationis, a Trident. inflictam, procedere contra cogentem ingredi monaſterium etiam ad effectum, non ut monialis fiat, ſed cuſtodiæ cauſa.

Verum hæc opinio videtur omni prorſus deſtituta fundamento, imo oppoſita probitati morum, ac doctrinæ Patrum, & per conſequens fini intento ab ipſomet Tridentino. Cum enim experientia compertum ſit, dari quandoque puellas nubiles, in quibus adeo fervet libidinis æſtus, ut ad hunc rite cohibendum, uſque ad convenientes nuptias, aliud efficax ſimul, ac decens remedium non ſuppetat, quam monaſterii clauſura: eſt idem aſſerere, has per Tridentinum non poſſe cogi ad hujuſmodi ingreſſum, ac dicere per Tridentinum fuiſſe eiſdem ablatum unicum efficax, decenſque remedium frænando abuſui libertatis ipſarum accommodatum: quod eſt manifeſte rationi diſſonum, a D. Hieronymo inter alios P. in in Epiſtola ad Letam iis verbis reprobatum: *Puellæ, & pediſſequæ a ſecularibus conſortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant*; ac a mente Patrum Trident Concilii prorſus alienum; cum enim in caſu, ſi non fiat coactio, majus malum eveniat, vel ſaltem immineat, finis Concilii prohibentis hujuſmodi coactionem ceſſat, non ſolum adequate, ſed etiam contrarie; proindeque lex in hujuſmodi caſibus vim amittit obligandi, utpote perniacioſa; prout communiſſime docent Theologi cum S. Thom. 1. 2. qu. 103. art. 4. ad 3. in fin. Accedit ipſummet Tridentinum eodem in capite cautum voluiſſe honeſtati mulierum;

Digitized by Google

rum; ideoque caſus excepiſſe in jure expreſſos, inter quos recenſetur, quando mulier eſt adhuc juvenis, & dat in ſeculo incontinentiæ ſuſpicionem, prout conſtat ex *cap. Significavit* 18. *de Conver. conjugat. juncta Gloſſa ibid.* §. *Talis ætatis*; aliiſque capitib. eod tit. Neque dicas, hoſce textus loqui de mulieribus conjugatis, vel voto obſtrictis; proindeque hanc exceptionem firmare potius regulam in contrarium pro puellis, de quibus in jure nihil ad rem præſentem. Contra enim, tritum illud proloquium *Exceptio firmat regulam in contrarium*, & ipſum patitur ſuam exceptionem, quando in alio caſu intervenit adæquata, vel intrinſeca rationis identitas, puta cum excluſio illius æqualiter eſſet contra juſtitiam, vel prudentiam, aut rationem; nam eo tunc optime valet illud aliud tritum *Ubi eſt eadem ratio, eſt eadem legis diſpoſitio l. non poſſunt* 12 *& ſeq. ff. de legib.* cum enim credere non liceat, Legislatorem voluiſſe condere legem injuſtam, imprudentem, aut irrationabilem, jure optimo præſumitur voluiſſe ſub caſu expreſſo alium pariter caſum, identitate rationis connexum, potius comprehendere; cum non omnes caſus a legem ferente comprehendi poſſint ſingillatim; prout uno ore firmant DD. ſive Theologi, ſive Juriſperiti, quorum plures refert Schmier. *Juriſprud. Canonico civil. tom.* 1. *tract. præamb. cap.* 3. *ſect.* 2. §. 3. Ex quibus inferes, quod, cum de puellis, de quibus agitur, eadem omnino ſit ratio, ſub eadem Tridentini exceptione, juriſque diſpoſitione comprehenſæ intelliguntur: proindeque non minus, ac illæ poſſunt licite cogi in præfato caſu ad monaſterii ingreſſum abſque timore Tridentini anathematis. Denique ab incurſu in excommunicationem excuſare opinionem claſſicorum Doctorum vere, ac ſolide probabilem, generaliter obſervavit Rota Romana *deciſ.* 25. *cor. Otthobono n.* 16. *& deciſ.* 263. *num.* 1. *&* 3. *par.* 3. *recent.* ac in fortioribus terminis docuit Card. de Luca *in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 12. *num.* 4. hiſce verbis: *Excommunicatio eſt pœna graviſſima, omnium aliarum pœnarum major, quæ apud Deum, & in foro ſpirituali, major cenſenda eſt, quam pœna ordinaria capitalis: a qua proinde qualibet cauſa probabilis excuſat.* Porro inficiari quis poteſt, hujuſmodi eſſe opinionem noſtram, quæ imo eſt probabilior, & vera? quamque defendunt P. Ferraris in Bibl. *v. Moniales art.* 1. *num.* 53. *in fin.* Alphonſus de Ligorio *lib.* 7. *cap.* 2. *art.* 1. *dub.* 2. *circa fin.* cum Suarez, & Bonacina; pluresque alii cum Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Et ſane incurſio in hoc anathema ſupponit peccatum mortale, prout DD. omnes admittunt. Jam vero *non adeo facile aſſerendum aliquid eſſe peccatum mortale, niſi de re ſimus certiſſimi*, loquit Gerſon, doctiſſimus Cancellarius Pariſienſis *lib.* 4. *par.* 3. *de Vit. Spir. litt. O. Omnis enim quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur*, ex D. Thom. *quod lib.* 9. *qu.* 7. *art.* 15. *in c. Quapropter &c.*

Nota II. Dictam excommunicationem non incurri per attentatum, ſeu conatum, ſi effectus non ſit ſubſequutus.

Nota III. Controverti a DD. relatis a Ludovico de Ameno *tom. III. de Delict. & pæn. tit. V.* §. *IX. n.* 8. an hæc eadem excommunicatio extendatur ad eos, qui parem coactionem in viros exercent, tam pro coactivo, quam pro impeditivo ingreſſu; aliis affirmantibus, aliis negantibus; quorum opiniones æque probabiles vocat idem de Ameno: ſed cum ſimus in odioſis, & de caſu ad caſum in pœnalibus, ex vulgatis, non fiat illatio, negativam potius tuto crederem ſuſtineri poſſe.

SECTIO DXVII.

Caput II. Si quis, *ex Decretali, deſumpta a Can. XX. ejuſdem Concilii Mogontini.*

Si quis ante annos legitimos tonſuratus eſt ſine conſenſu parentum ſuorum, ſi parentes ipſius intra annum non reclamaverint ad Principem, aut proprium Epiſcopum, vel ad Miſſum dominicum, in clericatu permaneat. Si vero poſt legitimos annos per vim Clericus factus eſt, & nec ipſe, nec parentes ejus intra annum ad memoratas perſonas reclamaverint, in clericatu permaneat, ſicut is, de quo ſuperius dictum eſt.

Hanc Decretalem, loquentem de Tonſurato intelligunt Interpretes cum Gloſſa de Tonſurato, ut fiat monachus, vel Canonicus regularis.

In prima igitur ejus parte ſtatuitur, ut ſi impubes, idest qui nondum explevit annum XIV. abſque conſenſu parentum monaſterium intraverit, & hi intra annum non reclamaverint ad Papam, aut proprium Epiſcopum, vel ejus Vicarium, non ſit amplius in eorumdem poteſtate eum revocare; quod hodie non eſt uſu receptum; quia licet impuberes etiam contra voluntatem parentum remanere poſſint in monaſterio, ut cum communi notat Sanchez *lib. IV. in Decalogum lib. XVIII. n.* 8. nullus tamen ex Ordinibus regularibus ſine eorumdem parentum conſenſu eos reciperet; imo neque poſſet, cum nedum apud omnes fere Religiones antiquus mos recipiendi impuberes exoleverit, ſed etiam quia peculiari fere cujuſque regularis Ordinis Conſtitutione cautum eſt, ne devotionis, aut educationis quidem cauſa, recipiantur, excepto Ordine Sancti Benedicti, & aliis quibuſdam.

In ſecunda autem parte ſtatuitur, ut ſi jam pubes per vim profeſſionem emiſerit, nec intra annum ipſe, vel ejus parentes contra eam reclamaverint, tanquam vere profeſſus in Religione remanere debeat propter tacitum præſumptum conſenſum.

Verum hæc ſanctio quoad parentes hodie abrogata eſt, cum attendatur dumtaxat reclamatio profeſſi. Quoad illum vero moderata eſt a Trid. *cap. XIX. ſeſſ.*

Digitized by Google

XXV. de Regularib. extendente hoc tempus, ex quocumque capite prætenſa nullitas profeſſionis oriatur, uſque ad quinquennium, a die ipſius profeſſionis, non tamen completum, textum leges part.II.

SECTIO DXVIII.

Caput IV. Vidua, *ex Decretali, tributa Concilio Aurelianenſi, vel Arelatenſi.*

Vidua, ſi ſponte velum converſionis, quamvis non ſacrum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, ſanctimoniæ habitum ulterius debet habere: licet ſacramento firmare velit, eo tenore velamen ſibi impoſuiſſe, ut deponere poſſet.

Per velum conſecrationis, de quo in hac Decretali, intelligitur illud, quod ex veteri Eccleſiæ uſu imponebatur fœminis, ingredientibus monaſterium, & Religionem profitentibus, quodque ordinarie benedici ſolebat, & hac de cauſa ſacrum appellabatur, eratque præcipua pars habitus monialis.

Quia vero hæc vidua, & illud ſponte ſuſceperat, & ſe ingeſſerat in actibus, a monialibus profeſſis exerceri ſolitis, ideo declaravit Pontifex, eam ſe obligaſſe ad Religionem per profeſſionem tacitam.

Verum hodie, ut etiam notabitur infra poſt *cap. VIII. Ad noſtram* Sect. CXXII. præter ſuſceptionem habitus, & exercitium actuum, profeſſis propriorum, requiritur etiam annus probationis completus, quo non præmiſſo, nulla, neque expreſſa, neque tacita profeſſio inducitur, juxta declarationem Trid. *cap. XV. ſeſſ. XXV. de Regularib.* textum leges part.II. Sed circa profeſſionem tacitam vide notanda infra cit. Sect. DXXII.

Huc autem ſpectant a me olim allegata in voto pro veritate exarato circa profeſſionem emiſſam animo vere non profitendi (ut fuit caſus iſtius viduæ) ſuper ſequenti dubio = An detur locus reſtitutionis in integrum adverſus profeſſionem emiſſam ab NN. Ordinis N. =.

Motivum dubitandi in eo ſitum eſt, quod attento averſo animo N. N. ad profitendum ſtatum religioſum, quem palam oſtendere cœpit poſt duos menſes a ſuſceptione habitus monachalis, magis ſemper confirmatum repetitis proteſtationibus uſque ad actualem profeſſionem, eam cum nova contraria proteſtatione ſimulate emiſit.

Non diſſimiles fuerunt illius animi averſio, repetitæque proteſtationes poſt ſic emiſſam profeſſionem; ita ut ex nullo poſteriori actu argui poſſit dictæ profeſſionis expreſſa, aut tacita ratificatio; de quibus omnibus reſultat plena, & juridica probatio ex depoſitione teſtium, conteſtium, ut videre eſt in compilatione proceſſus, duplici reſtrictu contenta. Quin eidem probationi obſtet exceptio, quod teſtimonium unius ex teſtibus, ſit extrajudiciale, eo quod non fuerit formiter examinatus, utpote præmortuus conſtructioni proceſſus: cum enim ſine ſuæ atteſtationis retractatione deceſſerit, vulgati Juris eſt, haberi pro formiter examinato, ut ex Rotæ Deciſionibus, cumulate relatis in *Deciſione XV. coram Falconerio n. 4. tit. de Cenſib.*

Quamvis autem hæc omnia primo obtutu nullitati profeſſionis favere videantur, utpote profitentis conſenſum penitus excludentia, eis tamen obſtat diſpoſitio juris, tam civilis, quam canonici: civilis quidem, cum enim N. N. facto profeſſionem emiſerit, recitando illius præſcriptam formulam, licet ſimulato animo recitaverit, locum habet receptiſſimum legale axioma, *C. Plus valere, quod agitur, quam quod ſimulate concipitur*, potiſſimum ſi ſimulationi gravis cauſa deſit, prout in præſenti caſu deeſt, cum non alia allegetur, quam contraria voluntas profitendi, a qua receſſum fuiſſe præſumitur per poſitionem actus, emiſſæ ſcilicet profeſſionis.

Juris vero canonici: ex reſponſo ſiquidem Nicolai I. ad Adonem, Archiepiſcopum Viennenſem in Gallia, relato in *can. VI. Quod interrogaſti, diſt. XXVII.* & S. Gregorii Magni ad Bonifacium, relato in *can. II. Viduas, cauſ. XXVII. q. I.* ac ex *cap. IV. Vidua de Regul. & transeunt. ad Relig.* in quibus hujuſmodi ſimulatio ita reprobatur, ut fœminæ, quæ ſimulate habitum ſanctimonialium ſuſceperunt, juſſæ ſunt in monaſterio perpetuo permanere.

Ad tramites harum ſanctionum ita etiam declaraſſe refert Fagnanus S. Congr. Conc., *in cap. II. Si quis de Regul. n. 47.* contra monachum, qui profeſſionem emiſit, non animo ſe obligandi Religioni, ſed eo tantum fine, ut habitu regulari indutus, facilius poſſet ſuum inimicum interficere.

Huic utriuſque Juris diſpoſitioni pondus addit, quod N. N. audita ex epiſtola matris exhæredatione, ipſi facta a patre, jam defuncto (quid quid fuerit de illius viribus) ob quam, ſi domum rediiſſet, coactus fuiſſet, ut forte credidit, miſerrime vivere, videtur ex duobus malis minus elegiſſe, profiteri nempe Religionem, ut ſic in ea ſibi provideret de victu, & veſtitu, & conſequenter receſſiſſe ab averſione, & contrariis proteſtationibus, antea habitis.

His itaque obſtantibus, de rigore Juris, negative reſpondendum eſſe videretur ad propoſitum dubium.

Verum, inſpecta conſtanti, & perenni averſione a ſtatu religioſo, tam ante, quam poſt profeſſionem, imo in ipſomet illius actu confirmata, crederem ex benignitate, & arbitrio Summi Pontificis tuto dari poſſe locum diſpenſationi, ſi non a votis, a ſtatu ſaltem clauſtrali, cum facultate redeundi ad primæva jura quoad paternam hæreditatem, in cauſam ſaltem alimentorum, potiſſimum cum in concurſu tot contrariarum proteſtationum allata argumenta, excludentia nullitatem profeſſionis, non ſint tanti ponderis, ut removere poſſint eundem Pontificem ab hujuſmodi diſpoſitione, & quidem.

Non primum, deſumptum a jure civili: licet enim *plus valeat quod agitur, quam quod ſimulate concipitur*; hoc tamen locum habet, quando ſimulatio, aut fictio deſtituta eſt omni prorſus externo ſigno, quo argui nequeat animus contrarius actui ſimulantis, non

vero

vero, quando unita eſt cum proteſtatione ſimulate ponendi actum ex honeſta cauſa, qui tunc utique ſimulanti non nocet, prout in terminis ſentit Gloſſa ad *cap. III. Ut Clerici de Regul. verb. Fingunt*, ibi = *Et ſi aliquis ſimulat Religionem ex honeſta cauſa, ita quod proteſtatio præcedat, non nocet* = cauſam autem (quæ, ſi non graviſſima, non pro levi certe habenda eſt) N.N. reclamanti præſtitit nedum conſtans contraria vocatio ad ſtatum religioſum, tam antecedens, quam concomitans, & ſubſequens actui, quem poſuit, ſed etiam repetita negatio ſuarum veſtium laicalium, ſibi facta a magiſtro novitiorum, ut redire poſſet ad ſeculum, quas enixe expetiiſſe, & denegatas fuiſſe conſtat ex depoſitione teſtium, ut in proceſſu, una cum nova proteſtatione, ſe nihilominus ſimulate, & irriſorie profiteri velle, prout de facto iidem teſtes eum feciſſe deponunt.

Non ſecundum argumentum, deſumptum ex allegatis Textibus juris canonici, quandoquidem mulieres illæ, ideo juſſæ ſunt in monaſterio permanere, non obſtante earum ſimulatione, quia hanc ſe dumtaxat habuiſſe aſſerebant, & probare non poterant, ut eorumdem Textuum intellectum exponendo, animadvertit Gloſſa in *cit. cap. Vidua* verb. *Licet* ibi = *Sed hæc Vidua non potuit probare per legitimas probationes, ſed allegabat fictionem ex alia cauſa honeſta, & jurare volebat, ſed juramentum ſuum non ſufficit, & ideo remanet in monaſterio; & ſecundum hoc intelligitur illud, cap. Interrogaſti, & illa Palea XXVII. quaſt. X.*

Non tertium, deſumptum ex declaratione Cong. Conc. cum enim emanaverit ad tramites allegatorum Textuum, ut refert idem Fagnanus, dicendum eſt, nullam ex facto ſimulationis probationem reſultaſſe; quæ cæteroquin neque reſultare poterat, cum turpem cauſam foveret, quam certe nullo ſigno externo manifeſtaviſſet.

Non denique quartum, præſumptio ſcilicet electionis minoris mali; quandoquidem hæc verificaretur, quoties poſt auditam exhæredationem, ſibi a patre factam (vigeret hæc, vel non vigeret) acquieviſſet, & non reiteraſſet proteſtationes, ſe nolle ſerio profiteri, ut revera reiteraſſe conſtat ex depoſitione dictorum teſtium, potiſſimum iterata petitione ſuarum veſtium laicalium, paulo ante profeſſionem facta in eum finem coram iiſdem teſtibus clariſſime expreſſum, ut ad ſeculum redire poſſet.

Et ita, ſalvo &c.

SECTIO DXIX.

CAPUT V. JOANNES, *ex Decretali S. Gregorii Magni, Anthemio, Subdiacono ſcripta.*

JOannes frater (& infra.) Præſenti juſſione tibi mandamus, ut ne quem monachum de monaſterio in monaſterium temere migrare liceat, nec eorum aliquem peculiare quicquam habere. Sed ſi hoc præſumpſerit, monaſterio, in quo ab initio converſatus eſt, ſub Abbatis ſui regula competenti coercitione reddatur.

Quamvis prohibitio hic monachis injuncta, intelligenda ſit de tranſitu ab uno ad aliud monaſterium ejuſdem Ordinis, cum relationem habeat ad veterem illum morem, quo perpetuo manere debebant in eo monaſterio, ubi ſtabilitatem promiſerant, niſi cum literis commendatitiis proprii Abbatis ad aliud ejuſdem pariter Ordinis mitterentur, eam tamen Repetentes communiter accipiunt pro tranſitu ab una ad aliam Religionem, pro quo quid hodie obſervandum ſit, notabitur infra part. II. cum agetur *de cap. XIX. Trid. ſeſſ. XXV. de Regul.*

SECTIO DXX.

CAPUT VI. QUIA IN INSULIS, *ex Decretali ejuſdem Gregorii, dicto Anthemio ſcripta.*

QUia in inſulis dura eſt congregatio monachorum, pueros in eorum monaſterio ante XVIII. annum ſuſcipi prohibemus.

Hæc Decretalis, prohibens, ne quis admittatur ad profeſſionem regularem, niſi conſtitutus ſit in ætate annorum XVIII., moderata eſt a Trid. *cap. XV. ſeſſ. XXV. de Regular.* ſtatuente, admitti poſſe poſt annum XVII. completum, textum leges parte II.

SECTIO DXXI.

Caput VII. Non est, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, per Galliam conſtitutis ſcripta.*

NON eſt vobis dubium (& infra.) Univerſitati veſtræ mandamus, quatenus Monachos, vel Converſos Ciſtercien. Ordinis, poſt profeſſionem, ſine licentia Abbatum ſuorum, per Epiſcopatus veſtros recipi nullatenus permittatis. Et ſi qui ex eis ſine licentia Abbatum ſuorum, de monaſterio exire præſumpſerint, & commoniti, celeriter non redierint, eos regredi compellatis.

Huic Decretali, ſtatuenti ex contrario ſenſu, poſſe Abbatem Ciſtercienſem impertiri monacho licentiam profitendi in alio Ordine regulari indiſtincte, ſive alius Ordo ſit ſtrictioris, æqualis, aut laxioris obſervantiæ, derogatum eſt a Trid. *ſeſſ.* XXV. *cap.* XIX. *de Regul.* prohibente tranſitum ad laxiorem vigore cujuſcumque facultatis. Cæterum hæc Decretalis penitus abrogata eſt reſpectu quorumcumque Regularium, cum hodie hujuſmodi tranſitus iis interdictus ſit, ut notabitur infra *parte* II. *cum de cit. cap.* XIX.

SECTIO DXXII.

Caput VIII. Ad nostram, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Magiſtro Fidantiæ, Canonico Civitatenſi ſcripta.*

AD noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod Eremitæ de Montefolio quoſdam pueros ſeduxerunt in tantum, quod quidam ſuaſionibus eorum aſſenſum præbentes, ſtatim Religionis habitum in ipſorum monaſteriis ſuſceperunt, quorum unus T. nomine ſtatim pœnituit, quod habitum induiſſet (& infra.) Quocirca mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, quod præfatus T. ante conſummationem XIV. anni ſuſceptum habitum depoſuerit, aut ſi poſt XIV. annum habitum ipſum ſine probatione ſuſceperit, & intra triduum depoſuerit, eum ab impetitione prædictorum Eremitarum denuncies abſolutum, & eam, quam, poſtquam exivit, juravit accipere in uxorem, libere poſſe traducere, ſi alia cauſa rationabilis non obſiſtat.

Hæc Decretalis, validam admittens profeſſionem, factam poſt XIV. annum per ſuſceptionem habitus profeſſorum, & poſt perſeverantiam tridui, abrogata eſt a Trid. *cap.* XV. *ſeſſ.* XXV. *de Regul.* ſtatuente, habitus ſuſceptionem pro Regularibus utriuſque ſexus eſſe de ſubſtantia novitiatus per integrum annum duraturi, incipiendi ab ejuſdem habitus ſuſceptione; itaut hoc tempore non ſervato, ſicuti etſi profeſſio fiat ante XVI. annum completum, excluſa ſit etiam tacita, nullamque inducat obligationem.

In anno biſextili ad integritatem anni computanda eſt etiam illa dies, quæ ſupereſt, ut declaravit Congregat. Conc. *in Patavina* 5. *Julii* 1617. *& in Andegaven.* 21. *Aug.* 1623. Cumque talis annus debeat eſſe completus de momento in momentum, ex decreto ejuſd. Cong. 1. Feb. 1631. nulla eſſet profeſſio emiſſa ante complementum anni, etiamſi deeſſet modicum tempus, puta duæ horæ, ut declaravit d. Cong. 21. Jan. 1617. Adeatur Lucius Ferraris, Prompta Bibliotheca verb. *Annus probationis*, Fagnan. *in cap. VIII. Ad noſtram de Regul. num.* 24. refert. ex declaratione laudatæ Congr. ſub die 6. Novembr. 1592. idem ſervandum eſſe in promovendis ad Ordines ſacros.

Verum hic notandum cum Fagnano, ut alias innui, *hoc eod cap. num.* 8., *&* 30. *& cap. I. Perlatum, De iis, quæ vi, num.* 46. ex Decretis Congr. Conc. hanc tacitam profeſſionem non fuiſſe a Trident. ſublatam, ſi præceſſerit annus probationis cum ſuſceptione habitus in conventu, pro ea deſignato, quæ inducitur per annum, computandum a decimo ſexto completo uſque ad decimum ſeptimum, pariter completum ætatis illius, qui monaſterium ingreſſus eſt.

Quæ intelligenda ſunt, ſi ingreſſus quis fuerit Religionem, quæ habeat habitum communem cum novitiis, & profeſſis: tunc enim, ut dicatur tacite profeſſus, requiritur, ut poſt annum novitiatus perſtiterit in Religione per annum, deferendo habitum religioſum. Si vero ingreſſus fuerit Religionem, quæ habeat habitum diſtinctum pro profeſſis, & diverſum ab eo, quo utuntur novitii, ad hoc, ut dicatur tacite profeſſus, ſufficit, ut poſt expletum novitiatum perſtiterit in Religione, deferendo per triduum habitum profeſſorum, per textus in *cap.* XVIII. *&* XXII. *de Regularib.*

SECTIO DXXIII.

Caput IX. Super eo, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Helienſi reſcripta.*

Super eo, quod quæſitum fuit de Clericis, qui Religionis habitum ſuſceperunt, & ante profeſſionem ad priorem ſtatum ſunt reverſi; reſpondemus quod ſi auſteritatem Religionis, ad quam migraſſe noſcuntur, ſervare noluerint, ad minorem Religionem ſunt cogendi tranſire: nec amplius in Eccleſiis ſecularibus debent aſſumi: ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. Verum, ſi ante ſuſceptum hujuſmodi habitum in probatione poſiti recedere voluerint, ſecundum regulam B. Benedicti non videntur prohiberi ad priorem ſtatum redire; quæ videtur præcipere, ut in eadem veſte, in qua veniunt, revertantur.

Quamvis ex hac Decretali, ſicuti & ex relatis in *cap.* XX. *Conſulti*, *cap.* XXIII. *Statuimus*, *hoc tit.*, & *cap.* II. *Non ſolum*, *ac cap.* IV. *Beneficium*, *dicto tit. in VI.* Innocentius, Hoſtienſis, Goffredus, & Joannes Andreas in *cap.* VIII. *Ad noſtram*, *eo tit.*, & *cit. cap. Conſulti*, probent, induci tacitam profeſſionem per ſuſceptionem habitus novitiorum, animo mutandi vitæ rationem abſolute, & ſimpliciter, hoc eſt voluntate Religionem profitendi, & in ea perpetuo permanendi; ex dictis tamen textibus colligitur dumtaxat, eum = ſimplici voto Religionis obſtringi, nec poſſe jure ad priorem vitæ ſtatum redire, propterea quod non ſolum promiſit, ſe monaſterium ingreſſurum, ut experiretur, expediret ne ſibi vita monaſtica, ſed etiam vovit, ſe profeſſionem emiſſurum, & perſeveraturum in ea = ita Azorius *Inſtit. Moral. tom. I. lib. XI. cap. IV. quæſt. IV.*

Verum, quando hæc tacita profeſſio inducatur, jam notatum eſt antecedenti Sectione.

Circa id autem, quod inquit Azorius de illo, qui promiſit, nedum ingreſſum, ſed etiam profeſſionem, & perſeverantiam in Religione: non eſt univerſaliter verum; ſed indiget diſtinctione. Vel enim vovit id facere determinate in tali Religione, puta in ea, cujus habitum ſuſcepit; vel vovit id facere in aliqua Religione in vago, nullam ſcilicet intra ſe determinando in particulari. Si primum, verum eſt Azorii aſſertum in caſu, quo talis Religionis duritia non ſit ejus viribus impar, ſed ſit ab ipſo moraliter tolerabilis; tunc enim ejus votum ſubſiſtit, ac eſt obligatorium, ut inquiunt DD. communiter cum D. Thom. 2. 2. qu. ult. art. 4. Secus tamen, ſi duritia talis Religionis ab eo ſit moraliter intolerabilis; voto ſiquidem profitendi in tali Religione determinata ineſt ſemper hæc tacita conditio: *ſi ipſam probavero mihi congruere*, Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 25. num.* 385. Sotus *de Juſt. lib. 3. quæſt. 2. art. 1. ad* 3, cæterique paſſim; eo quia obſequium Deo præſtitum, etiam per votum, debet eſſe rationabile; & ideo Tridentinum præſcripſit annum integrum probationis, ut ſic Religio probet Novitium, & Novitius Religionem, ejuſque duritiam, ante profeſſionem; alias profeſſio, ſive expreſſa, ſive tacita, ſit nulla, & irrita, ut cum Fagnano, & aliis notat Card. Petra ad Conſt. *Etſi* Sixti IV. tom. 5. ſect. unica num. 10. Unde inferunt, in hoc caſu intolerabilitatis, ipſum utique poſſe, non obſtante præcedenti voto profitendi, licite redire ad ſeculum; quia ex una parte votum reſpexit ſolum talem Religionem cum præfata conditione; ex alia non obligat ultra intentionem voventis, & ſic non tenetur experiri aliam Religionem. Si ſecundum, conveniunt etiam alii DD. quod, ſi Religio, cujus ſuſcepit habitum, ab ipſo tolerari non poſſit, non per hoc queat ad priorem vitæ ſtatum redire, ſed teneatur aliam, & aliam experiri, quatenus a ſe tolerabilem inveniat, ac benevolam acceptatricem; cum votum in hoc caſu non reſpexerit unam talem determinate, ac præciſe.

SECTIO DXXIV.

Caput X. Sane, *ex Decretali dicti Alexandri III. Ambianenſi Epiſcopo reſcripta.*

Sane de Canonico, qui in Eccleſia Aromaten. profeſſionem fecerat, & fugerat ab eadem, in Monachum a quodam Abbate recepto: id tuæ fraternitati ſignificamus, quod ſi locus, ubi nunc permanet majoris religionis, quam Eccleſia Aromaten. exiſtat, ipſum in eodem loco cum pura conſcientia remanere permittas, alioquin eum ad priorem Eccleſiam redire compellas.

In hac Decretali, nulla infligitur pœna contra Religioſum profeſſum fugitivum, nec ullibi quidem de jure communi ſtatuta legitur cenſura, ſeu alia pœna latæ ſententiæ, ſi fugiendo, habitum non dimiſerit. Verum hodie ex *cap.* IV. *Trid. ſeſſ.* XXV. *de Regul.* puniri poteſt tamquam Apoſtata a locorum Ordinariis.

Cui decreto acceſſit Conſtitutio Urbani VIII. *Sacra Congregatio* 21. *Septem.* 1624. *Statuens*, §. IV.

Rurſus

Rurſus ſtatuit, ut fugitivi, & Apoſtatæ, ſive habitum regularem deferant, ſive non poſſint, ac debeant ab Epiſcopo loci, ubi moram trahunt, in carcerem conjici, ac Superioribus regularibus conſignari, ſecundum regularia inſtituta puniendi, utque ipſi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur, ſalva tamen in omnibus facultate, Ordinariis locorum attributa decreto Concilii *cap. III. ſeſſ. VI.*

Circa tranſitum, in hac eadem Decretali permiſſum Religioſo de proprio ad ſtrictiorem Ordinem, inſtituetur ſermo infra *parte II. cum de cap. XI. Trident. ſeſſ. XIV. de refor.*

SECTIO DXXV.

Caput XI. Significatum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Beluacenſi Epiſcopo ſcripta.*

Significatum eſt nobis (& infra.) Mandamus, quatenus ſi inveneris, quod G. non fuiſſet a parentibus oblatus, & intra XIV. annum facti voti pœnitens, a Religione receptiſſet, ab illo voto profeſſionis, quod fecit, denuncies abſolutum. Si autem a parentibus fuerit oblatus, ſeu XIV. annum compleverit, cum Religionem intravit, ſeu poſt decimum quartum annum profeſſionem a ſe prius factam, ratam habuerit: eum ad eandem, vel ad aliam Religionem tranſire compellas.

Hæc Decretalis, ſtatuens, profeſſionem factam, completo anno XIV. validam eſſe, ſi profitens poſt dictum annum eam ratam habuerit, abrogata eſt a Trident. declarante nullam eſſe, ſi facta fuerit ante XVI. completum, ut *cap. XV. ſeſſ. XXV. de Regul.* Textum legea part. II. cum de eod. cap.

SECTIO DXXVI.

Caput XII. Cum virum, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

Cum virum (& infra.) Utrum ea, quæ infra diſcretionis annos a parentibus monaſterio tradita, habitum Religionis induens, benedictionem accepit, & exiens poſtmodum ſe cuidam militi copulavit, ad monaſterium redire cogatur: conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum juxta Concilii Toletani cenſuram monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio faciat: quidquid horum fuerit allegatum, tenebit, revertendi ad ſeculum aditu penitus interdicto. Non enim videtur illa monaſticæ profeſſionis a ſe poſſe jugum excutere, cum eam non conſtet evidenter contradixiſſe, cum benedictionem accepit, quam nonniſi in ætate diſcretionis recipiunt quæ velantur; præſertim ſi ratihabitione ſecuta (etſi eam quandoque contradixiſſe conſtiterit) quod antea geſtum fuerat, roboratur. Nec obloquitur, quod de Præd. noſtr. Leonis Papæ Conſtitutione per contrarium ſenſum ſumitur, ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum ſuſceperunt, ipſum poſſint ſine prævaricatione deſerere: cum de ea recte poſſit intelligi, quæ in ætate nubili noſcitur conſtituta, tunc enim, quia liberum habet arbitrium, in electione propoſiti ſequi parentum non cogitur voluntatem.

Hæc Decretalis, ſtatuens, profeſſionem factam a muliere poſt XII. annum completum, validam eſſe, pariter abrogata eſt a Tridentino, ut mox notavi.

SE-

SECTIO DXXVII.

Caput XIII. Porrectum, *ex Decretali Innocentii III. juxta Gonzalez, Abbati de Flore, Ordinis Ciſtercienſis reſcripta.*

POrreCtum nobis ex parte tua petitorium continebat, quod I. Canonicus Acherontinus infirmitate gravatus, votum, ut fieret Monachus, ſe aſſerit emiſiſſe. Unde metuens, ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi ſe reddidit in Monachum, & in Fratrem, (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod cum Monachum non faciat habitus, ſed profeſſio regularis, ex quo a convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, talis ut fiat Monachus, & reddat Domino, quæ promiſit, erit utique compellendus.

Varius eſt intellectus hujus Decretalis, ut notat etiam hic Gloſs. verb. *Profeſſio*, licet enim certo conſtet ex ejus litera, quod iſte Canonicus votum emiſerat aſſumendi ſtatum monachalem, pari tamen certitudine non conſtat, per ſui traditionem Abbati in Monachum, & in Fratrem, profeſſione expreſſa, vel tacita, emiſſum a ſe votum perfecte compleviſſe, cum potiſſimum ſubdat Pontifex, quod Monachum non faciat habitus, ſed profeſſio regularis; ideoque talis compellendus ſit, ut fiat Monachus, & reddat Domino, quod promiſerat, quod ſupponit, eum nullo modo profeſſionem emiſiſſe; ideoque per hæc verba videtur, Pontificem aliquid plus intellexiſſe, quam quod talis maneat, & vivat ut Monachus. Quidquid tamen de hoc ſit, certum eſt hodie, profeſſionem tam expreſſam, quam tacitam non valere, non præmiſſo probationis anno, ut notatum eſt ſupra, & fuſius notabitur ad *cap. XVI. Ad Apoſtolicam*, Sect. DXXX.

SECTIO DXXVIII.

Caput XIV. Cum simus, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

CUM ſimus (& infra.) Sane noſtris auribus eſt relatum, quod cum B. miles ſe cum filio ſuo, diſcretionis annos nullatenus attingente, ad quoddam monaſterium cum bonis ſuis etiam contuliſſet; dictum filium ſuum fecit habitum ſuſcipere monachalem (& infra.) Diſcretioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi dictus puer ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenus compellendus: quia tunc liberum ſibi erit, eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt, poſtulare.

Quoad oblationem impuberis, monaſterio factam a Patre, hodie dic, ut notatum eſt ſupra ad *cap. II. Si quis hoc tit.* Sect. DXVII.

Quoad bona vero paterna, monaſterio a patre donata, quæ hic ſtatuitur competere filio, poſt profeſſionem ejuſdem patris, ſi pubes factus profiteri nolit, intelligenda ſunt de legitima dumtaxat; licet enim regulariter hanc conſequi nequeat, patre adhuc ſuperſtite, cum tamen profeſſio monaſtica æquiparetur morti naturali, *can. VIII. Placuit*, *cauſ. XVI. q. I. L. Deo nobis C. de Epiſc.*, *& Cleric.*, ideo juſte repetere poteſt a monaſterio.

SECTIO DXXIX.

Caput XV. Sicut tenor, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo, & Capitulo Trogurienſi reſcripta.*

SIcut tenor literarum (& infra.) Conſultationi veſtræ taliter reſpondemus, quod licet iſta duo inter ſe repugnantia videantur, ut quiſquam ſcilicet ſit extra ſe poſitus, & de præſenti vita deſperet; ſi tamen eo tempore, quo P. Sacerdos, lator præſentium, poſitus extra mentem aſſeritur, indutus fuerit habitu monachali, cum alienatus non ſentiat, ac per hoc non valeat conſentire, eum denuncietis ab obſervatione monaſtici Ordinis abſolutum: niſi poſtquam mentis ſuæ factus eſt compos, ſpontanea voluntate profeſſionem fecerit monachalem.

Hæc Decretalis, validam admittens profeſſionem, etiam non expleto anno Novitiatus, abrogata eſt a Trident., ut notatum eſt ſupra poſt *cap. IV. Vidua*, Sect. DXVIII. & mox fuſius dicam.

SE-

SECTIO DXXX.

Caput XVI. Ad Apoſtolicam, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Ubaldo, Piſano Archiepiſcopo reſcripta.*

AD Apoſtolicam Sedem (& infra.) Cum Monachum fieri ante unius anni probationem regularis inſtitutio interdicat (& infra.) Quæſtionibus tuis taliter reſpondemus, quod licet tempus probationis a Sanctis Patribus ſit indultum, non ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii, ut & ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri) quod utrumque diligenter eſt obſervandum, præſertim cum ab utroque de reliquo facta certa notitia non habetur (ſi tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum is, qui converti deſiderat, habitum recipit, & profeſſionem emittit, Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente monaſticam, & monachalem habitum concedente, uterque renunciare videtur ei, quod pro ſe noſcitur introductum, ideoque obligatur per profeſſionem emiſſam pariter, & acceptam ad obſervantiam regularem, & vere Monachus eſt cenſendus, quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Prohibendum eſt autem Abbatibus, ne paſſim ante tempus probationis quoslibet ad profeſſionem recipiant, & ſi contra formam præſcriptam quoslibet indiſcrete receperint, animadverſione ſunt debita corrigendi, cum in ſubſidium fragilitatis humanæ ſpatium probationis ſit regulariter inſtitutum.

Quamvis hic Pontifex prohibeat, ne profeſſio fiat, non completo anno probationis, factam tamen anteà, validam declarat.

Verum hodie ex *cap. XV. Trident. ſeſſ. XXV. de Regul.* nedum eſt prohibita, ſed etiam invalida.

Nota I. Profeſſionem emiſſam a mulieribus, quæ Pœnitentes, ſeu Convertitæ appellantur, etiam ante annum novitiatus expletum, validam eſſe ex privilegio, eis conceſſo a Julio III., & Pio IV., ut declaravit S. Cong Conc. *in Neapolitana an.* 1619. *Decretorum, lib. XII. pag.* 30 hæque tenentur ad clauſuram, & emiſſionem trium votorum, juxta earum Conſtitutiones, & juris communis diſpoſitionem, ex decreto S. Pii V. Gregorii XIII. de quo meminit Fagnan. in hac eadem Decretali, num. 31., & declaravit etiam laudata Cong. *in Mediolanen. lib. II. Decretor. pag.* 173. *a tergo*.

Nota II. Quod, quamvis ex indulto S. Pii V. prout habetur in ejus Conſtit. *Summi Sacerdotii*, 23. *Auguſti* 1570. Novitiæ Ordinis S. Dominici, in articulo mortis conſtitutæ emittere poſſint profeſſionem ante expletum annum probationis, id tamen eis ſuffragatur quoad conſecutionem Indulgentiarum, & aliarum gratiarum, quas moniales vere profeſſæ conſequuntur, ita ut, ſi convaleſcerent, non cenſerentur Religioni alligatæ, niſi, tranſacto probationis anno, iterum profiterentur, Fagnan. *loc. cit. num.* 33. & ita etiam declaraſſe Congr. Conc. *in una Ordinis S. Franciſci Minorum Obſervan. die* 20. *Martii* 1649. refert ex Pignatell. *tom. I. conſult.* 356. Lucius Ferraris, *Prompta Biblioth. verb. Moniales, art. I. num.* 97. potiſſimum cum hujuſmodi indultum, quatenus adverſatur decreto Trid. *in cit. cap. XV.* videatur redactum ad illius terminos a Greg. XIII. Conſtit. *In tanta*, 1. *Martii* 1573. licet nonnulli ex Recentioribus aſſerant, ſuſtineri poſſe, dictum indultum non fuiſſe revocatum quoad Indulgentias, & gratias ſpirituales, bene vero quoad alios effectus. Quod etiam magis confirmari poteſt ex mente dictæ Cong., quæ *in Carpentoren.* 14. *Junii* 1641. *lib. XVII. pag.* 55. declaravit, non cenſeri profeſſas, ad hoc ut monaſterium ex earum perſona conſequatur dotem, vel hæreditatem.

Idem declaravit *in cauſa Agrigentina Profeſſionis*, 19. *Maii* 1703. *in Neapolitana Nullitatis Profeſſionis*, 14. *Martii* 1705. *lib. LV. Decretor.* ac noviſſime *in cauſa Narnien Profeſſionis, propoſita* 22. *Junii* 1743. *& reſoluta* 25. *Januarii* 1744. prout refert Benedictus XIV. *de Synod Diœc. edit. an.* 1755 *libr.* XIII. *cap.* XII. *nu* VI. ubi vide valde plura ad hanc materiam ſpectantia.

Nota III. Pro praxi ex decreto præfatæ Congreg. *In Neapolitana menſe Novembri* 1605. *lib. Decret.* X. *pag.* 137 *&* 7. *Martii* 1608 *lib.* XI. *pag.* 11. *&* 29. novitium, qui per integrum annum in probatione ſtetit, & deinde, non emiſſa profeſſione, e monaſterio egreſſus eſt ægritudinis cauſa, poſſe ad eam admitti abſque novo probationis anno, niſi Religionis conditio, vel ipſius novitii mores eſſent immutati. Idem dic de novitia, ut ex decreto ejuſdem Cong. *in Meſſanen.* 1613. *lib.* XI. *pag.* 132.

SECTIO DXXXI.

Caput XVII. Sicut, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Acconenſi reſcripta.*

SIcut nobis fuit propoſitum, quidam Clericus, cum ægritudine nimia laboraret, quaſi de morte ſecurus, & de recuperanda ſanitate deſperans, habitum Canonicorum regularium petiit, & accepit, ſed nec ad Eccleſiam tranſiit, nec bonis ſuis uti ceſſavit, videntibus, & ſcien-

ſcientibus Epiſcopo, & Canonicis Eccleſiæ Nazaren, a quibus habitum ſuſceperat regularem (& infra.) Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod, ſi regularem habitum, ſe poſtulante, ſuſcepit, & ad obſervationem Religionis canonicæ ſua ſe profeſſione ligavit, ad reſumendum habitum, eccleſiaſtica eſt diſtrictione cogendus, cum quod tanto tempore extra Canonicam manſit, non in excuſationem ejus, ſed in majoris transgreſſionis augmentum merito valeat allegari.

Hæc Dcretalis, admittens validam eſſe profeſſionem, factam per receptionem habitus, licet profeſſus nunquam manſerit in monaſterio, abrogata eſt a Trid. ut notavi ſupra poſt *cap. V. Vidua*, Sect.DXVIII.

SECTIO DXXXII.

Caput XVIII. Licet, *ex Decretali laudati Innocentii, Priori, & Conventui Delviomenſi reſcripta.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, ſtatuitur, quod Religioſus zelo arctioris vitæ tranſire poſſit ad Religionem ſtrictiorem, petita prius licentia a ſuo Prælato, licet non obtenta, etiamſi Religio, a qua recedit, gaudeat privilegio, ut de illa ad aliam, licet arctiorem, tranſire non poſſit,

Circa hujuſmodi tranſitum inſtituetur ſermo *parte II. eum de cap.*XI. *Trid.ſeſſ.*XIV. *de reform.*

Circa facultatem autem conceſſam majori Papæ Pœnitentiario, impertiendi licentiam tranſeundi ab uno ad alium Ordinem regularem vide notanda infra Sect. DXLII. §. *Circa vero facultatem*.

Nota, Juxta Hoſtienſem hic verbo *tranſire*, & Joannem Andream num.2. Ordinem Ciſtercienſem gaudere privilegio, quod non ſufficiat illius profeſſis licentia petita, niſi etiam ſit obtenta: ſicuti & Societatem Jeſu, ex conceſſione Pii IV. & V. excepto tranſitu ad Carthuſianos, ut refert Sanch. in *Decalog. tom II. lib.VI.cap.VII. num.*28. ſubdens, eorum privilegio gaudere omnes Mendicantes per communicationem; quod tamen negat Fagnanus in hac eadem Decretali *n.*22.

Si autem hic quæras, an juxta hanc Decretalem, liceat etiam Moniali tranſire de uno ad aliud monaſterium ſtrictioris obſervantiæ, petita, & non obtenta a ſuo Superiore licentia: inſpecto jure communi, id ipſi liceret, non quidem ex diſpoſitione Canonis *Virgines*, tributi Concilio Triburienſi, & his verbis a Gratiano relati *Can.*I. *cauſa* XX. *q.*4. = *Virgines ſacræ, ſi pro lucra animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, ibidemque commanere decreverint, Synodus concedit* = cum in exemplaribus dicti Concilii non legatur, ſed confictus fuerit a Reginone Prumenſi in ſua *collectione lib.*II.*c.*CLXXX. extendendo ad Sanctimoniales hanc ſanctionem, quam præfatum Concilium can.XXVI. ediderat pro Monachis; ſed liceret ex diſpoſitione hujuſmet Decretalis, quæ, licet loquatur de Monachis, ex paritate tamen rationis, cum ſimus in favorabilibus, æque extendi poteſt ad Moniales, ut cum *Gloſſa I. ad cit. can. Virgines* ſentiunt *Archid. Bellam. & Turrecr.*, potiſſimum cum hujuſmodi facultas ſublata non fuerit ex perpetua clauſura, Monialibus injuncta a Bonifacio VIII. in *cap. Periculoſo, de ſtat. Regul. in VI.* & conſequenter nec a Trid. dictam Bonifacianam Conſtitutionem innovante, *cap.*III *ſeſſ.*XXV. *de Regul.*, ut notat Gloſſa ad *cit. cap. Periculoſo*, verbo *Perpetua*: addens ex ſenſu Archid. hanc Decretalem non tollere = quin poſſent, ſi vellent (Moniales) ad ſtrictiorem Religionem humilitatis, & puritatis cauſa tranſire = .

Verum hodie ob jus noviſſimum, ex Conſtitutione nempe S. Pii V. *Decori*, 1. *Februarii* 1569. qua Moniales prohibentur egredi a clauſura, niſi ex cauſa lepræ, epidemiæ, & magni incendii, dicendum eſt, eiſdem ademptam fuiſſe hanc facultatem; prout etiam declaravit Congr. Concili *Poſit.*147. *ad cap.*XIX. *ſeſſ.* XXV. *de Regul.*

Ita autem adempta eſt, ut ipſemet major Papæ Pœnitentiarius poſſit eam concedere ſolis Monialibus, ultra montes exiſtentibus, & tunc non niſi = *legitima concurrente cauſa, in ſignatura diſcutienda, & approbanda*; committendo tamen *facultatem hujuſmodi tranſitus admittendi, & exequendi arbitrio Ordinarii, cum clauſulis opportunis pro caſuum varietate* = ut ex Conſtit. Benedicti XIV. *Paſtor bonus*, 13. *April.* 1744. §. *XXXVI.*

Nota, Quod Monialis tranſlata ad aliud monaſterium, debet ibi denuo profiteri, niſi monaſterium ſit ejuſdem Ordinis, & obſervantiæ: dos autem reſtitui debeat monaſterio, ad quod tranſivit, non vero alia bona, *Rota deciſ. CIX. parte* II. *recent. & deciſ.CXV. num.* 9.

SECTIO DXXXIII.

Caput XX. Consulti, *ex Decretali laudati Innocentii III. Abbati de Aſſligen. Cameracenſis Diœceſis, & Magiſtro R. & G. Canonicis Trajectenſibus ſcripta.*

Conſulti ſumus frequenter a multis, utrum is, qui monaſterium ingreſſus eſt, habitum fumendo novitii, ſi ante profeſſionem emiſſam intra tempus probationis exire voluerit, licite poſſit abſque apoſtaſiæ nota, vel noxa, præſertim cum debita morum correctione ad ſeculum remeare. Licet autem ſuper hoc ſenſerint diverſi diverſa, nos tamen credimus, diſtinguendum, utrum is, qui convertitur, propoſuerit abſolute vitam mutare, ut ſub habitu regulari Omnipotenti Deo de cætero famuletur, an conditionaliter experiri obſervantiam regularem, ut ita demum ſi (intra annum) ſibi placuerit, profiteatur Ordinis diſciplinam: aut ſi forte non placuerit, moribus emendatus, ad ſtatum revertatur priſtinum. In primo caſu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem ſaltem regulam pertranſire. In ſecundo poteſt ad ſeculum, non tamen ut vivat ſeculariter, remeare. Ut ergo quæ ſit ejus intentio plenius agnoſcatur, propoſitum ſuum in principio proteſtetur.

Aſſerit hic Innocentius, ſe frequenter conſultum, diverſoſque diverſa ſenſiſſe circa quæſtionem hic ab ipſo reſolutam. At neque poſt reſolutionem ipſius ceſſarunt penitus diſcrepantiæ. Etſi enim DD. conveniant quoad ſecundam diſtinctionis partem, in eo ſcilicet quod, moribus emendatus, licite is poſſit ad ſeculum remeare, ibique *non ſeculariter*, hoc eſt morigerate vivere, qui Religionis habitum ea conditione ſuſcepit, ut poſſet ad priſtinum ſtatum reverti, ſi probata Ordinis obſervantia, ob aliquod rationabile motivum, ipſi non placeret; tamen non parum diſcrepant quoad intellectum alterius primæ partis ejuſdem diſtinctionis; ut videri poteſt apud Fagnanum ad hoc idem *cap. a num.* 13. *uſque ad* 43. *incluſive*. In hac ſententiarum diverſitate veroſimilius mihi ſemper viſum eſt, quod, quando Innocentius ait, eum debere ſaltem ad laxiorem regulam pertranſire, qui propoſuit abſolute vitam mutare, ut ſub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur: per hujuſmodi propoſitum abſolutum intellexerit votum ſimplex Religionis; ſiquidem per *propoſitum abſolute*, non venit nudum, ac ſimplex propoſitum, ſed deliberata reſolutio, ac implicita, ſeu interna quædam promiſſio faciendi talem rem; ideoque in præſenti caſu venit reſoluta promiſſio, de cætero famulandi Deo in habitu regulari, ſicque mutandi vitam per aſſumptionem hujuſmodi ſtatus, continuamque deinceps permanentiam in aliqua Religione: quod eſt vere, ac proprie votum ſimplex Religionis, non obligans quidem ad perſeverandum in tali Religione aſſumpta, ſi hujus obſervantia ſit ex.gr. viribus impar, ſed ad tranſeundum debitis modis in tali caſu ad aliam, quæ ſit viribus apta, & ad perſeverandum in ea, ut promiſſus Deo famulatus eidem præſtetur. Hic plane eſt obvius intellectus hujuſce Decretalis, ſi attente conſideretur. Et quamvis illud votum impleatur per aſſumptionem habitus, ac permanentiam in aliqua Religione; tamen ſubſiſtit in ſua ratione voti ſimplicis ante ipſam actualem aſſumptionem habitus, eſtque obligatorium ad ipſam: eo plane modo, quo ſponſalia per ſe ſubſiſtunt in propria ratione contractus, etſi per ſe obligent ad ineundum deinceps matrimonium. Quare non adhæreo opinioni dicentium, quod illud propoſitum compleatur in ratione voti ſimplicis per ipſam aſſumptionem habitus; & multo minus dicentibus quod per hanc compleatur in ratione voti ſolemnis; cum ipſemet Innocentius ad vota ſolemnia in profeſſione emiſſa per ſe prærequirat lapſum anni probationis, ut vidimus ſupra in *cap. Ad Apoſtolicam* XVI. *hoc tit.* Neque dicas cum Fagnano *l.cit.n.*6. Trid. ſuſtuliſſe obligationem ad Religionem in genere *ſeſſ.*XXV. *de Regul. cap.*XV. per ea verba: *nullamque inducat obligationem*; nam Concilium ibi ne unum quidem verbum habet de voto ſimplici Religionis, ſed loquitur de profeſſione, votiſque ſolemnibus, eam concomitantibus. Unde tale caput Concilii potius facit contra ipſius ſententiam, cum ipſe velit *propoſitum abſolute*, ſolemnizari per ipſam aſſumptionem habitus Novitiorum, adeo ut etiam dirimat matrimonium contrahendum: ſuſtinens etiam poſt Tridentinum hanc ſententiam poſſe habere locum in aliquibus caſibus particularibus. Vide dicta ac *cap.*IX. *Super eo* Sectione DXXIII.

SECTIO DXXXIV.

Caput XXII. Ex parte, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Venetenſi, in Gallia reſcripta.*

Ex parte tua fuit propoſitum, quod nonnulli ſunt, qui licet pluribus annis geſtaverint habitum monachalem, profeſſionem tamen monaſticam non fecerunt. Unde cum ſuper eo, quod habent proprium, & alias irregulariter vivunt, a te, vel ab aliis arguuntur, non-

eru-

erubeſcunt dicere, ſe ad carentiam proprii, & continentiam, ac alias regulares obſervantias non teneri, cum habitus non faciat Monachum, ſed profeſſio regularis (& infra.) Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus, quoslibet, tibi lege diœceſana ſubjectos, qui prædicto modo terram duabus viis ingredi non verentur; ut poſtquam per annum habitum geſtaverint monachalem, regulam ſecundum formam Ordinis profiteantur, & ſervent, eccleſiaſtica cenſura compellas.

In hac Decretali ſtatuitur, ut poſtquam quis per annum geſtaverit habitum monachalem, compellendus ſit per cenſuram ad emittendam profeſſionem.

Verum hodie ex decretis Clementis VIII. *Regularis diſciplinæ* 12. *Martii* 1596. & *Sanctiſſimus*, 20. *Junii* 1599. ad inducendam profeſſionem, ſive expreſſam, ſive tacitam, non ſatis eſt geſtatio habitus regularis, niſi etiam profeſſurus degerit per annum in monaſteriis, & locis pro novitiatu deſignatis, ibi §. II. IV. & VIII.

Omnes Superiores a receptione quorumcumque novitiorum, ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem omnino abſtineant.

Receptiones vero, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi decretum (de non admittendis. ſcilicet ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem niſi in conventibus, pro novitiatu deſignatis) admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Nota I. Quod quamvis hæc Clementis decreta procedant quoad Regulares, exiſtentes intra Italiam, & Inſulas adjacentes, non autem quoad Cartuſianos, Minores de Obſervantia Strictiori, Capuccinos, Reformatos S. Dominici, Carmelitanos Diſcalceatos, Folientinos, Ciſtercienſes, Eremitas Camaldulenſes montis Coronæ, & Clericos Regulares, ſcilicet Theatinos, Jeſuitas, Barnabitas, Somaſchos, & Miniſtros Infirmorum: nec procedant, quoties conceſſa fuerit licentia a Sede Apoſtolica in forma Brevis: Urbanus tamen VIII. Conſtit. *Sacra Congregatio*, 21. *Septembris* 1624. qua prædicta decreta innovavit, extendit ad omnes Regulares, ubique locorum exiſtentes.

Nota II. Vi ſenſus alternativi ſupradictorum Clementis decretorum non fore validam profeſſionem, ſi fieret extra novitiatum, quamvis per annum integrum in eo quis permanſiſſet: nec audiendi ſunt, qui contrarium ſenſerunt, cum in prohibitione alternativa, ut ſit locus pœnæ, ſufficiat alterutrum verificari *L. Si quis ita ſtipulatus*, *ff. de verb. oblig.*

Nota III. Quod ex decreto Urbani VIII. 5. Januarii 1636. relato a *Theſauro de pœnis eccleſiaſt. cap. I. verb. Novitius*, is, qui extra locum ad novitiatum non deſignatum probationis annum expleverit, reclamare non poſſit contra validitatem profeſſionis poſt lapſum quinquennii; & ſi intra hoc reclamaverit, teneatur jura ſua coram Sacra Congregatione, quæ providebit ex facultate a Sanctiſſimo ſibi conceſſa: & inhibuit omnibus Prælatis, etiam Legatis a latere, ne ſuper his ſe ingerant, abſque ſpeciali Papæ commiſſione: alias incurrant ipſo facto pœnas, ſcilicet Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: Abbates, & inferiores Prælati, & Judices eccleſiaſtici excommunicationem: Nuntii vero, & Cardinales indignationem Sanctitatis ſuæ, pœnis aliis ejuſdem arbitrio puniendi.

Inſuper in prædicto decreto ſtatuitur, ut ſic receptus, & profeſſus, ſine expreſſa licentia dictæ Congr. a Religione diſcedere, aut ſi Superiores illum ejicere auſi fuerint, ejectus puniatur ut Apoſtata, & contra eum procedatur juxta decretum ejuſdem Congreg. de Apoſtatis, & Ejectis: Superiores vero ejicientes ipſo facto incurrant ſuſpenſionem a Divinis, & privationem omnium officiorum, & perpetuam inhabilitatem ad alia obtinenda, ac privationem vocis activæ, & paſſivæ, abſque alia declaratione.

S E C T I O D X X X V.

Caput XXIII. Statuimus, ex *Decretali Gregorii IX.*

Statuimus, novitios in probatione poſitos ante ſuſceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, vel ante profeſſionem emiſſam ad priorem ſtatum redire poſſe libere intra annum: niſi evidenter appareat, quod tales abſolute voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deſervire: cum quilibet renunciare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum. Nihilominus ſtatuentes, ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod in quibuſdam locis Religioſis novitiorum habitus non diſtinguatur ad habitu Profeſſorum, pro. feſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus a Profeſſorum habitu diſcernatur.

In hac Decretali ſtatuitur, Novitium, intra probationis annum libere exire poſſe, niſi evidenter appareat ex ejuſdem manifeſtatione, quod voluerit abſolute vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deſervire; quod juxta dicta in *cap. Super eo IX. & cap. Conſulti XX. hoc tit.* idem eſt ac dicere, niſi emiſerit votum ſimplex Religionis; quod quidem veriſſimum eſt, non ſecluſo hujuſmodi voto, Novitius liber eſt ad repetendam ex aliquo motivo rationabili priſtinam vitam; ſecus vero, ſi tale votum emiſerit, juxta ibidem dicta: quæ expreſſe tradit Angelicus Doctor 2.2. *quæſt.* 189. *art.*3. *ad* 2. Quod poſtea ſubdit Pontifex ad firmitatem hujus veritatis, nempe: *cum quilibet renunciare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum*, ne in eo ſenſu intelligas, quod valeat Novitius renunciare anno probationis, quatenus poſſit prius expreſſe, vel tacite profiteri; hoc enim, etiam præſcindendo ab abrogatione Tridentini Concilii, non eſt abſolute verum, cum lapſus anni probationis fuerit ſtatutus, ut etiam Religio probet Novitium, ejuſque mores, & aptitudinem; ut expreſſe patet ex præcedenti *cap. Ad Apoſtolicam XVI. hoc eodem tit.* cui certum eſt ſaltem poſt Tridentinum nec a Novitio, nec a monaſterio poſſe renunciari, ut apud Fagnanum ad idem *cap. num.*24. pluries declaravit S. Conc. Congr. cum ſuper hoc ediderit idem Concilium decretum irritans, inducens formam, cui neque de conſenſu partium poteſt renunciari. Prædicta ergo Gregorii verba intelligenda ſunt cohærenter ad præcedentia, quod nempe poſſit Novitius quodammodo renunciare, ligando propriam libertatem cum voto ſimplici Religionis, vi cujus tenetur in hac, vel alia Religione manere, ut promiſſum Deo præſtet famulatum. Denium ſtatuit Pontifex, quod ubi Novitiorum habitus non diſtinguitur ab illo Profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, non quatenus illa benedictio, aut diſtinctio ſit regulariter eſſentialis pro valore profeſſionis, ſed quia aliqua diſtinctio eſt valde congrua inter habitum eorum, qui Deo formaliter mancipantur per vota ſolemnia profeſſionis, fiuntque veri Religioſi, ac illorum habitum, qui ſunt adhuc in via, ut proprie evadant Religioſi, qua in re attendenda eſt Religionum conſuetudo.

SECTIO DXXXVI.

Caput XXIV. Ne Religioſi, *ex Decretali ejuſdem Gregorii.*

NE Religioſi, vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur; ſtatuimus, ut præſidentes Capitulis celebrandis ſecundum ſtatutum Concilii generalis, ſeu Patres, Abbates, ſeu Priores fugitivos ſuos, & ejectos de Ordine ſuo, requirant ſolicite annuatim. Qui ſi in monaſteriis ſuis recipi poſſunt, ſecundum Ordinem regularem, Abbates, ſeu Priores eorum, monitione prævia, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur ad receptionem ipſorum, ſalva Ordinis diſciplina. Quod ſi hoc regularis Ordo non patitur, auctoritate noſtra provideant, ut apud eadem monaſteria in locis competentibus, ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, alioquin in aliis religioſis domibus ejuſdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si vero hujuſmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Eccleſiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipſorum humiliter revertantur.

Hæc Decretalis, ſtatuens, Religioſos fugitivos, & ejectos ſingulis annis ab eorum Superioribus requirendos eſſe, ut ad monaſterium revertantur, innovata, & extenſa eſt ab Urbano VIII. ad ejectos etiam juſte, definitive, ac juris ordine ſervato, Conſtit. *Sacr. Congreg.* 21. *Septem.* 1624. decernente §. XI. & XIII. ut iidem Superiores, nedum eos requirere, & reducere teneantur, ſed etiam revertentes cum evidenti ſpe emendationis, juxta teſtimonium Ordinariorum, recipere ſub pœnis, ſi in his negligentes fuerint, privationis ipſo facto incurrendæ, officiorum, vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis ad ea, & ſimilia, quarum diſpenſationem Summo Pontifici reſervavit, ibi.

Ac poſtremo cenſuit, eſſe innovandam, & ſuæ Beatitudinis auctoritate innovat Conſtitutionem fel. rec. Gregorii IX. relatam in *cap. fin. extra de Regul.*, ac præterea declarat, eam Conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſervandamque eſſe, qui juſte, definitiveque, ac juris ordine ſervato, expulſi fuerint; dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex literis ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his literis concedendis Sacra Congregatio ſerio oneravit.

Si quis vero ipſorum adverſus ea, quæ ſuperius præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerint, ipſo facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pænaque hujuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſervata, iiſdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus, illam moderandi, ſeu relaxan-

xandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quidquid ſecus a quoquam actum extiterit.

Nota, Superiores ad id ſub mortali teneri, nedum attentis tranſcripta Decretali, & Urbani Conſtitutione, ſed etiam attento jure divino, quo omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, obſtringuntur oves ſuas agnoſcere, & earum cuſtodiæ incumbere, cum, loquendo de ejectis etiam juſte, & juris ordine ſervato, hi non deſinant eſſe ipſorum ſubditi: quapropter clare patet, ut notat hic Fagnanus, *numero* 4. quam male nonnulli ex Recentioribus dixerint, totum hoc capitulum, cum ſit juris humani, conſuetudine abrogatum fuiſſe, cum Religionum Præfecti religioſos ejectos annuatim nullatenus perquirant, nec reducant. Et propterea non teneri Prælatos quærere, nec revocare ejectos, nec fugitivos, ſed ſervanda eſſe quoad hoc ſtatuta Religionum. Quibus adhæſit Thom. Sanch. *in Decal. tom. II. lib. VI. c. IX. num* 18. *poſt* Azor. *quem citat. tom. I. inſtit. Moral. lib. XII. cap. XVII. q.* 5.

Quorum quidem opinio eo magis hodie penitus rejicienda eſt, cum tam dicta Decretalis, quam Urbani Conſtitutio innovata, & confirmata fuerit ab Innocentio XII. Conſtit. *Inſtantibus*, 24. Julii 1694. §. I. ibi.

Quod firmis, ac in ſuo robore ſemper manentibus prædictis decretis de Apoſtatis, etiam ſecundum eam partem, ubi agitur de ejectis, & ejiciendis, tanquam Sacris Canonibus, & communiori SS. Patrum menti conformibus quoad ejectos eadem ſerventur, quæ in alio ſimili decreto, hac præſenti die emanato de Apoſtatis, & fugitivis ſtatuta ſunt, & indulta, quodque ad præſcriptam legem ſan. mem. Gregorii IX. in *in cap. final. de Regul.* annuatim fugitivi requirantur, & reſpecti ve cogantur ad clauſtra reverti.

An autem hodie Superiores regulares cogi poſſint per cenſuras ad recipiendos expulſos, & emendatos, vide notata ſupra in Appendice III. poſt *tit. de Offic. Judic. Ordinarii n.* 15. *pag.* 122. *colum.* 2.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DXXXVII.

Caput I. Is, qui, *ex Decretali Innocentii IV.*

IS, qui monaſterium ante XIV. annum, ut monachus efficiatur, ingreditur, niſi eo completo, profeſſionem faciat in ſequenti, vel habitum Religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit, ſeu profeſſionem, a ſe prius factam, ratam expreſſe habeat, libere poteſt intra ſequentem annum ad ſeculum remeare. Quod ſi per totum ſequentem annum in monaſterio permanſerit, ubi Profeſſorum, & novitiorum ſunt habitus indiſtincti, profeſſionem per hoc feciſſe, vel ſiquam prius fecerat, ratam habuiſſe videtur: niſi tanta indiſtinctio ibi habitus habeatur, quod & Profeſſi, & novitii, ac etiam alii communem vitam cum eis ducentes ſimili penitus habitu induantur. Qui vero poſt quartum decimum annum habitum Religionis aſſumpſerit, ſi per annum illum geſtaverit, ex tunc Religionem aſſumptam præſumitur veraciter eſſe profeſſus, ubi profeſſi a novitiis diſſimilitudine habitus minime diſtinguuntur, etiamſi alii, degentes cum eis ſimilibus veſtibus coutantur: quoniam cum jam hic ad diſcretionis annos pervenerit, quid agat, agnoſcit: & ideo ſuſceptum diſcretionis tempore Ordinem (poſtquam hunc anni probaverit ſpatio) intelligitur firmiter approbaſſe. Secus autem in illo, qui ante diſcretionis annos habitum induit regularem; cum eorum, quæ tunc agit, plenum non habeat intellectum. Diſtinctos quoque, ſeu diſſimiles intelligimus eſſe habitus, ſive novitiis, ſive Profeſſis diſſimiles veſtes dentur, ſive benedicantur, cum profitentibus conceduntur; ſive etiam aliquid aliud fiat, per quod novitiorum a profeſſorum habitu diſcernatur.

1\. Hæc Decretalis, declarans, validam eſſe profeſſionem emiſſam intra annum decimum quintum, vel per receptionem habitus profeſſorum, vel per ratificationem profeſſionis, factæ ante annum decimum quintum, item ſi quis per totum annum decimum quintum geſtaverit habitum communem profeſſis, & non profeſſis; ac etiam ſi major quatuordecim annis ingreſſus fuerit Religionem, & per annum geſtaverit habitum, quomodocumque indiſtinctum, abrogata eſt a Trident. ut notavi ſupra poſt *cap. IV. Vidua*, Sectione DXVIII. & alibi.

SE-

SECTIO DXXXVIII.

Caput II. Non ſolum, *ex Decretali Alexandri IV. Fratribus Ordinum Prædicator, & Minorum ſcripta.*

NON ſolum (& infra.) Licet zelum animarum habentes, eas lucrari Domino ſolicite cupiatis, quia tamen decet, & expedit, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, ſalutis diſpendium ſubſequatur: vobis de Fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum (qui eſt maxime in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus) quemquam ad profeſſionem veſtri Ordinis, ſeu renunciationem in ſeculo faciendam recipere, nec conſtitutum intra hujuſmodi annum aliquatenus impedire, quominus intra ipſum ad aliam Religionem, quam maluerit, tranſeat, vel (niſi major tamen quatuordecim annis exiſtens, profeſſus ſit tacite, vel expreſſe, aut evidenter conſtet, illum vitam voluiſſe mutare, quod tamen non præſumitur, niſi clara probatione, vel competentibus indiciis oſtendatur) omnino ad ſeculum redeat, ſic ut de ſua voluntate proceſſerit, præſumatis. Quod ſi forte contra hanc noſtram prohibitionem quemquam recipere præſumpſeritis, decernimus, eum (qui taliter receptus fuerit) nullatenus veſtro eſſe Ordini alligatum, voſque a receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem Ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos; & inſuper pœnæ ſubjiciendos, quæ fratribus ipſius Ordinis pro culpis infligi gravioribus conſuevit.

Hæc Decretalis, admittens profeſſionem tacite, vel expreſſe factam a majore XIV. annis, validam eſſe, abrogata pariter eſt a Tridentino, nullam eam declarante, ſi facta fuerit ante XVI. completum, ut notatum eſt ſupra poſt *cap. IV. Vidua*, & poſt *cap. VIII. Ad noſtram* Sect. DXVIII. & DXXII.

Quod autem ſpectat ad prohibitionem his Ordinibus factam, ne quemquam ad profeſſionem admitterent ante completum probationis annum, hæc extenſa eſt ad alios Ordines Mendicantes a Bonifacio VIII. ut patebit ex ejus Decretali ſequenti Sectione.

Circa vero obligationem, qua Alexander obſtringi declarat ad Religionem profeſſum ante completum dictæ probationis annum, ſi = *evidenter conſtet, illum vitam voluiſſe mutare* = intelligenda eſt de voto ſimplici, ut notavi ſupra ad *cap. IX. Super eo*, Sectione DXXIII.

SECTIO DXXXIX.

Caput III. Constitutionam, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

COnſtitutionem Innocentianam, quæ prohibet Converſorum profeſſionem recipi ante annum probationis elapſum, piæ memoriæ Alexander Papa IV. Prædeceſſor ad Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordines dumtaxat declaravit extendi: unde nos pari ſimilitudine rationis inducti, declarationem eandem ad aliorum Mendicantium Ordines prorogamus. In aliis autem Religionibus profeſſio expreſſe, vel tacite fieri poteſt licite intra annum. Sed expreſſe emiſſa (etiam ſeculari habitu non mutato) illi Religioni præciſe obligat, quam profitens eſt profeſſus. Tacite vero facta intra probationis annum per ſuſceptionem habitus (qui profitentibus tantum datur) non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus, ſed generaliter Religioni alicui recipientem obligat, ſi ætatis aptæ ſit, ſi ſciens, & voluntarius, ac triduo perſeveret.

Prohibitio ab Alexandro IV. Prædicatoribus, & Minoribus prius injuncta, ne quis admittatur ad profeſſionem ante completum probationis annum, & hic a Bonifacio extenſa ad cæteros Ordines dumtaxat Mendicantes, a Tridentino extenſa eſt ad omnes alios Ordines regulares *cap. XV. ſeſſ. XXV. de Regul.*

Quod poſtea hic ſubdit Pontifex: *in aliis autem Religionibus profeſſio expreſſe, vel tacite fieri poteſt licite intra annum*, amplius non ſubſiſtit; nunc enim in qualibet Religione requiritur a Tridentino, quod profitens expreſſe non ſit minor ſexdecim annis completis, ac per integrum annum continuum in probatione ſteterit. Et ad valorem profeſſionis tacitæ S. ejuſdem Conc. Congr. ulterius requirit alium integrum annum, & quidem computandum, non ab hora ſubſequente profeſſionem expreſſam, ſed ab altera die ſubſe-

ſequente, adeo ut, ſi profeſſio expreſſa emiſſa fuerit ex. gr. die 25. Auguſti, ſolum a die 26. ejuſdem menſis initium computi alterius anni ſumi debeat, prout ab eadem S. Congr. definitum refert Fagnanus in *cap. Ad noſtram VIII. hoc tit. num* 30. Ex quo habes, ad profeſſionem tacitam etiam annum decimum ſeptimum debere eſſe completum. Pariter non ſubſiſtit quod hic addit Bonifacius, nempe quod *profeſſio expreſſe emiſſa, etiam ſeculari habitu non mutato, illi Religioni obliget, quam profitens eſt profeſſus*; quidquid enim, ſit quod antiquitus habitus Religionis non eſſet de ſubſtantia, & etiam nunc aliqua Religio, ut Societas Jeſu, habeat ſtatutum ſpeciale approbatum a Sede Apoſtol. vigore cujus poſſint novitiatum peragere ſine habitu religioſo, ut penes Paſſerinum *de Homin. ſtat. tom. 3. quæſt.* 189. *inſpect. 1. n. 13.* docuit Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 4. num. 6.* tamen, ſaltem quoad alias Religiones, nunc certum eſt, quod novitiatus peragi debet cum habitu proprio Religionis, cum Tridentinum *ſeſſ. XXV. de Regul. cap XV.* expreſſe ſtatuat: *nec qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur*; ubi cum Concilium ſtabiliat formam cum clauſula irritante, conſequens eſt, novitiatum in habitu Religionis neceſſario eſſe peragendum, præcipue cum ab ipſa ſuſceptione habitus novitiatus ipſe, ac probationis annus ſumat initium; ut recte notat Paſſerinus *ibid. num. 9.* referens n. 10. ex Nicolio verb. Novitius *num.* 26. duo decreta S. Congr. Epiſcop. & Regul. declarantia, in habitu ſeculari non poſſe haberi novitiatum. Denique quod profeſſio tacite facta intra probationis annum, per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantum datur, non obliget ſpecialiter illi Religioni, cujus habitus ſuſceptus eſt, bene vero obliget Religioni in genere, ſi ætatis aptæ ſit, & ſi ſciens, & voluntarius, ac triduo perſeveraret, locum amplius non habet, ni forte de eo agatur, qui votum ſimplex Religionis emiſerit: in quo caſu tenetur ratione ipſius voti ſimplicis, non vero ratione profeſſionis tacitæ, quæ in caſu nullam obligationem inducit, nec ad ullos effectus valet, ut alibi notavi.

S E C T I O   D X L.

Caput IV. Beneficium, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii, Pariſienſi Capitulo reſcripta.*

Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum, niſi ad id ipſius accedat aſſenſus, aut conſtet, quod vitam voluerit abſolute mutare, vel profeſſionem expreſſam fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit profeſſorum, Sed interim eidem beneficio per alium deſerviri debebit, aſſignata ſibi congrua de ipſius proventibus portione.

Quod beneficium illius, qui Religionem Ingreditur, non ſit intra probationis annum alicui conferendum, pluries declaravit etiam S Congregat. Conc. & Rota Rom. apud Pitonium *tom. 1. diſcept. 6.* Et quamvis occaſione cujuſdam decreti, ſuper hoc editi a Sacra Conc. Congr. S. Pius V. relata ſibi ſententia ejuſdem Congr. dixerit: *ſe non credere, caput. XVI. Conc. Trident. ſeſſ. XXV. de Regul. loquens de renunciationibus, comprehendere etiam reſignationem beneficii*; tamen quia in hac opinione S. Pontifex non ſe firmavit, ac tum in ea cauſa, cum in aliis ſubſequentibus Sacra eadem Congr. ſemper ſibi conſtans ſtetit in deciſis, teſte Fagnano ad *cap. Statuimus, hoc tit. num.* 19. ideo iſta pars hujus Decretalis a præfata S. Conc. Congr firmata dici poteſt, ac teſte Petra *tom. 4. ad prim. Conſtit. Clementis IV. Sect.* 2. hæc opinio nedum communior, ſed & rationi conformior videtur, cum Tridentini verba ſint indefinita: *nulla quoque renunciatio, & obligatio &c.* ideoque non ſint reſtricta ad bona temporalia. Hinc inferes, per idem Concilium derogatum fuiſſe verbis immediate ſequentibus ejuſdem Decretalis: *niſi ad id ipſius accedat aſſenſus, aut conſtet, quod vitam voluerit abſolute mutare, vel profeſſionem expreſſam fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit profeſſorum*; nam omiſſis iis, quæ circa nullitatem profeſſionis, ſive expreſſæ, ſive tacitæ intra annum probationis factæ, jam toties in Sectionibus præcedentibus repetita ſunt, ſufficiunt ad probandam horum omnium inſubſiſtentiam ipſamet verba Conc præfato in cap. 16. expreſſa „ Nulla quoque renunciatio, aut obligatio, „ antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem „ cujuſcumque cauſæ piæ, valeat; niſi cum licentia „ Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, fiat intra duos menſes „ proximos ante profeſſionem; ac non alias intelli„ gatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione; „ aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſ„ ſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius „ effectus: " quæ verba cum enuncient formam cum clauſula irritante, exceptionem pati non poſſunt nec per conſenſum Novitii, nec &c. atque adeo in hac parte vere derogant huic Decretali. Caſum potius excipe, quo aſſertum fuerit Summo Pontifici, Novitium reſignare beneficium cum pacto etiam, ut valeat reſignatio non ſecuta profeſſione; tunc enim annuente Pontifice, valida, & irrevocabilis eſt reſignatio, etiamſi renuncians exeat a Religione; quamvis enim Concilium reſolvat quaſcumque renunciationes, tamen Papa, qui eſt ſupra Concilium, cenſetur derogare tacite diſpoſitioni Concilii Tridentini, cui Papam abſque ſpeciali mentione derogare poſſe probat Petra ad Conſtit. 18. Innocentii IV. num. 20. Et quatenus ingreſſus, aut ingreſſurus, ordinatus ad titulum talis beneficii, ſolet apponi clauſula; *dummodo habeat aliunde, ſi exire contingat*, Corradus in *Praxi diſpnt. libr. 5. cap. 1. nu. 3.*

Cir-

Circa ultimam partem Decretalis nihil , quod ſciam, fuit innovatum .

Occurrit quandoque caſus , quo , antequam , fiat ſolemnis veſtitio novitii , hic induatur per unum , aut duos menſes, habitu Religionis veteri , & ſic cum aliis novitiis commoretur in novitiatu : quæritur an , ſi hoc medio tempore hic beneficium renunciet , valida ſit renunciato . Negant Bordonus *Variar. Reſol. tom. 2. reſol.54. num.* 2. aliique apud Petram *prac. Sect. 2. ad* 1. Conſtit. Clem.IV. num.29. quia hujuſmodi veſtitio, ac introductio inter novitios , importat admiſſionem ad experientiam Religionis , & ſic ad novitiatum . Et pro hoc ſententia referuntur etiam plures deciſiones S. Rotæ Romanæ , eamque roborat hæc alia ratio , quia Concilium *cit. cap.* 16. invalidat omnes renunciationes factas ante ultimum bimeſtre,præcedens profeſſionem, teſte Card. Pallavicino in *Hiſtor. ejuſd. tom.*2. *lib.* 24. *cap.6.num.*4. Valere tamen hujuſmodi renunciationem ego cenſerem , quia talis veſtitio, ac probatio hic non attenditur a Concilio , ſed ea , quæ incipit a ſolemni veſtitione habitus ; cum ſolum ab eo tunc tempus , ſeu annus veræ probationis incipiat computari , & ab eo tunc elapſo anno , valeat emitti profeſſio . Hinc ſicuti nulla eſſet profeſſio , emiſſa poſt annum , computatum ab hora ſuſcepti habitus veteris , eo quia ſic veſtitus , juxta praxim,ac conſuetudinem talium Religionum,habetur pro novitio ſolum lato modo , diverſo propterea titulo inſignitur, & ſolum cum ſolemnem fecit veſtitionem , in probatione , exacta a Tridentino , vere ac proprie talis eſſe cenſetur . Ita facta beneficii renunciatio prædicto medio tempore ante ſolemnem veſtitionem, e contrario valida dici debet , utpote facta ante totum integrum annum probationis veræ , ac propriæ a Tridentino requiſitæ : eo quia Concilium , inquiens, rationem ante factam nullam eſſe , loquitur de facta intra primos decem menſes probationis veræ,ac propriæ, non vero de facta prius , prout eſt caſus præſens . Vide Emin. Petra *loc. cit. num.* 30. *cum tribus ſeqq.* hac de cauſa præmittentem *n.25. a Trident.cap.*16. continuari ſermonem , de quo curat in cap.15. immediate præcedenti , hoc eſt de novitio vere, ac proprie dicto . Ex quo patet reſponſio ad primam rationem contrariæ ſententiæ , quæ ſolum probat, illum prius fuiſſe novitium, ac Religionem expertum lato modo. Ad 2. dico,Concilium ibi loqui de renunciationibus factis a novitiis proprie talibus,quales ſunt ii,qui per ſolemnem veſtitionem factam , annum veræ probationis inchoarunt, & elapſo ab ea duodecimo menſe poſſunt de jure profiteri .

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DXLI.

CAPUT II. Eos, qui, ex *Decretali Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, celebrato anno* 1311. *Viennæ in Gallia.*

EOS , qui deinceps in diſcretionis conſtituti ætate , novitiorum habitum in aliqua Religione per annum portaverint , hoc ipſo Religionem illam decernimus eſſe profeſſos ; niſi hujuſmodi habitus in colore , ſciſſura , vel forma ſe diſtinctum patenter exhibeat ab habitu profeſſorum .

Hæc Decretalis , declarans , conſtitutum in ætate XIV. annorum intelligi profeſſuo , ſi per annum detulerit habitum novitiorum , non patenter diſtinctum ab illo profeſſorum , abrogata eſt a Tridentino , ut ſupra pluries notatum eſt,& Sect. DXVIII.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO DXLII.

CAPUT I. Viam ambitiosæ, ex *Decretali Martini IV.*

In hac Decretali , cujus prolixum textum tranſcribere omitto , prohibetur Mendicantibus tranſitus ad aliam Religionem non Mendicantium ſine licentia Sedis Apoſtolicæ , excepto Ordine Carthuſianorum , ſub pœna nullitatis profeſſioois , ac excommunicationis , Papæ reſervatæ , incurrendæ tam a tranſeuntibus , quam ad recipientibus , interdicta facultate etiam Cardinali Majori Pœnitentiario hujuſmodi tranſitus licentiam impertiendi . Præterea ſtatuitur , ut ſi quis prætextu ejuſmodi licentiæ , aut indulti , aut abſque illo cum habitu , vel ſine vagaretur , niſi monitus intra XV. dies ad Ordinem , ſive monaſterium , unde receſſit , redeat , tamquam Apoſtata , & excommunicatus reputari , & tractari debeat .

Verum circa intellectum hujus prohibitionis Vagnerek in Notis ad *cap. V. Joannes , hoc eod. tit. Nota VI.* hæc habet „ Neque etiam urget Extravagans
„ *Viam ambitioſæ , hoc tit.* ubi decernitur ; *Ne Men-*
„ *dicantes ad aliam Religionem poſſint tranſire, quam*
„ *Carthuſianorum , ſub pœna excommunicationis , la-*
„ *ta tam in recipientes, quam in receptos* ; bene enim
„ reſpondet Leſſius *loc. cit. num.*104. *lib.II. cap.XLI.*
„ eam Extravagantem quoad hoc , non eſſe receptam:
„ aut intelligi de tranſeuntibus ſine legitima cauſa , ut
„ col-

Digitized by Google

„ colligitur ex illis verbis (quæ leguntur in dicta Extravaganti) *Fucatis coloribus, & ut liberius degant, & beneficia eccleſiaſtica conſequi valeant*. Ergo a ſenſu contrario, ubi non ſunt fucati colores, illa Decretalis non procedit, quod poſterius & mihi placet = idemque repetit in Exegeſi dictæ Decretalis *Viam Ambitioſæ* per hæc verba = „ ex quibus ſequitur, hunc textum, qui ad omnem tranſitum, præterquam ad Carthuſianos, requirit ſpecialem licentiam Sedis Apoſtolicæ, vel non eſſe uſu receptum, vel loqui de illis, qui abſque legitima cauſa tranſeunt, ut tradit Sanchez *lib. VI. in Decretal. cap. VII. num.* 68. Leſſius *lib. II. de Juſtit. cap. XLI. dub. CXXXI. num.* 104.

Cæterum de ſtylo Curiæ nemo tranſire poteſt de una in aliam Religionem, etiam ſtrictiorem, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, *Matthæucci Official. Curiæ cap. XLI. num.* 25. *Monacel. tom. I. tit. XVI. form. HI. num.* 18. Sed de hoc tranſitu iterum redibit ſermo parte II. cum de *cap. XIX. Trid. ſeſſ. XXV. de Regul.* ubi etiam affertur, quid noviſſime ſtatuerit Benedict. XIII. Conſtit. *Licet Sacra*,

Circa vero facultatem in hac ipſa Decretali denegatam Majori Pœnitentiario, indulgendi ſcilicet hujuſmodi tranſitum, certum eſt, hodie huic prohibitioni derogatum fuiſſe a poſterioribus Pontificibus, & noviſſime a Benedicto XIV Conſtit. *Paſtor bonus*, 13. *Aprilis* 1744. in qua dictam facultatem ei impertitur, limitate tamen, ut §. XXXIV. & XXXV. ibi.

Quoad tanſitum vero de una ad aliam Religionem, non ſolum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta *cap. Licet, de Regul.* verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob juſtas tamen, & graves reſpective cauſas, ab eodem Majori Pœnitentiario probandas: audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum conſenſu Superioris Ordinis, ad quem faciendus eſt tranſitus. Pro majori autem tranſitus firmitate, in his omnibus caſibus poſſit idem Major Pœnitentiarius ſtatutis, & privilegiis Apoſtolicis, quomodolibet obſtantibus, opportune derogare.

Verum abſtineat ab hujuſmodi tranſitu concedendo ad alias Religiones, ſeu Ordines, præterquam ad illas, ſeu illos, in quibus clauſtralis, & regularis obſervantia vigere dignoſcatur; quod ſi de tali clauſtrali, & regulari obſervantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii atteſtatio. Abſtineat pariter a tranſitu prædicto concedendo ad Ordines hoſpitalares, & militares, quamvis in illis clauſtralis, & regularis obſervantia vigeret, niſi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eundem tranſitum concedat ad Ordinem S. Benedicti, antiquioris obſervantiæ, aut ad alias conſimiles Congregationes, cujuſcumque Ordinis fuerint.

SECTIO DXLIII.

Caput II. Ad nostram, *ex Decretali Joannis XXII.*

In hac Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, cum quidam Religioſi in partibus tranſmarinis perverſas doctrinas ſeminarent, ſtatuit Pontifex I. ne Religioſi cujuſvis Ordinis abſque licentia ſui Superioris, & literis patentibus ad illas partes ſe transferrent ſub pœna excommunicationis, Papæ reſervatæ, quam licentiam Superiores concedere non poſſent, niſi viris literatis, providis, & expertis. II. Prohibuit deinde, ne Prælati in illis partibus tales ad prædicandum, vel celebrandum admitterent ſine ejuſmodi patentibus, plenam facientibus fidem, ſed tanquam Apoſtatas tractarent, donec conſtaret de licentia. III. Denique præcepit, ut Prælati Religioſos quoſcumque publice, vel privatim docentes, vel ſeminantes contraria Fidei Eccleſiæ Romanæ, poſt ſummariam cauſæ cognitionem, ſecundum Canones caſtigarent, non obſtantibus exemptionibus, & privilegiis quibuſcumque.

Quoad primam, & ſecundam partem, hæc Decretalis ampliata eſt a Trid. *cap. II. ſeſſ. V. de reform.* extendente hanc prohibitionem, etiam ad omnes Regulares, ubicunque locorum, etiam in propriis Eccleſiis prædicare volentes.

Quoad tertiam vero confirmata eſt ab eodem Trid. *cit. cap. II.* tribuente Epiſcopo, tanquam delegato Sedis Apoſtolicæ, facultatem, nedum ipſis interdicendi prædicationem, ſed etiam contra eos procedendi ſecundum juris diſpoſitionem.

Ti-

SECTIO DXLIV.

Caput II. Verum, *ex Decretali Alexandri III. Salernitano Archiepiſcopo reſcripta.*

VErum poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium (ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſt ad ſecunda vota tranſire. Quia cum non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſeculo remanere.

Hæc eadem facultas profitendi Religionem ante matrimonium conſumatum conceſſa legitur ab eodem Alexandro in *cap. VII. Ex publico*, *hoc eod. tit.*

Quod ante Matrimonium conſumatum poſſit alter conjugum, etiam altero invito, Religionem ingredi, illiuſque vinculum, poſt ſolemnem tamen profeſſionem, diſſolvatur, definitum etiam fuit a Tridentino; quæ quidem definitio univerſa, & perpetua Eccleſiæ traditione nititur, & contrarium aſſerens, declaratur ab eodem Trid. ipſo facto excommunicatus, ut *can. VI. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.*

SECTIO DXLV.

Caput VI. Sane, *ex Decretali laudati Alexandri III. Strigonienſi, & Colocenſi Archiepiſcopis ſcripta.*

SAne, ſi conjugati conſenſerint ordinari, uxoris voluntas prius requirenda eſt (& infra.) Fraternitati veſtræ auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare; niſi uxor prius profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem aſſumat.

Hæc Decretalis, in qua adſtruitur Archiepiſcopo facultas ordinandi Epiſcopum, cum hodie hujuſmodi ordinatio, ſeu conſecratio privative ſpectet ad Romanum Pontificem, ut alibi notavi, quoad hoc locum amplius non habet.

SECTIO DXLVI.

Caput VIII. Uxoratus, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Priori, & Fratribus hoſpitalariis, monaſterii Ordinis Cruciatorum, ſeu Cruciferorum.*

UXoratus ſine licentia uxoris inter vos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis exiſtat, ita quod nulla ſuſpicio habeatur, eam ad ſecunda vota velle migrare, vel quod minus continenter debeat vivere; quæ ſi talis extiterit, marito ejus in conſortio veſtro recepto, ipſa publice in conſpectu Eccleſiæ continentiam profeſſa, in domo propria cum filiis ſuis, & familia poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ ſuſpicione non careat, voto continentiæ celebrato, a ſecularium hominum ſe converſatione removeat, & in loco religioſo, ubi Deo ſerviat, perpetuo commoretur. Nullus veſtrum mulierem aliquam tonſurare, vel ad habitandum ſecum præſumat aſſumere.

Quam-

Quamvis in hac Decretali præcipiatur, ut publiee in conſpectu Eccleſiæ ab uxore jam ſene, remanente in ſeculo, continentiæ votum nuncupari debeat, de cujus conſenſu maritus regularem profeſſionem emiſit, non inde ſequitur, illud eſſe ſolemne, cum juxta declarationem Bonifacii VIII. illud dumtaxat continentiæ votum ſolemne cenſeatur, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis, ut in *cap. unic. Quod votum de voto, & voti redempt. in VI.* Sed ex hac Decretali, prout optime animadvertit Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſan. lib.* XIII. *cap.* XII. *num.* 11. *edit. an.* 1755. tantummodo infertur, perpetuæ continentiæ votum, a manente in ſeculo concipiendum, & rite perficiendum eſſe coram teſtibus, & Superiore eccleſiaſtico, ne unquam de illius nuncupatione dubitari poſſit.

Huc ſpectat ſolide animadverſam ex variis facti ſpeciebus, mature diſcuſſis in Congr. Concilii ab eodem Benedicto *loc. cit. num.* 16. ibi „ Sacri Canones „ adigunt quidem virum ætate florentem ad profeſſionem in monaſterio nuncupandam, vel, quatenus in „ provecta jam ætate conſtitutus ſit, ad emittendum „ in ſeculo ſimplex caſtitatis votum, dum uxor religioſum inſtitutum amplectitur; & non tunc, cum „ jura matrimonii ſunt læſa: ſi enim hujuſmodi jura „ ab uxore per adulterium læſa fuerint, quod tunc juniori viro in ſeculo manenti imponitur onus emittendi „ votum ſimplex caſtitatis (juxta ſtatut. a Cong. particulari, habita cor. Inn. X. ut c. l. refertur n. 15.) præſcriptum dici debet ad quandam veluti tutiorem cautionem; cui quidem ſtricte jure locus non eſt, quoties anteacta viri vita nullam futuræ incontinentiæ „ ſuſpicionem ingerit". Nota tamen, quod hoc votum in hypotheſi emittendum eſſet a viro innocente dumtaxat, donec uxor, Religionem profeſſa, viveret, ut reſcripſit ead. Congr. in *Jannen.* 2. *Maii* 1722. *in Theſaur. Reſol. ejuſd. Congr. tom. II. pag.* 164.

Titulus XXXIII. De Converſione Infidelium.

S E C T I O D X L V I I.

Caput II. Ex literis, *ex Decretali Gregorii IX. Argentoratenſi Epiſcopo reſcripta.*

EX literis tuis accepimus, quod quidam de judaicæ cæcitatis errore ad Chriſtum, verum lumen adductus, uxore ſua in judaiſmo relicta, in judicio poſtulavit inſtanter, ut eorum filius quadriennis aſſignaretur eidem, ad fidem catholicam, quam ipſe ſuſceperat, perducendus. Ad quod illa reſpondit, quod cum puer adhuc infans exiſtat, propter quod magis materno indiget ſolatio, quam paterno, ſibique ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus fuiſſe noſcatur, ac ex hoc legitima conjuctio maris, & fœminæ magis matrimonium, quam patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientius remanere (& infra.) Cum autem filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus ſequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quod ſaluti, vel vitæ inſidientur illius; & pueri poſt triennium apud patrem non ſuſpectum ali debeant, & morari, materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud eam, poſſet illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime Fidei chriſtianæ, reſpondemus, patri eundem puerum aſſignandum.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, filium apud patrem, ad fidem converſum, poſt triennium educari debere, non vero apud matrem, in judaiſmo remanentem, cum in illo, non vero in hac patria poteſtas ſita ſit; idque eo vel magis, quod ita Religionis favor exigat, extenſa eſt a Benedicto XIV. etiam ad matrem, ad Fidem converſam, cui non patri in infidelitate remanenti aſſignandum eſſe declaravit *in Epiſtola decretali ad Petrum Hieronymum Guglielmi Congr. S. Officii Aſſeſſorem, incipien. Probe te,* 15. *Novembris* 1751. ita, ut illi jus competat offerendi prolem ad baptiſmum, ut etiam ſtatutum fuit in Conc. Toletano IV. *cap.* LXIII. *in can.* X. *Judæi, cauſ.* XXVIII. *qu.* I. idque = *eadem utique ratione favoris Religionis, cui nec juris communis regulæ ullæ repugnant* = quemadmodum doctiſſime oſtendit Ambroſius le Gauſſre *in Synopſi Decretalium, hoc eod. tit.* ibi „ Nam regulariter quidem apud „ patrem, facto divortio, morari, & educari liberi, „ olim ſolebant propter jus patriæ poteſtatis, & ad „ eos alendos ſextæ dotis in ſingulos, ſed tres tantum „ apud patrem remanebant, ſi culpa mulieris, patrisve „ eam habentis in poteſtate divortium factum eſſet, ex „ *Ulpiano in Regulis tit. VI. de Dotibus, & L. unica* „ *§. Sileat Cod. de rei uxoriæ actione,* nec matri re„ linquebantur, niſi trimis minores, & ſububeres, ſeu „ qui adhuc ſub mamma eſſent, ex *L. penultima, juncta* „ *Gloſſa, & Cujacio Cod. de patria poteſtate,* donec „ ſenſim inolevit, ut pro ſexu diviſio fieret, & patri „ mares, matri fœminæ cederent, ex *L. unica Cod.* „ *Divortio facto, apud quem liberi morari, vel edu-* „ *cari debeant.* Sed ex juſtis ſæpe cauſis, velut ob „ ſuſpectos patris mores utriuſque ſexus liberi, quan„ tumvis exuberes ſoli matri committebantur ſine di„ minutione patriæ poteſtatis *L. I. §. Si vero L. III.*

„ §. *Etiamſi*, *D. de liberis exhibendis*. Et id omne
„ tandem ſuit poſitum in arbitrio judicantium, *dicta*
„ *L. unica*, *divortio facto*, *apud quos*: ac denique
„ noviſſima Juſtiniani diſtinctione, *Novella* CXVII.
„ *cap.* VII. deciſum eſt, ſi pater divortio cauſam dede-
„ rit, apud matrem, quandiu ſecundis nuptiis abſti-
„ nuerit, patris impenſis communes liberos ali: ſi ve-
„ ro mater in culpa fuerit, apud patrem, niſi ſit mi-
„ nus idoneus, quo caſu locupletior mater egenos filios
„ ſecum habebit, & alet. Unde ſequitur, ſive jus
„ vetus Civium Romanorum ſpectemus, cauſam ſubeſ-
„ ſe, cur communium liberorum cuſtodia infideli pa-
„ renti non committatur; quia ſuſpicandum, ne incau-
„ tos in ſuum errorem trahat; ſeu jus noviſſimum,
„ multo magis, quia ejus culpa conſtat, matrimonium
„ tempore infidelitatis contractum dirimi, qui alterum
„ conjugem ad fidem converſum non ſequitur, cum
„ ſequendo eam poſſit diſſolutionem impedire, ut eſt
„ in *cap. penultimo in fine infra de Divortiis*".

Ad hunc eundem titulum ſpectare viſum eſt Congregationi, a Clemente VIII ſpecialiter deputatæ pro collectione Septimi Decretalium diſpoſita a Paulo III. Conſtit. *Cupientes*, 21. *Martii* 1542. favore filiorum ad Fidem converſorum, non obſtante, quod in patria poteſtate conſtituti fuerint, in qua collectione tit. XVIII. cap. I. hæc ejuſdem Conſtit. verba allegantur.

Cuicumque Judæorum, & infidelium quorumlibet ad fidem converti volenti, etiamſi in patria poteſtate conſtitutus fuerit, bona ſua quæcumque, tam mobilia, quam immobilia, intacta, & illæſa permaneant; itaut etiam filiifamilias, & in patria poteſtate conſtituti, legitima, & quæcumque alia portione bonorum patrimonialium, & maternorum de jure, ſeu ſucceſſione bonorum, eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari, aut privari non poſſint, neque debeant, ſed eiſdem integre, etiamſi contra voluntatem parentum ſuorum ad fidem ipſam converſi fuerint, & eorum parentibus viventibus, debeantur.

Et ſi bona ipſa ex uſura, aut illicito quæſtu fuerint acquiſita, & notæ ſint perſonæ, quibus eorum fuerit de jure facienda reſtitutio (quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum) illa eiſdem perſonis omnino reſtituantur. Perſonis vero non exſtantibus prædictis, quia bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus convertenda, bona hujuſmodi eiſdem judæis, & aliis infidelibus in favorem ſuſcepti baptiſmatis, tanquam in pium uſum libere concedimus, eaque apud ipſos ſic converſos judæos, & alios infideles remanere decernimus. Interdicentes ſub divini anathematis pœna quibuſvis, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis, ne ullam ſuper bonis hujuſmodi, quovis quæſito colore, moleſtiam inferant, aut inferri patiantur, ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint.

Hæc Conſtitutio confirmata eſt a Clemente XI. Conſtit. *Propaganda V. Idib. Martii* 1704.

Titulus XXXIV. De Voto, & voti redemptione.

SECTIO DXLVIII.

CAPUT IV. SCRIPTURAE, *ex Decretali Alexandri III. univerſis Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, per Angliam conſtitutis reſcripta.*

SCripturæ (& infra.) Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.

Quamvis ex hac Decretali, inferri poſſe videatur, temporalia tantum vota ante profeſſionem regularem emiſſa extingui per ipſam profeſſionem, propter illa verba: *qui temporale obſequium in perpetuam noſcuntur Religionis obſervantiam commutare*: hoc tamen privilegium extenditur unanimi conſenſu DD. ex paritate rationis ad quæcunque vota etiam perpetua, inter quos S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art. XII. ad primum*, & *in 4. diſtin.* 38. *q. I. art. IV. quæſtiunc.* 4. *ad* 2. Neque opus eſt pro hujuſmodi extinctione profitentis intentione, ut nonnulli perperam opinati ſunt, cum per ipſum profeſſionis actum obtineatur. Et ratio eſt, quia omnia alia opera, Deo promiſſa, ſunt particularia, eminenter contenta in profeſſione religioſa, per quam profitens ſe, & omnia ſua divino dedicat obſequio, moriens priori vitæ, & nihil, ne propriam quidem vitam, ſibi reſervat, S. Thomas *loc. cit.*

Limitat tamen Cabaſſutius *Jur. can. Theoria lib. I. cap. XX. n.* 4. cum Leſſio, extingui quidem omnia alia vota, licet nihil de illis cogitet = niſi de his ita cogitet, ut explicite horum obligationem perdurare intendat =.

Alia limitatio deſumitur ex S. Anſelmo, qui *lib. III. epiſt. XXXIII. ad Richardum Monachum*, idem tenendum eſſe declarat, dummodo non fuerint jurata ibi,
„ Audivi, Frater mi, qui antequam Monachus fie-
„ res, in ægritudine voviſti, te iturum ad S. Egidium,
„ & idcirco modo timidus, & nimis ſolicitus es de vo-
„ to illo ſolvendo, ita ut quieſcere non poſſit cor tuum,
„ niſi ad S. Egidium iveris, de qua re non debes &c.
„ & paulo

„ — & paulo poſt — certus enim eſſe debes, quia cum
„ te ipſum Deo totum voviſti, & reddidiſti per mo-
„ naſticam profeſſionem, ſolviſti omnia vota minora
„ quarumlibet actionum, quæ prius ſine Jurejurando,
„ & fidei alligatione promiſiſti. Idemque eodem *lib.*
„ *Epiſt. CLIV.* de voto monachi, de quo noſtrum vul-
„ tis audire conſilium, qui antequam ad noſtrum Or-
„ dinem veniret, vovit, ſe nunquam amplius vinum
„ bibiturum, hoc mihi videtur eſſe faciendum, quod
„ fit a majoribus noſtri Ordinis, & maxime apud Clu-
„ niacum, videlicet ut hujuſmodi vota, quæ fiunt ſi-
„ ne promiſſione fidei, & juramento, in voto mona-
„ ſtici Ordinis, in quo homo quidquid ad ſe pertinet,
„ & ſe ipſum totum Deo offert, judicentur eſſe com-
„ pleta; & ſit in diſpoſitione Prælati ea ſervare ratio-
„ nabiliter, vel mutare “.

Et merito quidem, cum reverentia Deo debita ob Juramentum præſtitum illum reſpiciens, ut veritatis Auctorem, compenſari nequeat per ſolemne votum Religionis, Deum reſpiciens ſub diverſa ratione, prout ſcilicet ſupremus eſt Dominus, cui per dictum votum, utpote excellentius, & eminenter continens omnia alia vota, uberius obſequium, & latriæ cultus redditur. Nec quidquam incontrarium facere videtur quod tranſcripta Decretalia indiſtincte loquatur, & abſolute comprehendat quæcumque vota, tam nuda, quam juramento firmata; & ſic locum habeat tritum illud aſſioma, quod nempe: *Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Ideo enim in ea Pontifex præſcindit, an vota ante profeſſionem emiſſa ſint jurata, vel non, quia directe reſpondet. conformiter ad poſtulatum, ſibi factum ab Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, quod fuit dumtaxat circa eadem vota nuda, ut patet ex integra Decretali, relata a Gonzalea. Quare in tali hypotheſi ſemper opus eſſet relaxatione, ſeu diſpenſatione juramenti.

Quod autem hujuſmodi relaxatione opus ſit, non incongrue afferri poſſe credo animadverſa a Benedicto XIV. in Epiſtola Encyclica ad Pœnitentiarios. & Confeſſarios pro anno Univerſalis Jubilæi in Urbe deputatos *Inter præteritos*, *ſub die 3. Decembr. 1749.* §.III. *num.*43. per hæc verba,

Super eo, controverſia autem, quæ alias excitata eſt, ea fuit, num videlicet Pœnitentiarius, qui facultatem abſolvendi a votis ſimplicibus habet, etiam de quinque Sedi Apoſtolicæ reſervatis loquendo, poſſit hac auctoritate uti, quando vota juramento confirmata ſunt. Quod quidem alii, eum poſſe crediderunt, docente S. Thoma 2.2. quæſt.89. art.VIII. arctius eſſe vinculum voti, quam juramenti, ac proinde, cum Pœnitentiarius auctoritatem habeat abſolvendi a voto, dici debere, eundem habere etiam auctoritatem abſolvendi a voto per juramento confirmato. Alii autem contra ſenſerunt, quia, cum in voto per juramentum confirmato, duo diverſa vincula inſint, alterum, quod oritur ex voto, alterum, quod ex juramento, qui habet auctoritatem ſolvendi unum, non habet item auctoritatem alterum diſſolvendi, niſi individualiter eidem concedatur: cujus rei argumentum deſumitur ex eo, quod, qui per vim coactus votum fecit, non tenetur illud adimplere; verumtamen ad idem adimplendum obligatur, ſi ipſum juramento confirmaverit, ſimulque ratione, ſi quis promiſit ſolvere uſuras, non tenetur eas ſolvere, cum tamen ad earum ſolutionem adſtringatur, ſi promiſſionem juramento confirmaverit, juxta Decretalem, *Debitores de jure jurando*.

Item ex communi ſententia limitanda eſt hæc regula, ſi vota realiter emiſſa ſint ad favorem tertii, ab eodem acceptata, cum tranſeant in contractum, naturalem obligationem inducentem, quæ tolli nequit, niſi ex remiſſione ejuſdem acceptantis.

Et hic obiter notandum eſt, quod Alumni Congregationis de Propaganda Fide, quia præſtant juramentum, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingrediendi, nec in earum aliqua profitendi ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, vel d. Congregationis, ſi ſecus fecerint, non relaxantur ab obligatione prædicti juramenti. Imo eorum profeſsio eſt ipſo jure nulla, ut ex Conſtit. Alex.VII, *Cum circa*, 20. *Julii* 1660.

SECTIO DXLIX.

Caput VIII. Quod super, *ex Decretali Innocentii III. Cantuarienſi Archiepiſcopo reſcripta.*

Quod ſuper his (& infra,) Quæſiviſti de his, qui pro ſuccurſu Terræ Sanctæ ſigno Crucis aſſumpto, propter infirmitatem, vel paupertatem, vel aliam juſtam cauſam, votum non poſſunt utiliter adimplere, cum ſine diſtinctione receperis in mandatis, ut eos, qui ſignum Crucis aſſumptum abjecerunt, ad reſumptionem ipſius, & executionem voti compellas. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod debiles, & inopes magis illuc in defectum, quam ad profectum accedunt; cum iſti pugnare non poſſint, & illi mendicare cogantur: niſi forte ſint nobiles, & magnates, qui ſuis ſecum expenſis bellatores adducant: vel artifices, & agricolæ, qui de laboribus ſuis ſibi poſſint acquirere neceſſaria, & Terræ ſubſidia

mini-

miniſtrare : quamvis non multi talium, propter brevitatem poſſeſſionum, & paucitatem inhabitantium ibi ſint opportuni. Unde credimus, diſtinguendum inter illos, qui temporalem, & eos, qui perpetuam impedimenti cauſam creduntur habere; quod primis indulgenda eſt dilatio, ſecundis autem eſt redemptio injungenda, ac rerum facultate penſata, quas poſſunt, aut quas facturi eſſent expenſas, perſonarum praeterea compenſato labore in ſubſidium Terræ Sanctæ tranſmittant, exequentes per alios, quod per ſe nequeunt adimplere. Rurſus inter illos, qui pro defenſione Terræ Sanctæ votum peregrinationis emittunt, & eos, quibus pro ſatisfactione ſuorum criminum iter peregrinationis injungitur, credimus, diſtinguendum; quod circa primos plus Terræ Sanctæ ſuccurſus, & circa ſecundos, plus labor itineris ſecundum intentionem voventis, vel pœnitentis debet attendi. Unde, ſi quis hoc modo voventium eſt inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ſit ad eundum, melius eſt redimere votum, quam expenſas conſumere; quod & de pœnitente, qui propter debilitatem non poteſt iter injunctæ peregrinationis implere, ſane valet intelligi, non autem de illo, qui quamvis ſit impotens ad bellandum, potens tamen eſt ad eundum (& infra.) De mulieribus autem hoc credimus obſervandum, ut quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur: cœteræ vero (niſi forte ſint divites, quæ ſecum in ſuis expenſis poſſint ducere bellatores) votum redimant, quod voverunt.

S E C T I O D L.

Caput IX. Ex multa, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, laudato Archiepiſcopo reſcripta, in qua nonnulla in antecedenti Decretali contenta declarantur.*

EX multa tuæ ſolicitudinis providentia (& infra.) Ex conſultatione, quam ad inquiſitionem tuam ſuper negocia Cruce ſignatorum olim edidimus, viam inveniſti ad alias quæſtiones, & utrum quod in ea dicitur, jus conſtituat generale, ut paſſim Prælatis quibuſlibet illos ſecundum formam expreſſam abſolvere liceat, qui eorum ſunt juriſdictioni commiſſi, ſolicite requiſiſti. Ad hoc igitur reſpondemus, quod in conſultatione noſtra jus editur, & licet ad quales, ad quos tamen ſpecialiter ſpectet ejus executio, nullatenus explicatur: illis autem ſolummodo jus hoc exequendum incumbit, qui ſuper hoc mandatum receperint a Sed. Apoſt. ſpeciale. Sic ergo illi eſt inquiſitioni reſponſum, qua conſequenter tua fraternitas requiſivit, de quibus Religioſis intelligendum hoc eſſet, utrum ſcilicet ibi Religioſi vocentur hi tantum, qui Religionis habitum ſuſceperunt, quorum plures idiotæ ſunt, & juris ignari, an Epiſcopi, qui ſicut dignitate præcellunt, ſic & Religione debent aliis præeminere; nam ad neutros illius executio juris ſpectat, niſi per Apoſt. Sed. eis ſpecialiter delegetur.

Secundo quæſiviſti, utrum, quod dicitur: *ſi quis voventium eſt inutilis ad pugnandum, quamvis ſit habilis ad eundum, melius eſt, ut redimat votum, quam conſumat expenſas*, generaliter accipi debeat, ut nobiles, & magnates, qui ſunt conſilio ſtrenui, & multos ſecum poſſunt trahere bellatores, an minores tantummodo verbum hujuſmodi comprehendat? verum ſi ad ſuperiora oculum tuæ conſiderationis extendas, quæſtionem iſtam invenies in ſerie conſultationis noſtræ ſolutam, ubi dicitur, quod debiles, & inopes magis in defectum Terræ Sanctæ, quam ad ejus profectum accedunt &c. Quamvis poſſit aliter reſponderi, quod non ſunt inutiles ad pugnandum, qui etſi per ſe pugnare non poſſunt maturitate tamen conſilii adeſſe valent pugnantibus, & perſonæ defectum per alios relevare (& infra.)

Quod autem ſuperius ponitur, *mulieres, quæ remanere noluerint &c.* de illis intelligendum eſſe videtur, quæ ſe ad peregrinationis propoſitum nullius voti vinculo adſtrinxerunt, (& infra.)

In tanta quoque neceſſitate populi chriſtiani, ne Terræ Sanctæ impediatur ſubſidium, viri præter uxorum aſſenſum, hujus peregrinationis propoſitum vovere libere valent, & quod voverint, libere adimplere. Ut autem conſentiant, ſunt attentius commonendæ.

De Clericis vero duximus reſpondendum, quod cum Clericatus officium eos reddat inhabiles ad pugnandum, niſi vel conſilio ſtrenui, vel officio prædicationis inſtructi, aut Magnatum ſint obſequio deputati, aut uſque adeo divites fuerint, & potentes, ut in expenſis ſuis aliquos ſecum ducere valeant bellatores, magis ab eis expedit redemptionem accipere, quam

ad

ad votum illos cogere proſequendum, ſi neceſſitas exigit, vel utilitas perſuadet. Hæc autem de voventibus dicimus, non de his, quibus labor peregrinationis in pœnitentia eſt injunctus.

In his duabus Decretalibus ſermo eſt de voto peregrinationis transmarinæ, ſeu hieroſolymitanæ pro recuperanda Terra Sancta de manibus Infidelium, aut pro juvandis Chriſtianis pauperibus, qui illic degebant; quod quidem votum frequens erat, donec ſacra Cruce ſignatorum expeditio viguit, quæ Cruciata vocata erat, jam cæpta ab Urbano II., qui commotus oratione Petri Eremitæ Galli, ex Paleſtina profecti, in Concilio Claramontano, habito an. 1095. Chriſtianos ad eam mirifice hortatus eſt. In hoc Concilio, ut refert Cabaſſutius *in notitia Conciliorum num.* 3. = Pœniten-
„ tiæ omnes ſacra ejus belli expeditione commutatæ
„ ſunt; Epiſcopis, & Proceribus injunctum onus po-
„ pulos ſubjectos ad id bellum graviter exhortandi,
„ ærumnas omnes longæ profectionis, & militiæ futu-
„ ras in cumulatam noxarum omnium expiationem,
„ & mortem, ſi contingat, ceſſuram in Martyrii
„ gloriam. Induciæ bellorum inter Chriſtianos ad plu-
„ res annos compoſitæ. Receptis a terrarum Princi-
„ bus militantium perſonis, & bonis, donec a ſacra
„ expeditione reverſi eſſent, ne quis litem intentare,
„ aut facultates abſentium invadere, aut vindicare
„ præſumeret, ſub excommunicationis, eo ipſo in-
„ currendæ, pœna, quæ non ante relaxari poſſit,
„ quam ablata reſtituantur, & de illatis damnis con-
„ grue ſatisfiat =.

Plura de his Cruce ſignatis, eorumque privilegiis vide Card. Petram *tom. I. in Commentar. ad Conſtit. III. Eugenii III. & tom. II. ad Conſtit. unic. Gregorii VIII. & ad Conſtit. XII. Innocentii* III.

Verum cum hodie hujuſmodi expeditiones in Terram ſanctam ſublatæ ſint, tranſcriptæ Decretales quoad hoc votum ad praxim nihil faciunt, nec amplius in iis diſpoſita locum habeot, potiſſimum quoad divortium, etiam ſine conſenſu uxorum, indultum viris in ſecunda Decretali §. *In tanta*, ut ſolvere poſſint hoc peregrinationis votum.

In iiſdem Decretalibus ſermo etiam eſt de voto peregrinationis tranſmarinæ, ſeu hieroſolymitanæ ſolius pietatis cauſa, aut pro ſatisfactione peccatorum emiſſo; quod æque ac illud emiſſum in ſubſidium Terræ Sanctæ jure antiquo reſervatum erat, prout etiam nunc eſt, Romano Pontifici, cui ſucceſſu temporis reſervata inſuper fuerunt vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis; quibus poſtea ſive ex conſuetudine, ſive ex ſubſequenti canonica diſpoſitione Sixti IV. relata in *cap. V. Etſi Dominici de pœnit., & remiſ. inter Extravagan. commun.* acceſſere vota duplicis peregrinationis, Compoſtellanum ſcilicet ad S. Jacobum, & Romanum ad limina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Præter hæc quinque enunciata vota, nulla alia ſunt Papæ reſervata, ut declaravit Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica, §. III. *num.* 42. per hæc verba:

Alii ſunt, qui inter vota, Summo Pontifici reſervata, votum adjungunt viſitationis Sanctæ Domus Lauretanæ; verum hujuſce rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac claſſe omnia perpetua vota reponunt, id quod errori locum præbere poteſt, niſi aliquid addatur; propoſitio enim intelligi debet de ſolo voto perpetuo, quo quis Epiſcopatum acceptans, obligationem ſuſcipit animarum ſibi commiſſarum curam retinendi, juxta reſponſum Innocentii III. *in cap. Niſi cum pridem, de renunciatione*, ac probatiorum Theologorum doctrinam, quemadmodum apud Sylvium in 2. 2. Divi Thom. *quæſt. 8. art. XII. concluſ. II.* videre eſt.

SECTIO DLI.

CAPUT X. PER TUAS, *ex Decretali laudati Innocentii, Electo ad Epiſcopatum Eccleſiæ Gebennenſis in Gallia, in finibus Allobrogum, reſcripta, quam integram ex Gonzalez tranſcribo.*

PEr tuas nobis literas intimaſti, quod cum in Gratianopolitana Eccleſia ſuſcipiendi habitum regularem votum ſolemniter emiſiſſes, & poſtmodum promiſiſſes in manibus Epiſcopi ejuſdem Eccleſiæ, te infra duos menſes, poſtquam ab Apoſtolica Sede rediiſſes, ad quam eo tempore accedebas, votum, quod emiſeras, impleturum, ac termino ipſo tranſacto, non curaſſes, quod voveras, adimplere: tandem exiſtens in voti transgreſſione hujuſmodi, vocatus fuiſſe ad Eccleſiæ regimen Gebennenſis; ſuper quo a nobis tuæ ſaluti poſtulas provideri. Nos igitur diſcretioni tuæ breviter reſpondendo, conſulimus, quatenus, ſi tuam omnino ſanare deſideras conſcientiam, regimen reſignes Eccleſiæ memoratæ, ac reddas Altiſſimo vota tua. In hoc tibi gratiam facientes, quod ſi Capitulum ejuſdem Gebennenſis Eccleſiæ, te poſtmodum canonice duxerit eligendum, concedimus, ut electionem recipias, taliter de te factam. Datum Signiæ, vi. Idus Auguſti Pont. noſtri anno XVI.

In

In han Decretali adſtruitur Capitulo Cathedralis facultas eligendi ſibi Epiſcopum, quæ hodie, exceptis quibuſdam Capitulis Germaniæ, reſervata eſt Summo Pontifici, ut pluries notavi.

Nota obiter, quod quamvis hic Pontifex non præceperit huic Electo, ut antequam Epiſcopatum acceptaret, adimpleret votum ingrediendi Religionem, non inde ſequitur, fuiſſe in Ipſius libertate illud adimplere, vel non, perindeac reſponſum Pontificis limites meri, & ſimplicis conſilii non exceſſerit: Pontifex enim ideo uſus eſt verbo *Conſulimus*, ut reſponderet poſtulato, ab hoc Electo ſibi facto. Cæterum, ſi non exceſſiſſet limites meri conſilii, non opus illi fuiſſet prædictum votum implere ad ſalvandam propriam conſcientiam ante accceptationem Epiſcopatus, nec declaratus fuiſſet voti transgreſſor. Præterquamquod verba conſultiva, quemadmodum & hortatoria, cum res, quæ conſulitur, ſit de præcepto, non excludunt obligationem *can. XX. Rogo, cauſ. XI. quæſt. 3. cap. VII. Ad aures de ætate, & qualit. præficiendor. & ibi optima Gloſſa verbo Conſilio*.

Quin ad excludendam voti tranſgreſſionem quidquam ſuffragetur argumentum, deſumptum ex natura ſtatus Epiſcopatus, quem cum quis amplectitur, utpote perfectiorem ſtatu Religionis, cenſetur illud in melius commutare, & ſic ad illius implementum non teneri: ſiquidem acceptatio Epiſcopatus non eſt votum, neque ex voto ipſius Electi fieri debet, juxta textum *can. IX. In ſcripturis, cauſ. VIII. quæſt. I. L. Si quemquam XXXIX. C. de Epiſc., & Cleric.*, ac proinde ex parte acceptantis non adeſt votum de meliori, ac perfectiori ſtatu.

S E C T I O D L I I.

Caput XI. Postulastis, *ex Decretali Honorii III. Salisburgenſi, & Bregadenſi Præpoſitis in Anglia, reſcripta.*

POſtulaſtis a Nobis, an vobis profeſſis Ordinem regularem, quorum alter Cruce ſignatus eſt, & reliquus charactere Crucis deſiderat inſigniri, liceat vigeſimam proventuum Eccleſiarum veſtrarum deputatam ſuccurſui Terræ Sanctæ deferre vobiſcum (& infra.) Diſcretioni veſtræ taliter reſpondemus, quod ſi Eccleſiæ veſtræ per abſentiam veſtram enormiter non lædantur, & vos utiles fueritis Terræ Sanctæ, verbo pariter, & exemplo (quod conſcientiæ veſtræ duximus relinquendum) dimiſſis Procuratoribus idoneis in Eccleſiis veſtris, poteſtis, & tenemini votum peregrinationis implere, & ſic poteſt in uſus veſtros tranſire vigeſima Eccleſiarum veſtrarum, Terræ Sanctæ ſubsidio deputata.

Species hujus Decretalis eſt, cum alter ex duobus Præpoſitis regularibus Cruce ſignatus eſſet, alter vero deſideraret, illa inſigniri, emiſſo voto eundi ad bellum ſacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ, conſuluiſſent Honorium, an eis liceret vigeſimam partem proventuum ſuarum Eccleſiarum ſuccurſui ejuſdem Terræ deputatam, eo ſecum ferre, reſcripſit Pontifex, ſi Eccleſiæ ob Ipſorum abſentiam enormem læſionem paſſuræ non fuiſſent, & ipſi Terræ Sanctæ verbo, & exemplo ſe profuturos credidiſſent, potuiſſe, & debuiſſe prædictum votum implere, conſtitutis interim adminiſtratoribus, ſeu Vicariis idoneis in iiſdem Eccleſiis.

Intellectus hujus Decretalis quoad vigeſimam partem proventuum eccleſiaſticorum, deputatam ſuccurſui Terræ Sanctæ, repetendus eſt ex facto Innocentii III., qui in Concilio generali Lateranenſi, a ſe celebrato an. 1215. hujuſmodi taxam ab omnibus, eccleſiaſticos proventus poſſidentibus perſolvendam per triennium injunxit (quæ tempore Honorii immediati Succeſſoris adhuc durabat) ut ex ejus Decretali *Ad liberandam*, non quidem inſerta in Gregorii IX. Decretalium collectione, ſed relata a Gonzalez in notis ad ſupra tranſcriptam Honorii Decretalem, his verbis.

Cupientes autem alios Eccleſiarum Prælatos, nec non Clericos univerſos, & in merito, & in præmio habere participes, & conſortes, & communi Concilii approbatione ſtatuimus, ut omnes omnino Clerici, tam ſubditi, quam Prælati, vigesimam partem eccleſiaſticorum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubsidium Terræ Sinctæ, per manus eorum, qui ad hoc fuerint Apoſtolica providentia ordinati, quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis, ab hac prætaxatione merito eximendis; illis ſimiliter, qui aſſumpto, vel aſſumendo Crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos autem, & Fratres noſtri S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales plenarie decimam perſolvimus, ſciantque, ſe omne ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos, ita quod illi, qui ſuper hoc fraudem ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.

Verum cum hodie expeditiones in Terram Sanctam ſublatæ ſint, ut notavi, ita hæc Decretalis amplius locum non habet.

Eodem

Digitized by Google

SECTIO DLIII.

Caput Unicum, Quod votum, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

QUod votum debeat dici ſolemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos conſulere voluiſti. Nos igitur attendentes, quod *voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*; matrimonii vero vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium Conditore ipſum in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem, & indiſſolubilitatem acceperit; præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua vero vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurium ſcandalum, & exemplum durior pœnitentia transgreſſoribus debeatur, non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta.

In hac Decretali, admittit Pontifex profeſſionem tacitam, quam hodie, attento Tridentini decreto, non eſt admittenda, niſi in ſenſu ſupra explicato Sectione DXXII.

Pro intellectu tamen ejuſdem Decretalis notare juvat, quod tempore Bonifacii VIII. ex *cap. VI. Rurſus qui Cler. vel voven.* votum ſolemne caſtitatis jam dirimebat matrimonium poſtea contractum, non ſic votum ſimplex. Dubitatur tamen, ut notat hic Gloſſa, quandonam tale votum dici debeat ſolemne: ad quam dubitationem removendam præmittit Pontifex, quod ipſa voti ſolemnitas non ineſt voto per ſe, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ: poſtea veniens ad dubii ſolutionem, definit, votum tunc ſolum dici ſolemne, quando ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Ordinis ſacri, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam, factam in aliqua Religione, per Sedem Apoſtolicam approbata. In aliis vero caſibus cenſendum eſſe votum ſimplex, impediens quidem aliquando matrimonium contrahendum, contractum tamen non dirimens.

Circa hæc plura ſunt animadvertenda, &.

I. Nedum voti ſolemnitatem, ſed etiam ipſam obligationem emittendi votum a ſuſcipiente Ordines ſacros eſſe in Eccleſia Latina ex inſtituto ejuſdem Eccleſiæ antiquiſſimo.

II. Etiam votum emiſſum in Ordinatione privata, eſſe ſolemne; inquit enim Pontifex, votum ſolemnizari per ſuſceptionem Ordinis ſacri, quæ ſuſceptio intervenit, ſive Ordinatio publica ſit, ſive privata.

III. Cum dicitur ſolemnizari per profeſſionem expreſſam, vel tacitam in Religione approbata, id intelligitur de profeſſione ibi emiſſa cum omnibus requiſitis ad ejus valorem, ut in præcedentibus Sectionibus notatum eſt.

IV. Denique, licet Pontifex hic dicat, reliqua vota impedire quidem quandoque matrimonium contrahendum, non tamen reſcindere jam contractum, excipienda nihilominus ſunt vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, poſt biennium probationis emiſſa in Societate Jeſu: hæc enim quamvis ſimplicia ſint, ſimplex tamen caſtitatis votum, quo ſe Jeſuitæ obſtringunt, eſt impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum vigore Conſtitutionis Gregor. XIII. *Quanto fructuoſius* 1582. *& alterius, Aſcendente Domino an.* 1584. Circa quas tamen Conſtitutiones Benedict. XIV. *de Synod. Diœc. lib.* XIII. *cap.* XI. *num.* 29. notat, quod in privilegiis, pro hujus Inſtituti confirmatione emanatis, expreſſa ineſt declaratio, quod vota prædicta voventem obſtringant, quouſque idem in Religione permaneat, eorum autem vinculo exſolvatur, ſtatimac a Superioribus e Societate dimiſſus fuerit: quæ verba ſignificant, quod ſi quis exeat ex libitu ſuo, & non dimiſſus a Superioribus, emiſſum ab eo in eadem Societate caſtitatis votum pro ipſo adhuc ſit legitimum impedimentum dirimens matrimonium contrahendum; proptærea indigeat diſpenſatione, antequam illud contrahat. Non dirimit tamen matrimonium ratum præcedens, quia hujuſmodi vota, etiam publice emiſſa, manent ſimplicia ex atteſtatione laudati Gregorii apud Sanchez, Giribaldum, & alios: nec conſtituunt perſonam immobiliter religioſam, alias poſt ea dimitti non poſſet a Superioribus, aut ab iiſdem dimiſſus libere poſſet aliam ducere, adhuc vivente prima, in eo ſtatu, in quo eam reliquit, matrimonii quidem rati, ſed non conſumati. Unde ob frequentiam caſus plura orirentur dicteria, & ſcandala; concludendum igitur eſt, ipſa non dirimere matrimonium ratum præcedens, ac ita ſe habere, quantum ad hoc, ut aliud quodcumque votum ſimplex.

Hic addendum cenſeo, quod, quando Pontifex, loquendo de aliis votis ſimplicibus, dixit, iſta quandoque impedire matrimonium contrahendum, ideo addidit particulam *quandoque*, quia revera emitti poteſt aliquod votum ſimplex, quod tamen matrimonium non impediat contrahendum. Sic qui vovet ſolam caſtitatem partialem, puta non petere debitum, non impeditur a matrimonio ineundo, ſed poteſt illud contrahere, ſibique nuptæ petenti reddere.

SECTIO DLIV.

Caput Unicum, Antiquae, ex *Decretali Joannis XXII.*

ANtiquæ concertationi finem cupientes imponere, ac animarum periculis, inde provenientibus, ſalubriter providere, de Fratrum noſtrorum conſilio præſenti declaramus edicto, quod licet votum ſolemnizatum per Sacri ſuſceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, ſi poſt contractum fuerit, ſecundum ſtatuta Canonum ſit efficax reputandum: ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec jure divino, nec per Sacros reperiamus Canones hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſendum, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibentes, ne quiſquam, durante matrimonio, nondum etiam conſumato, aliquem de ſacris Ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout Sacris Ordinibus noverit convenire. Quod ſi ſecus a quoquam forſitan attentatum fuerit, ordinamus, quod nec, matrimonio ſoluto, in ſic ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad Superiores Ordines provehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium eccleſiaſticum valeat promoveri, niſi aliquam de Religionibus approbatis (quarum profeſſio ad caſtitatis cuſtodiam, & abdicationem temporalium, & ſui Superioris obedientiam ſuos profeſſores adſtringat) ipſum canonice contigerit ingredi, ac ejus regulam expreſſe, vel tacite profiteri; quo caſu Diœceſanus ſuper præmiſſis, & ſingulis præmiſſorum cum eo diſpenſare valeat, niſi ſit aliud canonicum, quod obſiſtat. Ad ingreſſum hujuſmodi ſic ordinatum, si matrimonium conſummatum non fuerit, per Diœceſanum inſtanter moneri præcipimus, & induci; quod si forſan renuerit adimplere, ipſum, si ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram eccleſiaſticam compellendum decernimus contractum matrimonium conſummare. Nulli &c. noſtrarum declarationis, inhibitionis, ordinationis, præcepti, & conſtitutionis infringere. Datum Avenione Kal. Decembr. An. Septimo.

Fuit olim quæſtio non levis inter DD., an votum emiſſum in ſuſceptione Ordinis Sacri, præcedens matrimonium tantum ratum, illud dirimeret, pluribus negantibus, affirmantibus aliis, ut apud Hoſtienſem, relatum hic a Gloſſa §. *Concertationi*. Huic diſſidio finem impoſuit Pontifex, declarando, tale votum dirimere matrimonium poſtea contractum, non autem ratum præcedens; cum nec jure divino, nec per Sacros Canones hoc ſtatutum reperiatur: prout jam definiverat Concilium Lateranenſe I., ſub Caliſto II. anno 1123. ac Lateranenſe II. ſub Innocentio II. an. 1139. & Viennenſe *in Clemen. unica de Conſanguinitate*, ac poſtremo Tridentinum ſub anathemate *ſeſſ. XXIV. can. IX.*

Ex quo ſequitur, votum ſolumodo emiſſum in profeſſione religioſa, efficax eſſe ad dirimendum præcedens matrimonium ratum, & non conſumatum. Hinc fit, ut in Eccleſia latina abſque conſenſu conjugis nequeat vir, eadem adhuc intacta, ad Sacrum Ordinem aſcendere. E contra uterque poteſt, matrimonio nondum conſumato, Religionem ingredi, in eaque valide, ac licite profiteri, altero, vel altera conjuge etiam reluctante: & de facto in *cap. VII. Ex publico de Converſ. conjugat.* ante matrimonii conſumationem bimeſtre conceditur utrique ſponſo de præſenti ad deliberandum, an Religionem ingredi velit; adeo ut intra tale tempus nequeat alteruter cogi ad conſumandum. Emiſſa profeſſione, poteſt vir ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveri: quamvis extra Religionem, nec Subdiaconatum poſſit recipere, conjuge invita: imo, ſi a quoquam id fuerit attentatum, præcipit hic Pontifex, quod nec, matrimonio ſoluto, per mortem conjugis, vel alio quocumque modo, in ſic ſuſcepto Ordine valeat miniſtrare, nec ad ſuperiores provehi, neque ad aliquod beneficium, vel officium eccleſiaſticum promoveri: præcipiens ulterius Epiſcopo diœceſano taliter ordinati, ut inſtanter hunc moneat, inducatque ad ingreſſum, ac profeſſionem in aliqua Religione approbata. Quod ſi ille faciat, tribuit eidem Epiſcopo facultatem, ut nullo alio canonico impedimento interveniente, cum ipſo valeat diſpenſare in omnibus prædictis, nempe ut poſſit in ſuſcepto Ordine miniſtrare &c. Si vero id facere renueret, & conjux inſiſteret pro habendo ſuo ſponſo ad conſumandum, decernit, illum ad hoc compellendum per cenſuram eccleſiaſticam: quod intellige, ſi cum eo mitius agendo, id ab eodem obtineri non poſſit.

Nota I. Quod dictum eſt de illicito aſcenſu ad Sacros Ordines abſque conſenſu conjugis, ex Eccleſiæ tollerantia locum non habet in Græcis, ut indicavi in præced. Sect. Animadverto tamen cum Card. Petra *tom. V. Commentar. ad Conſtit. VII. Pii II. num.* 80. quod Græci, & Albanenſes, græco ritu viventes, & commorantes in Italia, ſine literis dimiſſoriis proprii Ordinarii loci latini, & diœceſani, nequeunt promoveri ad Ordines ſub pœna ſuſpenſionis ex Conſtit. XXXIV. Clementis VIII. *Sanctiſſimus* §. *IV.* & ſi ſuſpenſi, in ſuis Ordinibus miniſtraverint, irregularitatem incurrunt,

runt: & ſi ordinentur ab Epiſcopo latino, ii qui a Presbyteris græcis ſunt confirmati, debent ante ordinationem iterum confirmari ſub conditione, ibid.

Nota II. Neque Græcos valide inire poſſe matrim. poſt ſuſceptoa Ordines Sacros, unde Benedictus XIV. in Conſtit. LVII. *Etſi Paſtoralis* §. *VII.* matrimonia ſic ab eis contracta, nulla, & irrita declarat, & Conſtit. CXXIX. *Eo quamvis* §. *XXXVI.* declarat, quod matrimonium contrahi nequit a Diacono orientalis Eccleſiæ, qui ordinatus fuerit in ſtatu cælibi.

Circa profeſſionem tacitam dic, ut notatum eſt ſupra Sectione DXXII.

Titulus XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SECTIO DLV.

CAPUT II. MONACHI, *ex Decretali, deſumpta a Can. X. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

MOnachi non pretlo recipiantur in monaſterio, nec peculium permittantur habere, nec ſinguli per villas, & oppida per quaſcumque parochiales ponantur Eccleſias, ſed in majori conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, Salomone dicente: *Ve ſoli! Quia cum ceciderit, non eſt, qui ſublevet eum.* Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad Sacros Ordines non aſcendat. Is verò, qui eum receperit, officii ſuſpenſione multetur. Qui vero peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, a communione removeatur Altarls, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat ſepulturam: quod etiam de univerſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem, qui diligenter iſta non caverit, officii ſui jacturam ſe noverlt incurſurum. Prioratus quoque, ſeu obedientiæ, pretii donatione nulli tradantur, alioquin dantes, & accipientes a miniſterio fiant eccleſiaſtico alieni. Priores autem cum in Eccleſiis conventualibus per electionem Capitulorum ſuorum canonice fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa, non mutentur, videlicet, ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi merito videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officii de conſilio Fratrum fuerint transferendi.

Cavetur I. In hac Decretali, ne pro ipſa receptione in Religionem quidquam pretii detur, vel accipiatur, ſub pœna danti ad petitionem, vel exactionem alterius non aſcendendi ad Sacros Ordines, recipienti vero ſuſpenſionis ab officio, ejuſque jacturæ Superiori, qui id ſciens, diligenter non caverit; ſimoniacum namque eſt ob hoc aliquid dare, vel recipere, vel in id conſentire, prout definivit Alex. III. in *cap. Non ſatis, de Simon.*

Cavetur II. Ne monachi ſoli præficiantur Eccleſiis parochialibus; non tamen a ſenſu contrario abſolute inferendum eſt, eoſdem his præfici poſſe cum ſocio, nam juxta communem interpretationem id intelligengendum eſt, quoties Eccleſia parochialis eſt monaſterio ſubjecta; ſecus, ſi monachus promoveatur ad aliam, ut quilibet Clericus ſecularis, Fagnan. *cum Abbate, ad hoc idem cap. num.* 1., *& in cap. VII. Quod Dei timorem num.* 17. refert., quod „Cum fuerit quæſitum, „ an Regularis poſſit præfici curæ animarum ab Epi„ ſcopo ſine diſpenſatione Apoſtolica, S. Cong. Conc, „ cenſuit, non poſſe, niſi accedente diſpenſatione „ quæ non videtur concedenda, niſi, inſtante Epiſcopo, „ pro neceſſitate, vel ntilitate Eccleſiæ. Et alias con„ ſulta, an Eccleſiæ parochiali ex neceſſitate, nempe „ ob penuriam Sacerdotum, Regularis poſſit perpetuo „ præfici: reſpondit, permitti poſſe; itaut, deducto „ victu, quod reliquum fuerit reddituum, in utilitatem „ Eccleſiæ, & pauperum convertatur. Ob id autem „ neceſſariam eſſe hodie diſpenſationem, contra opi„ nionem antiquorum DD. quod ita de ſtylo ſervari „ conſuevlt. Quod ſi magis placuerit Sanctiſſimo, „ poſſe, quod petitur, ad tempus concedi, quoad ſci„ licet Epiſcopus providerit de Clerico ſeculari, nihil „ tamen concedendum, niſi, inſtante Epiſcopo pro „ neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ".

Cavetur III. Non licere cuiquam, ne dum ex monachis, ſed etiam ex quibuſvis aliis Religioſis, peculium habere, niſi a Superiore – *fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum* —.

Verum huic permiſſioni derogatum eſt a Trident, eam expreſſe prohibente *cap.* II. *ſeſſ.* XXV. *de Regul.* ibi.

Nemo igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona mobilia, vel immobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria; aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur; conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtra-

tio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ad ſolos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat; nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit; atque etiam juxta ſuæ regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur.

Cui prohibitioni ad ejuſdem firmiorem obſervantiam acceſſerunt decreta Clementis VIII. Conſtit. *Nullus 25. Junii 1599.* §. II. quæ, vel declarando, vel addendo, ſatis clare ſuſtulerunt corruptelas, & DD. opiniones, tranſcriptæ Decretalis diſpoſitioni inniaas, per hæc verba, ibi.

Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubique celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocunque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, ac piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, conventuique incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Neque Superioribus, quicunque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo minus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent, hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe; quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, ac aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & reddituum ſui conventus, etiam nomine conventus, per ſe ipſum habere, ſive exercere poſſit, ſed univerſum idonus tribus Fratribus ejuſdem conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tamquam depoſitarius pecunias, & cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet; alius de pecuniis, & rebus a depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator, provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta.

Nec ad ſuſtinendas contrarias opiniones obiici poteſt, allata Clementis Decreta non eſſe in uſu, cum innovata fuerint a Paulo V. & Gregorio XV. de Apoſtatis, & ejectis, atque ab Urbano VIII. Conſt. *Sacra Congregatio*, 21. *Septembr.* 1624.

Adnectimus hic declarationes Congr. Conc, ſuper hac re emanatas, relatas a Quaranta, *Summa Bullarum* verb, *Caſus reſervati*.

I. Quæritur primo, an ex diſpenſatione inferiorum a Summo Pontifice, liceat Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet, & mobilia ſuperflua, non obſtante decreto Concilii *ſeſſ. XXV. de Regul. cap. II.*

II. An propter talem diſpenſationem, ſeu ſcientiam Superiorum, poſſidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia ſuperflua, a culpa, vel a pœna excuſentur?

III. An Superioribus aſſeverantibus, hujuſmodi licentias poſſe concedere, fides adhibenda ſit.

IV. An Superiorum arbitrio, & præfinitioni ſtare debeant Regulares quoad mobilium ſuperfluitatem, & convenientiam?

V. An Superiore, quantumvis requiſito, neceſſaria ſuis Regularibus negante, vel ſubtrahente, liceat ipſis clam, vel invito eo, illa ſibi comparare, ſeu retinere?

VI. Et quatenus liceat, an itidem liceat, cum neceſſaria ideo negantur, vel ſubtrahuntur, quia monaſterii facultates non ſuppetunt?

VII. An dicti Superiores regulares dictum cap. 2. declarare, & interpretari poſſint?

Ad I. Congregatio Concilii reſpondit, non licere.

Ad II. Non excuſari, neque a culpa, neque a pœna, ipſo facto incurrenda.

Ad III.

Ad III. Minime adhibendum.

Ad IV. Niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit, utique ſtare debere, habita videlicet ratione perſonæ, officii, & regulæ, ſtatuſque paupertatis, quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad V. Non licere.

Ad VI. Licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad individui ſuſtentationem: cœterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, uſque adeo, ut ſi quid privatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fuerit, id omne ad Superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum ſuccurrat ejus neceſſitati, cujus intuitu illud obvenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate ultra communem prematur, reliquum conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.

Ad VII. Non poſſe.

Hier. Card. Matthæjus.

Ad pœnam monachi proprietarii quod ſpectat, ſuſpenſionem ſcilicet a Divinis, qua Alexander in tranſcripta Decretali præcipit eſſe puniendum, crederem ad eam hodie non ita eſſe facile procedendum, attento Tridentini Decreto mox allato, in quo infligitur privatio, latæ ſententiæ, vocis activæ, & paſſivę per biennium, & quoad pœnas ferendæ ſententiæ præcipitur, puniendum eſſe dumtaxat juxta ſuæ regulæ, & Ordinis Conſtitutiones, cum juxta plurium DD. opinionem, quam cum Claro communiorem eſſe aſſerit *Theſaur. de pœn. eccleſiaſt. par. I. cap. XII.* = Pœna legis novæ diverſa tollat, & ceſſare faciat pœnam legis antiquæ = Quod ſi Conſtitutiones pœnam ſuſpenſionis a Divinis injungendam præſcripſerint, eam Superior infligere poterit, ſecus non, ob allatam rationem.

Eſt autem notandum, quod cum Alexandri Decretalis puniendos ſtatuat dumtaxat Sacerdotes proprietarios, Tridentinum præcipit, puniendos eſſe quoſcumque Religioſos, hujuſmodi criminis reos.

Quoad privationem vero eccleſiaſticæ ſepulturæ, de qua pariter in tranſcripta Decretali, hæc magis explicata eſt a Clemente III. ſtatuente, ut ſi Religioſus proprietarius deceſſerit, nedum ea careat ſepultura, ſed ſi ſepultus fuerit, exhumandus ſit, quoties ſine maximo ſcandalo fieri poſſit, prout ex ipſius Decretali, relata in *cap. IV. Super quodam, hoc eod. tit.* ibi.

Super quodam Canonico regulari, qui in articulo mortis agens, licet a Priore ſuo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit reſignare, & ſic diem clauſit extremum, & fuit inter alios Fratres traditus ſepulturæ (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ille Canonicus non tantum fuit chriſtiana ſepult. privandus, verum etiam, si sine maximo ſcandalo potuit fieri, de ipſa projici dignus eſt Eccleſia. Hoc autem cum forte contigerit, in ſimilibus eſt agendum.

Quoad Religioſum proprietarium, vide etiam dicenda Sectione DLVIII.

S E C T I O D L V I.

CAPUT III. RECOLENTES, *ex Decretali Alexandri III. univerſis Abbatibus, & Converſis Ordinis Ciſtercienſis ſcripta.*

Recolentes, qualiter hæc ſancta plantatio (& infra.) Dolentes dicimus, quod etsi non ab omnibus, neque in omnibus, a pleriſque tamen, & in pluribus ab illa ſancta inſtitutione dicitur declinatum, in tantum, ut aliqui ex vobis primæ inſtitutionis obliti, contra Ordinis veſtri regulam, villas, Eccleſias, & altaria poſſident, fidelitates, & ominia benigne ſuſcipiunt, juſtitiarias, & tributarias tenent (& infra.) Ideoque precibus, & monitis exhortamur, quatenus domus illæ, quæ a prima ſui origine in ipſo Ordine ſunt fundatæ, conſtitutis terminis sint contentæ (& infra.) Si euim, relictis originalibus Ordinis inſtitutis, ad communia volueritis aliorum monaſteriorum jura divertere, oportebit, vos communi jure cenſeri: quia dignum eſt, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Cæterum domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad veſtrum Ordinem ſe tranſtulerint, veſtris omnino ſe ſatagant uſibus conformare, & relictis poſſeſſionibus, vel etiam commutatis, quas inſtitutio veſtra non recipit, sic ſe in omnibus Religioni veſtræ coaptent, ut quemadmodum gaudent, ſe in ſocietatem Ordinis, & habitus identitatem aſſumptas, ſic etiam in paupertate ſecularium rerum ſe lætentur veſtris inſtitutionibus conformatas.

Huic

Huic Decretali, declaranti, domum religioſam poſſe ex toto ordinaria auctoritate ſe transferre ad Religionem arctiorem alterius Ordinis (ut Ciſtercienſium, de quo in hoc textu) derogatum eſt a Greg. IX. *cap. unic. Religionum de Relig. dom. in VI.* §. *Ad hæc*, id prohibente ſine ſpeciali Sedis Apoſtol. licentia, ibi.

Ad hæc perſonis Ordinum, ad quos Conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita, quod nullus Ordo ad alium, vel conventus ad conventum ſe, ac loca ſua totaliter transferat, Sedis ejuſdem ſuper hoc permiſſione ſpecialiter non obtenta.

SECTIO DLVII.

Caput V. Quod Dei timorem, *ex Decretali Innocentii III. Plebano S. Gavinii, Diœceſis Florentinæ, ſcripta.*

Quod Dei timorem præ oculis habeas, ex fructibus tuis colligitur evidenter, cum opera, quæ facis, teſtimonium perhibeant veritati. Sane quondam deſiderans ad frugem melioris vitæ tranſire, officium plebani reſignans, coram Fratribus S. Victoris Bononien. promiſſionem de tua converſione feciſti, neque profeſſionem ſolemnem emittens, neque habitum Religionis aſſumens; ſed parochiani plebis ejuſdem attendentes, te laudabiliter præfuiſſe, a Florentino Epiſcopo impetraverunt, ut miniſtrares ibidem, hoc etiam P. Presbyter Cardin. tunc Apoſt. Sed. Leg. proponitur annuiſſe, quod jam dicti parœciani a nobis ratum haberi ſuppliciter poſtularunt, præſertim cum de licentia Prioris S. Victoris noſcaris hactenus id feciſſe. Licet autem in Lateranen. Concilio de monachis caveatur, ne ſinguli per villas, & oppida, per quaſcunque parœciales ponantur Eccleſias &c., quia tamen iſtud de Canonicis Regularibus ſpecialiter non cavetur, qui, etſi a ſanctorum monachorum conſortio non putentur ſejuncti, regulæ tamen inſerviunt laxiori, & per antiquos Canones etiam monachi poſſunt ad Eccleſiarum parœcialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privilegium eſt) exercere: ſic annuendum duximus poſtulatis, ut exercens plebani officium, ſi commode fieri poterit, unum Canonicum regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his, quæ Dei ſunt, & regularis obſervantiæ, tam conſortio, quam ſolatio perfruaris.

Huic Decretali, declaranti, ut Canonicus regularis de ſolo ſui Superioris conſenſu præfici poſſit Eccleſiæ parochiali, etiam ſeculari, adjuncto ſibi ſocio proprii Ordinis, ſi commode haberi poſſit, expreſſe derogatum eſt a Benedicto XIV, interdicente Canonicis regularibus Lateranenſibus, & SS. Salvatoris conſecutionem, nedum beneficii ſecularis, & curati, ſed etiam cujuſcumque beneficii ſimplicis, & penſionis abſque Indulto Apoſtolico, ut ex ejus Conſt. *Quod inſcrutabili*, *9. Junii* 1745. §. *XIV.* ibi.

Et quoniam prædictorum omnium (Conſultorum videlicet, quos Pontifex ad hoc ſibi aſſumpſit) concors fuit ſententia (unius enim diſſenſus in duodenario conſulentium numero uniformitatem non tollit) iidemque in eo convenerunt, quod neque Canonici regulares Lateranenſes, neque Canonici regulares Sanctiſſimi Salvatoris, beneficium quodlibet eccleſiaſticum ſeculare obtinere, aut quamlibet penſionem eccleſiaſticam percipere valeant, abſque auctoritate Apoſtolicæ Sedis: Nos eorundem conſilium, & ſententiam ſequentes, atque etiam motu proprio, & certa ſcientia, atque Apoſtolica auctoritate, hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, eoſdem Canonicos regulares, abſque Indulto Apoſtolico, ut præfertur, cujuſcumque beneficii eccleſiaſtici ſecularis, ſive cum adnexo animarum curæ, aut reſidentiæ onere, ſive etiam beneficii ſimplicis, & ſine cura, ac perſonalem reſidentiam non requirentis, & cujuſcumque penſionis eccleſiaſticæ, vere incapaces eſſe, & cenſeri debere; eiſdemque nec jus commune, nec Tridentinæ Synodi Decreta, neque profeſſionem, ab ipſis emitti ſolitam, aut eorum peculiare inſtitutum, neque demum ullam contrariam conſuetudinem, uſum, poſſeſſionem, ſeu quaſi, aliumque omnino titulum, pro hujuſmodi prætenſa capacitate ullatenus ſuffragari.

Et

Et §. XVII. Declsratur, eoſdem præſentari, & nominari poſſe a Patronis, tam laicis, quam eccleſiaſticis ad beneficia eccleſiaſtica, dummodo præſentatio, ſeu nominatio fiat eum expreſſa præſervatione beneplaciti Apoſtoliei. Poſtquam vero præſentationem acceptaverint eum clauſula de obtinendo beneplscito, tam ſui Superioris generalis, quam Sedis Apoſtolicæ, pertinebit ab ipſos præſentantes exquirere Superiorum regolarium conſenſum, quem ſi præſtare ipſis viſum fuerit, debent in ſcriptis præbere una cum teſtimonio depræſentatorum idoneitate, tam quoad mores, quam quoad doctrinam: accedente inſuper atteſtatione Ordinariorum locorum, in quibus iidem præſantati per aliquod tempus morati fuerint.

Quæ omnia §. XVIII. præcipitur, ut exhibeantur Datario pro tempore, pro expediendis literis proviſionis, ſi Pontifici videbitur.

§. Vero XIX. ſtatuitur, eadem ſervanda eſſe in proviſionibus, ad Ordinarios ſpectantibus ſine concurſu; ſed iiſdem prohibetur, ne aliquid propria auctoritate faeere poſſint, ſed teneantur rem totam Pontifici deferre,

§. XX. Prohibetur iiſdem Ordinariis ſub pœnis nullitatis, ne prædictos Canonicos admittere præſumant ad beneficia, per concurſum conferenda ſine prævio beneplacito Apoſtolico; pro quo obtinendo §§.XXI. XXII. & XXIII. ſequens modus inviolabiliter ſervandus præſeribitur. Quoties Ordinarius neminem inter Presbyteros, ſeu Clericos ſeculares aptum, & idoneum ad parochiam, aut præbendam theologalem, vel Pænitentiariæ revera judieaverit, vel nullus apparuerit; aptum vero e contra judieaverit aliquem ex dictis Canonicis, Papæ judicio rem totam defferet, a quo, ſi illi indultum fuerit, ut valeat eum ad concurſum admittere, tunc ab eodem reqnirere debebit, an forte, accedente conſenſu ſuorum Superiorum regularium, hujuſmodi concurſui ſe ſiſtere vellet, & ſi ad firmaverit, idem Ordinarius Superiores regulares rogabit pro dicto conſenſu, ſeu licentia.

His omnibus ſervatis, admitti poterit ad concurſum; & nihilominus, ſi eum præ cæteris adprobari contigerit, ipſa parochiæ, ſeu præbendæ conceſſio a Romano Pontifice expetenda erit, tranſmiſſis ad Datarium omnium præmiſſorum documentis.

§.XXIV. Declaratur, renunciationes, ſeu reſignationes, vel coadjutorias, nec non eollationes beneficiorum ſimplicium, aut penſionum reſervationes reſpectu dictorum Canonieorum, Romani Pontificis arbitrio, & prudentiæ omnia eſſe relinquenda.

Præterea §§. XXV. & XXVI. declaratur, prædictos Canonieos, proviſos de beneficio ſeculari, perſonalem reſidentiam requirente, non teneri degere intra clauſtra, nec immediatam ſubjectionem ſuis regularibus Superioribus habere: & tunc poſſe aſſumere habitum clericalem ſecularem, & ab obligatione ſecum retinendi ſocium ſui Ordinis liberos, & immunes eſſe; non tamen exemptos eſſe a votorum obſervatione, eo modo, quo poſſunt; nec ab Epiſeopi, ſeu Ordinarii loci omnimoda ſubjectione.

§§. XXVII. & XXVIII. Cavetur, ne dicti Canonici, proviſi parochia ſeculari, aut canonieatu, in titulum conferri ſolito, & ad perpetuam adminiſtrationem eorumdem rite inſtituti, poſſint a Superioribus regularibus ex quacumque cauſa ad Religionis clauſtra revocari, cum ad Ordinariorum dumtaxat ea legitimis cauſis eoſdem punire pertineat. Quod ſi per ſententiam privati, aut perpetuo ſuſpenſi ca titerint, vel parochia, aut canonicatu ſe abdicaverint, tunc regularem habitum reaſumere, & ad propria clauſtra redire tenebuntur; non vero, ſi extra caſum perpetuæ inhabilitatinnis, & ſuſpenſionis coadjutorem habuerint in Canonicatu, aut in parochialis curæ regimine, vel per jubilationem a ſervitio chori fuerint exempti.

Tandem §.XXXI. expreſſa legitur derogatio tranſcriptæ Decretalis, ibi,

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Innocentii III. Prædeceſſoris prædicti diſpoſitione, in prædicto capitulo *Quod Dei timorem*, nec non de jure quæſito non tollendo, aliiſque noſtris &c.

In eadem Conſtitutione a §. I. ad XII. legi poterit ſeries Decretorum SS. Congreg. Concilii, & Epiſcoporum, ac Regularium, Prædeceſſorumque Pontificum, idipſum ſtatuentium, quod ſancitum legitur in §. XIV.

Ex altera Conſtitutione laudati Benedicti, *Quo magis*, 18. *Decembr.* 1742. neque præfici poſſunt Presbyteri Congregationis Miſſionis beneficiis eccleſiaſticis, perſonalem reſidentiam requirentibus, vel animarum curam annexam habentibus, extra dictam Congr. ibi.

Hinc eſt, quod Nos, qui Congregationem præfatam ſemper plurimi fecimus, & quanto Clericis, in ſortem Domini vocatis ad vocationis ſuæ munera rite, ſancteque adimplenda adjumento ſit, novimus, ſalutare aliquod remedium hac in parte adhibere cupientes, motu proprio, tenore præſentium, non ſolum omnia, & ſingula in Conſtitutionibus, & Regulis ejuſdem Congregationis, ut præmittitur, contenta, & de novo ſtatuta, ac ab Apoſtolica hac Sede iterum, atque iterum approbata, & confirmata, iterum, quatenus opus ſit, de novo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis perpetuæ Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; verum etiam quamcumque in diſpenſando pro votis hujuſmodi, ac præſertim voto ſtabilitatis, facultatem, tum ordinariis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ pro tempore, ubicumque exiſtentibus, Nuntiis, & Legatis, tum omnibus, & ſingulis Congregationibus Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, quavis auctoritate, privilegiis, & indultis, quibus omnibus, quoad hanc partem, motu, ſcientia, poteſtate, ac tenore paribus derogamus, quomodolibet competentem, & reſpective attributam, omnino inhibemus, & inhibi-

tam

tam eſſe volumus, ac declaramus; ita ut quælibet diſpenſatio pro votis ſupradictis, ac præſertim ſtabilitatis, cuilibet Presbytero, ſeu Clerico, vel laico dictæ Congregationis, ob quamcumque cauſam, a quibuſvis, etiam ſpeciali mentione dignis (dummodo non fuerit conceſſa per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, Succeſſorem noſtrum, ſive per modernum pariter, & pro tempore exiſtentem Superiorem generalem ejuſdem Congregationis in actu dimiſſionis tantum, juxta præfatas Conſtitutiones) quomodolibet conceſſa, & quælibet cujuſcumque beneficii eccleſiaſtici, perſonalem reſidentiam requirentis, vel animarum curam extra dictam dumtaxat Congregationem unitam habentis, collatio, cuilibet ex Presbyteris, & Clericis præfatis quomodolibet facta, & capta etiam poſſeſſio, irritæ & nullæ ſint, ac nullius roboris, & momenti habeantur, perindeac si minime conceſſa, facta, & capta fuiſſet, ac propterea nemini, ad quem ſpectat, &, pro tempore quandocumque in futurum ſpectabit, ſuffragentur.

SECTIO DLVIII.

Caput VI. Cum ad monasterium, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Abbati, & Conventui Sublacenſi, Ordinis S. Benedicti, ſcripta.*

Quamvis hæc Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, edita ſit pro dicto monaſterio ſublacenſi, multa tamen continet, quæ ſpectant ad generalem monachorum diſciplinam.

Inter cætera vero, primo prohibet Pontifex in virtute obediendiæ, & ſub interminatione divini judicii = *Ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat: ſi quis aliquid habeat proprii, totum in continenti reſignet* (deindè ita jubet) *ſi vero poſt hoc proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari monitione præmiſſa, de monaſterio expellatur, nec recipiatur ulterius, niſi pœniteat juxta monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe.* Subdit poſtremo. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere* =.

Quoad expulſionem a monaſterio, ſive ab Ordine regulari hodie attendenda ſunt præſcripta ab Urbano VIII., & Innocentio XII., de quibus infra. Quoad pœnas vero proprietariorum, recole etiam jam notata ſupra Sect. DLV.

Quod ſpectat ad ſubterrationem pecuniæ inventæ poſt mortem apud Religioſum proprietarium, hæc habet *Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. verb. Religioſus proprietarius cap. XI.* ,, Hodie tamen non eſt neceſſe cum eo ſepelire totam illam pecuniam, ſed ſufficit partem, ex æquitate, ut de praxi, & veriori teſtatur Joan. Andr. in dict. *cap. Cum ad monaſterium nu.* 4. Hoſtien. *n.* 7. Anchar. n. 10. Abb. *n.* 15. Barboſ. *n.* 5. Sanch. *lib.* 7. *in decal. c.* 20. *nu.* 11. Layman *lib.* 4. *tr. de Stat. rel. c.* 7. *n.* 22. quamvis alii totam ſepeliri debere dicant, Cardin. ibi §. *Prohibemus, num.* 2. Graff. *par.* 2. *lib.* 3. *c.* 19. *n.* 5. quod in rigore juris eſt verum.

,, Sed quæres, cui applicanda ſit pecunia iſta? Reſpondeo, ſi conſtaret, quod ea eſſet donata religioſo ſub ea intentione, ut non monaſterio, ſed eidem religioſo remaneret, tunc danti eſſet reſtituenda: ſi vero abſolute donata eſſet, vel acquiſita a religioſo proprietario, tametſi Superiore, ſeu regula prohibente, adhuc intelligitur eidem monaſterio acquiſita, ſi ſit capax bonorum, Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 33. & 35. ubi teſtatur de communi: ſi vero conſtaret, pecuniam eſſe alienam, domino eſſet reſtituenda, quod ſi dominus ignoretur, eidem monaſterio applicari poterit, tamquam bona incertorum; quia poſſunt applicari locis piis, Navarr. *cap.* 17. *num.* 93. *verſ. Per pauperes*, ubi teſtatur de communi ſententia.

,, Quod tandem ſpectat ad diſpenſationem voti ſolemnis paupertatis, & caſtitatis, quam hic Pontifex etiam ſibi prohibitam eſſe aſſerit, diu quidem agitata fuit quæſtio, an Papa poſſit diſpenſare in profeſſione religioſa, quæ tandem finem habuit cum illa diſtinctione, quod ſcilicet non poſſet in ſenſu compoſito, bene vero in ſenſu diviſo. Ad quod probandum videtur maxime conferre Decr. Bonif. VIII. rel. in *c. un. Quod votum, de Voto, & voti red. in VI.* in qua Pontifex inquit; *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*; adeoque manifeſte conſtat, poſſe Pontificem iſtam ſolemnitatem tollere, qua ſublata, vota emiſſa a Religioſo remanent ſimplicia, in quibus nullum dubium eſt, poſſe diſpenſare, quod oſtendit, præter rationem ſupra relatam, praxis Eccleſiæ, juxta quam Pontifices paſſim relaxant, juſta concurrente cauſa, vota ſimplicia.

,, Sed circa hoc placet referre explicationem hujus pontificii ſenſus, allatam a Remigio Maſchat *Inſtit. Canonic. lib. III. tit. XXXI. de Regul. n.* 28. & 29. ibi = Papa non poteſt diſpenſare in ſubſtantia alicujus voti religioſi pro ſenſu compoſito, *hoc eſt*, ut quis maneat Religioſus, & habeat, v. g. proprium, vel uxorem ducat; ita commun. ſententia, quam amplectitur Innocentius III. *in cap. VI. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Monach. in fin.* dicens; *abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali* (obſerva hic ſenſum compoſitum) *ut contra eam, nec Summus Pontifex poſſit licen-*

,, *licentiam indulgere*. In qua Decretali doctrinam ſuam fundat S. D. 22. q. 88. art.XI., & ſolide probat, per Eccleſiam non poſſe diſpenſari in voto caſtitatis religioſæ; *quia debitum continentiæ eſt eſſentiale ſtatui Religionis*, ſeu, ut dicit Decretalis, *quia caſtitas eſt annexa regulæ monachali*. Quod argumentum manifeſte procedit de diſpenſatione in ſenſu compoſito; cum nulla res ſine ſuis eſſentialibus ſubſiſtat. Ita intelligenda mihi videntur cætera omnia in dict. art.XI. expreſſa, utpote ab hac ratione pendentia; præſertim illa verba: *Papa non poteſt facere, quod ille, qui eſt profeſſus Religionem, non ſit Religioſus*: nam hoc aſſertum probat S. D. per principale argumentum, ſtatim ſubjectum; quia continentia eſſentialiter eſt annexa ſtatui religioſo; ergo verba iſta intelligenda ſunt in ſenſu compoſito, ac ſi dicerem: Deus non poteſt facere, quod ille, qui eſt homo, non habeat animam rationalem, ſeu non [illegible] homo; quia ſicut anima rationalis eſt de eſſentia hominis, ita caſtitas, & alia duo vota ſunt de eſſentia profeſſi, ſeu hominis, qua religioſi. Ex quibus hanc elicio rationem, Papa diſpenſando, non poteſt id tollere, quod eſt de eſſentis rei; ſed tria vota ſunt de eſſentia ſtatus religioſi, ut ſupra dixi ex communi doctrina, ergo diſpenſando, non poteſt Papa tollere votum, v. g. caſtitatis, vel paupertatis, ut, eo ſublato, maneat quis Religioſus; tunc enim eſſet, ex ſuppoſito, & non eſſet religioſus, cum eſſentialia conſtitutiva Religioſi non haberet.

,, §. 29. Papa poteſt diſpenſare in votis religioſis pro ſenſu diviſo, hoc eſt, poteſt tollere totum vinculum profeſſionis religioſæ, & hominem religioſum ſecularizare; ita hodie communior ſententia, quam etiam ex Thomiſtis multi defendunt, Cajet. Andreas a Matre Dei *in Salmantic. Moral. tract. XV. cap. I. punct. III. a n. 40. cum cit. contra Antiſiodorenſem, Turr. Sot. Joan. a S.Th. Salmantic. ſpeculativ. tr.XX. de ſtat. Relig. cum cit.* quam ſententiam utpote probabilem docui in Theologia; licet nunc alia mihi videatur mens S. Thomæ, ut eam num. præced. expoſui. *Prob. I.* Papa habet a Chriſto Domino generalem poteſtatem gubernandi Eccleſiam, & ea faciendi, quæ magis expediunt, tum privatæ, cum etiam publicæ felicitati fidelium, ut patet *ex Matt. 16. Quodcumque ſolveris ſuper terram &c. & Joan. ult. Paſce oves meas*: ſed ſub hac generali poteſtate continetur hæc poteſtas particularis diſſolvendi vinculum profeſſionis religioſæ, ergo: probo minorem, 1. negative, quia nullibi excipitur, 2. poſitive, quia voluntates fidelium ſubſtant ſupremæ poteſtati papali, ut, prout melius videtur, eas commutare, relaxare, & totaliter irritare poſſit; atque ita in conſequentiam Jura quæſita tollere, ac materiam ſubducere ab obligatione juris naturalis, ut patet in irritatione votorum ſimplicium juramentorum, & contractuum; ergo ob eandem rationem Papa habet poteſtatem irritandi conſenſum religioſi, quo ſe Deo devovit, cum nullo Jure divino ſcripto, aut tradito oſtendi poſſit, caſum iſtum exceptum fuiſſe a generali poteſtate irritandi. Quo caſu Jus naturale, & divinum non mutatur formaliter, & directe, ſed materialiter, indirecte; & in conſequentiam, quatenus, irritato conſenſu, ſeu contractu, nulla reſtat materia, ſuper quam obligatio juris naturalis cadat, 3. quod hæc poteſtas particularis contineatur ſub generali, a Chriſto data, ſi non per definitionem, ſaltem ipſo facto declararunt Summi Pontifices, diſpenſando cum Religioſis ad matrimonium; ſicut Benedict. IX. cum Caſimiro II. Rege Poloniæ, Monacho Cluniacenſi; Cœlaſtin. III. cum Conſtantia moniali, Rogerii, Siciliæ Regis filia, & poſtea uxore Henrici VI. Imper. Innoc. III. conditor Decretalis, *Cum ad monaſterium*, cum Ramiro II. Arragonum Rege, Abbate, & Epiſcopo; Gregor. XIII. cum Provinciali Capucinorum Fratre Cardinalis Joyoſæ, & alii cum aliis, ut Hiſtorici memorant, quorum auctoritas, quam nonnulli in dubium vocant, ſi non plene probat, ſaltem multum adjuvat præſentem ſentententiam, 4. non minus Epiſcopus per confirmationem contrahit vinculum ſpirituale Juris divini cum ſua Eccleſia, quam Religioſus per profeſſionem cum Religione; utrumque enim ex natura ſua, & jure divino eſt perpetuum, ac indiſſolubile; imo fortius videtur eſſe vinculum Epiſcopi, quam Religioſi, ut docet S. D. 2. 2. quæſtion. 174. art.V. & VI. Sed Papa, ut Vicarius Dei, ſeu poteſtate, a Chriſto accepta, diſſolvere poteſt vinculum Epiſcopi cum Eccleſia, ut clare docet Innoc. III. *cap. II. in fin. de translat.* ergo etiam diſſolvere poteſt vinculum profeſſionis religioſæ, ut recte argumentatur S. D. *cit. art. VI. in corpore*, ibi = Epiſcopi autem, quia ſunt in ſtatu perfectionis, non niſi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam ſolum pertinet in votis perpetuis (qualia hic veniunt religioſa, ut ex contextu patet) diſpenſare, poſſunt epiſcopalem curam deſerere, 5. plerique RR. id ipſum probant ex ea ratione; quia Papa diſpenſare poteſt in votis ſimplicibus, ſed ſolemnia religioſa non differunt ab eis, niſi penes ſolemnitatem extrinſecam, ab Eccleſia introductam, *c. un. de Vot. in VI.* ergo etiam diſpenſare poteſt in votis ſolemnibus religioſis. Sed hæc ratio merito rejicienda eſt; quia incertum per magis incertum probat; nam verior videtur ſententia eorum, qui vota religioſa, quæ ab extrinſeco dicuntur ſolemnia, aſſerunt intrinſece diſtingui a quibuſcumque votis ſimplicibus, & ſolemnibus non religioſis: ſiquidem ſolemnitas extrinſeca, ſicut in matrimonio, non mutat, ſed determinat vota religioſa, quæ ſpecifice talis, important perpetuam traditionem, & acceptationem, perpetuamque obligationem ex parte Religioſi, & Religionis, ut a principio Eccleſiæ Chriſti obſervatum fuit; quæ perpetuitas reciproca in nullis aliis votis ſimplicibus reperitur. Melius ſententia iſta confirmatur auctoritate S. D. *in IV. d. XXXVIII. q.I. ar.IV. quæſt. I. ad III.* inquientis = Et ideo alii dicunt probabilius, ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſceret, poſſet convenienter, & in voto Religionis, & in voto continentiæ diſpenſare, quantumcumque eſſet ſolemnizatum =. Ex quo patet ad valorem hujus diſpenſationis requiri gravem, & publicam cauſam, ſine qua Papa in jure divino, & naturali diſpenſando, nihil agit, ut alias ſæpe dictum. Talis cauſa eſſet tranquillitas totius Regni, defenſio Fidei catholicæ: ut ſi in Regno ſuccedere deberet hæreticus, aut infidelis, niſi monachus, ducta uxore, Regnum ſuſciperet &c. =.

Vide etiam Gonzalez, Alteſerra, & Fagnanum ad hanc eandem Decretalem.

☞ Hic ſerio monitos velim quoſcumque paupertatis voto, tam ſimplici, quam ſolemni, & hoc potiſſimum, obſtrictos, ne cum periculo damnationis æternæ ſe allucinentur, putantes, ſibi licitum eſſe citra ſacrilegam

dicti voti fractionem, pecuniam, cujus uſum habeat, cuicumque ludo exponere, & præſertim vulgo *del Lotto*, ea falſa innixi ratione, quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII. die 12. Auguſti 1727. etiam ſub pœna excommunicationis, Papæ reſervatæ, permiſſum deinde fuerit a Clem. XII. in ejus *Motu proprio 9. Decembr.* 1731. incipien. *Tra le molte anguſtie*, *impreſſa in Typographia Camerali*: in hoc enim expreſſe excluduntur quicumque paupertatis voto obſtricti ſint, ibi — Perciò ci contentiamo, che nel nuovo Lotto, da noi, come ſopra, permeſſo (Romæ tamen, & tota eccleſiaſtica ditione dumtaxat) poſſa qualunque perſona dell' uno, e l' altro ſeſſo, *non compreſe però quelle, che ne veniſſero impedite dal vincolo de voti di povertà* — quæ ultima verba repetita etiam leguntur in Edictis, de mandato ejuſdem Pontificis, publicatis ab Emo Urbis Vicario, & a Generali Theſaurario ſub die 12. dictorum menſis, & anni, in eadem Typographia impreſſis.

Nec exiſtiment, ſe tutos in foro conſcientiæ, ſi id faciant cum licentia ſuorum Superiorum, ſi forte hodie, & cum hae faciant; quandoquidem omnia jura clamant, his omnino interdictum eſſe, concedere propriis ſubditis facultatem quidquam erogandi in uſus prophanos & contra ipſorum ſtatum, ſed in neceſſarios dumtaxat, licitos, & honeſtos. Hinc (ita, hoc certo, & incontrovertibili firmato principio, inter alios DD. communiter infert Bartholomeus a S. Fauſto Congreg. Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis in *Theſauro Religioſorum lib. VIII. de voto Paupertatis qu. XCIV.*) = Prælatus non poteſt facere facultatem hujuſmodi religioſo, v. g. ut expendat pecuniam in ludos, luxus, & ſimilia: & quamvis Prælatus prædictam licentiam concedat, non ideo ſubditus excuſatur a mortali, & a nota proprietatis, ſi in materia gravi ea utatur. Et ratio eſt, quia hoc non eſt diſpenſare, vel rectam licentiam dare, ſed diſſipare, quia diſpenſatio eſt diſcreta penſatio, neceſſitate, vel utitate ſuadente: at in pecunia ad libitum religioſi expendenda, nunquam eſt ſalutifera diſpenſatio =.

Neque itidem ſibi ſuadeant, tam Superiores in concedendo licentiam, quam ſubditi in ea utendo, ſe mortalis peccati reatui non eſſe obnoxios, ſi exponant præfato ludo, ſicut & cæteris, parvam aliquam ſummam, ratione parvitatis materiæ; cum enim non ſemel, ſed pluries intra annum, & hic in Urbe decem, & octo vicibus hanc prætenſam parvam ſummam exponere ſoleant, & ſic continuando quolibet anno, non video, quomodo dici poſſit parvitas materiæ; eo pari modo, quo dici nequit, eum excuſari a peccato mortali ratione parvitatis materiæ, a quo per pauca moraliter continuata furta ablata eſt magna ſumma totalis, juxta propoſitionem la XXXVIII. in ordine, inter alias proſcriptas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679.

Neque tandem ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſubſidium ſibi ita tuto aucupari ſe poſſe credant a vivæ vocis oraculo, quod prolatum fuiſſe dictitant a laudato Clemente poſt publicationem relati *Motus proprii*, licere ſcilicet paupertatis vinculo obſtrictis parvam aliquam pecuniæ ſummam prædicto ludo exponere, non obſtante prohibitione, in eodem Motu proprio expreſſa, cum de eo nullo modo conſtet. Et quamvis ex atteſtatione aliquorum fide dignorum, ut dictitatur, conſtaret, præſumi nequit, tantum Pontificem, ita zelotypum ad ſartam tectam fidelium pietatem ſervandam, voluiſſe dicto vinculo obſtrictis apperire viam proprietatis, ipſis indulgendo, non ut raro, ſed ut toties, quoties quolibet anno exponere poſſent prædicto ludo parvam aliquam ſummam, quæ integraret, ut dixi, magnam ſummam totalem contra votum paupertatis. Unde de hoc aſſerto vivæ vocis oraculo dicendum eſt, verum fuiſſe commentum, ab aliquibus excogitatum ad propriæ indulgendum cupiditati, palliadumque proprietatis vitium.

Siqui vero citra lethalem culpam, ſe tuto id, non ſemel, ſed pluries in anno, facere poſſe credant, aut vi hujus præſumpti oraculi, aut alterius tituli, puta ad ſubveniendum, vel ſuæ, vel loci pii, vel alienæ paupertati, ipſi viderint, cum non meum ſit de iis judicium ferre. Audiant tamen quid de iiſdem ſentiat S. Antoninus *part. II. tit. I. cap. XXIII. §. III. Sed & Religioſi, ſiquæ habent ad uſum, vel per adminiſtrationem, illa tamen donare, vel alienare non poſſunt illicite, ut in LUDIS*.

Eſt hic notandum, quod quamvis Clemens derogaverit Conſtitutioni Benedicti quoad excommunicationem, inflictam iis, qui prædicto ludo vacarent, hanc tamen firmam remanere declaravit contra illos, qui in ludendo, uterentur pravis artibus, & deteſtabilibus, ac damnatis ſuperſtitionibus, ut dicam infra ad titulum *de Sortilegiis, ad cap. I. In tabulis*.

SECTIO DLIX.

Caput VII. In singulis, *ex Decretali, deſumpta a Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato ſub dicto Innocentio III. anno 1215.*

Hæc Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, ſtatuens, formam inſtituendi regiminis in monaſteriis Ciſtercienſium, & Canonicorum Regularium, immediate ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, non habentibus regulares Viſitatores ordinarios, innovata, & ampliata eſt a Concilio Trid. *cap. VIII. ſeſſ. XXV. de Regul.* ibi.

Monaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione, ac directione regi conſueverunt, teneantur infra annum a fine præſentis Concilii, & deinde quolibet triennio, ſeſe in Congregationes redigere, juxta formam Conſtitutionis Innocent. III.

in

in Concilio generali, quæ incipit *In ſingulis*, ibique certas regulares perſonas deputare, quæ de modo, & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis deliberent, & ſtatuant. Quod ſi in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus Provincia prædicta monaſteria ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, eos pro prædictis cauſis convocare. Quod ſi infra limites unius Provinciæ non ſit ſufficiens talium monaſteriorum numerus ad erigendam Congregationem, poſſint duarum, vel trium Provinciarum monaſteria unam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum generalia capitula, & ab illis electi Præſides, vel Viſitatores, eandem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis monaſteria, ac Regulares, in eis commorantes, quam alii Præſides, ac Viſitatores in cæteris habent Ordinibus: teneanturque ſuæ Congregationis monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obſervare, quæ in Sacris Canonibus, & in hoc Sacro Concilio ſunt decreta. Quod ſi etiam, Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curaverint; Epiſcopis, in quorum diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ſubdantur.

Circa intellectum hujus Decretalis, & Tridentini decreti, vide Fagnan. ad hanc eandem Decretalem, quæ etiam confirmata, & extenſa eſt ad monachos Ordinis S. Benedicti ab Honorio III., ut videre eſt in ejus Decretali relata, *hoc eod. tit. cap. VIII. Ea*, *quæ*.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DLX.

Caput Unicum, Periculoso, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Periculoſo, & deteſtabili quarundam monialium ſtatui (quæ honeſtatis laxatis habenis, & monachali modeſtia, ſexuſque verecundia imprudenter abjectis, extra ſua monaſteria, nonnunquam per habitacula ſecularium perſonarum diſcurrunt, & frequenter intra eadem monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt, in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea devoverunt, gravem offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum) providere ſalubriter cupientes: præſenti Conſtitutione, perpetuo irrefragabiliter valitura, ſancimus, univerſas, & ſingulas moniales, præſentes, atque futuras, cujuſcumque Religionis ſint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſteriis debere de cætero permanere clauſura: ita quod nulli earum, Religionem tacite, vel expreſſe profeſſæ, ſit, vel eſſe valeat quacunque ratione, vel cauſa (niſi forte tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo, ſeu ſcandalo commorari) monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem: ut ſic a publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omnino ſervire Deo valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua, & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.

§. I. Sane, ut hoc ſalutare ſtatutum commodius valeat obſervari, diſtrictius inhibemus, ne in monaſteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores, niſi quot poterunt de ipſorum monaſteriorum bonis, ſive proventibus abſque penuria ſuſtentari, ſi ſecus actum fuerit, irritum decernentes.

§. II. Verum, quando Abbatiſſa, vel Prioriſſa cujuſvis monaſterii pro feudo, quod monaſterium ipſum tenet ab aliquo Principe, ſeu Domino temporali, ſibi debebit homagium, vel fidelitatis ſacramentum præſtare (niſi quod per procuratorem illud præſtet, poſſit efficere apud eum) de monaſterio cum honeſta, & decenti ſocietate exire poterit eo caſu licenter, homagio facto, quamprimum commode poterit, ſeu fidelitatis præſtito Sacramento, ad ipſum monaſterium e veſtigio reverſura: ſic quod in fraudem reſidentiæ, ſive moræ clauſtralis nihil fiat omnino.

§. III. Porro, ne Moniales cauſam, ſeu occaſionem habeant evagandi, Principes ſecu-

lares, ac alids Dominos temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccaminum nihilominus ſuadentes, quod Abbatiſſas ipſas, & Prioriſſas, ac moniales quaſcumque monaſteriorum ſuorum curam, adminiſtrationem, negociave gerentes, quibuſcumque nominibus cenſeantur, per procuratores in ſuis tribunalibus, ſeu curiis litigare permittant: ne pro conſtituendis procuratoribus (qui atornati in aliquibus partibus nuncupantur) ſeu aliis hujuſmodi eaſdem oporteat evagari. Si qui vero contra præſumpſerint, exhortationi hujuſmodi rationabili, atque ſanctæ obtemperare nolentes, cum ſit juri contrarium, quod mulieres (præſertim religioſæ) per ſe ipſas litigare cogantur, & a via deviet honeſtatis, & periculum animarum inducat, ad hoc per ſuos Ordinarios eccleſiaſticos cenſura eccleſiaſtica compellantur. Epiſcopis autem, & aliis Prælatis ſuperioribus, & inferioribus quibuſcumque injungimus, quod & ipſi cauſas, ſeu negocia, quæ præfatæ moniales habebunt, agere coram ipſis, aut in curiis eorundem, ſive ſint homagia, fidelitatis ſacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipſa per procuratores earum fieri faciant, & tractari.

§. IV. Et quoniam parum eſſet condere jura, niſi eſſent, qui ea executioni debitæ demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis diſtricte in virtute S. obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipiendo, mandamus, quatenus eorum quilibet in civitate, ac diœceſi propria, in monaſteriis, monialium ſibi ordinario jure ſubjectis, ſua; in iis vero, quæ ad Romanam immediate ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate: Abbates vero, & alii, tam exempti, quam non exempti Prælati Eccleſiarum, monaſteriorum, & Ordinum quorumcumque, in monaſteriis hujuſmodi ſibi ſubjectis, de clauſura convenienti, ubi non eſt, ipſorum monaſteriorum expenſis, & fidelium eleemoſynis, quas ad hoc procurent, diligentius facienda, & de ipſis monialibus includendis, quamprimum commode poterunt, providere procurent, ſi divinæ, ac noſtræ indignationis voluerint acrimoniam evitare, contradictores, atque rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis. Per hoc autem in monaſteriis exemptis Ordinarii locorum, quoad alia nullam ſibi credant juriſdictionem, vel poteſtatem aliquatenus attributam.

Hæc Decretalis in quinque partes diſtinguitur:

In prima, decernitur, quod moniales quæcumque, tacite, vel expreſſe profeſſæ teneantur ad clauſuram, nec poſſint egredi a monaſteriis quacumque ratione, vel cauſa, niſi conſtet, eas tali, ac tanto morbo laborare, quod non poſſint cum aliis abſque gravi periculo, vel ſcandalo commorari.

In ſecunda, prohibetur cuicumque, etiam honeſtæ perſonæ, ingreſſus, vel acceſſus ad illarum monaſteria, niſi ex rationabili, & manifeſta cauſa, ac de ſpeciali legitimi Superioris licentia.

In tertia, ſtatuitur, ne in monaſteriis Ordinum non Mendicantium recipi poſſint plures moniales, quam quot de eorumdem monaſteriorum proventibus ſine penuria ſuſtentari queant.

In quarta, permittitur Abbatiſſis, obſtrictis ad perſonaliter præſtandum juramentum fidelitatis in manu Domni propter fœudum, quod forte earum monaſteria poſſiderent, exire eum decedenti, & honeſto comitatu, cum onere ſtatim redeundi.

In quinta tandem parte, præcipitur locorum Ordinariis, ut in monaſteriis, ſibi ordinario jure ſubjectis propria, in exemptis vero auctoritate Apoſtolica, clauſuram omnino ſtatuere procurent.

Quæ autem primæ, ſecundæ, quartæ, & quintæ parti acceſſerint ex jure novo, ſpecialis inſtituetur ſermo *parte II. cum de cap. V. Tridentini ſeſſione XXV. de Regul.*

Quæ acceſſerint tertiæ parti, pariter inſtituetur ſermo eadem *parte II. cum de cap. III. dict. ſeſſ.*

Quoad tacitam profeſſionem, a tranſcripta Decretali admiſſam, videnda ſunt notata ſupra Sectione DXXII.

SECTIO DLXI.

CAPUT I. NE IN AGRO, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali, Vienne in Gallia, celebrato anno 1311.*

NE in agro . . . . . Sane ſingulis menſibus, tam in monaſteriis, quam extra (ſublata occaſione quacumque) ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes, & ſinguli monachi. Et in prima Dominica menſis cujuslibet in monaſteriis ſemper communicent, niſi ex cauſa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis monaſteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abſtineant, vel accedant. Regula quoque, cum in capitulo legitur, ab illo, qui præeſt ipſi capitulo, vel alio, cui hoc ipſe injunxerit, propter juniores vulgariter exponatur. Novitiis etiam fidelis deputetur inſtructor, tam in divinis officiis, quam in obſervantia regulari.

Hæc Decretalis, edita pro Monachis nigris, his præcipiens, ut ſinguliſ menſibus confeſſionem ſacramentalem emittant, & ſacra ſe Synaxi reficiant, extenſa eſt a Conc. Trid. etiam ad moniales, *ut cap. X. ſeſſ. XXV. de Regul,* ibi.

Attendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores monaſteriorum ſanctimonialium, ut in Conſtitutionibus earum admoneantur ſanctimoniales, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes appugnationes dæmonis fortiter ſuperandas.

Nota, quod quamvis ex vi juris communis, & allato Tridentini textu probabile ſit, moniales non teneri ſub mortali, niſi ad confeſſionem annuam, & Communionem in Paſchate, tamen = probabile etiam eſt, quod teneantur ſingulis menſibus, ut videre eſt apud *Clericatum de Euchariſtia, diſſ. XLIX. num.* 14. tum quia poſſunt eſſe obligatæ vel ex præcepto peculiari ſuarum Conſtitutionum, vel ex præcepto, ſeu lege epiſcopali, vel ratione ſcandali, aut alio ſimili motivo, ad frequentiorem confeſſionem, & Communionem = ita Pellizzarius *de Monialib. cap. V. num. VIII in fin. pag.* 199. *Edit. noviſſimæ, & correcta Romæ* 1755.

SECTIO DLXII.

CAPUT II. ATTENDENTES, *ex Decretali laudati Clementis V. in eodem Concilio.*

ATtendentes, quod ubi gubernaculum diſciplinæ contemnitur, reſtat, ut Religio naufragetur: providendum cenſuimus eſſe præcipue, ne per contemptum hujuſmodi in lis, quæ ſe Chriſto voto celebri (ideſt ſolemni) deſponderunt, quicquam reperiatur incongruum, quod in regulari ponat honeſtatis gloria maculam, & divinam merito poſſit offendere majeſtatem. Hoc igitur ſacro approbante Concilio, duximus ſtatuendum, ut ſingula monialium monaſteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi Apoſt. quod nulli alii ſubjecta noſcuntur, Apoſtolica; non exempta vero, ordinaria auctoritate, ac exempta alia per alios, quibus ſubſunt, annis ſingulis debeant viſitari. Viſitatores autem hujuſmodi ſolicitudinis ſtudium diligenter impendant, ut moniales ipſæ (quarum nonnullas dolentes audivimus in ſubſcriptis excedere) pannis ſericis, variorum foderaturis, ſandalitiis, comatis, & cornutis crinibus, ſcacatis, & virgatis caputiolis non utantur, non choreas, non feſta ſecularium proſequantur, non die, noctuque per vicos, & plateas incedant, aut voluptuoſam alias vitam ducant, eaſque ſolertius retrahant ab inſolentiis quibuslibet, & mundi hujus illecebris; ac inducant eaſdem ad impendendum in monaſteriis ſuis devotum, & debitum virtutum Domino famulatum. Ad quæ omnia obſervanda moniales eaſdem (non obſtantibus exemptionibus, & privilegiis quibuſcumque, quibus tamen quoad alia nolumus præjudicium generari) per illos, de

de quibus ſupra dictum eſt, compelli jubemus remediis opportunis. Statuimus inſuper, ut quævis ad regimen Abbatiarum aſſumptæ, in monaſteriis, in quibus Abbatiſſæ ſunt ſolitæ benedici, intra annum, a ſuæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis ſuſcipiant: alioquin a jure ſuo (niſi ſubſit cauſa rationabilis) prorſus ſe noverint cecidiſſe, per illos, ad quos id pertinet, proviſione de Abbatiſſis, monaſteriis ipſis canonice facienda. Illas quoque mulieres, quæ vulgo dicuntur Canonicæ ſeculares, & ut ſeculares Canonici vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec profeſſionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios, ſi exemptæ non fuerint, ſua; ſi vero exemptæ fuerint, Apoſtolica auctoritate, præcipimus viſitari: per hoc tamen non intendentes earum ſtatum, regulam, ſeu Ordinem approbare. Ipſos autem Viſitatores notariis duobus, & perſonis duabus ſuæ Eccleſiæ, quatuorque viris aliis honeſtis utique, & maturis præcipimus in ea, quam viſitando facient, inquiſitione fore contentos. Si qui vero Viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeu aliquo præmiſſorum (niſi moniti reſipiſcant) ipſo facto excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros, privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris.

Hæc Decretalis in quatuor partes diſtinguitur.

In prima ſtatuitur, ut monaſteria monialium, ſicut & Canoniſſæ, vitam ducentes ut Canonici ſeculares, quæ proprio non renunciant, quotannis viſitentur a locorum Ordinariis, non exempta quidem, ſua, immediate autem ſubjecta Sanctæ Sedi, auctoritate Apoſtolica, præſcripto numero perſonarum, quas ſecum in viſitatione habere debeant.

In ſecunda idem pariter ſtatuitur quoad moniales, aliis ſubjectas, puta Regularibus &c.

In tertia infligitur pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ a præſumentibus impedire prædictas viſitationes, niſi moniti reſipiſcant.

In quarta tandem præcipitur, ut ubi Abbatiſſæ benedici ſolent, teneantur infra annum, a die confirmationis benedictionem accipere ſub pœna privationis Abbatiſſatus, ſi nulla exiſtente rationibili cauſa, eam non ſuſceperint.

Ad primam partem, quod ſpectat, circa viſitationem ſcilicet monialium, hoc Clementis ſtatutum confirmatum eſt a Conc. Trident. *cap. IX. ſeſſ. XXV. de Regul.*, in quo diſponitur, ut.

Monaſteria Sanctimonialium, S. Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, etiam ſub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Epiſcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obſtantibus quibuſcumque. Quæ vero a deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur; ſub eorum cura, & cuſtodia relinquantur.

Quæ tamen gubernatio intelligi debet de concernentibus ſpiritualia: dumtaxat, non vero temporalia, ut declaravit Congregatio Conc., teſte Gallemart ad hoc idem Trident. cap.

Ad præſcriptum numerum perſonarum quod attinet, quæ juxta tranſcriptam Decretalem non poſſunt eſſe plures quam octo, eidem acceſſit Conſtitutio Gregorii XIII. *Dubiis*, 23. *Decembris* 1581. declaratoria alterius ejuſdem Conſtit. *Ubi Gratiæ*, emanatæ *idibus Junii* 1575., qua nedum confirmatur dicta Decretalis, ſed etiam infliguntur ſequentes pœnæ in dictum numerum excedentes, ibi.

Declaramus, Prælatos omnes, tam ſeculares, quam regulares, quibus cura, & regimen monaſteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi monaſteria prædicta, ita demum uti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & a paucis, iiſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. Quocirca univerſos, & ſingulos, epiſcopali, ſeu majori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumvis Ordinum, Abbates, Priores, miniſtros, & alios quoſcumque Superiores regulares ſerio monemus, ut facultate bujuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus, ut præfertur, neceſſariis neutiquam utantur. Quod ſi contra fecerint, eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda, a munere pontificali, & a divinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto, abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere; Regulares vero omni officio, ac miniſterio privatos, excommunicationi ſimiliter ſubjacere.

Quamvis in hac Gregorii declaratoria non exprimatur numerus earundem perſonarum, ſed præcipiatur dumtaxat, ut Prælati ingredientes monaſteria monialium pro viſitatione ingredi debeant — paucis comitati — hæc tamen recipit interpretationem paſſivam ab allata Decretali, ut de veriori ſentit Fagnanus ad *cap. XVII. Ut jaxta*, *de offic. Ordin. a num.* 30. *ad* 34.

Notandum obiter hic eſt, quod ex decreto Cong. Conc. in *Volaterrana*, 13. *Novembr.* 1638. *lib. XVI. decretor. pag.* 106. nulla debetur procuratio Epiſcopo, viſitanti monaſteria monialium, niſi adſit in earum Eccleſia aliquod beneficium.

Quia

Quia vero in dicta Decretali ſtatuitur, ut ex octo dictis perſonis quatuor debeant eſſe viri boneſti, & maturi, non diſtinguendo, an debeant eſſe Clerici, vel laici, hinc non levis orta eſt inter DD. controverſia, utrum poſſint eſſe etiam laici; quam tamen ſuſtulit Congr. Epiſcopor., & Regular. ~ Quæ prohibuit, laicos ullo modo intervenire poſſe viſitationi monaſteriorum monialium, *ut in Tarviſina* 20. *Novembr.* 1601. *quæ habetur in originali regiſtro fol.* 105. etiamſi eſſent officiales, ſeu Sanctesii ejuſdem monaſterii, ut in *Genuen.* 16. *Januarii* 1607. *in regiſtr. fol.* 2. *&* 3. *&* *in Lucana* 22. *Januarii* 1616. *fol.* 15. ~ ita Fagnan. *loc. cit. num* 23.

Rurſus, cum in præfata Gregorii declaratoria legatur ~ *ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati* ~ orta eſt alia controverſia, an hæ eſſe debeant de cœtu Regularium. Et ita quidem ſenſit Fagnan. *d. loc. cit. n.*35. verum ex prædictis verbis id non videtur inferri poſſe; cum enim *ly Religioſis* ſit nomen adjectivum, juxta obvium loquendi modum, non intelligendum eſt de Regularibus, ſubſtantive ſumptis, ſed de perſonis probis, pietate, ac religione præditis,

Et quamvis in *cit. cap. XVII. De juxta*, declaretur, quod in viſitatione monaſteriorum virorum, Epiſcopo ſubjectorum, poſſit bic præter duos, aut tres de Canonicis ſuæ Eccleſiæ ſibi adjungere alios Religioſos, quos ſibi expedire videbitur = *Firmiter inhibemus, ne nullos de cætero ſeculares in capitulum (niſi duo, vel tres de Canonicis Eccleſiæ ſuæ, in decenti habitu, aliis, quos expedire viderit, Religioſis adjunctis) ſecum viſitationis tempore introducant* = mendoſe tamen dictum cap. legitur in vulgata Gregorii IX. collectione, cum *ly aliis* addendum ſit ſubſtantivum nomen *viris*, prout addiderunt Correctores Romani, & Gonzalez.

De Canoniſſis, de quibus ſermo eſt in hac prima Decretalis parte, vide notata ſupra ad *cap. XLIII Indemnitatibus, de Elect. in VI.* Sect. LXII. *n.*10.

Secunda ejuſdem Decretalis pars, in qua ſtatuitur, monaſteria monialium, Regularibus ſubjecta viſitanda eſſe non ab Epiſcopo, ſed ab earum regularibus Prælatis, ampliata eſt a Trid. *cap. V. ſeſſ. XXV. de Regul.* decernente, viſitari & hæc poſſe ab Epiſcopo, in caſu tantum clauſuræ reſtituendæ, ibi.

Bonifacii VIII. Conſtitutionem, quæ incipit *Periculoſo*, renovans S. Synodus, univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus monaſteriis, ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent: inobedientes atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Hoc tamen Tridentini decretum extenſum eſt etiam ab Alexandro VII. ad quamcumque aliam urgentem, ac neceſſariam cauſam, ſi agatur de ingreſſu in eadem monaſteria, ut in ejus Conſtitutione mox tranſcribenda.

Placet hic referre decreta Congregationis Concil. ad hanc Epiſcopi viſitationem ſpectantia.

Sub die 24. *Septembris* 1622. *lib.* 12. *Decretor. fol.* 111. cenſuit = Licere Epiſcopo viſitare monaſteria monialium, Regularibus ſubjectarum, & ſingulas moniales abſque interventu Regularium alloqui in concernentibus clauſuram =.

Sub die 26. *Junii* 1627. *in Viterbien. ad Dubium* = An Epiſcopus ad clauſuram cuſtodiendam, etiam in monaſteriis, Regularibus ſubjectis, poſſit excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, ſibi reſervatæ imponere circa aperitionem oſtii clauſuræ extra caſus indigentiæ, necnon circa acceſſus, & colloquia cum monialibus, dictaque excommunicatio liget, nedum Regulares accedentes, verum etiam moniales, facta de illis mentione, adeo, ut Superior regularis ab hujuſmodi excommunicatione abſolvere nequeat? Sac. Congreg. Card. Conc. Trid. Interpretum reſpondit: *Epiſcopum poſſe* =.

Anno 1638. *in Recinen. lib. XI. fol.* 31. *ad VII.* cenſuit = poſſe Epiſcopum ingredi clauſuram, ſaltem duobus honeſtis, & gravibus viris comitatum =.

Sub die 26. *Maii* 1640. *in Conimbricen. lib. XVI. Decret. pag.* 384. a tergo, cenſuit = Epiſcopum Conimbrienſem, uti Sedis Apoſtolicæ delegatum, potuiſſe quoad clauſuram, monaſterium monialium conventus de Cellas, Ordinis Ciſtercienſis, Regularibus ejuſdem Ordinis ſubjectum, viſitare, etiam aſſumpto ſecum Vicario generali, & confeſſario ejuſdem monialium, monialeſque ipſas in iis, quæ ad eandem clauſuram pertinent, examini ſubjicere, remotis etiam ſuſpicione violatæ clauſuræ, ac quacumque Superiorum regularium negligentia, ipſiſque inconſultis, & irrequiſitis =.

Sub die 29. *Junii* 1684. *ad dubia in cauſa Florentina.*

I. An Archiepiſcopus, ſeu de ejus mandato Vicarius generalis, poſſit viſitare Sanctiſſimum Sacramentum, Olea Sacra, confeſſionalia, & ſepulturas in Eccleſiis monialium, Regularibus ſubjectarum.

II. An valeat eaſdem moniales communicare.

III. An poſſit ingredi earundem monialium clauſuram cum pluviali, & ſtola.

IV. An omnes moniales præfatæ teneantur proceſſionaliter cum Cruce, & cum Cantico *Benedictus Dominus*, obviam ire Vicario, ingredienti, & viſitare volenti clauſuram.

V. An in viſitatione, & ingreſſu clauſuræ teneantur Vicarii generales ſecum ducere Priorem, & confeſſarium dd. monialium.

Reſpondit, ut *lib. XXXIV. Decretor. fol.* 235.

Ad I. negative, niſi in his, quæ concernunt obſervantiam clauſuræ, & quatenus non adſit legitima conſuetudo in contrarium. Ad II. affirmative, dummodo moniales velint. Ad III. IV. & V. negative,

Sub die 19. Januarii 1686. ad ſequentia dubia, ſibi propoſita a Franciſco de Monelia, Min. de Obſer. Procuratore generali, ut *lib. XXV. Decretor. pag.* 15.

I. An Epiſcopus, viſitaturus clauſuram monaſteriorum monialium, Regularibus ſubjectarum, teneatur, ante acceſſum iiſdem monialibus præfinire diem, & horam

Digitized by Google

& horam viſitationis, & huic dubio fuit reſponſum negative.

II. An in Eccleſiis monialium, non curatis, viſitare poſſit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, Oleum infirmorum, confeſſionalia, ſepulturas, & Reliquias, inibi exiſtentes, & huic dubio reſponſum fuit, quod detur ſupra inſertum decretum in cauſa Florentina.

III. An in caſu reſiſtentiæ monialium, poſſit fores Eccleſiæ frangere, Tabernaculum violenter aperire, Eccleſiam interdicere, & SS. Euchariſtiæ Sacramentum ad aliam Eccleſiam transferre, & huic dubio reſponſum fuit negative, niſi in caſibus ſpectantibus ad clauſuram.

IV. An Epiſcopo, monaſteriorum clauſuram viſitare volenti, dd. moniales teneantur erigere in Eccleſia exteriori, vel interiori ſedem cum baldacchino, vel ſolumodo ſufficiat ſtratum præparare in utraque Eccleſia, & huic dubio reſponſum fuit, ſufficere præparationem ſtrati.

V. An Epiſcopus d. clauſuram viſitaturus, præter Conviſitatores, poſſit pro ſuo libito ſecum ducere intus monaſterium alias perſonas, ſive eccleſiaſticas, ſive ſeculares indeterminate, vel in certo, & præfixo numero, & huic dubio reſponſum fuit, ſervandas eſſe Conſtitutiones Apoſtolicas, hoc eſt Bull. 15. Gregorii XIII. *Bullar. Tom. II.*

VI. An Epiſcopum, dd. monaſteriorum clauſuram viſitaturum teneantur moniales omnes excipere proceſſionaliter cum Cruce, & Cantico *Benedictus*, & huic dubio reſponſum fuit negative.

VII. An dd. moniales teneantur in ipſo clauſuræ ingreſſu adornare ſtratum, ibique genuflectenti Epiſcopo monialis aliqua porrigere debeat Crucem deoſculandam, & huic dubio reſponſum fuit negative.

VIII. An Epiſcopus, clauſuram ingreſſurus, poſſit pro ſuo libito convocare dd. moniales omnes in choro interiori, aut in alio loco, & ad eas ſermonem habere, & huic dubio reſponſum fuit, poſſe.

IX. An abſolute, & indifferenter viſitare poſſit cellas dd. monialium, etiam quoad non pertinentia ad clauſuram, & huic dubio reſponſum fuit negative.

Dubium autem propoſitum in cauſa Florentina ſub die 29. Junii 1684. habes ſupra.

Sub die 31. *Julii* 1723. *in Aquilana juriſdictionis ad dubia*.

I. An Epiſcopo, accedenti ad viſitandum monaſteria monialium, PP. Cœleſtinis ſubjectarum, debeantur in ingreſſu Eccleſiæ ſolitæ honorificentiæ, & preeminentiæ, omneſque actus reverentiales, ac aſſociari tam in ingreſſu, quam in egreſſu Eccleſiæ a prædictis PP. Cœleſtinis.

II. An moniales prædictæ teneantur tradere Epiſcopo viſitanti librum regularem, & teneantur ſimiliter ſubire ad ſolitas crates onus perſonalis viſitationis quoad clauſuram ſpectantis.

III. An Epiſcopus poſſit ſolus cum ſuis Conviſitatoribus ingredi, & viſitare clauſuram prædd. monialium abſque interventu P. Abbatis Cœleſtinorum.

IV. An Epiſcopus poſſit viſitare nedum crates, & mœnia exteriora prædictorum monaſteriorum, ſed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clauſuræ cuſtodia.

V. An poſſit Epiſcopus occaſione S. Viſitationis habere ſermonem ſpiritualem prædd. monialibus, tam intra, quam extra ſepta monaſterii.

VI. An poſſit Epiſcopus nedum viſitare Altare, & Cappellas Eccleſiarum prædictorum monaſteriorum, in quibus beneficia, aliaque onera Miſſarum inſint, verum etiam & Tabernaculum cum Altari majori.

Sacra Congregatio reſpondit, ut in folio dicti diei 31. *Julii in Theſauro reſolutionum*, *tom. II. pag.* 349.

Ad I. affirmative quoad miniſtros officiales monaſterii, & quoad Confeſſarium ejuſdem tantum. Ad II. negative quoad primam partem, affirmative quoad ſecundam. Ad III. IV. & V. affirmative. Ad VI. negative.

Notanda tamen ſunt animadverſa a Matthæuccio *Official. Curiæ cap. XI. quoad clauſur. monial. num.* 1. per hæc verba „ Verum juriſdictio circa clauſuram
„ monaſteriorum, Regularibus ſubjectorum, compe-
„ tit Epiſcopo cumulative cum Superiore regulari,
„ non autem privative; adeout & circa eam is poſſit
„ opportuna ſtatuere, ex Decreto Sac. Congreg. Con-
„ cilii 1608. ut in lib. XI. Decr. fol. 31. & ex mox re-
„ ferenda Conſt. Alex. VII., ſed juxta terminos a S.
„ Sede, eidem præfixos, & non aliter; quia eſt certum,
„ quoad hoc, Regularium juriſdictionem per Decreta
„ Apoſtolica eſſe reſtrictam, & limitatam, modumque
„ Superiori in locali monaſteriorum, & monialium
„ perſonali viſitatione obſervandum, præfinitum, prout
„ ex dicta Conſt. Alex. la CLVI. Bull. tom. V. ut in-
„ fra “.

Hactenus de facultate Epiſcopi ad effectum, de quo ſupra.

Facultas autem, in tranſcripta Decretali, tributa dictis Prælatis Regularibus, limitanda, & regulanda eſt quoad ingreſſum pro viſitatione juxta Conſtit. laudati Alexandri VII. *Felici*, 13. *Kal. Novembr.* 1664. in qua prohibentur ingredi. I. Niſi ſemel in anno ex cauſa viſitationis localis, faciendæ per ſe ipſos, non per ſubſtitutos, cum aſſiſtentia quatuor monialium ex ſenioribus, unica die poſt ortum, & ante occaſum ſolis, nulla ſumpta in monaſterio refectione. Et tunc ſi Viſitator ſit Generalis, poſſit ſecum ducere duos ſocios ſui Ordinis: ſi alius a Generali, unum tantum, nunquam in actu viſitationis ad invicem ſeparandos. II. Si ob clauſuræ cuſtodiam, aut ob aliam urgentem, ac neceſſariam cauſam pluries in anno ingredi opus habeant, ingredi debeant una cum Epiſcopo diœceſano, vel perſona eccleſiaſtica ſeculari, ab eodem ſpecialiter deputata. III. Viſitationem perſonalem peragere debent ad crates extra ſepta monaſterii, itidem per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos.

Præſentibus perpetuo valituris, ſancimus, ut in poſterum intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuſcumque aliis Superioribus regularibus, quibus alioqui cura, & regimen monaſteriorum ſanctimonialium quovis modo incumbit, intra ſepta eorundem monaſteriorum nullatenus ingredi liceat, niſi ex cauſa viſitationis localis, & hoc ſemel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus viſitaverit, alius Superior a viſitatione hujuſmodi ſe omnino abſtineat. Quod ſi ob clauſuram, quæ a S. Tridentina Synodo, etiam in monaſteriis exemptis, curæ, & vigilantiæ

Epi-

Epiſcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, & neceſſariam cauſam oportuerit, Superiorem regularem eodem anno pluries ingredi ſepta monaſterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum præſentia Epiſcopi diœceſani, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ ſecularis boni exempli, ac maturæ ætatis, ab ipſo Epiſcopo, ad hoc ſpecialiter deputatæ. Viſitet autem Superior regularis interiorem clauſuram per ſe ipſum, non autem per alium, etiamſi fuerit legitime impeditus, quo caſu differatur viſitatio ad aliud tempus, quo ceſſaverit impedimentum, & viſitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia, abſolvat, nec ante ortum ſolis eam incipiat, nec poſt occaſum protrahat, neque ipſe Viſitator, neque ejus ſocii ullam ſumant in monaſterio refectionem. Porro, si visitet Generalis, poſſit ſecum habere duos ſocios ſui Ordinis; si alius a Generali, unum tantum, excluſis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem ſocii aſſumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu visitationis a Viſitatore nunquam ſeparentur, ſed eum aſpicere, & ab ipſo aſpici ſemper poſſint. Ac præterea Viſitatori aſſiſtant quatuor moniales ex ſenioribus monaſterii, quæ ſimiliter, viſitatione durante, nunquam ſeparentur a Viſitatore, & ſociis. Reliquæ vero moniales, & quæcumquæ aliæ mulieres, & puellæ ſeculares in monaſterio degentes, niſi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in choro, antequam Viſitator ingrediatur interiorem clauſuram, & in eo permaneant, durante visitatione, & quouſque idem Visitator cum ſociis e monaſterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempeſtive admoneatur Abbatiſſa, ſeu monaſterii Præfecta de præſtituta die, & hora visitationis. Visitatio vero perſonalis fiat ad crates, & omnino extra clauſuram monaſterii, & per ipſummet Superiorem dumtaxat, ut ſupra dictum eſt de visitatione interioris clauſuræ.

Adnectuntur hic ſequentia dubia una cum eorum reſolutionibus, ſpectantia ad moniales, Regularibus ſubjectas, in cauſa.

FERRARIEN. JURISDICTIONIS.

Inter alia ſanctimonialium monaſteria, quæ Ferrariæ ſunt, regularium Ordinum, quatuor ſunt Dominicanæ Familiæ: duo P. Provinciali utriuſque Lombardiæ, alterum, nempe S. Catharinæ Martyris, alterum S. Catharinæ Senenſis: alia duo, alterum S. Rocchi, alterum S. Monicæ, P. Vicario generali Congregationis S. Sabinæ ſubjecta ſunt. In ultima viſitatione facta a P. Provinciali Lombardiæ auditæ ſunt monialium querelæ, omnia nutu, arbitrioque Syndici regi, atque adminiſtrari, locationes, conceſſiones, renovationes emphytheuticas ſine propoſitione edictorum, ſine beneplscito Apoſtolico, ſine aſſenſu, immo cum diſſenſu monialium, ſine interventu Præfecti regularis fieri, libros accepti & impenſi non intra clauſtra monaſteriorum, ſed apud miniſtros ſervari. His auditis querelis, optimum eſſe cenſuit P. Provincialis rationes exigere a miniſtris, eiſque indixit, ut libros ederent, cum hi renuiſſent libros edere, & rationes reddere, adiit P. Provincialis Eminentiſſimum Archiepiſcopum, ut eos cogeret, ſed eum difficilem invenit, quod putaret Regularium auctoritatem verſari dumtaxat in directione ſpirituali monialium, cætera ad Epiſcopos pertinere. Hinc orta eſt de juriſdictione controverſia, quæ ad hoc Sacrum Tribunal delata eſt, noviſque in diem evenientibus diſſidiorum cauſis, tandem poſt auditum eundem Eminentiſſimum Archiepiſcopum, cauſa omnis XIV. capitibus collecta fuit. A Promotore Fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis nihil habuimus, a Patribus vero, & monialibus breviſſimum libellum, qui eadem fere, quæ ſupra ſcripſimus, continet, capita ſunt.

I. An Superioribus regularibus competat ordinaria juriſdictio in ſpiritualibus, & temporalibus ſuper monaſteriis SS. Catharinæ Martyris, & Senenſis, nec non SS. Monicæ, & Rocchi, & ſignanter in procuranda recta adminiſtratione bonorum, & reddituum dictorum monaſteriorum, ſibi ſubjectorum, ſeu potius ſervanda ſit in caſibus particularibus prætenſa conſuetudo, in caſu &c.

II. An Vicarii monaſteriorum præfatorum, inſtituti per Provincialem Lombardiæ, & reſpective per Vicarium generalem Congregationis S. Sabinæ, vel illis impeditis, ſeu abſentibus, Confeſſarii eorum dem monaſteriorum poſſint intervenire quibuſcumque contractibus ineundis, nomine eorumdem monaſteriorum.

III. An iidem Vicarii, vel illis abſentibus, aut impeditis Confeſſarii poſſint, ac debeant aſſiſtere redditioni rationum, ſeu reviſioni computorum, ut prætenditur, faciendæ de trimeſtri in trimeſtre.

IV. An Provincialis utriuſque Lombardiæ, & P. Vicarius generalis S Sabinæ poſſint, & debeant viſitare dicta monaſteria circa adminiſtrationem bonorum & reddituum, & ſic revidere libros introitus, & exitus, ac exigere rationum redditionem a miniſtris, aliiſque officialibus eorumdem monaſteriorum?

V. An Eminentiſſimus Archiepiſcopus poſſit, irrequiſito Superiore regulari, exigere. & recipere rationum redditionem a dictis miniſtris, & officialibus.

VI. An electio cujuſcumque novi miniſtri, & Syndici in caſu obitus, dimiſſionis officii, vel amotionis, ſpectet ad Prioriſſam, & moniales, vel potius ad Archiepiſcopum.

VII. An dimiſſio officiorum facienda ſit in manibus Prioriſſæ, vel potius in manibus Eminentiſſimi Archiepiſcopi.

VIII. An facultas removendi dictos officiales, & miniſtros ſpectet ad Prioriſſam, & moniales, ſeu potius ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum? & quatenus affirmative ad ſecundam partem V. VI. & VII. Dubii.

IX. An novus miniſter, vel Syndicus poſſit vigore literarum patentium Archiepiſcopi contractus inire, alioſque adminiſtrationis actus gerere ſine mandato procuræ Prioriſſæ, & monialium? & quatenus negative.

X. An Prioriſſa, & moniales poſſint novo Syndico tribuere in mandato procuræ facultates, ſibi bene viſas,

viſsa, ac etiam alios Procuratores conſtituere ad certa negocia.

XI. An quæcunque inſtrumenta ſtipulari debeant coram Prioriſſa, & monialibus, capitulariter congregatis cum interventu Superioris regularis.

XII. An in quibuslibet inſtrumentis, & ſcripturis, quibus interveniant Superior regularis, & Syndicus, debeat prænominari, & prius ſubſcribere ipſe Superior regularis, ſeu potius Syndicus?

XIII. An archivum cujuſque ex dictis monaſteriis retineri debeat intra clauſtra, ſeu potius extra, ideſt in collocutorio monialium?

XIV. An omnes libri, nuncupati magiſtrales, retineri debeant in archivo, & de trimeſtri in trimeſtre tradi miniſtris pro reportandis partitis introitus, & exitus in caſu &c.

Ad I. Affirmative, quoad primam partem, negative ad ſecundam.

Ad II. III. & IV. Affirmative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Electionem ſpectare ad Prioriſſam, & moniales cum interventu Superioris regularis; ad Archiepiſcopum vero ſpectare expeditionem literarum patentium juxta ſolitum.

Ad VII. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

Ad VIII. Affirmative quoad primam partem, quoad ſecundam ſervetur Bulla *Inſcrutabilis*.

Ad IX. Negative.

Ad X. Affirmative cum interventu Superioris regularis.

Ad XI. & XIV. Affirmative.

Ad XII. & XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

Tranſcripta dubia propoſita S. Congr. Conc. ſub die 24. Auguſti 1754. ab eadem reſoluta fuerunt, ut ſupra die 28. Sept. ejuſdem anni, prout videre eſt in *Theſauro Reſolut. d. Congr. tom. XXIII. pag. 60. & 73.*

Titulus XXXVI. De Religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

SECTIO DLXIII.

Caput III. De Xenodochiis, *ex Decretali Eugenii II. in Synodo Romana, celebrata anno 826.*

De Xenodochiis, & aliis ſimilibus locis per ſolicitudinem Epiſcoporum, in quorum diœceſi exiſtunt, ad eaſdem utilitates, quibus conſtituta ſunt, ordinentur.

Caput IV. Ad haec, *ex Decretali Urbani III. Ariminenſi Epiſcopo reſcripta.*

Ad hæc (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi locus ad hoſpitalitatis uſum, & pauperum proviſionem fuerit (ſicut moris eſt) auctoritate Pontificis deſtinatus, cum ſit religioſus, non debet mundanis uſibus deputari, ſicut de veſtibus, & ligneis, vaſis, & aliis utenſilibus, ad cultum Religionis per Pontificem deputatis, antiqua conſuetudo indubitanter obſervat, & venerabilium Patrum edocent ſanctiones.

Ex his duabus Decretalibus clare infertur, Xenodochia, ſive Hoſpitalia, & alia pia loca eſſe ſub juriſdictione Epiſcopi, & non poſſe ad prophanos uſus converti, quod confirmatum eſt a Trid. *cap. VIII. ſeſſ. XXII. de reform.* cum limitatione, quoad Hoſpitalia; quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, ut notabitur *part. II. cum de dicto cap. VIII.*

SECTIO DLXIV.

Caput V. Inter quatuor, *ex Decretali Innocentii III. Conſtantinopolitano Patriarchæ reſcripta.*

Inter quatuor (& infra.) De monaſteriis quoque Græcorum in ſeculares Canonicos convertendis F.T. reſpond. quod quamdiu monaſteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſeculares Clericos transferenda. Sed ſi Regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis ſeculares Clerici poterunt ordinari.

Huic Decretali cauſam dedit zelus Thomæ Mauroceni Veneti, qui cum poſt captam Conſtantinopolim à Franchis, & Venetis, electus fuiſſet Patriarcha Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, reformandis Græcorum monaſteriis operam daturus, conſuluit Innocentium, an propter inopiam Monachorum ei liceret eadem monaſteria transferre ad Canonicos ſeculares, cui reſpondit, id dumtaxat licere, ſi Regulares defuerint (intellige) tam græci, quam latini ritus, ut legitur in Decretali, relata a Gonzalez.

Ex hoc quidem Pontificis reſponſo clare infertur, poſſe Epiſcopum propter defectum Regularium eorum monaſteria ad Clericos ſeculares transferre; verumhodie facultas ea reducendi ad ſtatum Clericorum ſecularium, etiam ob collapſam diſciplinam regularem, eſt tantum penes Papam, ex Conſt. Innoc. X. *Inter cætera* 17. Decembr. 1649. *& Inſtauranda*, *idib. Oct.* 1652.

SECTIO DLXV.

Caput II. Ne nimia, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat; ſed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis aſſumat. Similiter qui voluerit religioſam domum de novo fundare, regulam, & inſtitutionem accipiat de approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diverſis monaſteriis locum monachi habere præſumat, nec unus Abbas pluribus monaſteriis præſidere.

Huic Decretali cauſam dedit multitudo tot novorum regularium Ordinum, qui tempore Innocentii exorti fuerant, ut populus, prout tunc conſuevit, eos plebeis eleemoſynis ſuſtentare non ſufficeret; ideoque Pontifex una cum Concilio vetuit, ne quis deinceps novam Religionem inſtitueret, ac præcepit, ut quicumque Religioni ſe dicare voluiſſet, unam de approbatis eligeret.

Hanc prohibitionem innovavit Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi, ne dum interdicendo, ne quis novum Ordinem inſtitueret ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam ne illius habitum quidem aſſumeret, ut in ſequenti ejus Decretali.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DLXVI.

Caput Unicum, Religionum, *ex Decretali Gregorii X. in Concilio generali Lugdunenſi II. celebrato anno* 1274.

Religionum diverſitatem nimiam (ne confuſionem induceret) generale Concilium conſulta prohibitione vetavit. Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum Ordinum, præcipue Mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit: repetita Conſtitutione, diſtrictius inhibentes, ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis aſſumat. Cunctas affatim Religiones, & Ordines mendicantes poſt dictum Concilium adinven-

 tos,

tos, qui nullam confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & quatenus proceſſerunt, revocamus. Confirmatos autem per Sedem eandem, poſt idem tamen Concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem redditus, aut poſſeſſiones habere profeſſio, ſive regula quælibet Interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas: modo decernimus ſubſiſtere infraſcripto, ut videlicet profeſſoribus eorundem Ordinum ita liceat in illis remanere, ſi velint, quod nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de novo domum, vel aliquem locum acquirant, nec domus, ſeu loca, quæ habent, alienare valeant ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervamus in terræ Sanctæ ſubsidium, vel pauperum, vel alios pios uſus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipſa commiſerit, convertenda. Si vero ſecus præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum, vel locorum acquiſitio, aut ipſosum, cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes, ſententiam excommunicationis Incurrant. Perſonis quoque ipſorum Ordinum omnino interdicimus quoad extraneos prædicationis, & audiendæ confeſſionis officium, aut etiam ſepulturam. Sane ad Prædicatorum, & Minorum Ordines (quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos) præſentem non patimur Conſtitutionem extendi. Cæterum Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit, in ſolido ſtatu volumus permanere.

Prohibitio tamen de non inſtituenda nova Religione ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ, quam de non aſſumendo habitum ejuſdem novæ Religionis facta in hac Decretali, ut mox inaui, confirmata fuit a Joanne XXII. in *cap. unic. Sancta Romana, hoc eod. tit.*

Notat tamen hic Paſſerinus, hanc prohibitionem de non aſſumendo novum habitum, intelligendam eſſe de habitu, qui a pluribus, collegialiter viventibus, defertur, non vero, qui aſſumeretur a ſingulari perſona ſeorſum vivente, nec ſectas novas inveniente.

Nullam cenſuram ipſo facto regulariter incurrunt profeſſionem emittentes, vel ad illam admittentes in Religione non approbata.

Tres vero excipiuntur caſus, &c.

I. *Eſt in Clementina I. de Relig. domib. & Extravag. Ratio recta, eod. tit.* ubi fertur excommunicatio, ipſo facto incurrenda, contra mulieres, quæ Beguinarum ſtatum ſectantur, aut de novo aſſumunt; & contra Regulares, qui favent Beguinis, vel inducunt mulieres ad talem ſtatum aſſumendum, aut ſuper his præbent auxilium, conſilium, vel favorem: *& in Clem. Ad noſtrum, de hæret.* explicantur Beguinarum, & Beguardorum errores in fide, & quorum ſecta dicitur in Alemania extitiſſe, & mandatur Inquiſitoribus contra hujuſmodi perſonas procedere.

Nota, quod iſta excommunicatio non erat reſervata, & non procedit contra Tertiarias, ſeu Bizocas, aliaſve mulieres, cum mutatione habitus, ſeorſum viventes, ut *in Clement. I. & Extrav.* dicitur, *& ibi Canoniſta* Suar. de *Cenſur. diſp. XXIII. ſect. V. num. 3.* Sayr. *lib. III. cap. XXXIII. num. 32.*

II. Caſus *in Extravag. Sancta Romana, Joanne XXII. de Relig. dom.*, ubi reprobatur inſtitutum Fraticellorum, ſeu Fratrum de paupere vita, Bizocorum, ſeu Beguinorum, aut aliis nominibus nuncupatorum, qui tunc in diverſas mundi partes irrepſerant, & multis erroribus hæreticalibus erant infecti; & præcipitur ibi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis tale inſtitutum ſectetur ulterius, vel ipſum de novo aſſumere præſumat; & ſub eadem pœna Epiſcopis præcipitur, & Prælatis, ne talem ritum, vel habitum concedant ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia: ſed neque hæc excommunicatio ibi eſt reſervata, Cajet. *Excommun. caſu V.* Suar. *diſp. XXIII. ſect. VI. num. 4.* Filiucc. *tract. XIV. num. 79.* Neque procedit contra aſſumentes ſpecialem habitum religioſum, ſi ſeorſum vivant, etiamſi eſſet habitus ſimilis Beguinis, ut dixi ſupra ad primum caſum: neque procederet contra eos, qui hodie novum Ordinem non approbatum invenirent, vel profiterentur, ſi non intenderent reſuſcitare prædictos Ordines damnatos, Cajet. Suar. & Filiucc. Ibid.

III. Caſus in Urbani VIII. Bulla, an. 1631. edita *Paſtoralis Romani*, in qua prohibetur Regula, & Congregatio, ſeu ſecta Jeſuitiſſarum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Papa reſervatæ, itaut jam ingreſſæ teneantur habitum deponere, neque convenire amodo poſſint ad talem finem ſpiritualem, ſed ut ſeorſum degant, neque virgines alias de novo admittant, nulluſque eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtet, ut pro talibus religioſis ſe gerant: vota autem a tunc ingreſſis emiſſa, ſimplicia quidem, ſed ſub conditione, ſeu intentione futuræ approbationis inſtituti, nulla eſſe declarantur ibidem: ſi autem abſolute fuiſſent emiſſa, valida declarantur, ſed relaxantur ex parte, itaut teneantur iſtæ ſaltem in ſeculo manere ſub obedientia Ordinariorum, cum obſervatione votorum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ cum uſu bonorum ſuorum, & facultate de illis diſponendi in vita, & in morte ad pios uſus, & transferendi ea ab inteſtato ad hæredes legitimos: quod ſi matrimonium contrahere velint, ea vota idem Urbanus relaxavit ibidem: quod eſt intelligendum de votis receptarum in eam Congregationem, uſque ad eam diem, qua edita eſt Conſtitutio, ut patet ex illa.

Quoad Tertiarias, diverſamque earundem claſſem, qualitates, privilegia, exemptionem, & reſpective ſubjectionem locorum Ordinarii Juriſdictioni, attendenda ſunt ſequentia Inſtructio, & decreta in eadem inſerta.

INSTRUCTIO

EDITA JUSSU

SAC. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

DE MULIERIBUS TERTII ORDINIS EARUMQUE PRIVILEGIIS.

CUM diuturna experientia Emi PP. non ſine gravi mœrore edocti ſint non levia inter Ordinarios locorum, & Superiores Regularium de Tertiariis, earumque exemptione, ac juribus in dies oriri diſſidia, ea potiſſimum cauſa, quod Pontificum Conſtitutiones omnes hac de re non ſatis ſint notæ, ac privilegia a Sede Apoſtolica Tertio Ordini conceſſa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perſeveret, in locis præſertim Miſſionum, in quibus pacis, & concordiæ vinculum inter Clerum ſecularem, & regularem maxime conſervatum oportuit ad cavendum a fidelium ſcandalis, ab infidelium blaſphemis, & ab hæreticorum, ſchiſmaticorumque calumniis, iidem Emi PP. in Congregatione generali habita die 2. Auguſti 1762. provide decreverunt inſtructionem aliquam eſſe adornandam in qua exerta veterum Decretorum ſumma, & norma in cauſis occurrentibus ab omnibus ſervanda contineatur.

Pro cujus decreti executione, ut ordine procedatur, primo illud præ oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quæ latini ritus non ſint; hujuſmodi enim mulieres a Miſſionariis latinis cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, minime licere ad habitum tertii Ordinis ſuſcipiendum admittere; quinimo, & admiſſæ ſiquæ fuerint, ab iiſdem Miſſionariis curandum eſſe, ut quantocius ſuſceptum habitum deponant ſub pœnis Apoſtolicæ Sedis arbitrio ſubeundis, jam declaravit Sac. Congregatio, Decreto edito in Congr. gen. ſub die 9. Maji 1757., & a ſan. mem. Benedicto XIV. approbato, quod ſic ſe habet.

,, Referente Emo, & Rmo Dno, Dno Cardinali
,, Tamburino, Ponente literas R.P.D. Patriarchæ Ca-
,, tholici Armenorum Ciliciæ, quibus querebatur, Pa-
,, tres Terræ Sanctæ plures mulieres Armenas ad ha-
,, bitum tertii Ordinis admiſiſſe, eaſque inſolita in illis
,, regionibus veſte indutas incedere, aliaque in iiſdem
,, literis plane expoſita peragere, unde gravia mala,
,, ſcandala, & incommoda oriebantur; ideo orabat,
,, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur: Emi
,, Patres, re mature perpenſa, cenſuerunt, conſulen-
,, dum eſſe SSmo, ut præcipiat Patribus Terræ San-
,, ctæ, aliiſque religioſis viris cujuſcumque Ordinis,
,, & Inſtituti, ne mulieres cujuſcumque ritus orienta-
,, lis admittant ad habitum tertii Ordinis, vel ad alium
,, quemcumque ejuſmodi: admiſſas vero habitum jam
,, receptum quamprimum deponere, & veſte illius re-
,, gionis, in qua degunt, communi uti omnino curent,
,, ſub pœnis Sanctitati ſuæ beneviſis.

,, Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli
,, Secretarium SSmo Dno Noſtro in audientia eodem
,, die habita de ſupradictis omnibus relatione, Sancti-
,, tas Sua ſententiam Sacræ Congregationis in omni-
,, bus approbavit, eamque ſervari mandavit ſub pœ-
,, na privationis vocis activæ, & paſſivæ, non obſtan-
,, tibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſtatutis, conſue-
,, tudinibus etiam auctoritate Apoſtolica confirmatis,
,, aliiſque in contrarium quibuſcumque. Datum Ro-
,, mæ, die, & anno, quibus ſupra ''.

Cum igitur ad unius latini ritus mulieres Regularium circumſcripta facultas intelligatur, pronum eſt habitum tertii Ordinis profeſſas duas in claſſes referre: alteram earum, quæ ſimul collegialiter vivunt, alteram vero earum, quæ ſeorſum ſuis in domibus degunt.

Quoad primas explorata res eſt, privilegiis tertii Ordinis minime frui etiam illas, quæ votum ſimplex Caſtitatis emiſerint, niſi vota ſolemnia nuncuparint, & clauſuram ſancte, religioſeque cuſtodiant. Quamvis enim ejuſmodi privilegiis olim fruerentur vigore Conſtitutionum Leonis X., quarum altera incipit *Dum intra*, 19. *Decembr.* 1516. altera incipit *Nuper*, 1. *Martii* 1518. ea tamen privilegia diſerte revocata leguntur a ſan. mem. Pio V. Conſtitutione, quæ incipit *Cura Paſtoralis Officii*, 29. *Maii* 1566. in qua diſtrictius cautum eſt, ne Tertiariis, quæ vota ſolemnia non emittunt, & clauſuræ lege obſtrictæ non ſunt, uſquam collegialiter vivere liceat; quod etiam a Gregor. XIII. plane confirmatum eſt Conſtitutione, quæ incipit *Deo ſacris virginibus*, 30. *Decembr.* 1572.

Fatendum quidem eſt, his non obſtantibus, & hactenus fuiſſe, & adhuc eſſe conſervatoria quædam, ubi Tertiariæ collegialiter vivunt, etiamſi nec ſolemnia vota emittant, nec clauſuræ lege teneantur; at cum ea ab Apoſtolica Sede tolerata, non approbata eſſe intelligantur, ut religioſæ domus canonice erectæ haberi non poſſunt, ſed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apoſtolicæ, & contra decreta Pontificum Pii V. & Gregor. XIII., ideoque certis privilegiis, quæ nonniſi clauſis Tertii Ordinis monaſteriis propria ſunt, carere omnino neceſſe eſt. Quomodo enim Apoſtolicæ Sedis indultis, & gratiis frui poſſent, quæ contra ejuſdem Apoſtolicæ Sedis mentem ſine clauſura, & votis ſolemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo hujuſmodi Tertiarias juriſdictioni Ordinarii integre, ſolideque ſubjectas manere.

Quod hucuſque deductum eſt juxta Doctorum omnium ſenſum, luculentiſſime docuit ſan. mem. Benedictus XIV. *Inſtit. Can.* 105. *num.* 76., ac conſtanti ſtylo reſcripſere Sacræ Urbis Congr. quarum celebriora duo afferre decreta abs re non erit.

Primum nempe Sacræ Congreg. Conc. in una *Lauden. die* 27. *Maii* 1677. in qua quidem cauſa, cum de tertiariis Oppidi Cottonei vota quædam ſimplicia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ emittentibus, ſine ſolemnitate tamen, & ſine clauſura, ageretur, propoſito Dubio: *An mulieres hujuſmodi ſubſint viſitationi, & correctioni Epiſcopi: Sacra Congregatio, audito Procuratore generali Patrum Reformatorum S. Franciſci, ſub quorum cura vivebant, reſpondendum cenſuit*, Affirmative.

Alterum vero eſt Sacræ Congr. Conc. in una *Lunen.*

nen. Sarzanen. die 30. *Januar.* 1723. in qua quidem cum de mulierum, aſſumpto habitu Tertii Ordinis Sancti Franciſci, collegialiter in conſervatorio Maſſæ viventium, exemptione diſceptaretur, Sacra Congreg. de more reſcripſit. „Conſervatorium eſſe ſubjectum „ omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen ap„ probationem Sacræ Congregat. quoad dictum con„ ſervatorium “. In quo quidem Decr., eodem temporis, ac loci veſtigio, quo ejuſmodi mulieres ſubjectæ declarantur omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, ne probari ſub ea forma viderentur hujuſmodi conſervatoria, verbis adjectis, *citra approbationem*, ſolertiſſime cautum eſt; adeo Sacræ Congregat. mens ab ejuſmodi collegiis ſine votorum ſolemnitate, & ſine clauſuræ lege fundatis vel ipſa ſpecie probandis aliena eſt.

Diſciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII. nonnullis Conſtitut. editis, nimirum ea; quæ incipit *Paterna*, 10. *Decem.* 1725. altera, quæ incipit *Exponi Nobis*, 30. *Septem.* 1729. tertia denique, quæ incipit *Pretioſus*, 26. *Maii* 1727. quarum diſpoſitione Tertiariæ, quæ ſine ſolemnibus votis, & ſine clauſuræ lege collegialiter viverent; a juriſdictione Epiſcoporum ſubductæ in juriſdictionem, & curam Superiorum Ordinis redierunt; at vix defuncto laudato Pontifice, ejus Succeſſor Clemens XII. Conſt., quæ incipit *Romanus Pontifex*, 30. *Martii* 1732. ſublatis iterum ejuſmodi gratiis, & privilegiis, priſtinam de Tertiariis Ordinario ſubjectis diſciplinam reſtituit; in ea quippe ſic expreſſe habetur = Statuimus, & decernimus de omnibus, & ſingulis prædictis literis, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus, in iiſdem contentis eam deinceps deciſionem, ac judicium, etiam in foro conſcientiæ habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concil. ſive ex decretis, & Conſtitut. Apoſtol., ſive ex aliis legitime habeatur, antequam eædem literæ, & declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet acti illæ non emanaſſent; ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperius enunciata omnino reducimus, & reducta eſſe volumus; ita ut in poſterum ſupradicti Ordines regulares earumdem literarum, & Conſtitutionum uſu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur -- Ea quibus ſane verbis colligit Benedictus XIV. *Inſt. Can.* 105. *nu.*76. -- Redit in priſtinum Ordinariorum juriſdictio ſupra Tertiarias collegialiter ſine votorum ſolemnitate & ſine clauſuræ lege viventes; eademque de cauſa ut nobis ſubjectas eas libere viſitavimus = .

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum claſſem, quæ ſeorſium ſuis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gaviſas eas fuiſſe compertum eſt, inter quæ præcipua numerantur; 1. privilegium fori, quod tamen locum non habet in locis Miſſionis, ubi vix Religio toleratur; 2. ut Patribus illius Ordinis, cujus regulam profitentur, ſua peccata in Sacramento Pœnitentiæ aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis; 3. ut Communionem paſchalem in eorumdem Regularium Eccleſia recipientes, præcepto Eccleſiæ ſatisfacerent; 4. ut ab iis etiam Viaticum, atque extremam Unctionem in exitu vitæ poſſent percipere. Hæc tamen omnia ſucceſſivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a Sacris Cardinalium Congreg., pluribus editis Conſtitutionibus, & decretis, penitus ſublata, atque ad terminos juris communis redacta ſunt, ut fate Fagnanus in *cap. Omnis*, *num.*64. *de Pœnit.* & *Remiſs.* ex S. C. reſcripto refert, his verbis: = Cum Fratres monaſterii S. Dominici de Lugo Imol. diœceſis declarari poſtulaſſent, an ipſis liceret, præſertim ex ſuis privilegiis, audire confeſſiones virorum, & mulierum profeſſorum Tertii Ordinis S Dominici, eiſque in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, Viaticum præbere, atque extremam Unctionem miniſtrare? Sacra Congregatio conſideravit, præſuppoſito, quod hujuſmodi profeſſi eodem jure cenſeantur cum aliis profeſſis Tertii Ordinis S. Franciſci, de quibus in gloſs. in Clem. *Cum ex eo, de ſent. excom.* eorum non eſſe aliquam Religionem, ſeu modum quemdam vivendi, approbatum a Sede Apoſtolica, nec dici plene translatos ad Ordinem, ita ut deſinant eſſe de ſeculo. Card. in Clem. *Per literas num.*9. *de Præb.* Quod cum ita ſit, non magis horum, quam aliorum ſecularium confeſſiones prædictos Religioſos audire poſſe, juxta c. 15. ſeſs. 23. ubi privileg. quibuſcumque derogatum eſt, & amplior derogatio habetur in Bulla Pii IV. revocatoria omnium privilegiorum ſub quibuſvis formulis, in his, quæ Sacro Trident. Conc. ſunt contraria; ex quo ſequitur, tales Religioſos non eſſe proprios Sacerdotes horum profeſſorum, ac proinde non poſſe eiſdem Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ in Paſchate miniſtrare, juxta cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnit.* & *Remiſs.* idemque juris eſſe de Viatico; ſiquidem præcedente confeſſione exhiberi debet c. 7. de præpar., quæ adhibenda eſt &c. ſeſs. 13. in decreto de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. De extrema Unctione non eſſe judicium Congregat., ſed tamen conſtare ejus adminiſtrationem, ſicut aliorum Sacramentorum, pertinere ad parochum, de cujus parochia dicuntur eſſe tales profeſſi, niſi ſpeciali privilegio ſint exempti =.

Latius hoc ipſum Bened. XIV. ex Pontificum Conſtitutionibus inter ſe collatis, & S. C. Decretis deducit. Inſt. Can. 105. num 67. & ſeq. his verbis = Si Leon. X. Conſt. vim totam, & integram obtineat, hæ Tertiariæ, privatim vitam agentes, Epiſcopi juriſdictione prorſus immunes eſſe deberent: eos ſibi Confeſſarios deligere poſſent, qui ad monialium confeſſiones, non vero ſecularium excipiendas probantur. Ad parochiam accedere non tenerentur, ut paſchali præcepto ſatisfacerent; tandem a Præfectis ſuis regularibus extremam Unctionem percipere, & poſt mortem in Eccleſia ſui Ordinis ſepeliri jure poſſent; ſed aliter ſe res habet; nam Leonis X. Conſt. ad certos quoſdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apoſtolicam tenuerunt. Cum hæ mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis ſolemnibus non adſtringantur, ideo non cenſentur immunes ullo modo ab Epiſcopi facultate .... Inſuper de his mulieribus Tertiariis hæc Sac. Congreg. Conc. decernit: Sacra Congregat. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, ſæpius reſpondit, minime poſſe Sacerdotes regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de pœnitentia, vel *Pinzocheras* vocant, confeſſiones ſacramentales audire, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, quemadmodum nec poſſe illis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Item ex epiſtola Sacræ Congreg. pro cauſis Epiſcoporum, & Regularium conſtitutæ ad Epiſcopum Mutinenſem die 17. Junii an. 1639. hæc in ipſas Tertiarias ſancita deprehenduntur: circa

ca

ca Tertiariam ſimiliter cenſuerunt (nempe Cardinales Sacræ Congr.) permiſſum haud fuiſſe Fratribus ejuſdem monaſterii ob quodcumque privilegium Ordinis adminiſtrare ipſi Sacramentum Divinæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis, neque ejus cadaver domo efferre, indicata funebri pompa, ſine parocho, aut ſine ipſius licentia: nam hæc revera ad parochos pertinent, qui debent aſſidue, ſed hoc præſertim tempore, cognoſcere, juvare, accuratoque ſtudio fideles ſibi traditos inſtituere; accedit quod Tertiaria licet nuncupatis votis, clauſtro non tenebatur, ſed domi ſuæ intra parochi ejuſdem ditionem habitabat =.

Poſſunt tamen earum cadavera ſepeliri in Eccleſiis ſui Ordinis, ſi locus Tertiariis deſignatus ſeorſum exiſtat; ſin minus, in parochiali Eccleſia, ut cæterarum cadavera, ſepelienda ſunt.

Lucrantur etiam Indulgentias, gaudentque aliis ſpiritualibus gratiis Ordini adnexis, quem profitentur, ſtatimac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum ſimplex caſtitatis a Superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apoſtolicæ Sedis indulto reſervari compertum eſt.

Non tamen ad omne mulierum genus hæc facultas extenditur, ſed ad eas dumtaxat, quæ conditiones, a Sacris Congregat. rite præſcriptas habuerint; nimirum ut honeſtis, probiſque moribus fulgeant, ut annos quadraginta ſaltem attingant, ut neceſſaria ad congruam vitæ ſuſtentationem bona poſſideant, ut nonniſi cum conſanguineis, vel affinibus in primo gradu cohabitent.

Hujuſmodi autem conditionum examen, & judicium non ad Superiores ipſos regulares, ſed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt; adeo, ut recte ſubjiciat Benedictus XIV. *loc. cit.* „ Quare, ſi quod proprium eſt, unicuique tribuatur, ad Præfectum regularem ſpectat, religioſum habitum his mulieribus impertiri; ad Epiſcopum vero facultatem tradere, & præſcriptas conditiones accurato examine cognoſcere ".

Hæc omnia, quæ exerte tradit Benedictus XIV. cit. Inſtit. 105. Sacræ Congregat. Epiſcoporum, & Regularium, negotiis præpoſitæ decreto edito ſub die 20. Decembr. 1616. diſſertiſſime ſanciuntur: ſic enim §. 5. = Præterea, ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſepeliri debeant, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur; ſin minus, in Eccleſiis parochialibus ſepeliendas eſſe decernit: Superioribus autem regularibus ſufficienti facultate, ad id a S. Sede Apoſtolica ſuffultis (Cappuccinis exceptis) libere mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quam conſanguineis, vel affinibus, in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis prævio examine diligenti ſibi conſtiterit =.

Univerſa hæc iterum a Sacra Congreg. Conc. confirmata ſunt; nam Epiſcopo Mazaræ, quærenti anno 1727. = Quænam ſint conditiones requiſitæ, ut Regulares, habentes facultatem dandi habitum ſuæ Religionis mulieribus, non collegialiter viventibus, dictum habitum dare poſſint, & an examen dictarum facultatum pertineat ad Epiſcopum? Sacra Congr. Conc. reſpondit. Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apoſtolicam, examen conditionum quoad mulieres veſtiendas, & licentiam veſtiendi pertinere ad Ordinarium, & conditiones veſtiendarum eſſe expreſſas in decretis generalibus, alias editis, & hæc decreta eſſe omnino ſervanda =.

Ad normam hujuſce decreti ſubjecta hac formula Epiſcopi uti conſuevere, qua mulieri facultatem aſſumendi habitum Tertii Ordinis concedere teſtificantur.

= Dilectæ Nobis in Chriſto N. ſalutem, & benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ exiſtis, in ætate annorum quadraginta conſtituta, propria bona, ex quorum fructibus honeſte vivere vales, poſſides, & non cum aliis viris, quam cum tuis conſanguineis, vel affinibus, in primo gradu conſtitutis habitas, prout hæc omnia nobis, prævia informatione, conſtare feciſti, habitum Tertii Ordinis S. N., quem poſtulaſti, ſuſcipere poſſis per R. P. N. Ordinis Provincialem, illum tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. In quorum &c. Datum &c. =.

N. Epiſcopus N.

Ex quibus omnibus conſequitur, quam recte Sac. Congreg. de Propaganda Fide in Congreg. particulari, habita die 31. Auguſti 1761. per modum decreti generalis, ſervandi in toto Regno Hiberniæ, inter alia reſcripſerit pro Tertiariis, nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, niſi ſervatis ſervandis, & de licentia Ordinarii; aliter admiſſas declaretur ab Epiſcopis, nec eſſe Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamſi vero ejuſmodi caſus occurrere aliquando poſſit, in quo potius expedire videatur, adoleſcentulam aliquam habitu Tertii Ordinis ante præfixam ætatem quodam veluti tegumento ſecuritatis aſſumpto, a periculis liberare, quam medias inter inſidias inermem relinquere; non ideo ſequitur, fas eſſe Superioribus regularibus ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici puellas ad habitum ſuſcipiendum admittere; conſulant ipſi potius in hujuſmodi caſibus loci Ordinarium, qui ſe facilem pro ſui prudentia, atque adeo conſcientia, motus ipſius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit ſemper in adoleſcentulis votum caſtitatis cum habitus ſuſceptione conjungi, quin potius ad ætatem provectiorem quandoque differri; ab ea quippe longius abeſſe ſolent illa, ſive pericula, ſive ſcandala, quæ ferventiori, quam prudentiori zelo agitante poſſunt oriri.

Hæc habet Sacra Congregat., quo diſſidia, ac jurgia hiſce de rebus in poſterum tollantur, iiſque ſublatis, unitas ſpiritus, & vinculum pacis inter Operarios Vineæ Domini conſervetur; & ut maxima, quæ in terris a Domino relicta eſt, poteſtate roborentur, SS. D. N. P. CLEMENTI XIII. feliciter regnanti legenda, conſideranda, probanda curavit; & idem SS. D. hæc omnia lecta, conſiderata, probata auctoritate Apoſtolica confirmavit.

Confidit in D. J. Sac. Congreg., hinc Superioribus regularibus ad normam Inſtructionis hujuſce ambulantibus, inde locorum Ordinariis, & Vicariis Apoſtolicis ad aliorum jura ſervanda ſolicitis, collatis utrinque ſtudiis, illud concordiæ gluten coaliturum, quo

quo, qui ex adverſo ſunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, & domus Dei, quæ eſt Eccleſia, ipſa unitate terribilis, ut caſtrorum acies ordinata, Fideles lætitia, Infideles, Hæreticos, Schiſmaticos rubore ſuffundat.

Quam Sac. Congregat. Inſtructionem SS. D. N. CLEMENTI XIII. per me infraſcriptum Secretarium ejuſdem Sacræ Congregat. relatam in audientia, habita die 16. Januar. anni 1763. Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, & omnino ſervari mandavit.

Datum ex Ædibus S. Congregat. die 17. menſis, & anni, quibus ſupra.

M. Mareſuſcus Secretarius.

Ex Conſtit. Bened. XIV. *Quamvis juſto 30. Aprilis* 1749. Epiſcoporum juriſdictioni ſubjectæ etiam ſunt virgines Anglicanæ, tam exiſtentes in diœceſi Auguſtana, quam in quacumque alia diœceſi, cum vota tantum ſimplicia emittant.

Ex decreto Congr. Conc. ſub die 26. April. 1749. approbato, & confirmato ab eod. Bened. Conſt. *Emanavit* 17. *Septembr.* 1749. Tertiariæ S. Dominici civitatis Januæ declarantur etiam ſubjectæ juriſdictioni parochi.

Redeundo ad Decretalem Greg. interdicitur in ea Ordinibus Mendicantium, poſt Conc. Later. IV. a Sede Apoſtolica approbatis acquiſitio novorum monaſteriorum, ſeu domorum ſine ſpeciali ejuſdem Sedis licentia ſub pœna excommunicationis, non tamen reſervatæ, quod idem interdixit Clemens V. *in cap. III. Cupientes, de Pœnis*, & Bonifacius VIII. *in cap. unic. Cum ex eo, de Exceſſib. Prælator. in VI.* nulla tamen ibi inflicta legitur excommunicatio.

Sed de hac nova domorum acquiſitione, tam quoad Mendicantes, quam non Mendicantes, inſtituetur ſermo *parte II. cum de cap. III. Trident. ſeſſ. XXV. de Reform.*

Item in dicta Gregor. Decretali prohibetur Religioſis prædictorum Mendicantium extraneis prædicare, eorumdem confeſſiones audire, & eos ad ſepulturam recipere; quibus tamen prohibitionibus hodie derogatum eſt ex privilegiis ſubſequentium Summorum Pontificum, ut notabitur infra.

In §. *Sane* dictæ Decretalis declaratur, quod revocatio Ordinum Mendicantium hic ſtatuta, non comprehendit Ordines Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum. Sed quoad hos duos ultimos Ordines notandum eſt, quod Gregorius in laudato Conc. Lugdunenſi decreverat, eos pro interim dumtaxat permanere poſſe, donec de iis aliter fuerit ordinatum, ut legitur *in Can. XXIII. dicti Concilii* = Cæterum Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit, *in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum* = quam clauſulam detraxit Bonifac. VIII. in ſua collectione, & abſolute voluit, eoſdem in ſuo ſtatu permanere.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DLXVII.

CAPUT II. QUIA CONTINGIT, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali, Viennæ in Gallia celebrato an.* 1311.

QUia contingit interdum, quod xenodochiorum, leproſariarum, eleemoſynariarum, ſeu hoſpitalium Rectores, locorum ipſorum cura poſtpoſita, bona, res, & jura ipſorum interdum ab occupatorum, & uſurpatorum manibus excutere negligunt; quinimo ea collabi, & deperdi, domos, & ædificia ruinis deformari permittunt, & non attento, quod loca ipſa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex proventibus ſuſtentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eoſdem in uſus ſuos damnabiliter convertentes; cum tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate) converti. Nos incuriam, & abuſum hujuſmodi deteſtantes, hoc Sacro Concilio approbante, ſancimus, ut hi, ad quos id de jure, vel ſtatuto in ipſorum fundatione locorum appoſito, aut ex conſuetudine præſcripta legitime, vel privilegio Sedis Apoſtolicæ pertinet, loca ipſa ſtudeant in prædictis omnibus ſalubriter reformare, ac occupata, deperdita, & alienata indebite in ſtatum reduci debitum faciant, & ad ipſarum miſerabilium perſonarum receptionem, & ſuſtentationem debitam juxta facultates, & proventus locorum ipſorum Rectores prædictos compellere non omittant. In quo, ſi forte commiſerint negligentiam, vel defectum, Ordinariis locorum injungimus, ut etiamſi pia loca prædicta exemptionis privilegio munita conſiſtant, per ſeipſos, vel alios impleant omnia præmiſſa, & ſingula, & Rectores eoſdem utique non exemptos, propria; exemptos vero, & alios privilegiatos, Apoſtolica ad id auctoritate compellant. Contradictores, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant, ac præbentes eiſdem circa præmiſſa conſilium, auxilium, vel favorem, per

cen-

Digitized by Google

cenſuram eccleſiaſticam, & aliis juris remediis compeſcendo: nullum tamen per hoc exemptionibus, ſeu privilegiis ipſis, quoad alia, præjudicium generando.

In prima hujus Decretalis parte, innovatæ a Conc. Trid. *cap. XV. ſeſſ. VII. & cap. VIII. ſeſſ. XXV. de reform.* ſtatuitur, quod = *Ea, quæ largitione fidelium ad certum uſum deſtinata ſunt, ad eum debeant, & non ad alium applicari, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate* =.

Hodie tamen ex *cit. cap. VIII. Trident.* conſtitutum eſt, ut ſi hoſpitalia ad certum numerum peregrinorum, infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint instituta, nec in eo loco ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur, poſſit Ordinarius cum duobus de capitulo, per ipſum eligendis, fructus illorum hoſpitalium in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior, convertere, ibi.

Quod ſi hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta; nec in loco, ubi ſunt dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit: niſi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut inſtitutione fuerit expreſſum; quo caſu, quod ordinatum fuit, obſervari curet Epiſcopus, aut ſi id non poſſit, ipſe, prout ſupra, utiliter provideat.

Eadem facultas circa commutationem ultimarum voluntatum in alium uſum legitur tributa Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, *in cap. VI. ſeſſ. XXII.* ibi.

In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ, ſummarie, & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falsitate, fuiſſe narratum; priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

Circa alia diſpoſita in hac eadem Decretali ad totum §. *Ut autem*, quoad hoſpitalium adminiſtratores, & rationem redditionis proventuum, videnda ſunt innovata, & addita a laudato Trident. *ſeſſ. XXII. cap. IX. & ſeſſ. XXIII. cap. XIX. de Reform.*

In §. *Cæterum*, declarat Pontifex, ut in noſocomiis celebrari, & eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrari poſſint infirmis, ibi degentibus, hoſque ibidem ſepultura donari a Sacerdotibus pro eorumdem cura deputatis, dummodo contraria non vigeat conſuetudo, ut ſimilia munia præſtentur a parocho, intra cujus parochiæ limites eadem noſocomia ſita ſunt: ſed hac de re fuſior inſtituetur ſermo in Notis ad *cap. II. Cum dicat, de Eccleſiis ædificand.* Sectione DCXXIX. Unum hic addimus, quod dicti Sacerdotes, licet deputari, & removeri poſſint ab hoſpitalis adminiſtratoribus abſque licentia Epiſcopi, ab hoc tamen approbari debent quoad Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem, ut pluries declaravit Cong. Conc.

Titulus XXXVII. De Capellis Monachorum.

SECTIO DLXVIII.

CAPUT I. IN ECCLESIIS, *ex Decretali Urbani, non III., ut mendoſe legitur in vulgata Gregorii IX. collectione, ſed II. in Concilio Claramontano, ſeu Arvernico, celebrato an. 1095. cum interventu ipſius Urbani, & quibuſdam Cardinalibus, Archiepiſcopis XIII. Epiſcopis CCXXV. Abbatibus XC. & amplius, præter complures viros religioſos.*

IN Eccleſiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, ſed Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium monachorum inſtituatur; itaut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.

In hac Decretali præcipitur, ſecularium animarum curam incumbentem monaſterio, exercendam eſſe, non per Monachum, ſed per Clericum ſecularem; quod idem præcipitur *in cap. XXXI. In Lateranenſi*, *de Præben.*, *& cap. III. Cum & plantare*, *de Privileg.*

Iterum his ſanctionibus derogatum eſt, ſaltem tacite a Conc. Trid. *cap. XI. ſeſſ. XXV. de Regul.* ſtatuente, ut tam ſeculares, quam Regulares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint in concernentibus eandem curam diſpoſitioni Epiſcopi; textum leges part. II.

Ex hoc Trid. decreto, & pra xi, ubique probata, etiam ante tempora Conc. Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. patet ſecularium curam exerceri poſſe per Regulares; etenim *in cap. II. Monachi*, *de ſtatu Monachor.* prohibetur quidem Monachis, ne ſoli præficiantur parochialibus Eccleſiis, non unitis majori conventui; non autem ſimul cum ſociis. Id ipſum legitur in Decretalibus Honorii III. Epiſcopis, Venetenſi, & Burdegalenſi reſcriptis, relatis hoc præſenti *tit. in cap. III. Ex parte*, *& cap. IV. Ad audientiam*.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DLXIX.

Caput Unicum, Presbyteri, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum Eccleſiis præſentantur Epiſcopis, & inſtituuntur ab ipſis (cum debeant eſſe perpetui) conſuetudine, vel ſtatuto quovis contrario non obſtante, ab eiſdem nequeunt Eccleſiis (niſi per Epiſcopos, & ex cauſa rationabili) amoveri.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed ut exponatur, quo ſenſu in praxi intelligenda ſit.

Ejus igitur ſpecies hæc eſt, ut ſi præſentatio ad beneficium curatum, facta Epiſcopo a Regularibus, ad eoſdem ſpectet, & hoc ſit perpetuum, inſtitutio pertineat ad Epiſcopum, ſicuti & amotio jam inſtituti, & non ad ipſos Regulares. Quæ tamen regula locum non habet, ubi parochus inſtituitur in Vicarium amovibilem ad nutum; quemadmodum revera inſtitui poteſt etiam a Regularibus, ut ex Clementina, *Quia Regulares*, *de Supplend. neglig. Prælat.*, *& Clementina Frequens §. Quidam de Exceſſib. Prælator.*

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatus.

SECTIO DLXX.

Caput I. Perlatum, *ex Decretali, tributa Concilio Mediomatricenſi, quæ tamen in eo non extat, ſed reperitur in Can. XXIII. Concilii Gabilonenſis, celebrati tempore Caroli Magni an. 830.*

Perlatum eſt (& infra.) Nobis viſum eſt, quod Eccleſia inter hæredes patroni dividi non debeat. Et ſi ſimultates inter eos ſurrexerint, propter quas Sacerdos ſuo ibi officio canonice fungi non poſſit, ſi aliter provideri non poterit, præcipiatur ab Epiſcopo, ut nullo modo ibi Miſſarum ſolemnia celebrentur, donec ad concordiam redeant; & Eccleſia Sacerdotem canonice habeat, qui libere ſuum miniſterium valeat exercere.

SE-

SECTIO DLXXI.

Caput II. Quaecumque, *ex Decretali, deſumpta a Can. XXXII. Concilii Triburienſis, celebrati anni* 895.

Quæcumque Eccleſia (& infra.) Si contingat pro Eccleſia diſſidere patronos, ut eam nolint ſub uno Presbytero procurari, Epiſcopus (ſi aliter non poterit ipſi conſulere) tollat inde Reliquias, atque ejuſdem Eccleſiæ claudat oſtia, ut Sacrum Myſterium nullus in ea celebret, antequam unum eligant Presbyterum, qui Sacroſancta ſit idoneus procurare.

His duabus Decretalibus, in quibus ſtatuitur, ceſſandum eſſe a Divinis, tollendas Reliquias, & claudenda oſtia Eccleſiæ, carentis Sacerdote, qui illam regat, propter diſcordiam patronorum in eo nominando, derogatum eſt ab Alexandro III. in Conc. Lateranenſi III. præcipiente, ut in tali caſu Epiſcopus interim provideat abſque ceſſatione a Divinis, ad cujus tramitem hodie procedendum eſſe ait Gloſs. *in cit. cap. Perlatum, verb. Celebrentur*. Id ipſum Epiſcopus faciet, ſi intra quatuor menſes non fuerit definita quæſtio, orta ſuper competentia juris patronatus, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. III.*

Quoniam in quibuſdam locis Fundatores Eccleſiarum, aut hæredes eorum, poteſtate, in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur; & cum una Eccleſia unius debeat eſſe Rectoris, pro ſua diſſenſione plurimos repræſentant: præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi forte in plures partes Fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiverit, ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam. Et id ipſum etiam faciat, ſi de jure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competat, intra quatuor menſes non fuerit definitum.

Id ipſum ſtatuit Innocentius III., ut in ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. in cap. XXVII.*

Cum propter diſcordias laicorum (& infra.) Fr. t. mandamus, quatenus, ſi de jure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & ab eo, cui competit, intra quatuor menſes non fuerit definitum, ex tunc Eccleſiam ipſam de perſona non differas idonea ordinare: ita quod illi ex hoc non debeat in poſterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus.

SECTIO DLXXII.

Caput IV. Praeterea, *ex Decretali laudati Alexandri, in eodem Concilio Lateranenſi.*

Præterea, quia in tantum quorumdam laicorum proceſſit audacia, ut, Epiſcoporum auctoritate neglecta, Clericos inſtituant in Eccleſiis, & removeant, cum voluerint, poſſeſſionem quoque, atque alia eccleſiaſtica bona, pro ſua voluntate plerumque diſtribuant, ipſos anathemate decernimus feriendos. Clericus autem, qui Eccleſiam per laicos ſine Epiſcopi auctoritate receperit, communione privetur, & ſi perſtiterit, a miniſterio eccleſiaſtico, & Ordine deponatur.

Tria ſtatuuntur in hac Decretali.

I. Excommunicandos eccleſiaſticos, etiam patronos, qui, diœceſani Epiſcopi auctoritate neglecta, abſque legitimo privilegio, vel titulo, præſumpſerint pro ſua voluntate inſtituere Clericos in Eccleſiis; vel ad eas jam promotos deſtituere, ac removere. Licet enim patroni, ſive eccleſiaſtici, ſive laici, jus habeant intra tempus, ipſis reſpective a jure præſtitutum, idoneam, vel idoneas perſonas præſentandi *cap. III. Quoniam, cap. V. Quod autem, hoc. tit.* atque ita, ut nequeat Epiſcopus intra tale tempus, patrono neglecto, alicui Eccleſiam conferre, ſed tantum poſſit illi œconomum præficere, *cap. IV. Cum vos plerumque, de offic. Jud. Ord.* attamen, ſecluſo privilegio, vel titulo,

tulo, neminem ex ſe inſtituere poteſt, nec deſtituere. Non inſtituere, quia inſtitutio eſt actus juris, ſpectantis de jure communi ad ſolum diœceſis Epiſcopum, ejuſve officiales, *cap. III. Ex frequentibus, de Inſtitutionib.* ubi prava, & iniqua dicitur conſuetudo in contrarium, quamvis a multis retroactis temporibus introducta, utpote aliena a SS. Patrum inſtitutionibus, & eccleſiaſticæ honeſtati contraria. Nec deſtituere, quia de Jure illius quoque eſt deſtituere, cujus eſt inſtituere; ſicque etiam hoc ad Epiſcopum ſpectat, non autem ad patronum, ſecluſo privilegio: cum huic competat hac in re ſolum jus præſentandi; & quidem ita, ut, antequam facta ab eo præſentatio per diæceſanum Epiſcopum approbetur, ratum non ſit quod ab ipſo per præſentationem fuerat inchoatum, ut habetur in *cit. cap. Quod autem.*

II. Statuitur, eoſdem laicos, etiam patronos, eſſe excommunicandos, qui præſumpſerint poſſeſſionem Eccleſiæ pro ſuo libito adminiſtrare, atque alia eccleſiaſtica bona pro ſua voluntate diſtribuere; bonorum enim, quæ Deo, vel ejus Eccleſiæ ſemel donata ſunt, patroni domini amplius non ſunt, ſed Deus, & Eccleſia; ac proinde, ſine eccleſiaſtici Superioris facultate, non poſſunt patroni in eorumdem adminiſtrationem, aut diſtributionem amplius ſe ingerere, ut expreſſe confirmatum eſt a Trid. *ſeſſ. XXV. cap. IX.* ibi *Patroni autem beneficiorum, etiamſi vere de jurepatronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos libere Rectori, ſeu beneficiata, non obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant.*

III. Denique ſtatuitur, quod Clericus, qui Eccleſiam receperit per laicos abſque conſenſu, & auctoritate Epiſcopi, communione privetur; & ſi perſtiterit, hoceſt eam dimittere noluerit, a miniſterio eccleſiaſtico, & Ordine deponatur. Circa privationem communionis varii varia intelligunt. Cenſeo nihilominus cum communiori, intelligi excommunicationem, non quidem latæ, ſed ferendæ ſententiæ, ſumpto uno ex effectibus ejuſdem excommunicationis pro ipſa excommunicatione. Moveor, quia idem Alexander in mox *cit. cap. Ex frequentibus*, nedum ratam habet, verum etiam auctoritate Apoſtolica confirmat excommunicationis ſententiam, latam contra hujuſmodi Clericos ab Archiepiſcopo Cantuarienſi: ulterius mandans, ne ab eadem iidem abſolvantur, niſi congrue ſatisfecerint. Additur hic alia pœna contra hoſce Clericos, ſi poſt excommunicationem, Eccleſiam, prædicto modo receptam, non dimiſerint, eaque eſt depoſitio ab eccleſiaſtico miniſterio, & Ordine.

Quinimo ex Concilio generali Lateranenſi V. ſub Julio II. & Leone X. inchoato an. 1512., & clauſo an. 1517. prædicti Clerici, recipientes beneficium a laico domino, non habente Apoſtolicæ Sedis privilegium, ſeu titulum, ſaltem coloratum, redduntur inhabiles ad quælibet beneficia obtinenda, donec a Papa fuerint diſpenſati. Vide *Theſaur. de pœnis cap. VIII.* verb. *Beneficium, num.* 3. Eadem inhabilitas ſtatuta legitur ab Innocentio III. in *cap. XLIV. Quiſquis de Elect.*

S E C T I O D L X X I I I.

Caput VI. Quia Clerici, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Exonienſi Epiſcopo ſcripta.*

Quia Clerici quidam advocatias Eccleſiarum comparant, vel quocumque modo poſſunt, acquirunt, ut poſtmodum eorum filii, vel nepotes ad eaſdem Eccleſias præſententur: præcipimus, ut id arctius inhibere procures, eoſdem advocationibus, taliter acquiſitis, app. poſtpoſita, ſpoliando.

Quod juspatronatus emi, ac vendi non poſſit, nec per ſe in alium contractu deduci, notum erat, etiam tempore Alexandri III. ex quo enim ordinetur, præſentandos Clericos ad beneficia eccleſiaſtica, eſt quid ſpirituali annexum, pretio per ſe non æſtimabile, ideoque in contractum non deducibile abſque ſimonia: ſicuti nec ipſa præſentatio, quæ eſt actus ejuſdem juris. Hæc præſuppoſuit idem Pontifex in hac Decretali, in qua Clericis diſtrictius inhibendum præcipit, ne per emptionem, aliumve quemcumque modum, juspatronatus ſibi acquirant primaria, ac principali ea intentione, ut poſtmodum eorum filii, vel nepotes ad eaſdem Eccleſias præſententur. Licet enim in jure prohibitum non inveniatur, quod patronus rite præſentet proprium filium, aut nepotes, quando hic idoneus eſt, ſed tantum quod præſentet ſemetipſum quia in caſu præſentans, re non diſtingueretur a præſentato; attamen nec eſt juri, nec rectæ rationi conforme, quod, nedum emptione, quæ eſſet ſimoniaca, verum nec alio quovis modo ſibi comparet juspatronatus cum præfata primaria, ac principali intentione: ſiquidem, ſi id fiat, ut præſentetur poſtea etiam non idoneus, ex ipſomet objecto patet perverſitas finis intenti. Si amore ſanguinis, manifeſta eſt acceptio perſonarum, non ſolum reprobata a Theologis cum D. Thoma 2. 2. *quæſt. LXIII. art. II. ad III.* verum etiam a Sacris Canonibus pluribus in locis. Unde Innocentius III. *in cap. unic. Ut Eccleſ. benef. ſine dimin. confer.* ait: *non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti eccleſiaſticum beneficium in perſonam magis idoneam diſpenſare*, & S. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art. V. ad II. Si aliquis aliquid ſpirituale alicui conferat propter conſanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, eſt illicita carnalis collatio*: quod

etiam

etiam præſentationi communiter applicatur, quando ipſa conſanguinitas eſt cauſa motiva. Denique, ſi id fiat ex vitio ambitionis poſtmodum nominandi, & præſentandi Epiſcopo perſonam ſibi bene viſam, etiam hoc vitium eſt deteſtabile, maxime in perſonis eccleſiaſticis, prout ſunt Clerici, juxta regulam textus in Clement. I. *de Renunciat.* Pergit deinde Pontifex ad ſtatuendam Clericis, ita delinquentibus, pœnam, quæ eſt quod, omni appellatione poſtpoſita, priventur ipſo jurepatronatus, taliter acquiſito; in quod aliqui dicunt, ſubintrare Epiſcopum loco ſpoliati; alii Eccleſiam fieri liberæ collationis, ſi ille ſolus erat patronus. Nihil hic dicit Alexander circa ipſum contractum, ſeu actum translationis ipſiuſmet jurispatronatus; neque circa alterum contrahentem, ſeu transferentem. Irritum tamen eſſe contractum infra declarat *cap. De jure XVI. hoc tit. & Trident. ſeſſ. XXV. cap. IX. de refor.* transferentem non ſolum privat ipſo facto jurepatronatus præſumptuoſe translato; verum etiam eundum excommunicandum eſſe, ac interdicendum præcipit, hiſce verbis: *Nec dictum juspatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra canonicas ſanctiones transferre præſumant. Si ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis ſubjiciantur; & dicto jurepatronatus ipſo jure privati exiſtant.* Ubi nota, Concilium hic loqui de patronis indiſcriminatim, tum Clericis, cum laicis, cujuſcumque ordinis, & dignitatis, etiamſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel laicorum exiſtant, ut conſtat ex verbis antecedentibus. Quoniam vero Innocentius IV. *in cap. Romana V. de Sent. excomm. in VI.* omnino prohibet, in Univerſitatem, vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam; & hanc vult promulgari ſolum in illos de Collegio, vel Univerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit (quod ſatis provide ſtatutum dicit *Angelicus Doctor in ſuppl. III. par. quæſt. XXII. art. V. in cap. Ne collectis zizaniis ſimul eradicetur & triticum, ideſt ne condemnetur juſtus cum ipſo*, hinc inferunt Barboſa ad hanc Decretalem *num. 2.* Ugolinus *De offic. Epiſc. cap. XV. §. 1. num. 3.* aliique, privationem jurispatronatus ipſo facto, incurri quidem a præſumentibus transferre aliquo ex prædictis modis juspatronatus in alium, ſive iidem transferentes ſint perſonæ ſingulares, ſive Univerſitates, aut Collegia: excommunicationi tamen non ſubjici niſi ſingulares perſonas; ac proinde Univerſitates, & Collegia in caſu ſubjici interdicto. Ratio diſcriminis eſt; quia excommunicatio fertur ob culpam, & contumaciam ipſius excommunicati, quæ in aliquibus de Communitate, utplurimum non intervenit; atque adeo tota Communitas excommunicari non debet. Interdictum e contra fertur etiam ob culpam aliorum; ideoque tota Communitas eidem ſubjici poteſt. Vide *Can. Si habes I. Can. XXIV. quæſt. III.* cum Gloſs ibid.

SECTIO DLXXIV.

CAPUT VIII. ILLUD, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Vintonienſi reſcripta.*

ILlud prætereundum non duximus, quod si laicus, Epiſcopo inconſulto, Ecclesiam non vacantem concedit religioſæ domui, & poſtea cum vacaverit, ad præſentationem ejuſdem laici, Clericus ibi fuerit per diœceſ. Epiſcopum inſtitutus, prior conceſſio ſecundam inſtitutionem, quo minus habeatur rata, & firma, non poteſt aliquatenus impedire, cum illa conceſſio de jure nullius poſſit eſſe momenti; tum quia de re non vacante facta eſt, tum quia laicus sine auctoritate Epiſcopi nemini poteſt Ecclesias dare, licet religioſo loco juspatronatus conferendi liberam habeat facultatem. Si vero juspatronatus, vacante Ecclesia, religioſo loco contulerit, & aliquis sine præſentatione fratrum ejuſdem loci fuerit in ipſa Ecclesia inſtitutus, ejus ſecundum rigorem juris eſt inſtitutio irritanda.

SECTIO DLXXV.

CAPUT X. CUM LAICI, *ex Decretali laudati Innocentii, Archiepiſcopo Eboracenſi reſcripta.*

CUM laici, Epiſcopis neſcientibus, aut non conſentientibus, Ecclesias Clericis concedunt, in quibus habent juspatronatus, & poſtea pœnitentia ducti, alios ad eaſdem Epiſcopis repræſentant, & illi ad eorum præſentationem in eiſdem Ecclesiis ab Epiſcopis inſtituuntur; eorum debet inſtitutio ſtare, qui auctoritate ſunt Epiſcopi inſtituti, conceſſione priori (quæ nulla eſt) omnino evacuata. Non enim licet laicis Clericos in Ecclesiis præſumptione propria ordinare.

Harum

Harum binarum Decretalium ſanctio quoad nullitatem præſentationis, & inſtitutionis factæ, ſine Epiſcopi conſenſu confirmata eſt a Trid. *ſeſſ. XIV. cap. XIII. de refor.* ibi.

Non liceat præterea patrono, cujuſvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia ſui juriſpatronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem proviſio, ſeu inſtitutio ipſius beneficii, ceſſante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præſentare: alias præſentatio, ac inſtitutio, forſan ſecutæ, nullæ ſint, & eſſe intelligantur.

Sicuti vero nequit patronus abſque conſenſu Epiſcopi Eccleſiam, etiam vacantem, conferre, ita nec debet Epiſcopus intra tempus, conceſſum eidem patrono ad præſentandum, aliquem in ea inſtituere ſine hujus conſenſu; legitima namque patronatuum jura tollere, piaſque fidelium voluntates violare æquum non eſt, ut ait Trident. initio *cap. IX. ſeſſ. XXV. de refor.* Unde in prima harum Decretalium dicitur, quod ſi laicus, vacante Eccleſia, contulerit juspatronatus ejuſdem alicui religioſo loco, & aliquis ſine præſentatione Fratrum ejuſdem loci fuerit in ipſa Eccleſia inſtitutus, ejus inſtitutio ſecundum rigorem juris eſt irritanda: quando enim jus nondum eſt devolutum Epiſcopo, non habet hic liberam facultatem inſtituendi, ſed expectare debet præſentationem, aut prius patroni conſenſum obtinere, alias, hoc reclamante contra factum, ipſo irrequiſito, inſtitutionem, hæc ex tunc a jure reputatur irrita, *Can XXXII. Decernimus, cauſ. XVI. qu.* 7. proindeque tenetur eum ſua verecundia efficere, ut Eccleſia reſtituatur patrono ad præſentandum, præſentatumque in ea inſtituere, ſi in examine repertus fuerit idoneus *cap. XIV. Ex inſtitutione, hoc tit.*

SECTIO DLXXVI.

Caput XIX. Consultationibus, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Abbati S. Albani, non Alberii, aut Alberti, reſcripta.*

Conſultationibus (& infra.) Si aliquis Clericus ab ordinario judice in Eccleſia fuerit inſtitutus ad præſentationem illius, qui ejuſdem Eccleſiæ credebatur eſſe patronus, & poſtea juspatronatus alius evicerit in judicio, inſtitutus non debet ab ipſa propter hoc removeri, si tempore præſentationis ſuæ, ille, qui eum præſentavit, juspatronatus Eccleſiæ poſſidebat; cum ex hoc ei, qui de jure debet habere, nullum in poſterum præjudicium generetur. Si vero non poſſidebat, ſed tantum credebatur eſſe patronus, cum non eſſet, poterit ab eadem Eccleſia removeri.

Huic Decretali, in qua declaratur, ſolam poſſeſſionem conferre poteſtatem præſentandi ad beneficium patronatum, derogatum eſt a Trid *cap. IX. ſeſſ. XXV. de reform.* ſtatuente, hanc non ſufficere, ſed neceſſe eſſe, ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus ſupra hominum memoriam, aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, vel Univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, Immemorabilis non aliter ſuffragetur, quam ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuæ, non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui patronatus omnes, & privilegia, conceſſa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, & præſentandi, exceptis iis, quæ ad ſupremos Principes pertinent, vel in favorem generalium ſtudiorum conceſſa ſunt, in totum prorſus abrogata, & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta intelligantur, ibi.

Decernit S. Synodus, ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione; qui ex authentico documento, & aliis jure requiſitis oſtendatur; ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu Communitatibus, vel Univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæsitum præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes, etiam continuatæ, non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ sint, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam ſecularibus, quam regularibus, ſeu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuſcumque aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata Eccleſia, ſeu facultates, & privilegia conceſſa, tam in vim pa-

tron-

tronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cum vacant (exceptis patronatibus, ſuper cathedralibus Eccleſiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes, jura Imperii in dominiis ſuis habentes, pertinent, & quæ in favorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt) in totum prorſus abrogata, & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta intelligantur.

Circa hæc poſteriora Conc. verba = Cum quaſi
poſſeſſione inde ſecuta = placet referre animadverſa
a Fagnano ad hanc eandem Decretalem, *a num. 9. ad*
14. ibi = Ponderanda enim ſunt hæc verba poſteriora
„ *cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta*, quæ aperte oſten-
„ dunt, ad validitatem præſentationis, vel inſtitutio-
„ nis non ſufficere, ut præſentans communiter repu-
„ tetur patronus, & ſit in quaſi poſſeſſione juris præ-
„ ſentandi, niſi doceat de titulo, & proprietate ju-
„ riſpatronatus ad præſcriptum Conc., cujus contra-
„ rium ſtatuitur hic, *& in dicto cap. Querelam, de*
„ *elect.* Unde Sac. Congregat. Cardinalium, ejuſdem
„ Conc. Interpretum, alias cenſuit, decretum *dicto*
„ *cap. IX. ſeſſ. XXV.* circa probationem juriſpatrona-
„ tus, habere locum etiam in petitorio, & in poſſeſ-
„ ſorio: ideoque admittendam non eſſe præſentatio-
„ nem, nec præſentati inſtitutionem faciendam eſſe,
„ niſi probato prius jurepatronatus, ad præſcriptum
„ ejuſdem Concilii. Imo etiamſi poſt Concilium Or-
„ dinarius admiſiſſet præſentationem ſimpliciter, &
„ abſque cauſæ cognitione, poſſe prætenſum patro-
„ num a ſua quaſi poſſeſſione repelli, niſi patrona-
„ tum legitime probaverit, juxta formam Concilii;
„ quod etiam decidit Rota in *Volaterrana Capellaniæ,*
„ *8. Aprilis 1595. coram Cardinali Blanchetto, rela-*
„ *ta a Nicolao Garzia de Beneſ. par. V. cap. V. n. 139.*
„ Quin etiam, cum eſſet quæſitum, an ſi quis proba-
„ verit, ſe per quadraginta annos præſentaſſe, & in
„ poſſeſſione, vel quaſi præſentandi fuiſſe, admitti
„ debeat ad præſentandum, non obſtante decreto
„ Conc. Trid. *cap. IX. ſeſſ. XXV.* ibi: *Aliaſve ſecun-*
„ *dum juris diſpoſitionem*: Sac. Congregatio cenſuit,
„ non debere admitti, atque illa verba; *Aliaſve ſe-*
„ *cundum juris &c.* ita intelligenda eſſe, ut non re-
„ ſpiciant tempus, de quo jam expreſſe Concilium
„ diſpoſuit, & voluit eſſe immemorabile; ſed reſpi-
„ ciant alias cauſas, & alios modos, quibus ſecun-
„ dum jus vetus probari poteſt juspatronatus. Item
„ cenſuit ad conficiendum antiquiſſimum temporis
„ curſum, qui hominum memoriam excedat, com-
„ putandos eſſe annos elapſos uſque ad terminum con-
„ troverſiæ motæ, & non tantum tempus, decurſum
„ uſque ad publicationem Concilii. Rurſus, propoſi-
„ to dubio, an aſſerenti ſibi competere juspatronatus
„ ex dotatione, ſeu fundatione, neceſſe ſit, ipſum do-
„ cumentum dotationis, ſeu fundationis exhibere,
„ an vero ſatis ſit, ſi una, aut altera præſentatione
„ de anno 1554. & 1551., quæ effectum ſortitæ fue-
„ rint, oſtendatur, enunciatum fuiſſe competere ſibi
„ juspatronatus ex dotatione, vel fundatione: die 26.
Januar. 1581. reſponſum eſt, *non eſſe ſatis* =.

In quibus autem caſibus adhuc vigeat hæc Decre-
talis, nec per conſequens ei derogatum non ſit a Tri-
den. his rationibus oſtendit *n. 16.* „ Admonendi tamen
„ ſumus, diſpoſitionem Concilii locum non habere, ſi
„ quæſtio ſit ſuper pertinentia juriſpatronatus inter
„ plures præſentatos: puta quia, vacante beneficio,
„ Ordinarius cognovit de jurepatronatus, & ſervatis
„ ſervandis, pronunciavit, de eo conſtare ad præſcri-
„ tum Conc., & ſententia juſtificatur ex actis, & ſic
„ non controvertitur amplius de titulo, & proprieta-
„ te juriſpatronatus, ſed ſolum vertitur quæſtio in-
„ ter duos, vel plures præſentatos, ad quem ex præ-
„ ſentantibus jus præſentandi pertineat, veluti ſi con-
„ trovertatur, quis eorum ſucceſſerit in jure patrona-
„ tus, & tunc non intrat decretum Concilii, cum il-
„ li jam ſatisfactum fuerit per verificationem patrona-
„ tus, juxta formam ibi præſcriptam; ſed ſervari de-
„ bet hoc capitulum, *& cap. Querelam de elect.* ideo-
„ que inter præſentatos præferendus eſt præſentatus
„ ab eo, qui eſt in pacifica, & immediata poſſeſſione
„ juris præſentandi; & ita reſolvit Rota *in Tiraſonen.*
„ *juris præſentandi 16. Octobr. 1592. coram Blan-*
„ *chetto, impreſſa apud Garz. de Beneſic. in ult. part.*
„ *cap. II. num. 241. & in Piſana Capellaniæ 20. Maii*
„ *1594. coram eodem Blanchetto*, ubi inter cætera
„ Domini dixerunt, ſententiam de partibus, in ea cau-
„ ſa latam, eſſe confirmandam; cum enim indubita-
„ tum ſit, hanc capellaniam eſſe de jurepatronatus, &
„ ſolum controvertatur pertinentia illius ad effectum,
„ de quo agitur, attenditur ſolum quaſi poſſeſſio,
„ *cap. Conſultationibus, de Jurepatronatus*: & infra
„ dixerunt, non obſtare, quod quaſi poſſeſſio non de-
„ beat attendi poſt Conc. Trid. niſi fuerit adhibita
„ cauſæ cognitio juxta deciſionem S. Congr. quia de-
„ ciſio procedit, quando eſt controverſia ſuper liber-
„ tate beneficii, ſecus quando agitur inter præſenta-
„ tos ſuper pertinentia juriſpatronatus: nam hoc ca-
„ ſu Concilium nihil innovat, ut apud eundem Gar-
„ ziam, *part. V. cap. V. num. 141.* Idipſum reſolvit
„ eadem Rota in *Pampilonen. Vicariæ de Ataun. 12.*
„ *Maii 1595. coram Penia*, in qua cenſuerunt Do-
„ mini, præſentatum a Philippo de Lezeano eſſe inſti-
„ tuendum, & præferendum præſentato ab incolis,
„ cum non agatur de canonizatione juriſpatronatus,
„ nec Ordinarius ſe apponat, ſed tantum agatur, qui
„ ex præſentatis veniat inſtituendus; & ad hunc ef-
„ fectum ſatisfit, iſtos de Lezeano, & eorum domum,
„ & familiam eſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi,
„ quæ ex unico etiam actu acquiritur: præferenda
„ enim eſt præſentatio illius, qui reperitur in quaſi
„ poſſeſſione, & ſtatus ultimus eſt attendendus; alle-
„ gant hoc *cap. Conſultationibus, cum aliis &c.* ut
„ latius apud eundem Garz. *dict. cap. V. n. 142.*

Digitized by Google

SECTIO DLXXVII.

Caput XXI. Relatum, *ex Decretali laudati Alexandri, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Angliam conſtitutis, ſcripta.*

RElatum eſt nobis, quod nonnulli occaſione laicæ recognitionis, non requiſita Epiſcopi audientia, beneficia eccleſiaſtica ſibi præſumunt in parœciis veſtris vindicare. Quoniam igitur hujuſmodi perſonæ non intrant per oſtium, ſed aliunde conſcendunt, ac per hoc indigni ſunt paſtoris nomine, vel prærogativa gaudere: mandamus, quatenus eos, ſi commoniti, prædicta minime reſignaverint (niſi epiſcopali conceſſione muniti fuerint) ab officio reddatis, & beneficio alienos (& infra.) Ad hoc, quoniam quidam laici Eccleſias poſſeſſionibus ſpoliant, ut ſic viros eccleſiaſticos faciant coram ſeculari Judice litigare, vobis injungimus, ut id publice ſub interminatione curetis anathematis prohibere. Si quis autem prohibitionis veſtræ contemptor extiterit, eum excommunicationi ſubdatis.

Circa hanc Decretalem vide notata ſupra hoc eodem titulo ad *cap. IV. Præterea*, Sect. DLXXII.

SECTIO DLXXVIII.

Caput XXII. Eam te, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Tornacenſi Epiſcopo ſcripta, ex Gonzalez.*

EAM te decet (& infra.) Illas autem Eccleſias, de quarum patronatu controverſia fuerit, ſi intra ſex menſes, poſtquam vacaverint, non fuerit controverſia terminata, licitum tibi ſit de perſona idonea ordinare.

Huic Decretali, quoad ſemeſtre tempus, conceſſum patrono eccleſiaſtico ad præſentandum, acceſſit Decretalis Bonifacii VIII. relata *hoc eodem tit. in VI. cap. I. Si laicus*, in qua declaratur, hoc tempus obſervandum eſſe, etiamſi juſpatronatus ad ipſum pervenerit ex donatione laici, cui quadrimeſtre tantum ad præſentandum indultum eſt, ibi.

Si laicus juſpatronatus Eccleſiæ, ſibi competens, eidem, vel alteri Eccleſiæ, ſeu loco religioſo duxerit conferendum, hujuſmodi collatio (quamvis abſque aſſenſu Epiſcopi facta fuerit) efficax eſt cenſenda. Per præfatam tamen collationem Iuri Epiſcopi, qui eidem aſſenſum non præbuit, nolumus in aliquo derogari. Verum licet patronus laicus ad præſentandum tempus habeat quadrimeſtre dumtaxat, Eccleſia tamen, vel monaſterium, cui facta eſt à laico juriſpatronatus collatio, tempus habet ſemeſtre. Et omnino quantum ad præſentationem pertinet, non ut patronus laicus, ſed ut patronus debet eccleſiaſticus reputari.

SECTIO DLXXIX.

Caput XXIV. Cum autem, *ex Decretali Lucii III. Norvicenſi Epiſcopo ſcripta.*

CUM autem Advocatus Clericum idoneum Epiſcopo præſentaverit, & poſtulaverit, poſtmodum, eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Eccleſia admitti: quis eorum alteri præferatur, judicio Epiſcopi credimus relinquendum, ſi laicus fuerit, cui jus competit præſentandi. Verum ſi Collegium, vel eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, jure potior eſſe videtur.

In

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi patronus laicus præſentaverit, & ſucceſſive, non revocata priori præſentatione, præſentaverit alterum æque idoneum, relinquendum ſit Epiſcopi judicio præferre, quem maluerit. Si vero præſentati fuerint a patrono eccleſiaſtico, præferendum eſſe primo præſentatum.

Ex hoc tamen non inferas, poſſe patronum eccleſiaſticum plures ſucceſſive præſentare: quidquid enim ſit, quod una, & eadem vice ſimul poſſit plures præſentare, non minus ac patronus laicus, ea conditione, quod Epiſcopus unum ex iis inſtituat, quem maluerit, ut cum *Rocho a Curte* affirmat Gonzalez ad *cap. V. Quod autem, hoc tit. num.6. circa finem*, nihilominus DD. in hoc communiter conveniunt, ſoli patrono laico competere facultatem plures ſucceſſive præſentandi; & quidem prius unum, & poſtea alium tantum, & non amplius, prout ſervatum fuiſſe in praxi tum in conſulendo, cum in judicando teſtatur Lambertinus *de Jurepatron. part.II. lib.II. qu. 2. art.* 23. Imo cum patronus laicus ſecundum præſentat, juxta communiorem ſententiam nequit primum excludere, ſed huic tantum illum accumulare, adeo ut Epiſcopus gratificari poſſit ex iis, cui vult, ſuppoſita in utroque idoneitate: circa quam, & quoad exceptiones, vide Fagnan. *ad hoc cap. Gonzal. loc. cit. & Barboſ.*

Unum hic placet addere, ſcilicet, quod ſi patronus laicus præſentavit indignum, non per hoc excidit pro ea vice a jure præſentandi; lex enim hanc pœnam imponens, loquitur de patrono eccleſiaſtico, ut, pluribus relatis, notat Bened. XIV. *de Synod. Diœc. lib.IX. cap.VII. num.6.* Subdens, nec eandem afficere quemlibet patronum eccleſiaſticum, ſed eos tantum, qui ſcienter indignum præſentaverint. Unde qui ignoranter id fecerint, ſive ſint patroni laici, ſive eccleſiaſtici, ſi tempus, ipſis a jure præſcriptum, elapſum non fuerit, poſſunt alium idoneum præſentare; quia eum præcedens præſentatio de jure fuerit nulla inculpabiliter, inter præſentationes computari non debet, nec ponit impedimentum; cum hoc non præſtet, quod nullum de jure ſortitur effectum. Neque dicendum, indigni facta præſentatione, Epiſcopum jure ſuo poſſe Eccleſiam ordinare; id enim verum eſt, ſi talis præſentatio facta fuiſſet culpabiliter, ac expiraſſet tempus, præſentationi præſcriptum. Dici etiam poteſt, valere inſtitutionem alterius idonei, factam ab Epiſcopo, ſi intra tempus præſcriptum patronus alium idoneum ipſi prius non præſentet; ſecus vero, ſi e contra; cum enim, nondum elapſo tempore, patronus adhuc jus habeat idoneum præſentandi, electio non eſt adhuc Epiſcopo in rigore Juris devoluta.

Cum vero præſentari poſſint plures a patrono laico ad beneficium, etiam curatum, non ſemel ortum eſt dubium, an in hoc caſu requiratur forma examinis per concurſum, eo pari modo, quo ex Trident. *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de refor.* & Conſtit. S. Pii V. *In conferendis*, 18. *Martii* 1567. neceſſaria eſt in proviſionibus parochialibus, tam liberis, quam de jurepatronatus eccleſiaſtici, in quarum vacatione proponenda ſunt edicta ad vocandos quoſcumque, etiam non præſentatos. Cui dubio ſatis proviſum eſt a Cong. Conc. a qua declaratum fuiſſe refert Fagnanus ad hanc eandem Decretalem *num.* 31. non requiri.

Addit tamen *num.* 33. „ Declarationem Sacr. „ Congr. non excludere hunc concurſum, ſed ex „ mente Conc., & Conſtitutionis S. Pii omnes præ- „ ſentatos examinandos eſſe, eumque inſtituendum „ eſſe, quem ex cœteris approbatis magis idoneum „ ad Eccleſiam gubernandam Epiſcopus judicaverit “ Quod ſummopere attendendum eſt ab Epiſcopo, ne præciſe ſiſtendo in diſpoſitione tranſcriptæ Decretalis, utendo libertate, ſibi indultæ gratificationis, minus ſalubriter provideat Eccleſiæ parochiali.

An autem requiratur forma concurſus, quando juspatronatus eſt mixtum, puta laicorum ex una parte, & eccleſiaſticorum pro duabus, vide cit. Fagnan. *ad cap. XXVII. Cum propter, hoc eod. tit. num.* 80. dicentem, non requiri, ex declaratione S. Congr. Conc. ad Eccleſias parochiales, pro quibus juxta Tridentin *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de refor.* indicendus eſt concurſus.

Quoad præſentatos a patronis eccleſiaſticis faciunt reſponſa Benedicti XIV. ad ſequentia poſtulata, ſibi facta ab Archiepiſcopo Florentino, ut in ejus Epiſtola Decretali *Redditæ nobis*, eidem reſcripta *ſub die* 9. *Aprilis* 1746.

I. An patronus eccleſiaſticus teneatur in foro externo præſentare ad beneficium curatum eum, qui inter approbatos ab Examinatoribus magis idoneus, & magis dignus eſt?

II. An Epiſcopus, ad quem ſpectat dare inſtitutionem, debeat ſequi judicium patroni de magis idoneo, magiſque digno, an potius inquirere, rectum ne ſit patroni judicium, an ſecus?

III. Si appellaverit, qui ſe digniorem eſſe putat, & poſthabitus eſt; an ſuſpendi debeat inſtitutio præſentati, an vero hæc debeat ſuum effectum ſortiri (paucis ideſt uno verbo) an appellatio interpoſita locum habeat in devolutivo tantum, an potius etiam in ſuſpenſivo?

Summa autem reſponſorum eſt.

Ad I. Patronum eccleſiaſticum teneri in foro externo præſentare ad beneficium curatum magis idoneum, & magis dignum inter approbatos ab Examinatoribus.

Ad II. Epiſcopum debere beneficium conferre præſentato a patrono, abſque eo quod inquirat de illius judicio, ſi inter examinatos nemo de hoc queratur; ſi vero ſit, qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere.

Ad III. Admittendam eſſe appellationem in devolutivo tantum, interpoſitam ab eo, qui ſe digniorem exiſtimat, & eſt poſthabitus, non retardata poſſeſſione præſentati, ſi Epiſcopi, & patroni judicium de magis digno conveniat: ſi vero non conveniat, tunc ſi quis ex approbatis ab Examinatoribus, & tanquam magis dignus prælectus a patrono putet, ſe gravatum eſſe ab Epiſcopo, & ideo appellat, ejus appellationem operari debere ad effectum ſuſpenſionis; & interim Eccleſiam parochialem remanere ſub Epiſcopo, donec lis finiatur.

SECTIO DLXXX.

Caput XXV. Nobis, *ex Decretali Clementis III. juxta Gonzalez, ignotum, cui reſcripta.*

Nobis fuit (& infra.) Inquiſitioni tuæ tale damus reſponſum, quod ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu Diœceſani conſtruxit, ex eo juspatronatus acquirit. Cœterum in conventuali Eccleſia non electioni Prælati faciendæ, ſed jam factæ, honeſtius patroni poſtulatur aſſenſus, nisi aliter de ſua juriſdictione obtineat, ut partes ſuas interponere debeat electioni tractandæ. Secus tamen eſt in capella, in qua unus Presbyter a patrono eligitur, & pro inſtitutione habenda loci Epiſcopo præſentatur. Pro fundatione quoque Eccleſiæ honor proceſſionis Fundatori ſervatur: *& ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſte ſuccurritur, ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum.*

In ultima parte hujus Decretalis ſtatuit Pontifex, ut ſi Fundator Eccleſiæ, ſeu patronus, ad inopiam redactus fuerit, ab eadem Eccleſia ei alimenta modeſte (ideſt moderate, ut alia lectio habet) præſtanda ſint, ratione factæ fundationis, ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum.

Inter Canones, ad quos reſpexit Pontifex, unus eſt il XXXVIII. in ordine, Conc. Toletani IV. celebrati an. 633. his verbis extenſus.

Præbendum eſt a Sacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus, & maxime his, quibus reſtituenda viciſſitudo eſt. Quicumque ergo fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt, si forte *ipſi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam*, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant. Si enim Clericis, vel monachis, ſeu peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus, pro ſolo religionis intuitu in uſum res eccleſiaſticæ largiuntur, quanto magis his conſulendum eſt, quibus *retributione juſta debentur.*

Quem Gratianus diminutum refert in *Can. XXX. Quicumque, cauſ. XVI. qu. 7.*

Alter eſt relatus ab eodem Gratiano *Can.* XXIX. *Contra Sanctorum, ead. cauſ. & quæſt.* quem tribuit Leoni IV. deſumptum ex ejus epiſtola ad Carolum Magnum Imperatorem; mendoſe tamen, cum nulla inter epiſtolas hujus Pontificis ad dictum Carolum reperiatur.

Tribuitur etiam ab aliquibus Leoni III. ſed nec inter hujus monumenta reperitur.

Hic itaque Canon ita refertur a Gratiano.

Contra Sanctorum Patrum cenſuras videtur exiſtere, si ſecularis, vel laicus Presbyteros ab Eccleſiis, in quibus tempore ordinationis eorum nominati, vel introducti fuerint, videtur expellere. Si vero Fundatores Eccleſiarum ad inopiam vergere cœperint, ab eiſdem Eccleſiis temporalis vitæ ſuffragia percipiant.

Animadvertit tamen ad hunc eundem Canonem Berardus de *Genuinis Canonibus Gratiani tom. I. de Canonibus dicti Conc. Toletani IV.* cum Franciſco Florente ad Canones cauſæ XVI. de antiquo jurepatronatus, poſteriora illa verba; ſi vero Fundatores &c. addita eſſe a Gratiano.

Ex relatis itaque Canonibus, & tranſcripta Decretali patet, jus alimentorum competere *patronis, eorumque filiis, & ſucceſſoribus de familia*, cum & hi veniant nomine filiorum, non ratione juris præſentationis, ſed titulo fundationis, vel donationis dumtaxat; ita ut, ſi jus præſentandi tantum in aliam perſonam extraneam translatum fuerit, jus hoc alimentationis ei non competat, ut cum Florentio notat Vaneſpen. *part.* II. *tit.* XXV. *de Jur. patronat. cap.* VI. *num.* 8. & noviſſime Card. Petra *in Commentar. ad Conſt.* VII. *Gregorii* IX. *tom. II. num.* 23. *& ſeqq.* Si enim ab Eccleſia patronata juſta retributio debetur, hæc ejuſdem auctoribus, eorumque ſucceſſoribus facienda eſt, non extraneis, qui nihil de bonis ſuis in eandem Eccleſiam tranſtulerunt; potiſſimum, ſi jure tantum præſentandi ex teſtamento gaudeant.

Non obſtante autem hac clara allatorum Canonum diſpoſitione, cenſuit Rota, hoc jus alimentorum, ex eorundem benignitate conceſſum patrono, ejuſque filiis ratione fundationis, extendendum eſſe etiam ad illius hæredes, licet extraneos, in quos juspatronatus tranſivit; in *Alatrina juriſpatronatus* 7. *Decembris* 1705. *§. final. coram Molino*; *in Salernitana Alimentorum* 11. *Januarii* 1712. *coram Scotto, & in alia Salernitana Alimentorum* 20. *Junii* 1712. *coram eodem Scotto, impreſſa apud Pitonium tom.* 1. *de Controverſ. patronor. allegat.* 44. *num.* 66. *& ſeqq.* ac 21. *Februar.* 1723. *coram Falconerio, inter impreſ. deciſ.* 6. *&* 8. *de Aliment.*

SECTIO DLXXXI.

Caput XXVI. Per nostras, *ex Decretali Innocentii III. Rothomagenſi Archiepiſcopo reſcripta*.

PER noſtras poſtulaſti literas edoceri, utrum Clericus ad vacantem Eccleſiam, in qua jus obtinet patronatus, ſe ipſum (ſi eſt idoneus) valeat præſentare. Cum igitur nullus ſe ingerere debeat eccleſiaſticæ prælationis officiis, reſpond., quod nullus ſe poteſt ad perſonatum alicujus Eccleſiæ præſentare, quantumcumque idoneus ſit, & quibuſcumque ſtudiis, & meritis adjuvetur.

Quamvis ex hac Decretali patronus non poſſit ſe ipſum præſentare, poteſt tamen, ſi Clericus ſit, acceptare præſentationem ſui, factam ab aliis compatronis, Rota *Diverſor. part.*II. *deciſ.* CLXXV. *n.*4.

Imo non deſunt, qui ſentiunt poſſe & ſeipſum præſentare, ſi non agatur de beneficio, annexam non habente prælationem, cum in hoc, & non alio ratio decidendi, qua hic utitur Pontifex, maxime locum habeat. Et quidem Congr. Conc. in *Nullius*, 14. *Decembris* 1630. *lib. Decretor.* XIV. *pag.* 361. indulſit patrono, poſſe præſentare ſe ipſum ad canonicatum, & præbendam vacantem de ſuo jurepatronatus, eo legitime probato; approbante ejuſdem Congregat. ſententiam Urbano VIII.

SECTIO DLXXXII.

Caput XXVIII. Cum dilectus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Archidiacono, Cancellario, & Decano Altiſſiodorenſi ſcripta*.

Huic Decretali, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, in eo, quod admittit mandata de providendo beneficio, primo vacaturo, derogatum eſt a Trid. ut notavi ſupra ad *cap.* XXX. *de Elect.* Sectione X.

Titulus XXXIX. De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

SECTIO DLXXXIII.

Caput VI. Cum Apostolus, *ex Decretali, deſumpta a cap.IV. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

CUM Apoſtolus ſe, ac ſuos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret Pſeudo apoſtolis, & illis, quibus prædicabat, non exiſteret oneroſus; grave nimis eſſe dignoſcitur, quod quidam Prælatorum ita in procurationibus graves exiſtant, ut interdum eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora conſumat.

Quocirca ſtatuimus, quod Archiepiſcopi parœcias viſitantes, pro diverſitate Provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum, XL. vel L. evectionum numerum, Epiſcopi autem XX. vel XXX. Cardinales XXV. nunquam excedant. Archidiaconi vero V., vel VII. Decani, conſtituti ſub Epiſcopis, duobus equis contenti exiſtant. Nec cum canibus venatoriis, & avibus proficiſcantur, ſed ita procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, quærere videantur. Nec ſumptuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant, quod honeſte, ac competenter illis fuerit miniſtratum.

Prohibemus etiam, ne ſubditos ſuos talliis, & exactionibus Epiſcopi gravare præſumant. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut ſi manifeſta, ac rationabilis cauſa exiſterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare. Cum enim dicat Apoſtolus, *Non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes*

 filiis:

filiis: multum longe a paterna pietate videtur, ſi Præpoſiti ſubditis ſuis graves exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris debent more fovere. Archidiaconi vero, ſive Decani, nullas exactiones, ſive tallias in Presbyteros, ſeu Clericos exercere præſumant.

Sane quod de prædicto numero evectionum ſecundum tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſervari, in quibus ampliores ſunt redditus, & eccleſiaſticæ facultates. In pauperibus autem locis tantam volumus teneri menſuram, ut ex acceſſu majorum, minores merito non doleant ſe gravari. Nec ſub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis uti ſolebant, hactenus plurium ſibi credant poteſtatem indultam.

Hæc prima Decretalis pars confirmata eſt ab Innocentio III. cum moderatione tamen, quam leges infra ad *cap.* XXIII. *Procurationes*, *hoc eod. tit.* Sect. DXCIII.

Quamvis autem in hac eadem prima parte ad corrigendum viſitantium Prælatorum luxum, & ambitionem unicuique eorum, ad tolerantiam dumtaxat, præfixus fuerit numerus equorum, quibus pro ſuo comitatu uti potuiſſent, non inde ſequitur eodem hodie indiſcriminatim uti poſſe, ſed ad evitandum viſitandorum gravamen, monentur a Trid. *cap. III. ſeſſ. XXIV. de reform.* ut modeſto contenti ſint equitatu, famulatuque, & quamcelerrime viſitationem abſolvant.

Et licet nec a Tridentino, nec a Sac. Congreg. ejuſdem interprete, evectionum, ac dierum numerus, intra quem viſitatio ſit abſolvenda, taxatus legatur, id tamen dicta Sac. Congr. relinquendum cenſuit conſcientiæ, & prudentiæ viſitantium, ut videre eſt in una S. Marci *Plurium ad V. & VI. Dubium*, *ſub die 16. Januar.* 1723. *in Theſauro Reſolut. præfatæ Congreg. Tom. II. pag.* 262., *& in Ferentina ad III. ſub die 26. Martii* 1735. *in eodem Theſauro tom. VII. pag.* 42.

In hac eadem prima parte præfigitur evectionum numerus etiam Cardinalibus, viſitationem in ſuis Titulis facientibus, qui ideo minor eſt, quam ille præfixus Epiſcopis, vel quia eorum territorium non erat tantæ latitudinis, quanta diœceſis Epiſcoporum, vel quia tempore Alexandri, hujus Decretalis, auctoris dignitas Cardinalis non ita præexcellentior erat, ut epiſcopalem ſuperaret, quæ pro eminentiori habita eſt, poſtquam conſtitutum fuit, ut Romani Pontificis electio eſſet duntaxat in poteſtate Cardinalium, ut ex *cap. V. Licet*, *de Elect.*, & non Epiſcoporum Cardinalium ſimul, ac Epiſcoporum, & Cleri, ut olim juxta præſcriptum Nicolai II. in Concilio Romano, habito anno 1059. prout ad hanc eandem Decretalem animadvertit Gonzalez.

Verum, cum hodie Cardinalium Tituli careant populo, & in iis, in quibus adhuc ſubſiſtit Clerus, nullam aliam exerceant juriſdictionem, quam illam, quæ concernit ſervitium chori, juxta Conſtit. Innocentii XII., quam tranſcripſi ſupra ad *cap. XI. His quæ, de majorit. & obed.* Sectione CXCVII. hæc ſanctio quoad eoſdem Cardinales locum amplius non habet.

Præfigitur etiam in hac prima parte evectionum numerus Archidiaconis, & Decanis pro viſitatione ſuorum Archidiaconatuum, & Decanatuum. Sed circa viſitandi facultatem, his tributam, hodie attendenda ſunt notata ſupra ex Trid. ad *cap. I. Ut Archidiaconus, de offic. Archidiaconi*.

Circa ſubſidium charitativum, quod in hac Decretali indiſcriminatim permittitur Epiſcopis ex manifeſta, & rationabili cauſa pro multis eiſdem ſupervenientibus neceſſitatibus, Benedictus XII. in Decretali *Vas electionis*, *relata in cap. unic. hoc eod. tit. in Extravag. commun.* §. *Præmiſſis quoque*, ſtatuit, peti poſſe in ea quantitate, qua Epiſcopo viſitanti debetur procuratio. Non defuerunt tamen DD. aſſerentes, hanc Extravagantem, quoad hoc, non fuiſſe uſu receptam, ut notat Card. Petra *in Commentario ad Conſtitut. II. Urbani VI. num.* 18. *tom. IV.* Unde illius quantitas jamdiu diſcreto Epiſcoporum arbitrio remitti cœpit, dummodo eſſet moderata, ut etiam declaravit Cong. Concil. *in Gerunden.* de qua infra.

Verum poſt taxam Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. promulgatam ſub die 8. Octobris 1678. ſemel exigi tantum poteſt in primo ingreſſu ad Epiſcopatum, & in ea quantitate dumtaxat, exigi ſolita a quadraginta annis retro, ibi.

Il ſuſſidio caritativo in quelle dioceſi, nelle quali ſia ſolito eſiggerſi, e non altrimente, ſi eſigge ſolamente per una volta nel primo ingreſſo del Veſcovo, ſecondo la taſſa ſolita antica di anni quaranta in dietro: ſicchè non ſi attenda al ſolito più moderno da detto tempo in giù, ne ſi poſſa più eſiggere ſotto qualſivoglia preteſto, anche di volontario donativo.

Quæ tamen taxa eccleſiaſticas tantum Italiæ Curias afficere magis communiter creditur juxta ſcite expenſa a Cardinali Cavalchino in folio Congregationis Concilii *die 5. Julii* 1738. *in Algaren. Subſidii charitativi*.

Qua Innocentii ſanctione attenta, ſi emergeret nova, & rationabilis cauſa prædictum ſubſidium exigendi propter extraordinarias, & inevitabiles expenſas, quibus redditus epiſcopalis menſæ, ſive Epiſcopatus eſſent impares, impetranda eſſet facultas a Sede Apoſtolica, ut probat Gaudentius *tom. I. de viſitat. Prælat. eccleſiaſt. diſtinct. VI. num.* 18.

Notandum tamen eſt, hoc ſubſidium exigi quidem poſſe in caſu ſupra expreſſo, ab Eccleſiis, ac beneficiis univerſæ diœceſis Epiſcopo ſubjectis; ſed requiſito prius capituli conſilio, ut probat ex juribus, cumulate deductis in præfato folio laudatus Cavalchini.

Du-

Dubia propoſita circa hoc ſubſidium.

IN GERUNDEN. SUBSIDII CHARITATIVI.

I. An Epiſcopi, pingues redditus habentes, quia videlicet nedum congruam ipſis juxta formam Sacri Conc. Trident. aſſignatam, verum etiam duplicatam, ac longe majorem habent, poſſint exigere charitativum ſubſidium a ſuis diœceſanis.

II. An Epiſcopi, quibus pro exigendo charitativo ſubſidio non obſtat ſufficientia, ſive exuberantia redditum, poſſint illud exigere, nulla urgente cauſa, & inconſultis eorum capitulis.

III. An poſſint illud exigere a Clericis beneficiatis, qui licet aliquos redditus habeant, non conſiſtentes in diſtributionibus quotidianis, nihil tamen eis ſupereſt ultra honeſtum victum; imo tales redditus vix ſunt ſufficientes ad prædictum eorum victum.

IV. Suppoſito, quod, conſultis eorum capitulis, dictum charitativum ſubſidium exigere valeant, poſſint illud exigere a ſuis Clericis beneficiatis, non habentibus alios reditus, quam diſtributiones quotidianas.

V. In caſibus, in quibus permiſſum eſt exigere charitativum ſubſidium, quanta debeat eſſe illius quantitas.

Die 17. Februar. 1663. reſcriptum fuit. Ad I. II. III. Negative. Ad IV. Explicandam naturam harum diſtributionum. Ad V. Eſſe arbitrariam quo qualitate indigentiæ, dummodo moderatam, & non oneroſam, *lib.* XXIII. *Decretor. pag.* 415.

Cum autem dictum ſubſidium competat Epiſcopo ex lege dumtaxat diœceſana, hinc ſequitur, monaſteria Regularium, pleno jure ab Epiſcopi juriſdictione exempta, non teneri ad illius ſolutionem, ut declaravit eadem Congr. 18. Februar. & 11. Martii 1713. in *Marianen. Subſidii charitativi*, quoad Rectorias, ſpectantes ad Monachos Olivetanos, *obſtante eorum exemptione*, prout refertur in *Theſauro Reſolutionum ejuſdem Congr. tom. IX. inter foglia an.* 1740. *pag.* 224. tenerentur tamen, ſi unitas haberent aliquas Eccleſias ſeculares, quæ ante unionem illud ſolvere conſueviſſent, cum conſerentur unitæ cum onere, cum quo tranſierunt, *cap. Paſtoralis de Decim.*, *& cap. Quia monaſterium, de Religioſis domib.* Neque teneri Eccleſias unitas Religioni S. Joannis Hieroſolymitani, ut itidem declaravit laudata Congr. in *Auguſtana* 14. *Decembris* 1630. tam quoad hoc ſubſidium, quam quoad cathedraticum, & procurationem *lib.* XIV. *Decretor. pag.* 356.

Nec tandem Moniales, ex Conſtit. Pii IV. 5. Aprilis 1560. & declaratione Congr. Epiſcop., & Regul. in *Capuana* 9. Martii 1635. apud Gaudentium *de Viſit. Prælat. eccleſiaſt. tom. I. dubit. præmiale VI. num.* 21. in qua expreſſe decrevit, quod Epiſcopus, nedum quidquam exigere poſſit nomine dicti ſubſidii, ſed nec recipere, etiam ſponte oblatum, ſub pœnis, tam ipſi, quam Monialibus, arbitrio ejuſdem Congr. infligendis. Qui alii præter ſupra enunciatos teneantur, vel non, ad iſtud ſolvendum, adeatur Ventriglia in *praxi parte II. adnot.* XXV. §. I. & Gonnes in *tractatu de charitativo ſubſidio*, quæſtiones omnes, ad hanc materiam pertinentes accurate examinantes.

SECTIO DLXXXIV.

CAPUT VIII. PRÆTEREA, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Vigornenſi reſcripta.*

PRæterea illi, qui Epiſcopo ignorante, auctoritate ſua penſionem annuam de Eccleſiis, quadam illuſione, ſolverint, ſive receperint, eis defunctis, in receptione penſionis, non ſunt aliquatenus audiendi; ſi Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & aſſenſum ſuper hoc non interveniſſe conſtiterit. Non enim ſimplices Sacerdotes, vel Clerici poſſunt Eccleſias, quibus præſunt, auctoritate ſua (præſertim poſt deceſſum ſuum) efficere cenſuales.

Prohibuit Alexander in Decretali antecedenti, ne ab Epiſcopis, Abbatibus, aliiſve Prælatis, novi cenſus imponantur Eccleſiis, neque veteres augeantur, ſub pœna nullitatis. Prohibet hic idem Pontifex Sacerdotibus, & Clericis, ne ignorante Epiſcopo, & illuſione quadam, ideſt occulta, & illicita pactione, Eccleſiis imponant auctoritate ſua annuam penſionem, præſertim ſolvendam etiam poſt mortem eorum, qui eiſdem Eccleſiis præſunt: & ſi conſtiterit, ab aliquo id factum fuiſſe abſque auctoritate, & conſenſu Pontificis, vel alterius, qui de jure id facere poterit, exigens penſionis ſolutionem nullatenus audiatur. Quod pariter ab eodem Alexandro inhibitum legitur ſub pœna privationis earumdem Eccleſiarum in *cap. XI. Cum Clerici, hoc eod. tit.* Ex quo Pontifex talia damnet, utpote facta ex colluſione, & auctoritate propria, *ignorante Epiſcopo, vel citra auctoritatem diœceſani Epiſcopi*, inferunt nonnulli, Rectoribus Eccleſiarum licere (non colluſiones facere, ſeu occulta pacta cum patronis, quæ juxta alibi dicta, iniqua ſunt, & ab omni jure reprobata) ſed eaſdem Eccleſias cenſuales reddere de conſenſu Epiſcopi; non quidem in perpetuum, aut etiam poſt mortem ipſorum, quod a ſolo Romano Pontifice fieri poſſe facile concedunt, ſed ad tempus, & donec ipſi vivant, ac interveniente aliqua rationabili cauſa id faciendi; & demum penſio, quæ imponitur, ſit diſcreta, & ab Epiſcopo hæc imponatur de conſenſu ipſius beneficiati: in caſu enim, inquiunt, cenſus, ſeu penſio, non eſt onus ipſius Eccleſiæ, ſeu beneficii, ſed onus perſonale ipſius beneficiati, cui volenti, & conſentienti non fit injuria. Verum, ſi eos caſus excipias, in quibus datur facultas Epiſcopis a Trident.

ſeſſ. 21.

*ſeſſ.*21. *cap.*6. & *ſeſſ.*23. *cap.*18. ac peculiare indultum, quoad hoc fortaſſe alicui conceſſum; cenſeo in præſens, nec Epiſcopis, neç Rectoribus id amplius licere, cum habeamus Rubricam, ac legem generalem, quod eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur: curiæ ſtylus, ac praxis ſit, pro impoſitione hujuſmodi penſionum recurrere ad Summum Pontificem, qui neque ſolet penſiones, ab Epiſcopis impoſitas, confirmare, aut approbare; ſed novam proviſionem, aut beneficii, aut ipſius penſionis concedere: dictaque impoſitio vel ſit, vel inducat ſpeciem quandam alienationis, ſaltem ſucceſſive in re non parva, obligans quidem perſonam beneficiati, ſed poſita ſuper tale beneficium. Unde cum fieri nequeat alienatio rei eccleſiaſticæ in re non parva ſine beneplacito Apoſtolico, nec ad id ſufficiat conſenſus Epiſcopi, ut proprio in loco notavi, præcipue agens de *Extravag. Ambitioſa*, Sectione CCCCXLIV.

Quantum ad Eccleſias parochiales, nec Epiſcopum, nec alium quemcumque collatorem, Papa inferiorem, poſſe eiſdem penſionem imponere perſpicue edixit Innocentius XII. die 11. Novembris 1692. & per ſpecialem Conſtitutionem *Quanta*, ampliſſime confirmavit Benedictus XIII. octavo idus Septembris 1724. pro perpetuis futuris temporibus. Idem dici debere quoad alias Eccleſias, ſatis probant prædicta, clariuſque eluceſcit ſerio ponderanti, quod beneficiarii omnes ex Conſt. Benedicti XIV. *Univerſalis Eccleſiæ*, 29. *Auguſti* 1741. §. 2. neque ad vitam, neque ad longum tempus vendere, & diſtrahere poſſunt fructus ſuorum beneficiorum, ſub pœna nullitatis contractus, & excommunicationis contra bona Eccleſiæ alienantes inflicta.

Volentes igitur, hanc improbam conſuetudinem, & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter clericalis Ordinis fama minuitur, & honor conculcatur, Eccleſiæ autem debito ſervitio, pauperes opportunis ſubſidiis, & ſacræ ædes neceſſariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere, motu proprio &c. omnibus Clericis, quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio inſignitis, interdicimus, & prohibemus, ne in poſterum audeant ſub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore, per unam, vel plures ſolutiones, pecuniarum quantitate, quam ipſi beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent; ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ, quas rurſus hic contra eoſdem Clericos, ſic contrahentes, renovare, decernere, ac ſtatuere intendimus, & volumus. Et inſuper ad uberiorem cautelam, & quatenus opus ſit, omnes hujuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtate ſimili damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, eoſque nullos caſſos, ac irritos, decernimus, & declaramus, illoſque ſuis auctoribus, tamquam invalidos caſſos, & irritos, atque inanes, viribuſque, & effectu ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum ſuffragari debere, neminemque ad eorum obſervantiam obligari, etiamſi pluries juramento firmati, & vallati ſint, ſed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum, etiam coloratum, poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimum temporis ſpatium acquiri unquam poſſe pariter præcipimus, & jubemus.

SECTIO DLXXXV.

CAPUT X. INNOVAMUS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, in Concilio generali Lateranenſi*.

INnovamus (& infra.) Nec quiſquam alicui novas pedagiorum exactiones ſine auctorite, & conſenſu Regum, & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, communione careat chriſtiana.

Innovat hic Alexander, quod jam prohibuerat Caliſtus, ne ſcilicet quis, ſupremo dominio carens, tentaret, aut preſumeret novas pedagiorum exactiones imponere ſub pœna excommunicationis duraturæ, donec parti læſæ ſatisfeciſſet, ut ex *Can. Si quis Romipetas*, relato a Gratiano *cauſ.* XXIV. *quæſt. III. Can.*XXIII.

Hæc utriuſque Pontificis prohibitio ampliata eſt a Bulla, in die Cœnæ Domini legi ſolita, in qua extenditur etiam contra omnes, qui in terris ſuis pedagia, ſeu gabellas nuvas imponunt, vel augent, præterquam in caſibus a jure, vel ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, vel augeri, ſeu imponi prohibita exigunt, ſub pœna excommunicationis, Papæ reſer-

ſervatæ, etiamſi poſtea a nova hujuſmodi impoſitione, aut augmento deſtiterint, & parti læſæ ſatisfecerint, ut ex ejus §. V. quem leges in calce hujus Operis.

SECTIO DLXXXVI.

Caput XI. Cum Clerici, *ex Decretali laudati Alexandri, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis reſcripta.*

CUM Clerici (& infra.) Ad hoc quia Clerici quidam cum Religioſis, colluſione facta, citra auctoritatem diœceſ. Epiſcopi, Eccleſias, quas tenent, eis conſtituunt cenſuales, ut poſt deceſſum eorum, eædem Eccleſiæ per repræſentationem eorumdem Religioſorum ad filios, vel nepotes Clericorum ipſorum poſſint transferri: præcipimus, ut ſi qui inventi fuerint facere talia, eos a præſcriptis Eccleſiis non differatis, appellatione poſtpoſita, removere.

Circa facultatem, hic tributam Epiſcopo impertiendi licentiam, ut Rector Eccleſiæ poſt mortem ſuam eam conſtituere poſſit cenſualem, attendenda ſunt notata ſupra ad *cap. VIII. Præterea*, Sect. DLXXXIV.

SECTIO DLXXXVII.

Caput XII. Ea, quae, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Archidiaconis, per Angliam conſtitutis, ſcripta.*

EA, quæ de avaritia (& infra.) Cum autem propter B. Petri viſitationem denariorum collectam per Archidiaconatus veſtros feceritis, Eccleſias, vel parœcias non gravetis. Quod ſi ſecus præſumpſeritis, id quod videmini habere, auferetur a vobis.

Cum denarii argentei tributum, quod jam in proteſtationem Fidei, honorem Divi Petri, & perpetuæ ſuæ pietatis, ac venerationis monimentum erga Sedem Apoſtolicam Ina, Anglorum Rex a ſingulis ſui Regni familiis annuatim pendendum juſſerat, pendi ceſſaverit, etiam antequam Anglicana Eccleſia hæreſum alluvione abſorpta fuiſſet ut refert Baronius ad an. 782. hæc Decretalis locum amplius non habet.

De hujus denarii tributo, & Archidiaconorum fraude in eo exigendo, ac Eccleſiæ Romanæ conſignando, meminit Innocentius III in Epiſt. CLXXIII, lib. XVI. Tuſculano Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, reſcripta.

SECTIO DLXXXVIII.

Caput XIII. Significavit, *ex Decretali Lucii III. ignotum, cui ſcripta.*

SIgnificavit nobis T. Rector Eccleſiæ de Fulſig., quod cum a Monachis de Caſtig. ad regimen ipſius Eccleſiæ fuiſſet electus, de ſolvendo eis annuo cenſu trium marcharum, quas prædeceſſor ejus ſolverat, præſtitit ſacramentum; poſtmodum Epiſcopus diœceſanus, ne ipſum cenſum Monachis ſolveret, niſi prius conſtaret, quod epiſcopali auctoritate fuiſſet impoſitus, in periculum Ordinis ſui interdixit (& infra.) Quocirca mandamus, quatenus ſi præfatum cenſum auctoritate Præſulis, & non de novo impoſitum fuiſſe conſtiterit, Epiſcopo præcipias, ut prohibitionem ſine dilatione relaxet. Si vero cenſus ſit de novo impoſitus, ſive auctoritate Epiſcopi hoc factum fuerit, ſive non, eoſdem Monachos, ut Clericum a juramento abſolvant, app. rem. compellas.

In hac Decretali tributa legitur facultas Epiſcopo impertiendi licentiam, ut Eccleſia conſtitui poſſit cenſualis. Sed & hic attendenda ſunt notata ſupra ad *cap. VIII. Præterea*, Sect. DLXXXIV.

SE-

SECTIO DLXXXIX.

Caput XIV, Sopitae, *ex Decretali ejuſdem Lucii, Girardo Archiepiſcopo Ravennatenſi reſcripta.*

Sopitæ (& infra.) Sane cum inter te, & monaſteria Bononiæ ſuper procurationibus, quas ab eis exegeras, controverſia verteretur (& infra.) Abbas S. Proculi omnium aliorum procurator, ſicut ex literis, quas portavit, apparuit, ſuper hoc diutius litigavit (& infra.) Sed tu procurationes ipſas in aliis monaſteriis tuæ Provinciæ aſſerens tibi ſine contradictione præſtari, eas Prædeceſſoribus tuis in monaſteriis Bonon. exhibitas per teſtes idoneos probaviſti. Inde utique vidimus intentionem tuam, jure communi, & Prædeceſſorum tuorum conſuetudine adjuvari: ea propter monaſteria ſupradicta condemnavimus ad procurationem ſecundum facultates eorum tibi, tuiſque ſucceſſoribus exhibendam.

In hac Decretali ſtatuitur, Archiepiſcopum indiſcriminatim viſitare poſſe Eccleſias, tam ſeculares, quam regulares ſuorum Suffraganeorum, & a Regularibus viſitatis eidem procurationes ſolvendas eſſe.

Verum quid juris hodie ipſi competat tam circa facultatem Provinciam, & Regulares viſitandi, quam ab his procurationes exigendi, attendi debent dicenda infra in notis ad *cap. I. Romana, hoc eod. tit. in VI.* Sect. DXCVII.

SECTIO DXC.

Caput XVII. Cum instantia, *ex Decretali Innocentii III. Primicerio, & Clero Mediolanenſi reſcripta.*

Cum inſtantia noſtra quotidiana (& infra.) Poſtulationi veſtræ taliter reſpondemus, quod cum omnes Eccleſiæ Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtol. procurationes impendere teneantur, ab earum præſtatione nullam habere volumus excuſatam, niſi forte per ſpeciale privilegium Sedis Apoſtol. (quod non credimus) ſit exempta, etiamſi longiſſimo tempore procurationis obſequium non impenderint; cum in talibus præſcriptio ſibi locum nequeat vindicare: quia nos a proviſione paſtoralis ſolicitudinis circa omnes Eccleſias nunquam omnino ceſſamus. Sane in his exigendis eum modum, & ordinem volumus obſervari, ut nulla Eccleſia, vel Prælatus ſe indebite prægravari rationabiliter conqueratur. Si vero in communi collecta, Legatorum, & Nunciorum noſtrorum expenſas duxeritis faciendas; quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis, & noſtris nullum præjudicium volumus generari, quominus poſſint, a quocumque maluerint, procurationes ſibi debitas poſtulare: ita quod, ſi exactus ultra ſuam gravatus fuerit facultatem, ſibi ab aliis reſtauretur: Nunciis tamen noſtris in neceſſariis expenſis exhibendis pareat, quicunque fuerit requiſitus; ita quod in fraudem nihil penitus attentetur, nec per communes miniſtros procurationis obſequium, ſi noluerint recipere, compellantur. Qui vero contumaciter eis duxerint reſiſtendum, diſtrictione ſunt eccleſiaſtica compellendi.

In hac Decretali ſtatuitur, ut omnes Eccleſiæ, ad quas mittuntur a Papa Legati a latere, & Nuncii, teneantur eis ſolvere procurationes, ideſt expenſas itineris, & ſuſtentationis, niſi Apoſtolico privilegio exemptæ ſint; declaraturque, in hoc non dari præſcriptionem exemptionis. Permittitur tamen Eccleſiarum Prælatis, ut dictæ procurationes ſiant per communem collectionem, conceſſa facultate iiſdem Legatis, & Nunciis, ut eas integras a quocumque collectato maluerint, exigere poſſint, huic reſervato jure repetendi ab aliis collectatis, quod ultra virilem ſolvent.

Quæ autem hodie ſervetur praxis circa hujuſmodi procurationes, dicetur infra ad *cap. XXIII. Procurationes, hoc eod. tit.* Sect. DXCIII.

SE-

SECTIO DXCI.

Caput XXI. Cum venerabilis, *ex Decretali laudati Innocentii, Priori S. Stephani, Canonicorum Regularium*,

CUm venerabilis frater noſter Faven. Epiſcopus (& infra.) Cognovimus, quod præfatus Epiſcopus ſpallas, quas ab eadem Eccleſia, tam ipſe, quam Prædeceſſores ſui recipere conſueverant, Eccleſiæ præfatæ remiſit, & ſtatuit, quod aliud ei ſervitium non imponeret, ſibi, & Eccleſiæ ſuæ annuatim trium librarum cereo, penſionis nomine, reſervato. Quia ergo viſitationi annexa eſt procuratio, & Epiſcopus ratione epiſcopalis juriſdictionis, quam habet in ea, teneatur cauſa correctionis Eccleſiam viſitare præfatam, nec intelligatur quaſi novum imponi, quod ab ipſa fundatione de communi fuerat jure impoſitum: decernimus, quod idem Epiſcopus, cum ad ipſam Eccleſiam cauſa correctionis acceſſerit, moderatam ab ea procurationem recipiat bis in anno: ſed nihil aliud præter penſionem, & procurationes præſcriptas ab eadem Eccleſia exigere, vel extorquere præſumat.

Species hujus Decretalis eſt, cum Prior S. Stephani Canonicorum Regularium renueret ſolvere procurationem Epiſcopo Fanenſi, juxta Alteſerram, juxta vero Gonzalez, Pharenſi ſub Patriarchatu Gradenſi, eo quod ipſius monaſterium, quod olim erat monialium (exemptum fuerat beneficio anteceſſoris Epiſcopi ab omni jure epiſcopali, retento dumtaxat certo annuo pondo trium librarum vice ſpallarum, ideſt armorum, vel capitum cervorum, aut aprorum, aliorumve animalium, quæ honoris, & obſequii gratia Eccleſiæ præſtari ſolebant, condemnatus fuit ab Innocentio ad illius ſolutionem bis in anno Epiſcopo viſitanti, debitam etiam a Regularibus, cum in generali remiſſione epiſcopalium jurium nunquam cenſeatur remiſſa procuratio, quæ annexa eſt viſitationi.

Verum cum hodie, monaſteria fere omnia Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium exempta ſint a viſitatione, & quacumque juriſdictione Epiſcopi diœceſani; hæc Decretalis quoad eos locum amplius non habet, ut notabo infra *cap. I. Romana, hoc tit. in VI.* Sect. DXCVII.

Quoad procurationem vero, bis in anno præſtandam, moderata eſt ex declaratione Congr. Conc. ad ſequentia dubia. Quamvis enim Epiſcopus viſitationem inſtituere poſſit etiam intra annum, toties, quoties opus fuerit, ex *cap. IV. Trid. ſeſſ. VI. de reform.* ſemel tamen dumtaxat procurari debet.

An Epiſcopus, qui, ſi commode fieri poſſit, diœceſim ſuam quotannis viſitare tenetur, poſſit hujuſmodi viſitationem facere per menſem, vel circiter, antequam labatur integer annus, a die peractæ ultimæ viſitationis, vel potius debeat expectare, quod anni circulus integre compleatur, antequam denuo viſitet, ita ut intra ſinguli cujuslibet anni curſum una tantum viſitatio fiat. *Die 19. Septembris* 1682. S. Congregatio reſpondit affirmative; ſed non poſſe recipere procurationem, neque victualia, niſi ſemel in anno.

In Sancti Marci *Plurium die 16. Januarii 1723. ut in Theſauro Reſolutionum dictæ Cong. tom. II. pag. 262. ad I. Dubium.*

An Epiſcopus S Marci poſſit per ſeipſum, & quotannis viſitare omnes Eccleſias, omniaque loca ſuæ diœceſis, & an intra annum poſſit plures facere viſitationes.

Reſpondit: Ad I. Affirmative quoad primam, & ſecundam partem pariter affirmative, ſed abſque ulla procuratione.

In *Policaſtren. Procurationis 1. Junii 1737. ad III. Dubium.*

An idem Epiſcopus, non completo anno ab ultima viſitatione, poſſit iterum eandem Eccleſiam viſitare, & aliam procurationem a viſitandis exigere, reſpondit Ad III. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam; ut in præfato *Theſauro tom. VIII. pag.* 83.

SECTIO DXCII.

Caput XXII. Super eo, *ex Decretali laudati Innocentii III. Archiepiſcopo Compoſtellano reſcripta*.

SUper eo, quod Fraternitas tua nos conſulere voluit, quia fere tota Provincia Compoſtell. de novo eſt ad juriſdictionem Eccleſiæ tuæ converſa, qualiter tibi Provinciam, vel partem Provinciæ viſitanti obſequi debeat, & ſervire, nec non & in procurationibus providere; tibi duximus reſpondendum, quod illud obſervare tenetur, quod in vicinis Provinciis obſervatur.

Ex hoc Pontificis reſponſo videtur, in imponendo modum procurationis exigendæ in viſitatione Eccleſiarum, noviter juriſdictioni Epiſcopi aſſignatarum, ſervari debere conſuetudinem vicinarum Provinciarum, & non jus commune; quod quidem ſequi quis debet, ubi non eſt propria conſuetudo loci *l. De quibus, ff. de legibus*.

Verum, cum hic ageretur de Provincia Compoſtellana, recens a Saracenis recepta, & Eccleſiæ reſtituta, ac nondum ſatis compoſita, ne quid ſcandali in ea ex novitate oriretur, maluit Pontifex, prudentiali tantum modo rem ordinari, & diſponi ex conſuetudine vicinarum Provinciarum. Cum de cætero in procurationibus, & aliis obſequiis exhibendis ad hanc dumtaxat recurrendum ſit, quando non apparet de jure, & conſuetudine loci, *cap. Eccleſiis, cap. Ex parte, hoc tit. cap. Cum olim, de conſuetud.*

SECTIO DXCIII.

CAPUT XXIII. PROCURATIONES, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, in Concilio generali Lateranenſi IV., celebrato anno 1215.*

PRocurationes, quæ ratione viſitationis debentur Epiſcopis, vel Archidiaconis, vel quibuſlibet aliis, etiam Apoſtolicæ Sedis Legatis, aut Nunciis, abſque manifeſta, & neceſſaria cauſa nullatenus exigantur, niſi quando perſonaliter officium viſitationis impendunt: & tunc evectionum, & perſonarum mediocritatem obſervent, in Lateranen. Concilio definitam: hoc adhibito moderamine circa Legatos, & Nuncios Apoſtolicæ Sedis, ut cum oportuerit, eos apud aliquem locum moram facere neceſſariam, ne locus ille propter illos nimium aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis Eccleſiis, vel perſonis, quæ nondum fuerant de ſuis procurationibus aggravatæ, ita, quod numerus procurationum numerum dierum, quibus hujuſmodi moram fecerint, non excedat: & cum aliqua non ſuffecerit per ſe ipſam, duæ, vel plures conjungantur in unam. Porro viſitationis officium exercentes non quærant, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, prædicationi, & cohortationi, correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit. Qui autem contra hoc venire tentaverit, & quod accepit, reddat, & Eccleſiæ, quam taliter aggravaverit, tantumdem impendat.

In hac Decretali, Innocentius tribuit Archidiaconis facultatem viſitandi; ſed hæc hodie fere ubique obſolevit; & ubi viget adhuc conſuetudo circa hoc ipſis favens, limitata eſt a Trid. ut notavi ad *cap. I. Ut Archidiaconus, de Offic. Archid.* Sectione CXXXIX. pag. 88.

Præcipitur etiam, præſtandas eſſe procurationes Legatis a latere, & Nunciis Apoſtolicis occaſione viſitationis, ut jam præceperat, præſtandas eſſe pro expenſis itineris, & ſuſtentationis etiam extra viſitationem, cum pro S. Sed. promovendis negociis ad aliquas Terras, & Provincias mittuntur, ut in *cap.* XVII. *Cum inſtantia*, ſupra tranſcripto Sect. DXC.

Verum hodie fere ubique conſuetudo obtinuit, ut Legati, & Nuncii Apoſtolici ſumptus recipiant a Sede Apoſtolica, neque procurationes amplius exigant, ut de Nunciis, in Germaniam miſſis, teſtatur hic Wagnerck.

SECTIO DXCIV.

CAPUT XXIV. VENERABILI, *ex Decretali Honorii III. Abbatibus monaſteriorum Trinitatis de Tyro, & Sanctæ Mariæ de Joſaphat, Ordinis S. Benedicti, ſcripta.*

VEnerabili Fratre noſtro Cenomanen. Epiſcopo accepimus conquerente, quod cum cauſa, quæ inter ipſum ex parte una, & Abbatem, & conventum de Cultura ex altera, ſuper procurationibus, quas ab eis petit idem Epiſcopus, noſcitur agitari, vobis fuerit ab Apoſtol. Sede commiſſa, dicti Abbas, & conventus ex eo fruſtrari intentionem ejuſdem Epiſcopi moliuntur, quod eorum monaſterium in Cenomanen. villa ſitum eſſe dignoſcitur (& infra.) Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus, niſi aliud rationabile oſtenderint, vos eos ad exhibendum eam, ſicut jus dictaverit, compellatis.

Duo

Duo clare eruuntur ex hac Decretali.

I. Quod Epiſcopus intentionem habeat fundatam in jure communi viſitandi Eccleſias, & domus Regularium, & ab iiſdem procurationes exigendi, tanquam viſitationi acceſſorias.

II. Quod hæ exigi poſſint, etiamſi dictæ Eccleſiæ, & domus ſitæ ſint intra civitatem, aut ſuburbia, ubi Epiſcopus reſidet, ut eſt caſus præſentis Decretalis.

Verum utrumque amplius locum non habet. Non primum, quia hodie fere omnia monaſteria, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, exempta ſunt a quacumque juriſdictione diœceſana, ut notabo infra ad *cap. I. Romana*, *hoc eod. tit.* Sect. DXCVII.

Non ſecundum, quia viſitando loca ſuæ ordinariæ reſidentiæ, ceſſat illa neceſſitas temporis, quam Trident. *cap. III. ſeſſ. XXIV. de reform.* præciſe ad has exigendas requirit, cum expleta viſitatione, poſſit domi ſuæ victum ſumere, ideoque nullis expenſis eſt obnoxius: & ita declaravit etiam Congr. Concil. licet adeſſet conſuetudo illas ſolvendi, nedum in Tarentina, de qua meminit Fagnan. ad hoc idem *caput n. 15.* ſed *& in Caſtren. Procurationis 17. Novembr. 1685. lib. XXXV. Decretor. pag. 456.*, *ac in Aliphana Procurationis 18. Julii 1705. Decret. lib. LV.* Imo nec eas poteſt exigere, viſitando Clerum, & oppidum diœceſis, ſi aliqua parte anni inibi reſideret, ut declaravit eadem Congr. in *Policaſtren. Procurationis, 5. Junii 1637.*

S E C T I O D X C V.

Caput XXV. Cum nuper, *ex Decretali Gregorii IX. Subditis Archiepiſcopi Beneventani reſcripta.*

CUM nuper Archiepiſcopus Beneventanus, Beneventanam Provinciam viſitaret (& infra.) Mandamus, quatenus cum eundem Archiepiſcopum, ſive auctorita te propria, ſive noſtra, Beneventanam Provinciam contigerit viſitare, procurationes, rat i one viſitationis debitas, juxta facultates Eccleſiarum veſtrarum exhibeatis eidem: alioqui n ſententiam, quam ipſe rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus i auct ore Domino, inviolabiliter obſervari.

In hac Decretali tribuitur facultas Archiepiſcopo viſitandi Eccleſias, & diœceſes Suffraganeorum.

Verum quantum hodie poſt Tridentinum limitata ſit hujuſmodi facultas, oſtendetur infra in Notis ad *cap. I. Romana*, *hoc eod. tit.* Sect. DXCVII.

S E C T I O D X C V I.

Caput XXVII. Auctoritate, *ex Decretali ejuſdem Gregorii, ignotum, quibus Monachis loquatur Pontifex.*

AUctoritate præſentium inhibemus, ne quis, pro eo quod in Oratoriis, quæ in Granciis veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrent, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præſumat.

Quamvis prohibitio exigendi procurationem hic dumtaxat locum habeat pro viſitatione Oratorii privati in Granciis Monachorum ſiti, ubi degunt tantum eorum Converſi pro agrorum cultura, ibique interdum iidem Monachi celebrant, extenditur tamen a communi Canoniſtarum ad quæcumque Oratoria privata, teſte Fagnano *hoc eod. cap.*

Quod autem Epiſcopus diœceſanus viſitare poſſit Oratorium privatum, ſitum in prædictis Granciis, patet, nedum ex diſpoſitione hujus Decretalis, ſed etiam ex declaratione Congr. ſuper ſtatu Regularium ad dubium V. inter alia propoſita, & declarata, occaſione decreti Innocentii X. *Ut in parvis*, approbata ab Alexandro VII. 27. Julii 1655.

= V. An Eccleſiæ dictorum conventuum, & capellæ Granciarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint. Ad V. poſſe =.

Imo licet vi tranſcriptæ Decretalis, potuiſſent Regulares in iiſdem Granciis privatum Oratorium cum licentia Epiſcopi erigere, ibique Miſſæ Sacrificium celebrare, poſt Tridentinum tamen ibidem celebrare nequeunt abſque ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ, ex decreto Congr. Conc. in dubio *Oratorii, 1. Martii 1687.* bis verbis relato a Card. Petra *tom. II. Commentar.* ad Conſtit. VIII. Honorii III. *ſect. unic. num. 51. & ſeqq.*

= An Sacerdos regularis abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ

Digitized by Google

ſtolicæ Indulto poſſit in domo rurali monaſterii celebrare — reſpondit — negative.

Cujus quidem decreti ratio repetenda eſt a *cap. unic. Trident. de Obſervand.*, *& vitan. &c.* præcipiente, ne Epiſcopus patiatur, Miſſæ Sacrificium peragi in privatis domibus, quales revera ſunt prædictæ domus rurales.

Omittendum tamen non cenſeo adhuc vigens privilegium, die 3. Maii *1575.* Conſtit. *Decet Romanum*, conceſſum Patribus Societatis Jeſu a Gregorio XIII. de quo etiam aliæ nonnullæ Religiones participant, ut eſt Religio Theatinorum, Barnabitarum &c. Verba privilegii ſunt hæc: *Volumus, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales, per ſe in domibus, & collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Miſſæ, & alia divina officia, alterius licentia minime requiſita, celebrari poſſint.* Quod privilegium ſane amplum eſt, cum nec capellarum numerum coarctet, aut Miſſarum; neque certas determinet domus religioſas, ſed ad omnia loca, ubi reſident aliqui Societatis, extendatur: immo cum nec limitet numerum reſidentium, nihilque præſcribat de tempore reſidentiæ, ideoque ſufficiat, quod aliquo tempore in eo loco aliqui reſidere ſoleant, ſatis erit, quod locus ipſe Patrum Societatis reſidentiæ fuerit deſtinatus, ac ibi de facto quandoque reſideant, ſive ſit in civitate, ſive ruri; dummodo Pater Provincialis per ſe approbaverit, & ſolum ad divinum cultum deputaverit hujuſmodi Oratoria, & Capellas. Dixi *per ſe*; quia debent ab eo immediate approbationem, ac deputationem accipere, qui inter reliquos regulares Ordines Provincialis munus, ac officium gerit, ſive Provincialis, ſive Viſitator, ſive alio titulo nuncupetur. Unde nequit Superiorem inferioris gradus ad id delegare, recte inquit Gatticus *de Orator. privil. cap. XXIII. num.* 4. & multo minus ad id ſufficit approbatio Rectoris, ſeu Præpoſiti domus, ex commiſſione præſumpta Provincialis, quidquid in contrarium dicant Diana, & Quartus, in hoc non audiendi, cum Pontifex in privilegio dicat *per ſe*. Sufficit tamen approbatio Generalis, eo quia hic poteſt in univerſa Religione, quæ poteſt Provincialis in ſua Provincia; & quia Pontifex intelligitur meminiſſe Provincialis, ut gratiam amplificaret, protenſa facultate approbationis ad ipſum Provincialem, quem Regulares facilius adire poſſunt, etiam Provincialem abſentem Oratorium poſſe approbare tradunt Joannes *de Luap. in Reſponſis moralibus lib. I. diſp. XIV.* Paſqualigus *quæſt.* 485. *numer.* 6. & La Croix *lib. VI. part. II. num.* 276. a quibus non diſſentit Gatticus *loc. cit.* eo quia, licet abſens, certo ſcire poteſt, adeſſe requiſita, ob quæ approbationem differre non oporteat. Poſſe in hiſce Oratoriis, ſeu Capellis omnes Sacerdotes, etiam ſeculares, ac exteros, quacumque die celebrare, quamvis actu ibi non degant Religioſi, omneſque ibi Miſſam audiendo, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, tradit idem Gatticus *ibid. num.* 26. quia privilegium, de quo agitur, non limitat dies, nec qualitatem celebrantis, nec numerum Miſſarum, nec adſtantium; proindeque eadem amplitudine, qua utuntur in collegiis, uti poſſunt Regulares participantes in domibus ruralibus, Granciis, hoſpitiiſque, ſimili privilegio munitis. Neque oppoſitum evincitur ex decreto Congregationis ſuper diſciplina Regul. diei 4. Aprilis 1686. quo fuit definitum, non eſſe admittendos ad celebrandum Miſſas in Oratorio *dell' Egidia*, niſi Eremitas Camaldulenſes, quorum erat idem Oratorium: obſervat enim idem Gatticus, hoc non emanaſſe tamquam regulam generalem, ſed fuiſſe deciſionem peculiarem pro illo loco, ut litium occaſiones tollerentur: quemadmodum etiam omnia alia decreta, quæ videntur contraria, emanarunt, vel quia agebatur de non participantibus de hoc privilegio, vel quia, non fuerat expoſita participatio ejuſdem, vel demum quia prætenſio fundabatur in privilegiis, obtentis ante Concilium Tridentinum, ſed ab eodem Concilio, vel a Paulo V. revocatis; puta ſuffragari obtentam ab Epiſcopo licentiam, prout eſt ſupra relatum a Card. Petra diei 1. Martii 1687. Cæterum non expedire Sacerdotes, exteros admittere ad ibi celebrandum, nec ad audiendam Miſſam quaſcumque perſonas, præcipue cum nullus ex Sacerdotibus hoc privilegio participantibus ibi degit, ac reſidet, neque ego inficior; licet enim ibi in rigore etiam tunc poſſit quicumque Sacerdos celebrare, & quilibet ibi diebus feſtis Miſſam audire, ſatisfaciendo Eccleſiæ præcepto, multum nihilominus expedit, maxime a ruſticis parochiam frequentari, ut monita ſalutis ibidem accipiant; nec deſunt pericula irreverentiæ in quibusdam celebrantibus libere in aliquo ſacello: quam obrem pluries Sacræ Congregationes oppoſitum definiviſſe videntur, ſignanter cum propoſito dubio a Carthuſienſibus S. C. Conc. = An ſatisfacerent præcepto omnes adſtantes: eadem Congr. die 30. Julii 1735. reſpondit: quoad exiſtentes tantum intra Oratorium, & ad mentem = ac mens fuit quod, vel aperiretur janua in via publica, vel claudatur feneſtra, habens in ea proſpectum. Unum hic addo, ideſt, cum P. Camaldulenſes, non facta mentione privilegii Gregoriani, quo fruuntur, petiiſſent a Sac. Congr. Conc. an poſſent conſtruere Oratorium pro celebrando in Grancia, ubi unus tantum Religioſus laicus reſidere ſolet: eadem Congr. Conc. reſpondit quidem die 30. Julii 1735. poſſe ab iis conſtrui Oratorium pro celebrando, *prævia tamen viſitatione Epiſcopi*. Cum tamen poſtea dicti privilegii mentione facta petierunt a Clemente XII. an eſſet neceſſaria Epiſcopi viſitatio; tunc reſpondit Pontifex, quod non, ſed ſatis eſſe, quod Oratoria, Capellæ, & Altaria viſitata fuerint a PP. Viſitatoribus Ordinis, prout refert Gatticus, jam pluries citatus, quem legere ne pigeat, hanc enim materiam accuratiſſime pertractat.

De Granciis, earumque ſpeciebus adeatur etiam Fagnanus poſt tranſcriptum *cap. XXVIII. Auctoritate.*

SECTIO DXCVII.

Caput I. Romana, *ex Decretali Innocentii IV.*

Romana Eccleſia (& infra.) Statuimus, ut quilibet Archiepiſcopus, ſuam volens viſitare Provinciam, prius Eccleſiæ ſuæ capitulum, ac civitatem, & diœceſim propriam plene viſitare procuret: nec ſit ſolum erga majorum, ſed etiam minorum Eccleſiarum, nec circa Clericorum tantum, ſed etiam populorum viſitationem intentus. Et ſi commode, vel abſque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos, & laicos ſtudeat convocare, ne in illis viſitatio poſtponatur.

Deinde liceat ei per totam Provinciam, vel ejus partem viſitationis officium exercere, civitates, & diœceſes, Suffraganeos ſuos, & eorum ſubditos, cathedralium, & aliarum Eccleſiarum capitula, & monaſteria, Eccleſias, & alia religioſa, & pia loca, Cleros, & populos libere viſitando, ac procurationes a locis tantum recipere viſitatis. Ex quo tamen aliquam de ipſis diœceſibus viſitare cœperit, nunquam poſtea ſive totam, ſive partem ejus viſitaverit, revertatur cauſa viſitationis ad illam, priuſquam omnes reliquæ ipſius Provinciæ diœceſes in toto, vel in parte (quas ſecure viſitare poterit) & ſuæ denuo fuerint viſitatæ. Quod ſi forte eadem diœceſis, vel aliqua ibi Eccleſia plus aliis indiguerit viſitari; tunc aliarum viſitatione intermiſſa, redeat ad eandem, ſi a loci Diœceſano requiſitus extiterit, vel de omnium, aut majoris partis Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ proceſſerit conſilio, & aſſenſu: ad quod iidem ſe pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si vero malitioſe in his difficultatem adhibuerint, Archiepiſcopus licentiam ſuper hoc a Sede Apoſtolica poſtulet confidenter.

Poſtquam autem ſemel omnes Provinciæ ſuæ diœceſes viſitaverit, licitum ſit ei poſtea (prius tamen Suffraganeorum ſuorum requiſito conſilio, & ipſius definitione ſuper hoc habita coram eis, quæ in ſcriptis redigi volumus, ut poſſint aliis eſſe nota) viſitationem per eandem reiterare Provinciam juxta modum ſuperius adnotatum, etiamſi non interveniat in hoc Suffraganeorum ipſorum aſſenſus: illam ſemper providentiam adhibendo, ut in poſterioribus viſitationibus illas Eccleſias, eoſque Cleros, & populos prius viſitet, qui non fuerant ab eo in prioribus viſitati, niſi magis ſit aliis viſitationis officium opportunum.

Sane hujuſmodi impenſurus officium, propoſito verbo Dei, quærat de vita, & converſatione miniſtrantium in Eccleſiis, & locis aliis divino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium ipſum ſpectant, abſque coactione, & exactione qualibet juramenti, ad ipſorum emendationem per ſalubria monita, nunc levia, nunc aſpera, juxta datam ſibi a Deo prudentiam, diligenter intendens. Quod ſi de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos Ordinariis ipſorum (ut ſuper his ſolemniter inquirant) denunciet, ſi viderit expedire. Notoria vero crimina, quæ examinatione non egeant (cum ſuper his merito notari poſſit Ordinariorum negligentia eorundem) libere corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo.

Procurationes autem recipiat, ſecundum quod eſt in Canonibus conſtitutum; nullam tamen pecuniam ipſe, vel aliquis de ſua familia, occaſione alicujus officii, aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſed in victualibus expenſas tantum recipiat moderatas. Caveat inſuper, ne ipſe, vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quodcumque ſit, & qualitercumque offeratur, præſumat recipere: ut non quæ ſua ſunt, videatur quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti. Quod ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam (niſi duplum reſtituatur) liberetur: volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.

Hanc autem viſitandi formam ab univerſis etiam Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ordinario jure ſuos ſubjectos viſitantibus, plene obſervari præcipimus: ſalvis ſuper hoc rationabilibus, & approbatis Religioſorum conſuetudinibus, & regularibus Inſtitutis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Decretalis abſolute, & indiſcriminatim a §. *Deinde* ad totum §. *Sane*, tribuens Archiepiſcopo facultatem viſitandi Eccleſias, & diœceſes Suffraganeorum, imo & ipſos Epiſcopos ſuffraganeos, eorumque ſubditos, limitata eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ. XXIV. cap. III. de reform.* decernente, ut non viſitentur, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio provinciali, ibi.

A Metropolitanis vero, etiam poſt plene visitatam propriam diœcesim, non visitentur cathedrales Ecclesiæ, neque diœceſes ſuorum Comprovincialium, nisi cauſa cognita, & probata in Concilio provinciali.

Quæ tamen viſitatio, etiam juxta modum a Tridentino præſcriptum, ſicut & vocatio, ac acceſſio eorumdem Suffraganeorum ad ſuum Metropolitanum, hodie in deſuetudinem abiit. Rationem reddit Vaneſpen *parte I. tit. XIX. de Metropolitanis, cap. IV. numer. 7. & ſeqq.* ibi ,, Cum vero hodie rariſſime habeantur Concilia provincialia; ac inſuper illa ex pluribus Epiſcopis comprovincialibus (qui viſitationem ſuarum diœceſum a Metropolitano fieri haud optant) & uno dumtaxat Metropolitano conſtent, etiam Metropolitanorum hæc viſitatio in deſuetudinem abiit; nec facile, ſtante hoc decreto, obtinebitur; neque hodie videmus per Metropolitanos viſitationem provinciæ fieri.

,, Inſuper Metropolitani, tamquam Superiores Suffraganeorum poterant ad ſe vocare ſuos Suffraganeos; atque in multis Eccleſiis conſuetudine invaluerat, quod Suffraganei ad ſuos Metropolitanos ſtatis temporibus accedere tenerentur: at hic rurſus Synodus Trident. Epiſcopis ſubvenit, ſtatuens, ne Epiſcopi comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inviti compellantur, *ſeſſ. XXIV. cap. II. de rèform.*

,, Hic de perſonali dumtaxat acceſſu ſermonem eſſe aliquando cenſuerat S. Congr. Conc. Trident. Interpres, at poſtmodum de eadem re maturius deliberans, cenſuit, Concilium liberaſſe Suffraganeos etiam ab onere mittendi Procuratorem, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili: ita Fagnan. ad *cap. Quoniam, de Conſtit. num.* 57. Qui inſuper *ad cap. Si Archiepiſcopus de Tempor. ordinat.* credit, Concilium non exemiſſe Epiſcopos comprovinciales ab obligatione accedendi ad Eccleſiam metropolitanam, quæ ex jure communi profluit, ſed tantum ab ea, quæ ex particularibus conſuetudinibus, quibus Epiſcopi nimium gravabantur, profluebat: quas tamquam abuſus, & corruptelas Concilium ſuſtuliſſe Sacram Congr. declaraſſe teſtatur; adeoque ex ſententia S. Congr. de ſubjectione Epiſcoporum comprovincialium reſpectu Metropolitani, Synodus Tridentina hoc ſuo decreto nihil detraxit; quod jure communi erat introductum, aut probatum. Si tamen Palavicino *lib. XXXIII. Hiſtor. Conc. Trident. cap. X. num. 2.* credimus, ſententia Patrum fuit, ut Epiſcopi ſuffraganei ſolverentur ab obligatione adeundi Metropolitanorum ſedes, excepta Synodi convocatione.

,, Quidquid ſit de hujus decreti ſenſu, hoc in primis conſtat, eam ad Eccleſiam metropolitanam accedendi conſuetudinem, de qua Synodus, paſſim in deſuetudinem abiiſſe.

Tribuitur præterea in iiſdem §§. dictis Archiepiſcopis, ſicuti & Epiſcopis omnibus facultas viſitandi monaſteria Regularium. Jam vero, ſi agatur de monaſteriis Monialium, ſatis proviſum eſt in Decretali *Attendentes II. De ſtatu Monachorum*, relata Sectione DLXII.

Si vero agatur de monaſteriis virorum, hæc hodie ex privilegiis Summorum Pontificum, ſive in recto, ſive per participationem eiſdem conceſſis, totaliter exempta ſunt ab Ordinariorum juriſdictione, etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi, ac rei exiſtentis extra locum exemptum, & ſic non comprehenſa in Decretali *Volentes, de Privileg. in VI.* de qua exemptione late Fagnan. in *cap. XI. Tuarum, dicto tit. de Privileg. ubi a num.* 18. *& ſeqq.* enumerat Ordines regulares, tali exemptione gaudentes.

Quamvis vero in vim Decreti Innocentii X. *Ut in parvis*, mox tranſcribendi, parvi conventus, prius ſuppreſſi, & poſtea ad priſtinum ſtatum reſtituti, omnimodæ Ordinariorum juriſdictioni ſubjecti ſint, itaut ab iiſdem viſitari poſſint, quælibet tamen eis interdicta eſt procuratio, juxta ſequens Alexandri VII. decretum.

Cum Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium alias conſulta, an Epiſcopus, viſitans parvos conventus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas, in eis degentes, ad præſcriptum decreti ſanct. mem. Innocentii X. quod incipit *Ut in parvis*, poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, dixerit, expedire, ut Sanctiſſimus Dominus noſter decernat, & declaret, non licere Epiſcopo, tales conventus viſitanti, quicquam accipere procurationis nomine; Sanctitas ſua, Congregationis ſententia audita, eam expreſſe approbavit, noluitque, licere Epiſcopis, hujuſmodi conventus viſitantibus, aliquid accipere procurationis nomine, ſeu in pecunia, ſeu in victualibus; & ita obſervari præcepit, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore juris clauſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 25. Junii 1664.

M. A. Card. Franciottus.

Proſper Fagnanus Secret.

Ad

Ad quæ autem ſe extendant eorundem Ordinariorum jurisdictio, ſubjicio præfatum decretum *Ut in parvis*, una eum dubiis inde exortis, & reſolutionibus, a Sac. Cong. ſuper ſtatu Regularium editis.

Ut in parvis regularium virorum conventibus, a Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papa X. in Conſt. quæ incipit *Inſtaurandæ*, primum ſuppreſſis, ac deinde ad ipsius Conſtit. limites ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum regularem reſtitutis, & ipsis Religionibus denuo conceſſis, pie, & religioſe vivatur, ac regularia inſtituta, quo exactius fieri poteſt, obſerventur: Sanctitas ſua ex ſententia S. Congregat. ſuper ſtatū Regularium, omnes, & ſingulos conventus hujuſmodi, sic, ut præfertur, reſtitutos, & conceſſos, in literis ab eadem Sac. Congregat. expediendis nominatim exprimendos, & perſonas tam regulares, quam ſeculares in eis degentes, visitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tanquam ſuper hoc a S. Apoſt. delegati, præſentis decreti tenore plene in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eouſque adaucti fuerint, ut in eis commode ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur duodecim Religioſi ad Apoſtolicorum decretorum. præſcriptum, idque eidem S. Congreg. legitime conſtiterit, & ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & non aliter. Interea vero voluit Sanctitas ſua, ut in eorum singulis ali debeant, & reipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla sit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis conventibus, itidem ſuppreſſis per eandem Conſtit. ipsis demandantur, perindeac si gratia prædictæ reſtitutionis, & conceſſionis non emanaſſet. Inſuper quia multi conventus, in quibus, etsi præfixus fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam regularis diſciplinæ, & idcirco in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob reddituum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem, sive ob carentiam Religioſorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob cauſam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis obſervantiæ: Sanctitas ſua, intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos ejuſmodi conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, aut Granciæ, ſeu membra alterius monaſterii, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in quibus non aluntur, vel quandocumque actu non alentur ſaltem ſex Religioſi, itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut ſupra, sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci similiter, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, plene in omnibus, præſentis pariter decreti vigore, ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Cæterum quoad conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religioſorum, erectos poſt diem 21. Junii 1625. etiam illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas ſua voluit, in ſuo robore permanere decretum ſan. mem. Urbani VIII. juſſu editum, cui per præmiſſa aliquatenus derogari non intendit. Et prædicta omnia, & singula in præſenti decreto ſtatuta, & ordinata voluit, plenarium ſortiri effectum, & executioni mandari, non obſtantibus omnibus, & singulis, quæ in antedicta Conſt. voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

B. Card. Spada.

Proſper Fagnanus Secret.

Declarationes decreti fel. rec. Innocentii Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum conventuum juriſdictioni Ordinarii loci, a Sac. Congr. ſuper ſtatu Regularium editæ, atque a ſan. mem. Alexandro PP. VII. approbatæ.

Poſito decreto fel. recordat. Innocentii Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati; contingit dubitari de infraſcriptis.

I. An Epiſcopus in conventibus, ſuæ juriſdictioni ſubjectis, poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere.

II. An poſſit Episcopus a prædictis conventibus Religioſos amovere.

III. An Regulares eorundem conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis.

IV. An Epiſcopus in eiſdem conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ regularem diſciplinam concernunt.

V. An Eccleſiæ dictorum conventuum, & Capellæ

pellæ Granciarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint.

VI. An ipſæ Granciæ, & Converſi, in eia degentes, ſubſint viſitationi Epiſcopi.

VII. Quid in Eccleſiia, ſeu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi.

VIII. An liceat Epiſcopo viſitare conventua, tam ſuppreſſos, & poſtea reſtitutos, quam non ſuppreſſos, ad effectum cognoſcendi, an in illis reipſa alantur ſex Religioſi.

IX. An Epiſcopus, viſitans hujuſmodi conventus, ſuæ juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas, in eis degentea, poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

X. An jurisdictio Ordinariis locorum, tamquam Apoſtol. Sedia Delegatis, attributa in ſupradicto decreto, competat Vicariis generalibua Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac juriſdictionem, quaſi epiſcopalem, habentibus.

XI. An Provincialea, & alii Superiores regulares poſſint ejuſmodi conventus, juriſdictioni Ordinarii ſubjectos, & Religioſos, in illis degentea, viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere, ſicut poterant ante dictum decretum.

XII. Si Superior regularis in cauſa prævenerit contra ſubditum, degentem in aliquo ex eiſdem conventibus, Ordinario ſubjectis, fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopua poſſit, hujuſmodi cauſam reaſumere, & Superiori inhibere.

XIII. Si e converſo Epiſcopus prævenerit in cauſa contra Religioſum, in tali conventu commorantem, an Superiori regulari eo caſu liceat illum amovere, & & in alio conventu collocare; & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum, ſic amotum, revocare ad primum conventum.

XIV. Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus a tali conventu removere, an Epiſcopus prohibere poſſit.

XV. Si a conventu, primum ſuppreſſo, ac deinde Religioni reſtituto, abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus, unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum, ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & conventus remaneat ſuppreſſus, ut prius.

XVI. Quid, ſi a conventu, non ſuppreſſo, ſimiliter ex cauſa rationabili, & ad modicum tempus, abſit aliquis ex ſex Religioſis, ibi exiſtentibus, an, durante tali abſentia, conventus ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii.

XVII. An Religioſo illo redeunte, vel alias impleto numero ſex Religioſorum, conventus recuperet priſtinam exemptionem.

XVIII. Si gratia reſtitutionis conventus ſuppreſſi reddatur nulla, ex eo, quod in illo ad formam decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſtea contingat, ut ejuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis conventus reviviſcat.

XIX. Ad hoc, ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & conventus denuo remaneat ſuppreſſua, propterea quod in eo non ſuſtententur ſex Religioſi, an debeat præcedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto, prævia cauſæ cognitione.

XX. An ab hujuſmodi declaratoria liceat Regularibua ad Sedem Apoſtol. appellare, ad effectum, tam devolutivum, quam ſuſpenſivum.

XXI. Cum ex decreti præſcripto quatuor Sacerdotes, in his conventibus degentes, debeant eſſe maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia, ſuperius propoſita, hunc in modum reſpondit, videlicet.

Ad I. Non poſſe. Ad II. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen prius Superiore regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis conventibus. Ad III. Poſſe compelli. Ad IV. Poſſe. Ad V. Poſſe. Ad VI. Subeſſe. Ad VII. Itidem ſubeſſe. Ad VIII. Minime licere, antequam aliunde conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituti. Ad IX. Expedire, ut Sanctiſſimus Dominus noſter decernat, & declaret, non licere Epiſcopo, tales conventus viſitanti, quidquam accipere, procurationis nomine. Ad X. Competere. Ad XI. Poſſe, ſicut prius, non tamen privative ad Epiſcopum. Ad XII. Non poſſe, niſi ex juſta cauſa, veluti cum videt Superiorem regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quam cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur. Ad XIII. Non licere Superiori regulari Religioſum, ab Epiſcopo inquiſitum, a loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſeculari, ſi opus fuerit, cujuſcumque loci, in quo Religioſus ille reperiatur. Ad XIV. Non poſſe. Ad XV. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec conventum remanere ſuppreſſum. Ad XVI. Subjacere, durante abſentia. Ad XVII. Recuperare. Ad XVIII. Non reviviſcere. Ad XIX. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo conventua poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere. Ad XX. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum. Ad XXI. Ætatem maturam dicā ad hunc effectum, completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas Sanctiſſimus Dominus noſter ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcepit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ die 17 Julii 1655.

B. Card. Spada.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secret.

DE-

D E C R E T U M

SAC. CONGREGAT. SUPER STATU REGULARIUM,

Circa Vicarias parochialium in Granciis monaſteriorum.

AD dirimendas controversias, quæ circa Vicarios, animarum curam exercentes, in ſuppreſſis Granciis monaſteriorum, & circa congruam, ipsis Vicariis aſſignandam, inter Superiores regulares, & locorum Ordinarios in dies oriuntur occasione Conſtitutionis fel. record. Innocentii X. incipien. *Inſtaurandæ*, & literarum circularium, deſuper emanatarum ſub die 30. Martii 1653. S. Congr. ſuper ſtatu Regularium, Sanctiſſimo Domino noſtro approbante, præſenti decreto ſtatuit, ut in poſterum minime liceat ipsis Ordinariis locorum ex quavis cauſa, vel prætextu, aut quæsito colore, Vicarias perpetuas ab eis, vel eorum Prædeceſſoribus, in prædictis ſuppreſſis Granciis conſtitutas facere amovibiles, nec viceverſa conſtitutas amovibiles, facere perpetuas, abſque licentia ipsius S. Congr. nec congruam portionem, quam ſemel Vicariis perpetuis, vel amovibilibus earundem Granciarum, sive in quantitate, aut quota fructuum, sive in pecunia numerata, sive alia re ſtabili, ipsi Ordinarii, vel eorum Prædeceſſores ſemel conſtituerint, ſeu aſſignaverint, quoquomodo augere, vel minuere, aut immutare, S. ipſa Congr. inconſulta, decernens irritum, & inane, si ſecus ab iis ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac similiter Superioribus regularibus minime fas sit cnm ipsis Vicariis, jam deputatis, ſeu deinceps deputandis, publicas, aut ſecretas pactiones, ſeu conventiones inire ſuper diminutione, aut alteratione, ſeu variatione dictæ congruæ, eaſque pactiones, ſeu conventiones, tamquam de simoniaca labe, atque avaritia ſuſpectas, Sac. Congreg. omnino rejicit, atque interdicit, eoſque, qui contrafecerint, pœnis, adverſus simoniacos editis, teneri decernit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ die 8. Octobris 1670.

V. Card. Carpineus. *Proſp. Fagnan. Secret.*

DECLARATIONES,

SACRÆ CONGREGATIONIS, SUPER STATU REGULARIUM,

Circa juriſdictionem Ordinarii in Granciis monaſteriorum, illarumque Eccleſiis, & publicis Oratoriis.

POſita Conſtitutione fel. rec. Innocentii X. quæ incipit *Inſtaurandæ*, nec non illius decreto, incipiente *Ut in parvis*, contingit dubitari de infraſcriptis.

I. An Granciæ ex dicta Conſtitutione Innocentii ſuppreſſæ, & ad ſtatum ſecularem redactæ, illarumque Eccleſiæ, & publica Oratoria poſſint ab Ordinario viſitari.

II. Et quatenus poſſint, an hoc Jus Ordinario competat privative quoad Superiores regulares, an vero cumulative cum ipſis.

III. Et quid, ſi prædictis Eccleſiis cura animarum incumbat.

IV. An Superiores regulares poſſint in dictis Eccleſiis, curam animarum habentibus, nominare Vicarios ad curam animarum exercendam, eoſque ad nutum amovere.

V. An Granciæ, ſeu membra alicujus monaſterii, nunquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubſint juriſdictioni, ac viſitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum Superioribus regularibus.

Die XI. Septembr. 1670. S. Congr. ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia, ſuperius propoſita, in hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad I. Grancias, ut præfertur, ſuppreſſas, & ad ſtatum ſecularem redactas, illarumque Eccleſias, & publica Oratoria poſſe ab Ordinario viſitari, dummodo in iis Granciis, quarum proprietas fuit reſervata, vel reſtituta principalibus monaſteriis, idem Ordinarius nullo modo ſe ingerat in temporalibus.

Ad II. Quoad Eccleſias, & Oratoria publica jus viſitandi competere Ordinario privative: quoad Converſos autem, in eis degentes, cumulative, Ordinario ſcilicet jure delegato ad formam Sacr. Conc. Tri-

dentini, Regulares vero jure ordinario.

Ad III. Itidem quoad Eccleſias dictarum Granciarum, animarum curam habentes, Jus viſitandi Ordinario competere privative: ſed quoad Converſos, in eis degentes, hoc jus competere cumulative; nempe Ordinario, tamquam Sedis Apoſt. Delegato, Regularibus vero auctoritate ordinaria.

Ad IV. Superiores regulares poſſe hujuſmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amovere, ſi Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad V. Granciaa, ſeu membra alicujus monaſterii, nunquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubeſſe jurifdictioni, ac viſitationi Ordinarii loci, ac Superiorum regularium cumulative, videlicet Ordinario, tamquam Sedis Apoſt. Delegato, ex prædicto decreto *Ut in parvis*, Regularibus autem jure ordinario.

V. Card. Carpineus.

Proſp. Fagnan. Secret.

DECLARATIONES,

SACRÆ CONGREGATIONIS SUPER STATU REGULARIUM,

Circa juriſdictionem Epiſcopi in parvis conventibus.

Epiſcopus viſitavit conventum, ſuæ juriſdictioni ſubjectum in vim decreti fel. rec. Innocentii X. incipientis *Ut in parvis*, propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, nec reipſa alebantur ſex Religioſi. Sed poſt abſolutam viſitationem ſine ulla fraude a Superioribus regularibus in eodem conventu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque conventus exemptionem recuperavit, juxta declarationes Sac. Congr. ſuper ſtatu Regularium, nempe XVI. & XVII. inter impreſſas. Hoc poſito conſulitur S. Congr. de infraſcriptis.

I. An poſt exemptionem, ut præfertur, recuperatam, poſſit Epiſcopus hujuſmodi conventum viſitare ad effectum, ut videat, an ordinationes, & decreta, ab ipſo edita in viſitatione præcedenti, fuerint adimpleta, nec ne.

II. An poſſit decreta, non adimpleta, exequi, & pro illorum executione pœnas adjicere, & aggravare.

III. Et quatenus poſſit, an hæc facultas, quæ ex dicto decreto *Ut in parvis*, competit Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtol. Delegato, expiret, lapſo integro anno a die publicationis decretorum.

IV. An Epiſcopus poſt exemptionem, a conventu recuperatam, poſſit condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva Religioſum, qui pro delicto in Curia epiſcopali fuerat inquiſitus, & carceri mancipatus, eo tempore, quo conventus erat juriſdictioni Epiſcopi ſubjectus.

Die 19. Novembris 1671. Sac. Congr. ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita, reſpondit, ut ſequitur, videlicet.

Ad I. Poſtquam conventus exemptionem recuperavit, Epiſcopum nequaquam poſſe illum viſitare, etiam ad effectum, ut videat, an decreta, edita in præcedenti viſitatione, fuerint executioni mandata.

Ad II. Itidem non poſſe poſt hujuſmodi exemptionem decreta non adimpleta exequi, minuſque pœnas adjicere, & aggravare pro illorum executione.

Ad III. Juriſdictionem ex dicto decreto *Ut in parvis*, Epiſcopo attributam in conventu, non habente Religioſorum numerum, ibi præſcriptum, expirare eo ipſo, quod conventus ob familiam ſine fraude adauctam, & impletum numerum Religioſorum præfixum, exemptionem recuperavit.

Ad IV. Cum contra dictum Religioſum non ſolum cauſa, ſed etiam perſona ſit præventa eo tempore, quo conventus erat ſubjectus juriſdictioni Epiſcopi, & exemptio ſuperveniens non invenerit eum liberum, utique Epiſcopum, tamquam Sedis Apoſt. Delegatum, poſſe hujuſmodi cauſam, tempore habili inchoatam, proſequi, etiam poſt exemptionem, & eundem Religioſum condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva.

V. Card. Carpineus.

P. Fagnan. Secret.

Redeundo ad tranſcriptam Decretalem *Romana*, ſtatuentem §. *Procurationes*, ne Archiepiſcopi, aliique Viſitatores accipiant victualia in pecunia; ſicut nec munera quæcumque, etiam ſponte oblata, tam ſibi, quam eorum familiaribus, confirmata eſt a Gregor. X. in Concilio generali Lugdunenſi II. celebrato an. 1274. cum additione pœnarum, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *cap. II. hoc eodem tit. in VI.*

Exigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed etiam poenam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque fel. recordat. Innocen. Papæ IV. Prædec. noſtri, editam ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, ac ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari, eam decernimus pœnæ adjectione juvandam, ſtatuentes, ut univerſi, & ſinguli, qui ob procurationem, ſibi ratione viſitationis

nis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias Conſtitutionem ipſam, recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione, violare præſumpſerint, duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant interdictum. Inferiores vero ab officio, & beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant; nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.

Huic tamen Gregorii Decretali quoad receptionem procurationis in pecunia, derogatum eſt a Bonifacio VIII. id permittente, ſi viſitati in ea illam ſolvere velint: prohibente Viſitatoribus, ne ultra unam procurationem, alteram recipiant, licet plura loca viſitaverint, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. III.*

Felicis record. Gregorius Papa X. Prædeceſſ. noſter, prohibuit in Concilio Lugdunenſi, ne aliqui ob procurationem, ſibi ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam præſumerent, vel etiam recipere a volente. Verum quoniam rerum experientia nos inſtruxit, ex hoc tam perſonis viſitantibus, quam locis, & Eccleſiis viſitatis multa incommodorum diſpendia provenire, concedimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, a volentibus Eccleſiarum, & locorum viſitatorum Rectoribus, ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt: adjicientes, quod non liceat viſitanti, niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum locum ſolum viſitaverit, ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo, ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam, cum eidem ſufficere debeat, ut temporalia metat a locis perſonaliter viſitatis, pro diebus, quibus eis ſpiritualia ſubminiſtrat: cætera vero in ejuſdem Prædeceſſ. Conſt. contenta in ſuo volumus robore perdurare.

Hæc optio permiſſa legitur etiam a Trid. *cap. III. ſeſſ. XXIV. de refor.*

Titulus XL. De Conſecratione Eccleſiæ, & Altaris.

SECTIO DXCVIII.

Caput II. Tua Fraternitas, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Tornacenſi reſcripta.*

TUA Fraternitas (& infra.) Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod in diœcesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere, tam diebus Dominicis, quam privatis.

Templorum conſecrationem e veteri teſtamento ad novum, ab Apoſtolis ad Succeſſores emanaſſe tradit, ac probat doctrina, æqueac Eminentiſſimus Card. Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 20. §. 4. Per aliquod inde temporis ſpatium invaluit uſus, ut ſaltem quædam Eccleſiæ conſecrari non poſſent, quinimo nec de novo ædificari, abſque Summi Pontificis auctoritate, *ut ex can.* 4. 5. 6. *&* 7. *de Conſecr. diſt.* 1. Creſcente tamen fidelium multitudine, ſimul & crevit Eccleſias multiplicandi neceſſitas; atque hinc Epiſcopis libera relicta facultas, tum eas, cum Altaria conſecrandi, prout expedire in Domino judicaſſent: manente nihilominus in Romano Pontifice auctoritate ad id alium, etiam non Epiſcopum, delegandi, ac in Epiſcopis facultate ſolum alium Epiſcopum ſubſtituendi; ut DD. comm. notant ad *cap. Aqua* 9. *hoc eod. tit.* proinde dicentes, Epiſcopum non poſſe ad id deputare ſuum Vicarium generalem, nec Abbatem, nec alium quemcumque, non conſtitutum in gradu, ac Ordine epiſcopali.

Ad Epiſcopum ergo vere, ac proprie talem, pertinet Eccleſias, & Altaria conſecrare *can. Quamvis*, 4. *diſt.* 68. & quidem ad Epiſcopum loci, ſeu diœceſanum *cap. Nunc* 1. *& cap. Cum venerabilis* 7. *de Relig. domib.* adeo, ut ſine ejuſdem mandato, aut commiſſione, nomiſi cum licentia Papæ, poſſit alius Epiſcopus in id ſe ingerere, *can. Epiſcopus* 28. *cauſ.* 7. *qu.* 1. Et ſi ex proprio libitu id ſibi arrogaret, eſſet quidem valida conſecratio, ſed illicita, ibid. imo ex decreto Anacleti Papæ, relato in eod. can. eſſet ſuſpenſus per annum a celebratione Miſſæ, & *ex cap.* 5. *Tridentin. ſeſſ.* 6. *de reformat.* eſſet pariter ſuſpenſus ipſo jure ab exercitio Pontificalium; quia Eccleſiæ conſecratio inter

ter Pontificalia recenſentur a Roſſa, cęteriſque commit. quæ ſine expreſſa Ordinarii licentia in alterius diœceſi exerceri vetantur ab eodem Concilio ſub pœna ſuſpenſionis ipſo jure: addit Clericatus *de Sacrific. Miſſ. deciſ.41. num. 29.* ipſam quoque Eccleſiam, ſic conſecratam, remanere ſuſpenſam uſquequo Ordinario videatur: exemplo Clerici, qui ſi abſque teſtimonialibus proprii Ordinarii ſe fecerit ab alio ordinari, ex *cap. 8. Trident. ſeſſ. XXIII. de reform.* ſuſpenſus eſt a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiù proprio Ordinario videbitur. Verum, cum agatur de extendenda pœna latæ ſententiæ, id aſſerere non auſim; nam, quamvis pœna ſententiæ ferendæ nonnumquam extendi poſſit; illa tamen latæ ſententiæ non extenditur de caſu ad caſum, etiam ex identitate rationis; imo nec in exæquatis, ut cum Joan. Andræa, Abbate, Tiraquello, & aliis recte tradit *Theſaurus de pœn. eccl. par. 1. cap. 9.* Sentio quidem, prædicta valere, etiamſi Epiſcopus, ſibi arrogans Eccleſiæ conſecrationem, eſſet Vicarius generalis ipſius Diæceſani, *ut ex cap. 2. & ult. de Offic. Vicar. in VI.* docet Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 2. cap. 8. num. 2.* nam Vicarius generalis, vigore ſolius generalis commiſſionis, gerit vices ſui Epiſcopi dumtaxat in exercitio juriſdictionis, cujus limites excedit conſecratio Eccleſiæ: hæc enim, vel eſt actus ipſius Ordinis epiſcopalis, ut videtur colligi ex *cit. cap. Aqua*; vel ſi non eſt proprie actus hujuſcemodi Ordinis, ut vult Card. Petra *tom. 4. Commentar. ad Conſtit. 6. Urbani IV.* eſt tamen actio, jure canonico reſervata ipſimet perſonæ Diæceſani in locis præcitatis, quam propterea Vicarius generalis ejuſdem abſque ſpeciali ipſius commiſſione exercere non poteſt, quamvis & ipſe ſit epiſcopali Ordine inſignitus: ac multo minus eandem poteſt alteri committere ex ſe, nam utrumque eſſet prætergredi limites meræ juriſdictionis.

Atque hæc regula valet etiam pro Eccleſiis Regularium, Ordinumque exemptorum, niſi habeant ſpeciale Sedis Apoſtolicæ indultum, quod ex laudato Benedicto *loc. citat. lib. 13. cap. 15. numer. 2. & ſeqq.* raro admodum concedi ſolet. Vel niſi forte nullius ſint diœceſis, cum territorio proprio in ſpiritualibus, & temporalibus; in quo caſu poſſe Eccleſiam a quovis Epiſcopo conſecrari, ſi ad id a tali Abbate vocetur, expreſſe conſentit Petra *loc. cit. num. 48.* ac deciſum refert die 27. Septembr. 1602. Grueber *de Privileg. Relig. diſp. 3. ſect. 3.* cum talis Abbas in caſu dicatur Ordinarius territorialis, ac ſemi Epiſcopus in ſuo territorio, abſtracto a quacumque alia diœceſi. Ratio autem, ob quam in aliis caſibus conſecratio fieri debet a Diœceſano, eſt, quia privilegia in contrarium, juxta communem, plauſibilioremque ſententiam ſunt a Tridentino revocata, ſaltem indirecte *cap. 5. ſeſſ. 6. de reform.* quatenus ibi prohibuit Epiſcopis exercere Pontificalia in alterius diœceſi abſque expreſſa licentia Ordinarii loci, non obſtante prætextu cujuſvis privilegii; *nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia*, ubi dictio *nulli* excludit quemcumque Epiſcopum, quemadmodum & dictio *cujuſvis* excludit quodcumque privilegium.

An vero ſub hac prohibitione comprehendantur etiam Archiepiſcopi Metropolitani, aut Cardinales? affirmant Aloyſius Riccius in *Praxi varior. reſolut. reſolv. 234.* & Ugolinus *de Offic. & Pot. Epiſc. cap. 4. §. 24.* ſicque definitum referunt quoad Archiepiſcopos a S. Congr. Epiſc. & Regul. 18. April. 1599. Barboſa *ad idem cap. 5. Trident. num. 3.* ac P. Ferraris *in Bibliot. v. Archiepiſcopus, art. 2. num. 25.* & quoad Cardinales, non habentes a Papa licentiam, Galemart ad idem *cap. 5. Conc. Trident.* Ex una etenim parte, Archiepiſcopus Metropolitanus, quantumvis Cardinalis, non eſt Ordinarius in territoriis, ac diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, niſi in cauſis, ſibi devolutis per legitimam appellationem, certiſque aliis caſibus, eidem non exceptis, inter quos plane non veniunt Pontificalia. Ex alia parte Archiepiſcopus, licet Metropolitanus, ac Cardinalis, & ipſe Epiſcopus eſt ſuæ civitatis, ac diœceſis; proindeque, cum Tridentinum, ſtatuens, *nulli Epiſcopo liceat &c.* indefinite loquatur de Epiſcopis, nec ullam quoad hoc in eis faciat diſtinctionem, neque nos diſtinguere debemus *L. de pretio ff. de publ. in rem act.* ac per conſequens ſub tali prohibitione etiam præfatos comprehendi dicendum eſt, *can. Nullus Primas 3. cauſ. 9. diſt. 2.* ac in terminis Metropolitani, Gaudentius de Janua *de Viſit. tom. 1. cap. 2. ſect. 3. num. 20.* cum Gratiano *diſc. for. cap. 468. num. 33.*

Dubitari ſolet, an alius Epiſcopus, abſque Diœceſani licentia, poſſit licite conſecrare Eccleſiam Regularium in caſu, quo idem Diœceſanus, ab his bis, aut ter humiliter rogatus, ut talem Eccleſiam conſecret, renuat id facere; vel jam a quatuor menſibus, & ultra, id adhuc differat. Negant ſiquidem, licite id fieri poſſe Clericatus *de Sacrific. Miſſ. deciſ. 42. n. 29.* Mattheuccius *Offic. Cur. cap. 7. v. Quatuor, ſub n. 13.* Peyrinus *ad Conſt. 1.* Julii II. §. 21. *num.* 47. & alii non pauci 1. Quia etiam conſecratio Eccleſiæ Regularium fit cum exercitio Pontificalium, a Tridentino fieri prohibito ſine licentia Ordinarii, 2. Quia nunc temporis obſolevit antiquum præceptum non celebrandi, extra caſum neceſſitatis, in Eccleſiis non conſecratis; ut experientia fit compertum, cum plures ſint Eccleſiæ tum ſecularium, cum Regularium, ſimpliciter benedictæ, in quibus divina, & eccleſiaſtica quotidie peraguntur, abſque ulla, vel minima irreligioſitatis, ac irreverentiæ nota. Unde nulla neceſſitas urget, Epiſcopum loci ultra non differre hujuſmodi conſecrationem. Et ſi ob hoc aliquod monaſterium ſe gravatum credat, erit minus inconveniens recurrere ad Sedem Apoſtolicam pro opportuno remedio *can. Omnis oppreſſus 2. quæſt. 6. & cap. Ut debitus, de appellat.* quam alium in caſu inducere Epiſcopum, qui in facie Ordinarii loci, ſine hujus licentia exerceat Pontificale conſecrationis Eccleſiæ in ejus diœceſi, 3. Denique, quia Gregorius XIII. anno 1578. in nona ſua Conſtit. *Quanta*, omnia Regularium privilegia reduxit ad normam decretorum Sacri Conc. Trid. = Poſſe nihilominus id licite fieri docent Barboſa *de Jur. Eccl. lib. 2. cap. 2. num. 33. & Pot. Epiſc. par. 2. alleg. 27. nu. 31.* Paſſerinus *de Stat. Hom. tom. 3. quæſt. 189. art. 10. numer. 921.* Ferraris *in Biblioth. v. Eccleſia, art. 4. n. 20.* & alii quamplures; eo quia Leo X. in ſua Conſt. *Dum intra*, edita die 19. Decembr. 1516. in Concilio Lateranenſi V. ad ſtabiliendam pacem, & concordiam inter Regulares, & Epiſcopos, ut ibidem dicitur, & ad hunc finem etiam ab eodem generali Concilio approbata, ac §. 12. ad omnes Regulares extenſa, ſtatuit, quod Regulares ab alieno quidem Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel Altaris petere non poſſint, *niſi tamen ubi Ordinarius bis, aut ter, cum debitis reve-*

Digitized by Google

reverentia , & inſtantia requiſitus , ſine legitima cauſa id recuſaverit . Ubi iſta exceptio profecto firmat regulam , ac indubitatum jus quoddam in contrarium, favore Regularium in caſu , quo loci Ordinarius ab iiſdem per duas , aut tres vices taliter requiſitus , abſque legitima cauſa id facere recuſet, vel expreſſe per apertam negationem , vel tacite per præfatam diutinam dilationem. Alioquin ad quid inſerviret talis exceptio ? aut quonam alio modo compoſiti , ac in pace firmati dici potuiſſent diſcordes animi Epiſcoporum , & Regularium in hac re , ſi neque in hiſce caſibus illis conceſſum fuiſſet , alium Epiſcopum advocare ad ſuæ Eccleſiæ conſecrationem? Indubia profecto eo tunc erant privilegia , quibus innixi Regulares aſſerebant, id ſibi licere , quantumvis ſemel tantum Diœceſanum rogaſſent ad talem effectum , ſi hic ultra quatuor menſes id peragere distuliſſet. Tale enim erat privilegium, quod Honorius IV. Minoribus conceſſerat anno 1286. in Bulla : *Ex parte veſtra* ; Joannes XXII. Carmelitis anno 1331. in Bulla : *Merita veſtra* , Bonifacius IX. Prædicatoribus die 27. April. 1402. in Bulla , *Sacræ Religionis* , Julius II. Minimis 5. Kal. Auguſt. 1506. (omiſſa etiam quatuor menſium expreſſione) in Bulla *Dum ad fructum* : & ne diutius immorer in recenſione aliorum , hoc ipſum eiſdem terminis recenter conceſſerat Minoribus de Obſervantia idem Leo X die 3. Februar. anno 1514. in Bulla , *Religionis* . Cum igitur ſubſequens præfata Conſtitutio , *Dum intra* , biennio poſt edita ab eodem Pontifice in V. generali Lateranenſi Concilio, fuerit concordatum quoddam ad reconcillandos animos, & tamquam lex ſtatuta, & approbata etiam a toto illo venerabili conſenſu , ut in poſterum ab Epiſcopis , & Regularibus omnibus ſervaretur occaſione alicujus Eccleſiæ Regularium conſecrandæ : dicendum ſane eſt, verum ſenſum illorum verborum hunc eſſe , quod Regulares omnes , antequam alium Epiſcopum conveniant , teneantur etiam bis , aut ter , recurrere ad Epiſcopum loci ordinarium , eumque cum debitis reverentia , & inſtantia requirere , ut ipſorum Eccleſiam conſecrare dignetur . Item , ſi ob aliquam legitimam cauſam id Epiſcopus peragere nequeat , ſeu facere recuſet , patienter ipſi expectare teneantur legitimæ cauſæ ceſſationem : attamen, ſi hæc non interveniat , vel jam ceſſaverit , ac bis , aut ter , jam Regulares , cum debitis reverentia , & inſtantia , eundem requiſiverint , & ipſe adhuc recuſet, valeant ad id agendum in iſto caſu alium Epiſcopum advocare & hic etiam licite in vim dictæ legis id facere ; cum, non alicujus privilegii prætextu , ſed vigore legis , in favorem ipſorum a ſupremo Principe , ac Legislatore latæ, id eo tunc peragant .

Nec allata in contrarium vim hujus rationis enervant; nam Trid. primo loco objectum , inquit , quidem nulli Epiſc. licere in alterius diœceſi Pontificalia exercere, *prætextu alicujus privilegii* ; at non negat eadem ibi exerceri poſſe vigore legis, in perpetuum a Pontifice latæ, integro generali approbante Concilio , prout faceret in caſu noſtro Epiſcopus . Quæ reſponſio valet etiam ad id, quod tertio loco fuit objectum, cum etiam Gregorius XIII. ibi expreſſe loquatur de Regularium privilegiis . Ad 2. Objectum quod attinet , magna dubitandi ratione non caret , an præceptum conſecrandi Eccleſias vere obſoleverit , cum Benedictus Papa XIII. ipſoſmet terminos veterum Canonum uſurpans in Concilio Romano, *tit. 25. cap. 1.* ejuſdem obſervantiam commendet, ſaltem quoad Eccleſias cathedrales, & parochiales (quibus juxta Gibertum *tom. 2. tit. 15. quaſt. 4. pag. 537.* nomen Eccleſiarum proprie ſolum pertinet) & majora ipſarum Altaria . *Antiqua mandant (ait ibidem Pontifex) Sanctorum Patrum decreta , ut , ſicut non alii poſſunt , quam ſacrati Domino Sacerdotes, ſacra peragere, & hoſtias offerre ſuper Altare ; ita non alibi , neceſſitas niſi ſumma coegerit , quam in Deo dicatis locis , ideſt in tabernaculis , divinis ab Epiſcopo precibus delibutis, divina debent Sacrificia celebrari . Incumbant quocirca Epiſcopi , ut Eccleſiæ ſaltem cathedrales , & parochiales , & majora ipſarum Altaria , quæ adhuc perfecta non ſunt , nec dedicata, intra annum, ſi fieri poterit , in civitatibus , per diœceſes vero intra biennium , omnino perficiantur , & ſolemniter conſecrentur* . Quamobrem benedictionem Eccleſiarum tantum eſſe in ſubſidium , ac per modum proviſionis , tradunt Baruffaldus , Cavalieri , aliique . At traſmittamus, quod rigor hujuſce præcepti obſoleverit , non obſolevit ſane major ſaltem convenientia peragendi divina , & eccleſiaſtica in Eccleſia conſecrata , quam in ſimpliciter benedicta; nam ſecus , ad quid etiam nunc conſecrantur Eccleſiæ, ſi conſecratio non confert ad majorem ſaltem decentiam ? non obſolevit pariter jus , quod Regulares vigore dictæ legis, & concordati, habent in hiſce circumſtantiis , alium Epiſcopum advocandi pro ſuæ Eccleſiæ conſecratione, ſi Diœceſanus id facere renuat . Vel ergo hic debet in caſu eorum Eccleſiam conſecrare, vel eiſdem uſum ſui juris æquo animo relinquere : nullam ſiquidem in ipſum irreverentiam committunt , aut inconvenientiam, ipſo renuente conſecrare eorum Eccleſiam, in caſu ad id alium advocando, cum favore legis ipſis conceſſo legitime utantur ; & ſi Diœceſanus id male fert , ſibimet malum imputet ob irrationabilem ſuam recuſationem ; etenim *damnum , quod quis ſua culpa ſentit , ſibi debet , non alteri imputare* , ex *reg. 86. de Regul. Jur. in VI.*

Sed redeamus ad noſtram Decretalem , in qua ex dictis jam ſatis conſtat, quam jure, ac merito reſponderit Innocentius , licere Tornacenſi Epiſcopo in ſua diœceſi Eccleſiis dedicationem , ideſt conſecrationem impendere, cum juxta Gloſſam, & communem Doctorum interpretationem , per dedicationem hic conſecratio intelligatur , Nec releves cum Paulutio *Juriſprud. ſac. tom. 2. lib. 7. tract. 11. cap. 1. num. 7.* dedicationem a conſecratione differre, cum omne conſecratum ſit quidem etiam dicatum ; ſed non e contra . Item quia conſecratio ritum , ac cæremoniam dicit ſupra Deo dicationem; locumque ex prophano, & privato , ſacrum, ſanctum , ac publicum efficit , & omnino extra commercium , ac æſtimationem . Unde inferre quis poteſt, quod , cum Pontifex in Decretali utatur *dedicationis* vocabulo , male per hoc nos intelligimus conſecrationem . Contra enim , neque ego inficior , conſecrationem in aliquo differre a ſimplici dedicatione, si rigoroſe utramque ſumamus . Dico tamen a malæ intelligentiæ nota nos hic liberare tum communem Doctorum interpretationem , in eodem ſenſu tale vocabulum nobiſcum intelligentium in hac Decretali , cum indifferens acceptio unius vocabuli pro alio, nedum alibi in ſacris Canonibus, verum etiam in univerſa Eccleſia , quæ in oratione officii , ac Miſſæ Anniverſarii dedicationis Eccleſiæ canit , *Deus qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti templi tui conſecrationis reparas diem &c.* Idem facit Pontificale Romanum, inſcribens titulum *de Eccl. dedicat. ſeu Conſecrat.* & quandoque

idem

idem præſtant Sacræ Congregationes in decretis, ut luculenter oſtendit P. Cavalieri *Commentar. tom.* 1. *cap.* 1. *ad Decr.* 5. *num.* 5. & 6. Cum ergo rationabile motivum non ſuppetat diverſimode hic accipiendi tale vocabulum ex mente Innocentii, quinimo oppoſitum ſubminiſtret appoſitio vocabuli, & capitis ſub hoc *tit. de Conſecrat. Eccl. & Altar.* ideo non abs re vocabulum dedicationis pro conſecratione intelligimus, ac interpretamur.

Sciſcitantur plures motivum dubitandi, propter quod Epiſcopus ab Innocentio poſtulavit, ſibi ne liceret ſolis diebus Dominicis Eccleſias conſecrare? Item cur Pontifex reſpondit, ipſi licere in ſua diœceſi hoc facere etiam diebus privatis, ſeu ferialibus? Et quantum ad 1. communior reſponſio cum Gloſſa hæc eſt, quod, ſicuti ſolum certis temporibus Clerici ordinantur, virgines velantur, Epiſcopi conſecrantur &c. ita putavit Epiſcopus, ſibi licere Eccleſias conſecrare ſolum expreſſis ab ipſo diebus. Ad 2. poſtea inquiunt, ideo Pontificem ſic reſpondiſſe, eo quia in Eccleſiarum conſecratione requiratur minor ſolemnitas, quam in mox prædictis. Quamquam vero prima reſponſio non omnino diſpliceat, nihilominus dicerem, Epiſcopi dubium, ex eo ortum duxiſſe, quia ſolis diebus Dominicis facienda præſcribitur Epiſcopi conſecratio in *Canon.* 1. *diſt.* 75. ſoliſque diebus feſtis in *cap.* 1. *de Tempor. Ordin.* indulgetur (extra alia ſtatuta tempora) virginum Deo dicatarum conſecratio, & Clericorum ordinatio in minoribus: quibus ſolis proinde anceps erat fieri ne poſſet etiam Eccleſiarum conſecratio. Secundam poſtea reſponſionem rejicio, ſi non procedat in caſu, quo agatur de ſimplici Eccleſiæ benedictione; ſolemnis namque Eccleſiæ conſecratio, tantum abeſt, quod requirat minorem prædictis ſolemnitatem, ut, attento ritu, ac cæremoniis, longe majorem importet. Unde veriſimilius cenſeo, Pontificem ideo ita reſpondiſſe, quia non eſt a Jure prohibitum facere Eccleſiæ conſecrationem etiam diebus ferialibus, cum talis prohibitio in toto Jure communi nullibi reperiatur. Item quia Tornaci non aderat legitima conſuetudo in contrarium, faciendi nempe conſecrationem Eccleſiarum ſolum aliqua die feſtiva: quæ conſuetudo, ubi viget, ſervanda eſt; præcipue cum Pontificale Romanum, juſſu Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. de novo editum, hæc habeat *tit. de Eccleſ. dedicat. ſeu conſecrat. Eccleſiarum conſecratio, quamvis omni die de jure fieri poſſit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum ſolemnitatibus fit.*

Poſſe ſimul ob majorem pompam, ac ſolemnitatem, convenire plures Epiſcopos ad unam, eandemque Eccleſiam conſecrandam, ut eveniſſe fertur tempore Magni Conſtantini, tradit Pax Jordanus *Elucubr. diverſ. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 7. & 8. inquiens tamen, quod unus tantum eſſe debeat Epiſcopus conſecrator, hoc eſt ſacro chriſmate liniens duodecim Cruces, inſculptas, vel pictas in parietibus, cum prolatione illorum verborum; *Sanctificetur, & conſecretur hoc templum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*; adeo, ut ſi hic Epiſcopus deficeret ob improviſam infirmitatem ante unctionem ipſarum Crucum, tota functio ſacra foret repetenda ab alio Epiſcopo. Si vero deficeret poſt linitas Cruces, ſatis foret continuare functionem, & ſupplere ea, quæ deſunt, per alium Antiſtitem; ut in facti contingentia reſpondit S. R. Cong. in Uliſſiponenſi die 12. Aprilis 1614. teſte Barboſa *de Jur. Eccl. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 52. ubi affert hanc rationem, quia eſſentia conſecrationis Eccleſiæ conſiſtit in ungendis ſacro chriſmate duodecim Crucibus, dictorumque verborum prolatione.

Jam vero functio, ſeu actus ipſius conſecrationis Eccleſiæ, juxta P. Cavalieri *tom.* 1. *cap.* 1. *ad decr.* 2. *num.* 2. incipit rigoroſe loquendo, quando Conſecrator mane diei conſecrationis acceſſit ad Eccleſiam, ac indutus paramentis inchoat Antiphonam *Adeſto &c.* finiturque ad benedictionem tobalearum excluſive: harum ſiquidem, aliorumque ſubſequens benedictio, proprie ad Eccleſiæ conſecrationem non ſpectat. Propterea, ſi Epiſcopo ſuppetat aliqua cauſa transferendi Anniverſarium conſecrationis (nam abſque ulla cauſa, ſaltem congruentiali, translatio facienda non eſt, ex eodem Cavalieri *ibid. ad Decr.* 1. *num.* 18. debet in rigore intra talem terminum facere deſignationem diei, ab ipſo determinatæ pro Anniverſario; eo quia facultas hoc transferendi eidem competit ſolum in ipſa actione conſecrationis, ex S. Rit. Congr. decreto, adeo ut extra talem actum, nonniſi conſulta Sede Apoſtolica, poſſit ab eo fieri translatio, ex alio S. Rit. Congr. decreto 16. Octobr. 1604. Quoniam vero præſcribit Rubrica, ut a ſero ante diem conſecrationis Reliquias paret, eaſque ponat in vaſculo cum chartula exprimente: *Ego N. Epiſcopus Eccleſiam conſecravi &c.* ac ex decreto Higini, ſeu Evariſti Papæ, relato a Gratiano in *can. Omnes baſilicæ* 3. *de Conſecr. diſt.* 1. Eccleſiæ ſemper cum Miſſa debent conſecrari: hinc fit ut aliquo modo actio conſecrationis incipiat ab ipſa præparatione Reliquiarum prædicta, & cum Miſſæ termino compleatur. Proindeque cum facultas transferendi Anniverſarium, de genere illorum privilegiorum eſſe videatur, quæ latam interpretationem admittunt, ſi deſignatio diei determinatæ fiat ab Epiſcopo intra mox dictos terminos, hanc valide fieri cenſeo; & huic opinioni non multum ſe refragari fatetur ipſemet etiam Cavaliri *ibid. n.* 5. Cæterum hujuſmodi facultatem ultra non extendo, adeo ut invalidam reputem, ſi fiat ad Veſperas ejuſdem diei conſecrationis; tunc enim eſſet quidem facta in die, ſed non in actu conſecrationis. Unde in illo caſu dies Anniverſaria eſſet illa, quæ correſponderet ipſi diei conſecrationis, ideſt ea, in qua anno præcedente facta eſt conſecratio. Quod pariter valet, quando Epiſcopus inadvertenter, vel etiam advertenter, non fecit anniverſariæ diei deſignationem; cum enim eo tunc facta non fuerit, ſaltem valide, diei anniverſariæ mutatio, Anniverſarium retinet ſuum naturalem locum propria die: Anniverſarium ſiquidem nihil aliud eſt, quam annua memoria factæ conſecrationis Eccleſiæ.

Ex quo Reliquiarum præparatio debeat Eccleſiæ conſecrationi præmitti, & abſque Miſſa Eccleſia non ſit conſecranda, oritur dubium, an tum Reliquiæ, cum Miſſa ſint de neceſſitate hujuſce conſecrationis. Verum quantum ad Reliquias difficultatem ſolvemus in ſectione ſequenti, cum etiam ibi de iis nobis agendum ſit. Quoad Miſſam ergo duo hic diſcutienda ſunt, 1. eſt, an Miſſa ſit de neceſſitate conſecrationis Eccleſiæ, 2. eſt, an eadem Miſſa poſſit alteri celebranda committi; an vero ſit celebranda ab ipſomet Eccleſiæ Conſecratore.

Quantum ad 1. refert Gloſſa ad præfatum *can. Omnes baſilicæ*, §. *Cum Miſſa*, non defuiſſe, qui putaverint, Miſſam eſſe de ſubſtantia conſecrationis Eccleſiæ; ideoque ad hanc eſſe adeo neceſſariam, ut abſque Miſſa nec licite, nec valide peragi queat Eccleſiæ conſecra-

ſecratio. Non dicit Gloſſa, quo niſi fundamento, id aſſeverint, ſed tantum affert argumentum *ex Can. Quorumdam 1. diſt. 34.* ubi tameo nihil invenio ad rem præſentem. Quamobrem cenſeo, eoſdem id potius aſſeruiſſe, quia in allegato *Canon. Omnes Baſilicæ*, exprimitur, quod Eccleſiæ cum Miſſa debent ſemper conſecrari, ob hanc expreſſionem interpretantes ly *debent* de neceſſitate ſubſtantiali. Quamquam vero verbum *debet* revera aliquando hanc interpretationem admittat, ut colligitur ex Barboſa *in in tract. de Dictionib.* ad dictionem *debet*; nihilominus quia hoc ſolum valet quando vertit circa aliquid rei intrinſecum, eſſentiale, aut proprium, quorum neutrum, ut infra oſtendam, verificatur de Miſſa reſpectu conſecrationis Eccleſiæ; ideo hæc opinio communiter rejicitur. Quinimo aliqui ſentiunt (inter quos Schmier *Juriſprud. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 1. ſect. 1. §. 1. num. 117.*) ly *debet* importare meram decentiam, adeoque Miſſam eſſe celebrandam ex convenientia, non autem ex rigoroſo præcepto. Veritas tamen eſt in contrarium, ut colligitur ex declaratione Benedicti XIV. in epiſt. 2. ad Engelbertum, Abbatem monaſterii Campidonenſis, incipiente; *Peracta*, 16. *Novembr.* 1748. in qua declaravit, talem Miſſam non poſſe alteri celebrandam committi ſine licentia Summi Pontificis, ex hac enim declaratione duo inferuntur, per quæ, nedum primum, verum etiam ſecundum dubium propoſitum, reſolvuntur. Siquidem infertur, 1. ſtrictam dari obligationem, adeoque præceptivam, celebrandi eo tunc hanc Miſſam; ſi enim ejuſdem celebratio facienda foret ex decentia tantum, & non ex præcepto, impoſſita non eſſet Epiſcopo, vel alteri Eccleſiam conſecranti, obligatio adeo ſtricta eandem Miſſam celebrandi per ſemetipſum, ut ex objecto patet. Infertur 2. clara reſolutio ſecundi dubii propoſiti, circa quod propterea opus non eſt quidquam aliud addere.

Magnam nihilominus difficultatem ingerit quoad hoc Rubrica Pontificalis Romani; hæc enim concedit, quod ſi Epiſcopus conſecrator nimio ſit labore fatigatus, poſſit Miſſam celebrare facere per alium; ut poſt Jordanum recte notavit etiam Clericatus *d. deciſ. 41. num. 42.* Porro quonam modo iſtud dictum Rubricæ Pontificalis cohæret cum mox relata declaratione Benedicti XIV? Utrumque tamen facile conciliari cenſeo, ſi caſus Rubricæ Pontificalis dicatur exceptus per epicheiam; per hanc enim, caſus quidam extraordinarii cenſentur non comprehenſi in lege mere eccleſiaſtica; *nam ad ea debet potius aptari jus, quæ frequenter, & facile, quam quæ perraro eveniunt, l. nam ad ea ff. de legib;* & rationem aſſignat D. Thomas 2. 2. *qu.* 147. *art. 4. ad 2.* quia nempe *Legislator attendit id, quod communiter, & in pluribus accidit.* Deinde Benedictus XIV. declaravit quidem, requiri licentiam Summi Pontificis; & ipſe tamen ſciebat; hanc dividi in expreſſam, & rationabiliter præſumptam, ſuumque poſſe habere locum, tali declaratione non obſtante, veram ratihabitionem de præſenti, quæ æquivalet licentiæ expreſſæ, ac tribuit facultatem tunc licite agendi. Jam vero, cum doctiſſimus Pontifex ſimul fuerit etiam in Rubricis Pontificalis Romani verſatiſſimus, caſui Rubricæ Pontificalis in hiſce omnibus locum reliquiſſe non ambigo. Duo hic addo quoad hanc Miſſam; unum eſt, quod ut hæc dicatur ſolemniter celebrata, ſufficit etiam ſine cantu, & plana, dummodo Epiſcopus ſumat indumenta Pontificalia, mitram ſcilicet, & baculum, prout Patavii quandoque fieri teſtatur Clericatus *l. c.* alterum eſt, quod, cum juxta dicta poſſit evenire caſus, in quo etiam licite Epiſcopus conſecrator alteri committat celebrationem ejuſdem Miſſæ, & quidem ſimplici Sacerdoti, hoc ſatis probat, Miſſam eſſe quid extrinſecum ipſimet conſecrationi Eccleſiæ, & per conſequens non eſſe de ejus ſubſtantia; maxime cum ipſe peragere non valeat ex ſe unam partem, & alteri committere aliam partem ſubſtantiæ conſecrationis. Accedit reſpectu iſtius Miſſam eſſe tantum de præcepto, ergo non ſpectat ad ejus ſubſtantiam.

Cæterum Eccleſia jam certo conſecrata, iterum conſecrari non debet, niſi execretur, aut majori ex parte ſimul deſtruatur, vel parietes, in quibus interius factæ ſunt Cruces cum unctionibus, ita deſtruantur, talemve ad ſtatum redigantur, ut illæ majori ex parte bis amplius ineſſe non cenſeantur, *Can. Eccleſiis* 20. *de conſecr. diſt. 1.* Si vero ignoretur, aut dubitetur, an fuerit conſecrata, nec ullo certo teſtimonio, aut documento conſtet, eam fuiſſe conſecratam, tunc eſt conſecranda, *Can. Solemnitates 16. ead. diſt.* Ut tamen non indigeat nova conſecratione ſufficit, quod quotannis ibi ſemper celebratum fuerit Anniverſarium dedicationis, ut declaravit S. Rit. Congr. 27. Nov. 1706. in Ferentina. Dixi *ut non indigeat*, nam etiam in hoc caſu, deficiente alio quocumque documento, adhuc poſſe Eccleſiam conſecrari, docuit Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. *tit. 25. cap. 3.* Dixi ulterius, *ſi ibi quotannis ſemper celebratum fuerit Anniverſarium conſecrationis*, eo quia, ſi pridem celebratum fuiſſet, ſed poſtea per aliquot annos fuiſſet omiſſum, quamvis deinde fuiſſet reaſſumptum, Eccleſia indigeret conſecratione, ut Anniverſarium proſequi poſſet. Ratio eſt, quia præſumitur prius omiſſum ex congruis fundamentis, & rationibus, ſi de oppoſito certo conſtare non faciant. Quod ſi certo conſtet de facta Eccleſiæ conſecratione, ſed ignoretur dies, & forte etiam annus peractæ conſecrationis, pro illo caſu Sac. Rit. Congr. die 18. Auguſti 1629. dedit Ordinario facultatem aſſignandi diem pro feſto ejuſdem celebrando: in qua die permaneret, quamvis tractu temporis nota fieret dies conſecrationis, ut ait P. Cavalieri *loc. cit. ad Decr. 5. num. 14. & ſeqq.* ſubdens, aſſignationem hanc poſſe fieri etiam a Prælato regulari, ſi de ſua Eccleſia agatur, quia decretum non apponit, quod fiat ab *Ordinario loci* (cujus nomine ex alio decreto ejuſdem Congr. 22. Januar. 1701. certe non veniunt Regularium Superiores) ſed inquit *ab Ordinario* præciſe; cujuſmodi plane ſunt Prælati regulares relate ad ſuos religioſos, propriamque Eccleſiam, ordinariam juriſdictionem habentes, & quaſi epiſcopalem; quorum propterea, maxime in favorabilibus, ſunt vere Ordinarii; quamvis non ſint Ordinarii *locorum*. Ex quo Eccleſiarum numerus ſucceſſu temporis adeo crevit, ut alicubi Epiſcopis, ob multigenam aliorum curam, nimium difficile, ac gravoſum evaderet ſingulas Eccleſias ſolemniter conſecrare: ſuffecta paulatim eſt ſimplex quarumdam benedictio, in conſecrationis ſubſidium, præſertim Eccleſiarum, minus principalium, publicorumque Oratoriorum, quæ pariter conſecrari poſſe notant Gibert *tom. 2. tit. 15. quæſt. 4. pag. 537.* Joſephus de Bonis *de Orator. Publ. cap.* 10. & alii; quamvis hæc ſoleant præciſe benedici. Propterea ab re non erit hic etiam aliquid dicere circa benedictionem Eccleſiarum.

Sed prius ingenue fateor, me hactenus nullibi legiſſe, quod privilegium conſecrandi Eccleſias fuerit

toti

toti alicui Ordini conceſſum ; ſed tantum alicui Abbati, vel aliis pro aliqua vice, ſeu in, & pro aliquibus circumſtantiis. Hinc Grueber hoc inter ea privilegia enumerat, quæ rariſſime, ac difficilime conceduntur: qualia in generali communicatione non veniunt ; & quia in Jure reprobantur tamquam corruptela, neque præſcriptione, neque conſuetudine obtineri, inquit *de Privil. Relig. diſp. 3. ſect. 3. pag.* 485. Neque quid plus evincunt exempla, allata a Bened. XIV. *de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 15. num.* 3. *&* 4. ſolum enim probant, poſſe Papam etiam non Epiſcopis id concedere.

Igitur benedictio Eccleſiæ eſt actio ſacra, per quam cum certa precum formula, certoque ritu, ab Eccleſia inſtituto, talis locus de prophano fit ſacer ; & Deo, divinoque cultui a miniſtro legitimo perenniter dedicatur, ad ibi divina, & eccleſiaſtica peragenda. Spectat quoque ad Epiſcopum Eccleſias ſolemniter benedicere ; quoniam vero eſt actus juriſdictionalis ejuſdem, poteſt illum committere etiam ſimplici Sacerdoti ex *cap. Aqua, ſupra cit.* Hinc licet Rituale Romanum benedictionem hanc ponat ſub generali titulo benedictionum reſervatarum, tamen ſub titulo particulari, inquit, eam fieri poſſe, *per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum*, nihil addens an hic eſſe debeat in dignitate conſtitutus, nec ne ; quod clare denotat, poſſe ab Epiſcopo delegari etiam Sacerdotem ſimplicem. Neque opponas, illum eſſe delegabilem ad Eccleſiam benedicendam, qui poteſt delegari ad eam benedictam reconciliandam, ſi fuerit polluta, *arg. ex eod. cap. Aqua*, ſolum autem Sacerdotem in dignitate conſtitutum poſſe ab Epiſcopo delegari ad hanc reconciliandam, ex decreto S. Rit. Congreg. 9. Februar. 1608. *Simplex reconciliatio Eccleſia, ſeu cæmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate conſtituto* : nam hoc decretum inquit quidem, quod talis reconciliatio committi *poſſit*, non autem quod committi *debeat* Presbytero, in dignitate conſtituto : quod eſt bene notandum ; eo quia recte intellectum concordat cum verbis allegatis Ritualis Romani, ac favet nobis. Aliud ſiquidem eſt dicere : Benedictio committi poteſt Presbytero in dignitate conſtituto, quod nec ego inficior, imo aſſero etiam eſſe magis conveniens ; aliud dicere, quod huic committi debeat ; cum ly *debeat* inferat Epiſcopo neceſſitatem, quam revera non habet delegandi Sacerdotem, in dignitate conſtitutum ; nam quantum ad hoc liber eſt ad delegandum etiam Sacerdotem ſimplicem, abſque ulla vel minima inconvenientia. Addo facillimum eſſe, quod ly *in dignitate conſtituto* fuerit appoſitum in decreto, in quantum poſitum fuerat in petitione, ſeu quæſito, Congregationi propoſito. Cæterum pro ſimplici benedictione Eccleſiæ faciendum non eſt Anniverſarium, quamvis & ipſa proprie ſit quædam dedicationis ſpecies, per quam locus prophanus fit cultui divino dedicatus. Potiſſima ratio eſt, quia benedictio Eccleſiæ ſolum fit in ſubſidium, ac per modum proviſionis, uſquequo fiat ejuſdem conſecratio : qua peracta, amplius non attenditur benedictio, & cum agitur de feſto Dedicationis, ſermo eſt de illo Conſecrationis, non vero de illo benedictionis ; ut conſtat ex *Can. Pracepta, & aliis de Conſacr. diſt. I.* & oratione Officii, ac Miſſæ diei anniverſariæ Dedicationis &c. nec non ex ſupra indicato decreto S. Rit. Congr. diei 27. Novembr. 1706. in Ferentina ; ex quo enim in ea Cathedrali in præteritum *feſtum Dedicationis* fuerat ſemper celebratum, intulit S. Congr. eandem fuiſſe conſecratam, ideoque definivit, *nova conſecratione non indigere* : quæ illatio plane legitima non fuiſſet, ſi per feſtum Dedicationis etiam illud benedictionis veniret. Propterea audiendi non ſunt Peyrinus *in Reg. minim. cap. IV. §. XIV. qu. un. num.* 2. & Lezana *tom. III. in Mar. mag. Carmelit. §. CIII. num.* 518. dicentes, faciendam eſſe annuam Dedicationem de Eccleſiis tantum benedictis, eo quia non eſt Anniverſarium conſecrationis Eccleſiæ, ſed tantum Dedicationis, ut ex *tit. Commune Dedicationis Eccleſia* ; & benedictio Eccleſiæ eſt quædam dedicatio ; non ſunt inquam audiendi utpote quia benedictio non eſt Dedicatio in ſenſu ſtricto, & in quo Dedicationis vocabulum ſolet accipi in Eccleſia, nempe pro conſecratione ipſa, vera, & propria.

SECTIO DXCIX.

CAPUT III. QUOD IN DUBIIS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Nidroſienſi Archiepiſcopo, in Regno Norvegiæ reſcripta.*

QUod in dubiis (& infra.) Altare vero, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio pontificali miniſterio adhibetur, mota, *vel enormiter fracta fuerit*. debet non immerito conſecrari. Nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.

A conſecratione Eccleſiæ, de qua egit Innocentius in cap. anteced. hic gradum facit ad conſecrationem Altaris ; & quamvis tam Altare fixum, quam portatile, conſecratione indigeat, ut in eo Miſſæ Sacrificium licite peragatur ; nihilominus quia Altaria Eccleſiarum, connexive ad quas loquitur, fixa eſſe ſolent, ac immobilia ; ideo a tabula Altaris fixi, quæ ejuſdem pars præcipua eſt, initium ſumit in hac Decretali. Ac primo ſupponit, eam per Epiſcopum conſecrari : quod de Jure veriſſimum eſt, quamvis ex pontificio privilegio id fieri poſſit etiam a non Epiſcopo, 2. Statuit, quod, ſi eadem tabula mota fuerit, aut enormiter fracta, idem Altare debent iterum conſecrari, 3. Demum, admittit poſſe oleo conſecrato, cujus unctione Altare ſacratur, oleum non conſecratum commiſceri. De ſingulis aliquid dicendum eſt, ut mens Innocentii rectius attingatur, & rei materia pro merito ſuo clarius explanetur.

Et

Et quantum ad 1. nonnulla exprimenda ſunt, quæ in ſuppoſitione Innocentii involvuntur. Et quidem 1. quod hujuſmodi tabula nunc temporis debet eſſe lapidea, ſaltem quoad eam partem, ſupra quam ponitur Hoſtia cum Calice; ſic enim colligitur ea *can. Altaria* 31. *de Conſecr. diſt.* 1. idque expreſſe præſcribit Rubrica Miſſalis XX. *de Præpar. Altar.* iis verbis: *vel ſaltem ara lapidea, ſimiliter ab Epiſcopo conſecrata, in eo inſerta*, 2. Quod eadem tabula, vel ſaltem mox dicta ara, eidem inſerta, rectius conſiſtit in unico lapide, quam diviſa in plures, tantamque extenſionem habere debet, ut Hoſtiam, & majorem partem Calicis capiat, ead. Rubr. Miſſal. ibid. Hinc S.Cong. Epiſcop. apud Nicolium in *Floſc. v. Altare num.*5. declaravit, quod amplitudinem minorem uno palmo babere non debet: majorem tamen habere poteſt; imo ſi tota tabula conſiſtat in unico plano lapide, extenſionem habente totius menſæ Altaris, tunc poteſt eadem tabula tota conſecrari, factaque hac conſecratione, non eſt neceſſaria petra ſacra in medio ejuſdem; imo Sacrificium in hoc caſu offerri poteſt, non ſolum in ejus medio, ſed in qualibet parte ejuſdem tabulæ; cum tota ſit conſecrata. Quando tamen non eſt tota lapidea, ſed compacta, ex. gr. partim ex ligno, partim ex lapidibus, non poteſt tota conſecrari; atque adeo tunc eidem inſeri debet petra ſacra, ut ibidem poſſit celebrari: Sacrificium namque ſolum offerri poteſt in Altari conſecrato, quod ſcilicet habeat, vel tabulam, vel petram conſecratam; quæ etiam ara vocatur. Et, ſi quis extra caſum ſummæ neceſſitatis, vel abſque licentia Summi Pontificis cum advertentia aliter celebraret, juxta communem DD. ſententiam mortaliter peccaret; ac juxta *can. Nullus presbyter* 15, *de Conſecr. diſt.* 1. ſuſpendendus eſſet a diviuis, etiamſi celebraret in Altari portatili: nam propter reverentiam debitam Sacrificio, præceptum eſt abſolute, ut in ſolo Altari conſecrato fiat celebratio, *can. Sicut* 11. *ibid.* Hinc Altaria, quæ ambiguæ conſecrationis ſunt, conſecrari mandatur in *can. Eccleſiæ* 18. *ibid.* hiſce verbis: *Eccleſia, vel Altaria, quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur*; ipſe namque Chriſtus Dominus, quando ſemetipſum obtulit in ara Crucis, banc ſuo contactu, & ſanguine conſecravit.

Etſi vero Altare, lapideum nunc eſſe debeat, ac conſecratum, nihilominus Benedictus XIV. in ſua Conſt. *Impoſito nobis*, quæ eſt la46. tomi 3. Bullarii ejuſdem, conceſſit Sacerdotibus latini ritus in Ruſſia Polonica degentibus, tam præſentibus, quam futuris, ut, deficientibus tabulis lapideis conſecratis, Miſſam celebrent ſuper Antimenſiis Ruthenorum unitorum (quæ ſunt lintei quidam, epiſcopali benedictione conſecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ ſunt) ritu tamen latino Sacrum agere illis injunctum eſt.

Et quia in Reliquiarum mentionem noſter ſermo devenit, quæritur, an ad conſecrationem Altaris, tum fixi, cum portatilis, neceſſaria ibi ſit poſitio Reliquiarum; *dicu ad conſecrationem Altaris*; nam eam requiri ad conſecrationem Eccleſiæ aperte colligitur ex generali ſeptima Synodo, quæ can. 7. depoſitione dignum, & tamquam transgreſſorem eccleſiaſticarum traditionum, eum puniendum judicavit, qui deinceps templum ſine Reliquiis conſecraret, prout refert Card. Bona, *Rer. Liturg. lib.*1. *cap.* 19. §.5. Quoad Altaria vero hanc neceſſitatem negant Panormitanus in *cap.* 1. *de Conſecr. Eccl. num.* 2. Pirhing. *eod. tit. num.* 26. Reiffenſtuel. *ibid. num.*40. Suarez, Clericatus, & alii quamplures: quia nullo juris textu clare probatur iſta neceſſitas: imo ex *can. Altaria* il 2. ſola chriſmatis unctione, & ſacerdotali (hoc eſt epiſcopali) benedictione, conſecratur Altare, nec oppoſitum evincitur ex *can. Placuit* 26. *de Conſecr. diſt.* 1. Cum enim per agros, & villas plura erecta eſſent Altaria, tamquam continentia Martyrum corpora, ſeu Reliquias, quæ tamen non probabantur eſſe veræ Martyrum Reliquiæ, in id Patres, editores hujus ſanctionis, incubuere, ut ſuperſtitioſus hic incertorum Martyrum cultus, erectæque memoriæ per everſionem hujuſmodi Altarium delerentur; ideoque ſanxere, ut illa everterentur Altaria, in quibus nullæ Reliquiæ Martyrum conditæ probarentur: quod ſi recte conſideretur, eſt quid ſane diverſum a decreto neceſſitatis Reliqniarum pro conſecrando Altari. Et ſi ad præſcriptum Pontificalis recurras de Reliquiis præparandis, in primis inquiunt, banc diſpoſitionem præſcribi pro conſecratione Eccleſiæ; ad quam certe requiritur, ut aliquæ Reliquiæ ibi alicubi reponantur juxta præfatam VII. Synodum. Deinde ibi Pontificale non præcipit, ut Reliquiæ ponantur in ſingulis Altaribus, quæ conſecrantur, tamquam ex neceſſitate conſecrationis eorumdem; ideoque id intelligendum ea convenientia, ſcilicet quatenus decet id facere ob conſuetudinem, præcipue cum nunc temporis invaluiſſe videatur uſus in contrarium, nedum quoad Altaria portatilia, quæ paſſim conſecrantur ſine ullis incluſis Reliquiis, teſte Grueber *d. diſp.*3. *ſect.* 2. *num.*32. verum etiam quoad plura Altaria fixa, ob impoſſibilitatem quandam habendi tam multas, ac exploratas SS. Reliquias, ut apud eundem teſtantur Suarez, Vaſquex, Coninch, & Dicaſtillus. Hinc ad argumentum, deſumptum ex oratione illa, quæ a celebrante dicitur poſt introitum: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt*, reſpondent bujuſmodi verba ſenſum habere, non abſolutum, ſed conditionatum, ſi nempe ſint ibi aliquæ Reliquiæ; ſicut dicitur Dominus vobiſcum, Orate fratres, ac ite Miſſa eſt, quamvis ibi quandoque vix adſit unicus miniſter. Et hanc ſententiam non improbat Pontaſius *v. Altare*, ac P. Euſebius Amort in recenti ſuo Dictionario caſuum *v. Altare, caſ.* 1. *Nos cenſemus*, inquit, *Sacerdotem celebrare poſſe in Altari, quamvis lapis ſit conſecratus ſine Reliquiis.*

Ego nihilominus, innixus ſequentibus decretis S. Rit. Congregationis, oppoſitum cenſeo. Pittonus enim *tom.* 1. *de Rit.* ſic deciſum refert ab eadem S. Congr. ſub num. 184. die 5. Martii 1603. *Altare portatile tunc conſecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium Reliquiarum*, num. 699. die 5. Martii 1623. *Celebrari non poteſt ſuper Altare, a quo furtim, non amota, vel fracta menſa, ſubtractæ fuerunt Reliquiæ a militibus, niſi Altare de novo conſecretur*, & num. 1687. die 21. Junii 1710. *Si Altare fuerit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantum, quando frangitur ſepulchrum Reliquiarum*. Illis addo alia duo decreta ejuſdem S. Rit. Congr. unum, relatum a P. Merato *in Indice Decretor. tom.* 1. *ſub die* 10. *Nov.* 1612. in Cajetana hiſce verbis: *Altare portatile ligneum cum ara lapidea, permitti debet, non obſtante Conſtitutione synodali, dummodo habeat ſolitum repoſitorium Reliquiarum, juxta reformationem Rubricarum Miſſalis Romani, cap.* 20. alterum, depromptum ex Bibliothæca P. Ferraris *v. Altare num.* 17. *ſub die* 13. *Se-*

ptembr. 1593. *Reliquiæ, quibus in Altaris conſecratione utitur Epiſcopus, debent eſſe Sanctorum, ab Eccleſia approbatorum.* Accedit, conſuetudinem conſecrandi etiam Altaria cum Reliquiis, & ipſam antiquiſſimam eſſe, ac immemorabilem, eamque fuiſſe in uſu penes D. Ambroſium, alioſque Patres quarti ſeculi; ac per eos fideliter ad nos tranſmiſſam, ut diſerte oſtendunt clariſſ. Abbas D. Robertus Sala in notis, & addit. ad præf. §. 5. Card. Bona, ac doctiſſimus Auctor Operis *de Sacramentar. tom. 1. lib. 5. quæſt.* 10. *cap.* 1. §. 2. *quæſt.* 13. Sed ob hanc rationem generalis VII. Synodus, nedum convenientem, ſed neceſſarium reputavit uſum Reliqniarum in conſecratione Eccleſiæ; & depoſitione dignum, ac violatorem eccleſiaſticarum traditionum illum judicavit, qui abſque Reliquiis Eccleſiam conſecraret: quid ni ergo idem dicamus de conſecrante Altare ſine Reliquiis? Nec ullam vim habet objectio, facta ex *can. Altaria*, il 2. ibi enim non dicitur *ſola* chriſmatis unctione &c. in quo caſu certe neceſſitas Reliquiarum eſſet excluſa, ſed tantum Reliquiæ ibi non nominantur, eo quia vetuſtus, ac continuatus uſus eaſdem adhibendi in conſecratione Altarinm, omnibus jam notam reddiderat earumdem neceſſitatem, etiamſi non nominarentur. Hinc illa Rubrica (neſcio quonam modo olim intruſa in antiqua Miſſalia) quæ omittendam dicebat eam orationem: *Oramus te, Domine &c.* quando Sacerdos celebrabat in Altari, ubi non erant Reliquiæ, merito fuit expuncta, non ſolum, quia erat directe oppoſita immemoriali eccleſiaſticæ conſuetudini, fideliter hactenus ſervatæ; verum etiam, quia laborabat falſo ſuppoſito. Neque dicas, tempore Clementis IX. indultum fuiſſe Auguſtano Epiſcopo, ut, abſque nova conſecrationis actione, pro conſecratis baberentur Altaria, a Svecis militibus Reliquiis ſpoliata, per hoc ſolum, quod aliæ Reliquiæ in iis ponerentur, ut referunt Card. de Lauræa *in Opuſc. de Altar. Conſecr. in fine; & Clericatus de Sacrific. Miſſ. deciſ.* 13. *num.* 30. Ideo enim hoc, quia ipſemet ſummus Pontifex ea, qua pollet in hiſce rebus mere eccleſiaſticis, pleniſſima auctoritate, alligavit pro eo caſu actionem reconſecratiouis eorumdem Altarium ipſimet actui ſubſtitutionis aliarum Reliquiarum. Et quidem rationabili ex cauſa, cum ageretur de reconſecrandis pluſquam duodecim mille Altaribus.

Cæterum, cum in hoc, aliiſque caſibus, ſemper ſancita legatur poſitio, aut repoſitio Reliquiarum pro conſecratione, aut reconſecratione, nedum Eccleſiarum, verum etiam Altarium, inde potius infertur, Reliquias ad id eſſe neceſſarias. Nec inficiari poteſt, ſic magis proprie verificari illa verba præfatæ orationis: *quorum Reliquiæ hic ſunt*, quibus non modica infertur violentia a fautoribus ſententiæ contrariæ, eadem pertrahendo ad ſenſum conditionatum, ut eorumdem tueantur veritatem: nec valet paritas adducta *de Dominus vobiſcum, & ite Miſſa eſt*; ideo enim proprie iſta adhuc verificantur, ſi ſolus adſit miniſter, quia Sacerdos, ea proferens, præcipue quidem ea dirigit ad miniſtrum adſtantem, ſed ſimul etiam ad Eccleſiam, hoc eſt, ad alios fideles; qui quemadmodum, quantumvis abſentes, participare poſſunt de fructu, ſaltem generali talis Sacrificii; ita & ad eos poteſt ea verba Sacerdos dirigere; & ideo in plurali numero etiam tunc debent proferri, ut monet Gavantus *par. 2. tit. 5. rub. 1. l. Q.* de facto etiam miniſter reſpondet, nomine populi. Quantum denique ad conſuetudinem conſecrandi Altaria, maxime portatilia, ſine Reliquiis, reſpondeo, abuſum, ac legitimæ potius conſuetudinis corruptelam eam eſſe appellandam, cum non ſit adeo difficile, ſicuti ſupponitur, veras, & exploratas Reliquias invenire pro conſecratione Altarium. Et Pontificalis præſcriptum eſt vere, ut reponantur in Altari, una cum Eccleſia conſecranda: quidquid propterea dicant præfati Auct. cenſeo, non eſſe proprie conſecratum Altare abſque Reliquiis, ideoque non poſſe Sacerdotem in eo tuto celebrare.

Me non latet, non defuiſſe qui dixerint, ad id ſufficere corpus Chriſti loco Reliquiarum, inter quos auctor Gloſſæ ad *can. Placuit*, §. *Reliquiæ in fine*; uſumque alicubi etiam invaluiſſe, in conſecratione Altarinm ſimul cum Sanctorum Reliquiis ponendi etiam Euchariſticum Panem probant monumenta allata *loc. cit.* per Abbatem Sala. Verum non decere Corpus Domini ſic in Altari recondere, mens fuit Innocentii III. ut teſtatur Hoſtienſis in *Sum. lib. 3. de Conſecr. Eccl.* referens ſuper boc, ſe eundem conſuluiſſe, ipſique eum ita reſpondiſſe, hac ratione, quia Corpus Chriſti eſt cibus animæ, qui proinde ſervari non debet, niſi ad opus infirmorum, & animarum refectionem. Et ſane, cum ad bunc finem fuerit a Chriſto Domino inſtitutus, atque ut ſic nobiſcum eſſet uſque ad conſummationem ſeculi, indecentia non modica profecto eſſet, ipſum præfato modo recondi; præcipue cum ſic percipi non poſſet, quandiù ſpecies ſacramentales ibi manerent incorruptæ: propterea DD. communiter inquiunt, id fieri non debere.

In una, eademque Eccleſia poſſunt ab eodem ſimul Altaria conſecrari, nedum portatilia, ſed etiam fixa; indiſtincte enim id aſſeritur in *cap. Cum ſis 5. hoc tit.* ut tamen erigatur Altare iu Eccleſia conſecrata, vel ibi jam conſtructum deſtruatur, de jure communi requiritur conſenſus Epiſcopi, *can. Quamvis*, juncta Gloſſa *diſt. 68. & can. Nullus Presbyter*, de *Conſecr. diſt.* 1. & ſi ibi conſtruatur abſque licentia Epiſcopi a Clerico, hic incurrit pœnam depoſitionis; excommunicationis vero, ſi conſtruatur a laico, *ibid.* In Eccleſia vero non conſecrata poteſt Presbyter Altare conſtruere, ſine Epiſcopi licentia, Gloſſa *in cit. can. Quamvis*, & ibi conſtructum deſtruere, quia nulla id lege vetatur. Anne tamen etiam laicus poſſit ibi ſine licentia Altare conſtruere, aut deſtruere, nullibi id ei conceſſum invenio. Anne poſtea cum ſola licentia Epiſcopi poſſit conſecrari Altare in Eccleſia non conſecrata? Negant plures, ad id requirentes licentiam Summi Pontificis. Verum ſine tali licentia id pluries factum fuiſſe refert P. Ferraris in Biblioth. *v. Altare num.* 36. & praxim eſſe, quod abſque tali licentia conſecrentur, probat Paſqualigus *de Sacrif. nov. leg. tract. 1. de Altar. quæſtion.* 673 teſtans *nu.* 6. id certe fuiſſe factum, non una tantum vice, ſed pluries, Romæ in ſua Eccleſia S. Andreæ de Valle.

Uſum Altaris portatilis, juxta plures cæteroquin invectum a temporibus Apoſtolorum, non parum reſtrinxit Tridentina Synodus. Siquidem Clemens XI. In ſuo decreto, *Quoniam ſancta*, 15. *Decembr.* 1703. declaravit, per Tridentinum revocata Regularium privilegia ipſo utendi, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt; & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illo utantur: mandatque Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium

cilium in *cap. ualc. ſeſſ.* 22. uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam iiſdem facultate per hoc decretum ita procedendi, perinde acſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. Ulterius ibidem expreſſe declaravit, Epiſcopis, & bis majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii, clauſi in corpore juris, neque ullo quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ ordinariæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœceſi (quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur) erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere. Quatenus tamen illud decretum Epiſcopos tangit, ſic poſtea fuit declaratum ab Innocentio Papa XIII, die 3. Maii 1723. in Bulla; *Apoſtolico miniſterii*, §. 22. *Declaramus tamen, quod, cum in prædicto decreto ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere; hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiuntur; at nec etiam quando Epiſcopi in caſibus, a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita eis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis*. Et hæc Innocentiana declaratio confirmata poſtmodum fuit a Benedicto XIII. die 17. Septembr. 1724. alia Conſti *In ſupremo*. Notandum tamen hic eſt, quod, cum hoc privilegium ſit perſonale Epiſcopi, & (ut ait Benedictus XIV. in Epiſtola, data 2. Junii 1751. ad Primat. &c. Poloniæ) ad propriam ejuſdem Epiſcopi commoditatem; nequeunt alii minores Sacerdotes, eo abſente, in talibus domibus privatis vigore ejuſdem privilegii celebrare.

Ad 2. partem hujus Decretalis quod attinet, clare in ea definit Innocentius III. debere Altare fixum denuo conſecrari, ſi ejuſdem tabula mota fuerit, vel enormiter fracta: quorum proinde alterutrum ſufficit pro exigentia novæ conſecrationis, eo quia particula *vel*, poſita inter plura, prout bic ponitur a Pontifice, ſtat disjunctive, ſeu alternative, ut inquit Bartolus in *l. Supra iter*, §. *Officium*, *num.* 3. *ff. de aqu. pluv. arc.* notum eſt autem in alternativis, ſufficere alterutrum verificari quemadmodum & in disjunctivis, *ex reg.* 70. *de Reg. Jur. in VI.*

Dubium tamen inſurgit, an, ut verificetur ly *mota*, ſit neceſſe, quod tabula, ſeu menſa, fuerit translata de uno in alium locum. Affirmant, vel etiam ſupponunt id plures, propterea in hoc ſenſu intelligentes, ac exponentes, tum Canonem: *Si motum* 19. *de Conſecrat. diſt.* 1. cum ea verba *c. Ad hæc* 1. *hoc tit. Si Altare*: = *Si Altare motum fuerit*, ſuper quæ verba inquit Gonzalez in *Commentarium ad id cap. numero* 15. *Juxta præſentem textum dicendum eſt, quod ſi Altare conſecratum movetur a loco, ubi conſecratum eſt, & in alium transfertur, nova indiget conſecratione*. Attamen Barboſa ad idem *cap.* 1. *num.* 12. cum Suarez & aliis, inquiunt contrarium, quod ſi contingat Altare fixum totum, ac integrum transferri de loco, in quo conſtructum fuerat, in alium locum, per hoc non amittere conſecrationem. Ratio eſt, quia licet Altare fixum in hoc differre videatur ab Altari portatili, quod hoc ſit transferibile de uno loco ad alium, ipſum vero non ita; proindeque fixum dicatur, & immobile: tamen hæc differentia eſt mere extrinſeca, accidentalis, & reſpectiva ad ipſum locum potius, quam inter ipſa Altaria; nam ratio formalis, per quam Altare fixum intrinſece differt a portatili, proprie in eo conſiſtit, quod Altare fixum habet, ac eſſentialiter importat conjunctionem tabulæ cum ſua ſtructura inferiori, ſeu baſi, cui tabula proinde neceſſario debet eſſe unita: ubi e contra Altare portatile de ſui natura importat eſſe a baſi ſejunctum; propter hoc enim portatile eſt, quia de ſe habet ſejunctionem a baſi; alias non eſſet amplius Altare portatile, ſed fixum. Hinc eſſentia Altaris fixi vere, ac proprie conſiſtit in dicta conjunctione, hoc eſt in menſa, ſeu tabula unita cum baſi, fixionemque in tali loco ideo importat, quia ibi ipſum voluit qui illud conſtruere fecit: quod proinde ipſimet Altari eſt quid extrinſecum, & accidentale, poterat enim alibi illud idem conſtrui. Quare, cum Altare ſupponatur eandem conjunctionem ſervare, tabulæ ſcilicet cum baſi, non obſtante ipſius translatione de uno in alium locum; dicendum eſt, quod adhuc retineat ſuum eſſe, ac per conſequens & ſuam conſecrationem, quæ eidem acceſſerat: *acceſſorium* namque, cum fundetur ſuper principali, *naturam ſequi congruit principalis*, *ex reg.* 42. *de Reg. Jur. in VI.* Propterea, ut verificetur ly *mota*, non eſt neceſſe, quod tabula fuerit translata de uno in alium locum, ſed ſufficit, quod fuerit a ſua baſi disjuncta; & ſic per hoc Altare nova indigeat conſecratione. Hinc Gloſſa tum ad *Can. Si motum*, tum ad *cap. Ad hæc* 1. §. *Altare*, Panormitanus ibid. aliique per *Altare* intelligunt ipſam Altaris tabulam, quæ connexa eſt cum ſua ſtructura inferiori; per *motum* vero intelligunt adventem disjunctionem ejuſdem tabulæ, vel etiam lapidis conſecrati, ab ipſa inferiori ſtructura; adeo ut ſenſus illius textus, *ſi Altare motum fuerit &c.* ſit iſte: *ſi ipſa tabula, aut lapis conſecratus Altaris, disjunctus, ſeu disjuncta fuerit a ſua inferiori ſtructura*, Altare debet denuo conſecrari; ad quod advertens laudatus Panormitanus, ad hoc *cap.* 3. *Cum in dubiis*, aperte aſſeruit, idem per Alexandrum III. ſtatutum fuiſſe in *cap. Ad hæc* 1. quod per Innocentium pariter III. fuit ſtatutum in præſenti *cap.* 3. *eod. tit.* atque huic ſententiæ libentius me ſubſcribo.

Dubitatur ulterius, qualis eſſe debeat tabulæ fractio, ut hæc proprie dicatur enormiter fracta, & propterea Altare indigere nova conſecratione? Cenſerunt aliqui cum Barboſa, fracturam cenſeri enormem, ſi fracta ſint ejus cornua, ſeu anguli, in quibus facta eſt unctio; quia tunc ipſa conſecratio læſa eſt. Engel nihilominus, cæterique communius negant id ſufficere; quia cum tabula taliter ungitur, tota conſecratur. Propterea cum, detractis angulis, in communi exiſtimatione adhuc retineat ſuum eſſe tabulæ, quantum ad ſubſtantiam, ſimul etiam ſervat ſuam conſecrationem, quæ utpote acceſſoria, ſequitur, juxta dicta, naturam rei, cui inhæret. Alii ſentiunt, eſſe enormem, quando tabula ita in partes diviſa eſt, ut nulla pars integra remaneat, quæ de ſe ſufficiat ad capiendam Hoſtiam, & ſaltem majorem partem Calicis. Verum hæ opiniones, ſi quis forte iis adhære vellet, locum dumtaxat haberent, quando agitur de fractura petræ ſacræ, ſeu Altaris portatilis. Quia tamen Altaris tabula ex proprio formali conceptu, & in communi exiſtimatione, pro tota Altaris menſa accipitur, ac per conſequens ſit quid diverſum a petra, ideo longe plus integrum in ea debet remanere, ne ipſa, & Altare conſecrationem

 amit-

amittat. Cenſeo itaque tantum eſſe debere, ut formam, & rationem tabulæ Altaris, in communi exiſtimatione retineat quoad ſubſtantiam; adeout, ſi id, quod integrum ſupereſt, moraliter non retineat formam, & rationem hujuſmodi, fractio enormis dici debeat, & ſic Altare indigere nova conſecratione. Ratio eſt, quia forma ea eſt, quæ dat eſſe rei, & morale fundatur in phyſico. Si ergo fractura talis eſt, ut abſtulerit formam, & rationem tabulæ Altaris, ſimul etiam abſtulit eſſe ejuſdem, ideoque etiam ejus conſecrationem; & ſic Altare indiget iterum conſecrari. Secus vero, ſi e contra: & hæc opinio convenit cum ſententia Panormitani, aliorumque celebriorum canonici juris Interpretum, cum & ipſi dicant, tabulæ fracturam tunc dici enormem, quando tabula amiſit veterem uſum, & formam, uſum ſcilicet tabulæ Altaris, quæ in omnium ſententia habet uſum diverſum ab eo, quem habet ſimplex ara, eidem tabulæ inſerta.

Cæterum, quando fractura levis eſt, ſive in tabula, ſive in ara, etiam portatili, tunc non amittitur conſecratio; ut habetur in *cap. Ligneis VI. hoc eodem tit.* Quando poſtea dubium eſt, an fractura enormis ſit, vel non, dubii ſolutio remittitur arbitrio Epiſcopi; ac interim abſtinendum a celebratione Miſſæ, ne Sacerdos ſemetipſum exponat periculo celebrandi in loco nec conſecrato, nec benedicto. Propterea in *Can. Eccleſia, de Conſecr. diſt.* 1. præcipitur, ut conſecrentur Altaria, quæ ambigua ſunt de conſecratione.

Conſultus ego a clariſſimo Viro, mihi jamdiu amicitia conjunctiſſimo, quid ſentirem circa lapidis, ſeu Altaris portatilis fracturam juxta ſequentem facti ſpeciem, adnexum hoc votum exaravi, cui etiam ſubſcripſerunt tres clariſſimi Canoniſtæ, æqueac magnæ notæ Theologi, nulli ſecundi.

Quæſiviſti a me, non quidem edoceri, ſed quid dumtaxat ſentirem circa ſequens dubium = An lapis in Altaris menſa ſuperpoſitus, in duas partes, a vertice ad fundum uſque, ob fracturam diviſus, ita tamen, ut in earum una integrum remaneat Reliquiarum repoſitorium, ac commode contineri poſſint Calix, & Hoſtia, dicatur execratus, ſi dictæ partes tali connexione unitæ fuerint, ut vix appareat fractura =.

Ut poſtulato, quoquo modo poſſum, reſpondeam, citra omnem hæſitationem execratum crederem; cum enim diviſus ſit in duas partes notabiles, jam dicitur enormiter fractus, ideoque execratus, juxta reſponſum Innocentii III. datum apud Civitatem Caſtellanam Archiepiſcopo Nidroſienſi, ut ex ejus Epiſtola CCCLXXXI. relata in *cap. III. Quod in dubiis, de Conſecr. Eccleſ.* ac alterum datum apud Lateranum nonis Octobris an. XV. ſui Pontificatus, Archiepiſcopo, & capitulo Biſuntino, Epiſt. CLXVI. relata in *cap. VI. Ligneis, eod. tit.* in utroque enim reſponſo generaliter, & abſolute loquitur de tabula, ſeu lapide, non de repoſitorio Reliquiarum, his verbis: *ſi (tabula) mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito conſecrari -- & tabula Altaris mota, vel enormiter læſa non fuerit . . . . . nec Altare debet denuo conſecrari.*

Quod autem fractura lapidis, de quo in præſenti, juxta mentem Innocentii ſit enormis, ex eo patet, quod in *cit. cap. Ligneis*, non enormem, ſed modicam vocat fracturam, *ſi menſa Altaris modicam in extremitate ſit paſſa fracturam*, quod non verificatur in noſtro caſu, cum enim lapis, non in extremitate, ſeu cornibus, ſed a vertice uſque ad fundum ſit fractus, dici nequit, modicam paſſum eſſe fracturam.

Nec diſſimilis fuit mens Alexandri III. in ejus reſponſo, ignotum, cui datum, relato in *cap. I. Ad hæc eod. tit. de Conſecr.* dicendo enim; *ſi Altare motum fuerit, aut lapis ille ſolummodo ſuperpoſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut enormiter diminutus extiterit, debet denuo conſecrari.* (*Enormiter, & extiterit* deſunt in collectione Decretalium, qua in ſcholis utimur, ut notat Gonzalez) non ſe retulit ad Reliquiarum ſepulchrum, ſeu ſigillum, ut nonnulli perperam interpretati ſunt, ſed ad totum lapidem, cum hic veniat in recto, non in obliquo, ut venit ſigillum. Quod ſi hoc ſolum fractum fuerit, certum eſt, totum lapidem, licet integer remaneat, execrari, ut contrariam nonnullorum opinionem reprobando, declaravit S. Rituum Congr. 5. Martii 1603. *Altare portatile tunc conſecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium Reliquiarum.*

Neque in præſenti facti ſpecie dici poteſt, lapidem non amittere conſecrationem, ſi duæ illæ partes ita unitæ fuerint, ut vix appareat fractura, ut optime probat Amoſtaz de *Cauſis piis lib. V. cap. VIII. numer.* 38. ibi = Hinc ſequitur, quod ſi Altare in plures partes frangatur, notabilis eſt fractio, quia perdit formam Altaris, nec etiam ſi partes illæ frangantur, *& poſtea per aggregationem uniantur, conſecratum remanebit, nec in eo celebrari poterit* =. Quod etiam eſſet contra myſterii repræſentationem; quia (ita poſt Sylveſtrum in *Summa verbo Altare, n.* 3. Card. Petra *in Commen. ad Conſtit. LI. Urbani V. n.* 33. = Altare Chriſtum repræſentat, *Petra autem Chriſtus*, dixit Apoſtolus 1. *ad Cor. cap.* 10. quamobrem etiam nequit ex duobus lapidibus, quantavis connexitate compoſitis, ſed ex unico conſtare lapide, ad deſignandam in Chriſto unicam perſonam =.

Non deſunt quidem quamplures, inſignis notæ Theologi, communiter aſſerentes, dici non poſſe enormem fracturam, quoties in majori ejuſdem fracti lapidis parte commode collocari poſſunt Calix, & Hoſtia: verum, ſi attendenda ſit clariſſima Innocentii declaratio in *cit. cap. Ligneis*, orta ex legitimo contrario ejus locutionis ſenſu, & non arbitraria Theologorum interpretatio, hanc ſibi invicem mutuantium, dici nequit, hujuſmodi capacitate non obſtante, enormem non eſſe, quando non in extremitate, ut declarat Innocentius, ſed a vertice ad fundum uſque fractus eſt, & in duas partes, ita notabiles diviſus, ut fractura partis dexteri lateris fere tangat Reliquiarum repoſitorium.

Et ita ſalvo &c.

In deſcripta facti ſpecie crediderim, lapidem eſſe execratum.

Antonius Franciſcus Veazoſi C. R.
Paſchalis Maſtrilli, Proc. Gen. C.R. necnon pro Clero Rom. Ap. Exam.
Fr. Auguſtinus Antonius Georgi, Eremita Auguſtinianus.

Altaris tabula, & petra ſacra Altaris fixi etiam conſecrationem amittunt, ſi disjungantur ab inferiori ſtructura, ut colligi poteſt ex dictis; cui periculo non ſubeſt Altare portatile, utpote ab illa ſejunctum ex natura ſua. Et ſi tabula, aut petra ſacra numquam conjuncta, ac unita fuiſſet cum eadem, neque ipſa in iſto caſu amitteret conſecrationem, quia tunc eſſet Altare portatile. Denique, tam petra ſacra, quam

Al-

Altaris tabula, vel etiam ipſum Altare portatile, conſecrationem amittunt, ſi ab eis auferantur ſacræ Reliquiæ, aut amoveatur, vel enormiter frangatur repoſitorium Reliquiarum, aut ſigillum, ideſt parvus ille lapis, qui occludit eaſdem Reliquias in ipſarum ſepulchro, ſeu repoſitorio; ut facile colligitur ex decretis S. Rit. Congreg. ſupra relatis, necnon ex *cap. Ad hæc* 1. *hoc tit.* Cenſet nihilominos Clericatus *de Sacrific. Miſſæ deciſ.* 13. *num.* 32. quod, ſi amoto Reliquiarum repoſitorio, vel ſoluto gypſo ob vetuſtatem, operculum, ſeu ſigillum apertum ſit, ac Reliquiæ decidant, non per hoc ara lapidea, vel Altare amittat conſecrationem, ſi ſtatim ab aliquo Eccleſiæ miniſtro denuo aptentur in ſuo repoſitorio, ac reponantur in ſuo loco, firmato operculo cum novo gypſo; eo quia quæ in continenti fiunt, videntur ineſſe *l. Lecta*, §. *Diceb am ff. ſi cer. pet.* & momentaneum intervallum temporis non inducit diverſitatem actuum, vel locorum; & facit ſupponere eandem identitatem rerum, *cap. Potuit, de Locat.* I. & ſi poſt tres *ff. ſiquis cautionib.* Unde dici ſolet, quod modicum tempus eſt quædam continuatio *l. penult. ff. de action. & obblig.* præcipue cum non ſit de forma hujuſce conſecrationis, ut taxellus, ſeu ſigillum ſtabiliatur manu Epiſcopi conſecrantis, ut concedit Pontificale Romanum ſub *Rubr. de Conſecr. Altar.* dicens: *Cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipſum tabulam, ſeu lapidem ſuper ſepulchrum.* Quod abſque ſcrupulo eſſe practicandum ait Pax Jordanus *de Re Sac. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 25. allegans Hoſtienſem; & ſi decentius ſit adhibere operam Sacerdotis, vel Clericorum in eiſdem operculis figendis, & firmandis. Anne tamen illa Clericati ſententia tuto poſſit practicari, definiendum relinquo præfatæ Sacræ Congregationi, quæ prædicta decreta edidit; cum quanta enim promptitudine, dexteritate, ac ſolicitudine denuo aptentur ſacræ Reliquiæ in ſuo loco, & ſigillo bene de novo firmato, cum ara, tabula, ſeu Altari reuniantur, ſemper verificatur amotio, vel fractio ſecuta, per quam conſecrationem amitti ipſamet decreta exprimunt.

Hic obiter monendum cenſeo, Sanctorum corpora, inſigneſque Reliquias non debere retineri penes laicos, neque in privatis ædibus, ſed in Eccleſia, nec ibi debere reponi in arca, quæ ſuper Altare exponatur; ſed vel ſub terra, vel intra Altaria, ſuper quæ Sacrificium Miſſæ celebratur, ut S. Rit. Congr. an. 1592. per Cardin. Ruſticuccium reſcribi mandavit PP. Capuccinis Civitatis Neapolitanæ, qui inventa corpora SS. Euphebii, Fortunati, & Maximi, Epiſcoporum ejuſdem Civitatis, exponere cupiebant ſuper Altare majori in magna capſa chriſtallina, & die 7. Jun. 1721. cum agebatur de elevando a depreſſiori loco corpore tunc B. Joannis Nepomuceni, approbante Innocentio XIII. intra Altaris menſam ipſum collocandum reſpondit eadem S. Rit. Congr. in Pragenſi, ut refert Benedictus XIV. in *differt.* 18. *volum.* 3. inſcripta *de Sacris quibuſdam Reliquiis*, §. 8. *n.* 80. dicens, hanc eſſe Eccleſiæ praxim, & regulam generalem, licet aliquando Principibus aliter indultum legatur. Vide tamen quæ circa hanc regulam ſatis apte tradit Cavalieri *tom.* 1. *cap.* 4. *decr.* 14. per totum. Fuit olim celebris quæſtio, an, quando Altare amiſit conſecrationem, etiam Eccleſia ſit conſecranda? Et quidem *ex can. Si motum*, *& can. De fabrica*, affirmavere quamplures, inter quos D. Anſelmus, ac Ivo Carnotenſis apud Gonzalez ad *cap.* 1. *hoc tit. num.* 3. Verum *Eccleſia propter hoc*, inquit Alexander III. *in eod. cap.* 1. *nequaquam conſuevit conſecrationem ſuam reiterare, licet id quidam Canones innuere videantur -- non tamen id fieri prohibetur.* Ex quibus verbis DD. comm. inferunt, poſſe quidem in caſu Eccleſiam reconſecrari; id tamen non eſſe neceſſarium; imo Eccleſiæ conſuetudinem eſſe in contrarium. Et ratio hæc eſt, quia tam conſecratio Eccleſiæ, quam illa Altaris, ſit æque principaliter; proindeque poteſt una fieri, aut conſiſtere ſine alia, cum ſint inter ſe diſparatæ. Nec refert, quod polluta Eccleſia, ſit etiam pollutum Altare fixum, ſaltem, ſi non portatile, ut vult Sylveſter *v. Altare*. Ideo enim hoc, quia Eccleſiæ pollutio concernit totum corpus Eccleſiæ, a quo Altare non eſt ſeparatum. Conſecratio vero Eccleſiæ ſit in hujus parietibus, a quibus non pendet, ſed ſeparata eſt conſecratio Altaris, & ab eorum conſecratione; & ideo ſi corruant parietes, integro manente Altari, hoc adhuc retinet ſuam conſecrationem.

Ad complementum hujus materiæ adverto, conſecrari non debere Altare, erectum ſuper ſepultura; & ſi aliquod cadaver jam ibi ſepultum fuerit, ipſum prius, vel ejus oſſa, & cineres extrahi debent, ac locus terra, aliave ſimili materia repleri, etiamſi illud cadaver eſſet Prælati, ut una S. Dominici declaravit S. Congr. Epiſc. & Regul. 15. Junii 1635. apud Emin. Petra *tom.* 2. *ad Conſtit.* 3. Cæleſtini III. *nu.* 12. ac Pignatellum, *tom.* 4. *conſul.* 32. *num.* 2. & hoc valet quamvis ſepulturæ eſſent ſubterraneæ, nec exiſterent ſub Altari, ſed ſub ejuſdem pradella, ut declaravit eadem S. Congr. Epiſc. in Interamnenſi 13. Septembr. 1593. Et licet tale decretum referatur ſub bis terminis: *Altaria, ſub quorum pradellis cadavera ſunt ſepulta, licet propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera, vel Altaria ipſa, in alium deferantur locum*; tamen ex eo quod debeant interdici, ſi ſic fuerint erecta, neque permitti debet, ut ſic erigantur; & multo minus debent conſecrari; clara enim eſt prohibitio, ut cadavera *prope Altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur, in can. Præcipiendum, cauſ.* 13. *diſt.* 2. Hinc oſtium ſepulchri diſtare debere a pedali, ſeu ſcabello Altaris per tres cubitos, inquiunt Petra, & Pignatellus locis citatis, ut ipſum ſepulchrum pedale, ſeu ſcabellum non attingat.

In 3. parte hujus Decretalis non negat Innocentius III. quod oleum, non conſecratum, conſecrato poſſit oleo commiſceri. Hoc tamen intellige in caſu, quo rationabilis cauſa id faciendi occurrat: puta ſi oleum conſecratum ſe ſolo non ſufficiat pro indigentia, tunc enim eidem commiſceri poteſt non conſecratum ut caſui occurrenti fiat ſatis. Cæterum, ſi conſecratum, ſe ſolo ſufficiat adhuc pro pluribus vicibus, hoc ſolo utendum eſt.

Verum tamen eſt, quod quando oleum, non conſecratum, conſecrato miſcetur, conſecratum eſſe debet in majori quantitate, vel ſaltem ab alio in quantitate ſuperari non debet, ut notant Gonzalez ad hoc cap. aliique comm. ſic enim facilius intelligitur, non conſecratum fieri conſecratum per illam mixtionem, ac magis dignum trahere ad ſe minus dignum. Propterea DD. commun. conſulunt, ut iſta commixtio paulatim fiat: præcipue cum occurrente caſu, ac indigentia, iterum fieri poſſit; prout etiam dicitur de mixtione aquæ non benedictæ cum benedicta. Neque opponas, vinum, etiam in minori quantitate admixtum

tum Sanguini Chriſti Domini, non fieri Sanguinem. Omiſſis namque diſparitatibus, ſapienter allatis a Gloſſa, Panormitano, & aliis, dico diſparitatem eſſe, quia ex ipſamet Chriſti Domini inſtitutione ex vino fit ſanguis formaliter vi verborum ſecundæ conſecrationis, tranſubſtantiantium ſubſtantiam vini, in ſubſtantiam ſanguinis ejuſdem Chriſti. Ubi e contra, cum modus conſecrandi oleum ſit ex inſtitutione, & diſpoſitione Eccleſiæ, ſtabilitæ ab eadem, diſpoſitioni ſtandum eſt. Unde, cum Eccleſia diſpoſuerit, ut quando miſcetur oleum conſecratum cum non conſecrato, fiat moralis extenſio conſecrationis illius ad illud eidem commixtum; hinc fit, ut etiam hoc pro conſecrato habeatur, valeatque ad certos uſus, pro quibus idem oleum ſacrum inſtitutum eſt; ut eum proportione dicitur etiam de aqua benedicta.

Petes, quanam ſpecie olei conſecrati debeant conſecrari Eccleſiæ, & Altaria: ratio dubitandi eſt, quia triplex eſt ſpecies olei conſecrati ab Epiſcopo feria V. in Cœna Domini, nempe oleum cathecumenorum, Infirmorum, & chriſma, confectum ex oleo, & balſamo.

Reſp. debere conſecrari cum chriſmate. Quoad Altaria expreſſe patet ex utroque Canone *Altaria 31. & 32. de Conſecr. diſt. 1. Altaria, ſi non fuerint lapidea, chriſmatis unctione non conſecrentur. Altaria placuit non ſolum unctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali,* (ideſt epiſcopali) *benedictione ſacrari.* Per quæ verba manifeſte confutatur illorum aſſertio, qui dicunt, *per chriſma* non intelligi ipſam materiam chriſmatis, ſed unctionem; eo quod *chriſma* græce, *unctionem* latine ſignificat. Confutatur inquam, nam illi duo Canones per ly *unctione chriſmatis*, expreſſe indicant, Altaria conſecrari quidem per unctionem, ſed factam cum ipſomet chriſmate, non autem cum materia alterius olei, ſeu olei ſimplicis. Unde ipſum chriſma eſt proprie illa materia, cum qua in Altarium conſecratione unctio fieri debet. Idem quoque dicitur etiam de conſecratione Eccleſiæ in *cap. unic. de Sacr. Unct. §. Ungitur*, hiſce verbis: *Ungitur præterea* (ſubintellige eum ipſo ſacro chriſmate, de quo ibi eſt ſermo) *ſecundum eccleſiaſticum morem, cum conſecratur Altare, cum dedicatur templum, cum benedicitur Calix.* Ibique affert idem Innocentius III. exemplum B. Sylveſtri, qui cum conſecrabat Altare, illud chriſmate perungebat.

Quantum ad hæc olea refert P. Cavalieri *tom. 4. cap. 26. num. 1.* hoc decretum S. Rit. Congr. *Olea ſacra quotannis ab Epiſcopo confici, & ſuæ diæceſis Presbyteris deſtribui debent, crematis veteribus, & vetera non poſſunt adhiberi, poſtquam nova ſunt conſecrata.* Quod concordat cum *Can. 122. de conſecr. diſt. 4.* dicente; *Si quis de alio chriſmate, quam de illo novo, quod proprii Epiſcopi largitione, vel conceſſione acceperit, baptizare, niſi præocupante morte, tentaverit, pro temeritatis auſu ipſe in ſe ſuæ damnationis protuliſſe ſententiam manifeſtatur.* Ex quibus conſtat, Epiſcopum teneri quotannis nova hæc olea conficere (cum vetera comburi debeant) ac iis, qui diœceſanas regunt Eccleſias, illa, queis opus habent, diſtribuere; & hos viciſſim teneri opportune ea petere, ac procurare, comburendo vetera in lampadibus Eccleſiæ ut ait Pontificale Romanum, cum iſta, nonniſi præoccupante morte, & ſic extra caſum neceſſitatis nequeant amplius adhiberi, & quidem ſub pœna peccati mortalis, ut ex ſequentibus verbis ejuſdem Canonis aperte colligitur. Propterea in *Can. 123. ead. diſt.* dictis Presbyteris, qui diœceſanas regunt Eccleſias, expreſſe præcipitur, *ut, non a quibuslibet Epiſcopis, ſed a ſuo, ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant; & Can. 124. ut ad accipiendum chriſma Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paſchæ, de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum deſtinetur.* Circa quam temporis deſignationem hanc rationem affert D. Thomas *3. par. quæſt. 72. art. 12. ad 3. Quia ſolemnis baptiſmus, ad quem requiritur uſus chriſmatis, in vigilia Paſchæ celebratur, congrue ordinatum eſt, ut per biduum ante chriſma ab Epiſcopo benedicatur, ut poſſit per diæceſim deſtinari,* & Bonifacius VIII. in *cap. 19. de Sent. excomm. in VI.* ſtatuit, quod etiam tempore interdicti ab Epiſcopo in die Cœnæ conficiatur novum chriſma, vetere combuſto; cum enim etiam eo tunc adminiſtrentur hæc duo Sacramenta Baptiſmus, & Confirmatio, & ad hæc requiratur neceſſario chriſma, quo a baptizante ungitur baptizandus in vertice, & ab Epiſcopo confirmandus in fronte, ideo per interdictum non eſt prohibitum renovare chriſma quolibet anno, cum non ſit licitum uti chriſmate veteri.

Equidem ſcio, P. Cavalieri *tom. 4. cap. 26. num. 6.* innixum notificationi 14. tomi 4. Eminentiſſ. Lambertini, indiſcriminatim, ac univerſim excuſare a peccato differentes nova olea ſumere uſque ad ſubſequens Sabbatum in Albis, quamvis degant in ipſa civitate; proindeque abſque incommodo, aut impedimento, cito, ac tempeſtive poſſint eadem procurare, & obtinere. Hoc tamen non cohæret cum præfato decreto; relatiſque ſacris Canonibus, quibus nec tunc derogare poterat, neque poſtea derogavit factus Pontifex Lambertinus ullo decreto, aut Conſtitutione in contrarium. Quamobrem dico, quidem a peccato immunes ob nimiam diſtantiam, aut aliud legitimum impedimentum impotentes habere nova olea *ante Paſchæ diem, vel ſolemnitatem*, non ſic vero commode potentes olea reſpective neceſſaria habere pro tali tempore; iſti enim voluntarie ſe periculo exponunt ſacramenta adminiſtrandi cum oleo veteri, imo voluntarie ſe conſtituunt in neceſſitate adhibendi vetera, ob negligentiam ex proprio munere opportune procurandi nova olea, ſi noctu interim vocentur ad illico miniſtrandam alicui extremam Unctionem. Neque dicas, *quod in caſu neceſſitatis, uti poterit parochus oleo veteri ſacro*, prout in terminis declaravit S. Congr. Epiſc. die 20. Martii 1590. ut enim loc. cit. recte explicat Lambertinus, verus hujus decreti, ſacrorumque Canonum ſenſus eſt, quod ille cum oleis veteribus licite Sacramenta miniſtrat in caſu neceſſitatis, qui in culpa non eſt, cur nova non adhibeantur; ſecus vero ille, qui, munere ſui officii neglecto, intra tempus debitum nova olea non procuravit, & ſic voluntarie ſe conſtituit in neceſſitate adhibendi vetera. Neque replices, diem, ac ſolemnitatem paſchalem juxta rituum regulas non terminare, niſi in ſabbato, vel Dominica in Albis; proindeque cum juxta decreta, & ſacros Canones, ſufficiat habere nova olea *ante diem, vel ſolemnitatem Paſchæ*, ſatis eſſe quod ea quis procuraverit, & habuerit in ſabbato in Albis: quemadmodum licet lex Communionis paſchalis lata ſit pro ipſo die Paſchatis, tamen ex declaratione Eugenii IV. eidem intelligitur ſatiſfactum per Communionem, factam etiam in Dominica in Albis: moraliter ſiquidem hujuſcemodi ſanctiones attendi debent; contra enim non inficior, quod etiam noſtra ſanctio debeat attendi moraliter: dico tamen,

quod

Digitized by Google

quod illud *moraliter* quando commode componi poteſt cum termino præfiao *ante diem Paſchæ* , *ante Paſchæ ſolemnitatem* , id fieri debet , præſertim cum ipſamet ſanctionis expreſſio ulteriorem dilationem excludit , ut in caſu præſenti ; vult enim novorum oleorum procurationem fieri non in die Paſchæ , ſed ante ; non in Paſchæ ſolemnitate , ſed ante Paſchæ ſolemnitatem ; propterea præſcribit novam oleorum conſecrationem fieri debere per biduum ante , imo ulterius exprimit (ad excitandam diligentiam , ac ſolicitudinem in novis procurandis) non poſſe adhiberi vetera , ſecluſo neceſſitatis caſu , cum nova olea ſunt conſecrata : quæ omnia profecto manifeſtant intentionem ſanctionis eſſe , quod olea nova procurentur quantocius fieri poteſt. Ergo contra intentum legis facit qui quantocius nova olea habere commode valens , eadem procurare differt uſque ad ſabbatum in Albis . Nec refert , quod dies , ac ſolemnitas Paſchæ ad talem diem extendatur ; nam intentum legis eſt , ut , non in die , aut ſolemnitate Paſchæ , ſed ante , olea nova procurentur ab iis , qui commode eadem prius habere poſſunt . Paritas poſtea de præcepto Communionis paſchalis illico ſolvitur diſparitate expreſſę extenſionis , ab Eccleſia factæ uſque ad tale tempus . Ubi e contra nullibi expreſſum habemus , quod novorum oleorum procuratio differri poſſit uſque ad ſabbatum in Albis ; imo exprimitur , quod ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petatur ; & quod olea vetera adhiberi non poſſunt , poſtquam nova ſunt conſecrata .

Etiam pro conſecratione Altarium in non Epiſcopis requiritur privilegium pontificium , & quidem ſpeciale , ut jam adnotavimus , quique illud habent , eo regulariter non fruuntur , niſi pro ſuis Eccleſiis , aut pro Eccleſiis ſui Ordinis . Unde in cauſa Placentina inter Epiſcopum , & Abbatem S. Sixti Sacra Rit. Congreg. 16. Auguſti 1644. præmiſſa auditione partium , attentiſque privilegiis , ab Apoſtolica Sede , Caſſinenſi Ordini conceſſis , declaravit , *non licere Abbati conſecrare Altaria* , *niſi pro uſu propriarum Eccleſiarum* , *& Religioſorum ejuſdem Ordinis tantum* ; *ac ita ſervari mandavit* , Pignatellus *tom.3. conſult. 68. num 7.* Nec conceſſum creditur etiam pro aliis Eccleſiis , quando id expreſſum non eſt ; cum enim ſit aliquo modo læſivum juriſdictionis epiſcopalis . ſtricte eſt interpretandum : ſiquidem , ſi ab indefinita ejuſdem conceſſione argueretur indefinita facultas eodem utendi , etiam in Eccleſiis , ac diœceſibus alienis , adeo exorbitans confoveretur ejuſdem interpretatio , ut parem non haberet ullus Epiſcopus , nec majorem , quoad hoc , Papa facultatem ; nam ſine licentia Diœceſani nequit alter Epiſcopus in aliena diœceſi Pontificale conſecrationis exercere , hic vero privilegiatus poſſet ; & ſi nullum eſt Altare , indigens conſecratione , quod a Papa in toto terrarum orbe non ſit conſecrabile ; ita nec quod conſecrari non poſſet ab hoc privilegiato ; quod plane exorbitans viſum eſt præfatæ S. Congregationi , quæ propterea dictum decretum edidit ; necnon S. Rotæ Romanæ in Calaguritana Pontificalium 16. Novembr. 1696. coram Urſino , §. *His prahabitis* . Et hoc privilegium cum ſit ex iis , quæ ſpecialiter a ſacris Canonibus Epiſcopis reſervantur , & nonniſi raro , ac difficile aliis conceduntur , non venire per communicationem tradit Card. Petra *tom. 3. ad Conſt. Benedicti XI. num.* 16. Quemadmodum vero , ut Eccleſia ſimpliciter benedicatur cum benedictione ſolemni , ſufficit privilegium , etiam non ſpeciale , aut licentia Epiſcopi , ita & pro benedictione Altaris .

Privilegium quoque requiritur ad benedicendum paramenta ſacerdotalia , quæ ſunt amictus , alba &c. item Calices , Pixides , Oſtenſorium , Corporalia , tobaleas Altaris , campanas &c. Imo pro benedicendiis , in quibus ſacra adhibetur unctio , ſeu chriſma , prout ſunt Calices , & Patenæ pro Sacrificio Miſſæ , campanæ &c. requiritur privilegium ſpeciale Apoſtolicum . Propterea S. Congr. Conc. die 2. Octob. 1610. apud Emin. Petra *tom.4. ad Conſt.6. Urbani IV. num.26.* hoc decretum edidit ; *Abbates* , *utcumque benedicti* , *benedicere nequeunt ea* , *in quibus unctio requiritur* , *niſi ſpecialibus privilegiis Sedis Apoſtolicæ fuerint muniti* . Et S. Rit. Cong. die 3. Martii 1632. *Abbates* , *Priores* , *& alii Religionum Prælati* , *etiam ex ſocietate Jeſu* , *habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras* , *dicto privilegio uti non poſſunt* , *niſi in iis rebus* , *in quibus ſacra unctio non adhibetur* . Et qui habent ſpeciale hoc privilegium benedicendi eccleſiaſticam ſupellectilem , etiam ubi adhibetur unctio , eodem uti non poſſunt , niſi pro ſervitio Eccleſiarum , ac monaſteriorum ſui Ordinis , ſi expreſſe extenſum non ſit etiam ad loca aliena . Eadem namque S. Rit. Congr. inter alia decreta die 27. Septembr. 1659. ab ipſa edita , & ab Alexandro VII. approbata , hoc edidit *n.* 18. *eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum* , *vel monaſteriorum benedicant* . Et hoc aliud 19. *Reliqua Pontificalia* , *extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta* , *vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ* , *aut in ſubditos pariter alienos* , *etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant* , *puta campanarum benedictiones* , *Calicum & ſimilium* , *in quibus ſacra adhibetur unctio* , *nec non minorum Ordinum collationes* . Reclamarunt plane contra hæc Monachi Caſſinenſes , prætendendo , iſta ex Apoſtolico indulto ipſis licere etiam pro Eccleſiis alienis . Verum die 20. Julii 1660. S. Rit. Cong. mandavit , exhiberi quoad hoc indultum authenticum , ac interim abſtineri . . . . ſalva quavis contraria verbaliter expreſſa diſpoſitione privilegiorum particularibus monaſteriis Congregationis Caſſinenſium conceſſorum , ut patet ex declaratione ipſa , quam una cum eiſdem decretis refert per extenſum laudatus Petra loc. cit. *in fine* . Anne tamen hoc privilegium in forma authentica deinde fuerit oſtenſum , incertum profecto , ac valde dubium eſt , ex eo colligitur , quod eadem S. Rit. Congr. juſſu Benedicti XIV. die 31. Martii 1744. præfatorum decretorum diei 27. Sept. anni 1659. non ſolum novam impreſſionem fieri curaverit , ſed etiam eorumdem exemplaria ad ſingulos locorum Ordinarios transmiſerit , ut exactam ipſorum obſervantiam urgeant , & contrafacientes , quantumvis exemptos , ac ſpeciali expreſſione indigentes , etiam per cenſuras , auctoritate Apoſtolica compellant ad omnimodam rerum , ibi præſcriptarum obſervantiam . Neque relevat conſuetudo in contrarium , quia hæc fuit abrogata a S.Rit. Cong. jam ab an. 1629. cum die 18. Auguſti declaravit , non obſtare conſuetudinem in contrarium , ut refert Gavantus *Theſ. Sac. Rit. in Rubr. Miſſ. par.4. tit.19. num.22.* Propterea S. Rit. Cong. in Fuldenſi 22. Septembr. 1703. declaravit , quidem ad facultatem conſecrandi , & benedicendi ſuffragari Abbati Fuldenſi communicationem privilegiorum Congr. Caſſinenſis , & conſuetudinem ; attamen addidit ea verba , *& in locis propriæ juriſdictionis* ; per hæc innuere volens , quod ſicut huic ineſt privilegium talia peragendi in locis ſuæ juriſdictionis , valetque in ea conſuetudo eadem faciendi ſolum pro tali-

Digitized by Google

talibus locis; ita ſolum in, & pro locis propriæ jurisdictionis eadem facere poteſt Abbas Fuldenſis: cum per communicationem generalem in privilegiis non veniant ea, quæ ob peculiarem aliquam rationem; vel alicui Abbati particulari ob aliquod peculiare motivum ſunt conceſſa ſpecialiter; hæc enim indigent expreſſa mentione, ut participentur in caſu per communicationem; ut tradunt DD. commun. *ex l.3. in fine, Cod. de Legib. & l. jus ſingulare ff. eod. & reg. 78. & 81. de Reg. jur. in* VI.

Ex dictis inferes, non habentes privilegium Apoſtolicum, non poſſe dicta peragere. Hinc S.Rit. Cong. 26.Julii 1627. quoad Prothonotarios edidit ſequens decretum; *Prothonotarii ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Sacræ Congregationis licentia nulla poſſunt benedicere vaſa, paramenta, ſeu ornamenta eccleſiaſtica.* Quod etiam valet de Regularibus, non habentibus uſum Pontificalium, nec privilegium, ſaltem per communicationem. Si tamen ea excipias, in quibus chriſma, ſeu ſacra unctio adhibetur, ſaltem ordinarie ob communicationem in privilegiis, cætera poſſunt efficere Generales Religionum, Provinciales, ac Superiores locales, ut videri poteſt apud Maſchat *Inſtit. Canonic. hoc tit. n.9.* Cavalieri *tom.4. cap.11. ad Decr.2. num.3.* & alios. Quinimo tot ſunt Bullæ pontificiæ privilegiorum, in materia communicationum Regularibus conceſſorum, ut nedum præfati Superiores, verum etiam eorumdem Vicarii in ipſorum abſentia, imo & alius quilibet ejuſdem Ordinis Sacerdos, ad hæc ab ipſis delegatus, eadem peragere poſſe dicatur. Unuſquiſque tamen conſulat, attendatque propriæ Religionis literam privilegiorum, ne erret in hac materia; iſta enim, ut dici ſolet, tantum valent, quantum ſonant.

Pixis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt SS.Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali propria, S. R. C. 16. Novembr. 1649. in Januenſi: & quoad Cruces Altarium in una Urbis 12. Julii 1704. eadem Congr. declaravit: *Cruces Altarium, ſeu Proceſſionum, non ſunt benedicendæ de præcepto; poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, ſed non ſolemniter*, hoc eſt Sacerdos, non privilegiatus, poteſt quidem eas benedicere privatim, ſed non ſolemniter, ea nempe benedictione, quæ fit in Pontificalibus, vel publice cum ſolemnitate, aut concurſu populi; ſolemnis enim hic benedicendi modus tam Cruces Altarium, quam earum pictas, vel ſculptas (de quibus valet eadem regula ex P. Cavalieri tom.4. cap.18. ad decr.7.) majorem facultatem requirit, prout colligitur ex Rituali Romano, quod inter benedictiones faciendas *ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus*, recenſet benedictionem tum novarum Crucum, cum ſacrarum Imaginum: hoc enim intelligendo de benedictione ſolemni, prout intelligendum videtur (ad quid enim inſervirent Bullæ, & pontificia privilegia pro benedictione privata, cum ſimplex Sacerdos abſque iis eandem impartiri poſſit?) Rituali optime cohæret allatum decretum.

Denique, cum Altarium, Calicum, & patenarum, aliarumque ſacrarum rerum conſecratio, aut benedictio, ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, & ab eadem certis ritibus, ac verbis, per determinatas perſonas adhibendis alligata, aliter facta non valet. Propterea audiendi non ſunt dicentes, quod ſufficiat haſce res in ſacrificio Miſſæ fuiſſe adhibitas, ut pro conſecratis, aut benedictis habeantur in poſterum; ubi enim ſtatuta eſt quædam veluti forma pro rei conſecratione, aut benedictione, ea non ſervata, nihil fit.

S E C T I O D C.

Caput VII. Consuluisti, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Senonenſi Epiſcopo reſcripta.*

Conſuluiſti (& infra.) Cæmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingit, reconcilianda erunt aſperſione aquæ, ſolemniter benedictæ, ſicut in Dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit.

Jam ſcripſerat Innocentius III. in Epiſtola ad Nidroſienſem Archiepiſcopum, relata *in cap.12. tit.28.* hujus libri III. *Sacris eſt Canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab eccleſiaſtica unitate præciſi, nec in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint. Unde ſi contingat, ut excommunicatorum corpora in cæmeterio eccleſiaſtico tumulentur, ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterunt, exhumari debent, & procul ab eccleſiaſtica ſepultura jactari. Quod ſi diſcerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur fidelium.* Coherenter ad hæc inquit in hac Decretali, reconcilianda fore cæmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit, eorum ſcilicet, ob quorum tumulationem cæmeteria polluuntur, ac proinde indigent reconciliatione, ut ex iis verbis: *reconcilianda erunt*, fit manifeſtum. Hinc liquet, tam in præfata, quam in præſenti Decretali, Pontificem loqui de excommunicatis, non quidem toleratis (per horum namque ſepulturam non polluitur cæmeterium; cumque cum his communicaverimus vivis, communicare etiã licite poſſumus cum eiſdem defunctis, prout ex regula textus antecedentis DD. commun. inferunt) ſed de vitandis, qui profecto ii ſunt, cum quibus non communicavimus vivis, atque adeo neque communicare debemus, cum defunctis; & quorum aliquem ſi in cæmeterio ſepeliri contigerit, cæmeterium ipſum pollutum remanet, idemque reconciliandum eſt; exinde prius extracto tali corpore, ſi ab aliis illud diſcernatur, ut loco præfato aperte inquit Innocentius. Propterea hæc ſanctio tantum abeſt, quod hodie fuerit diminuta, ut potius tamquam regula generalis communiter extendatur a DD. ſive Theologis, ſive Canoniſtis, etiam ad caſum, quo aliquis excommunicatus vitandus ſe-

pultus

pultus fuerit in Eccleſia, cum non ſit minor irreverentia, & macula per hoc Eccleſiæ illata, ac cæmeterio.

Animadverſione quidem dignum exiſtimo, quinam ſint hi excommunicati vitandi; a juſta enim, ac vera horum notione difficultatis ſolutio pendet. Rationem dubitandi præbet varia quoad eos diſciplina, & praxis. Siquidem, ut antiquiora omittam, juxta Concilium Baſileenſe ſeſſ. 20. & Bullam Leonis X. de Concordatis, approbatis etiam in Conc. Lateranenſi V. ii omnes pro vitandis habendi erant, quos notorie in majoris excommunicationis ſententiam conſliterat incidiſſe. Prævaluit nihilominus ex conſuetudine praxis, ut ii tantum pro vitandis haberentur, qui juxta Articulum VII. ex Concordatis a Martino V. cum natione germanica poſt ſeſſ. XLIII. Conc. Conſtantienſ. incipien. *Inſuper ad vitanda*, a Judice eccleſiaſtico nominatim publicati ſunt excommunicati, & tales ſpecialiter, vel expreſſe declarati. Item ii, quos ob ſacrilegam manuum injectionem in Clericum, adeo notorie conſtat, incuriſſe ſententiam, latam in, *can. Siquis ſuadente diabolo*, ut factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari. Quibus Benedictus XIV. addidit decedentes in duello, vel etiam extra locum conflictus, ex vulnere in eo recepto, licet non declarati fuerint vitandi, Conſtit. *Deteſtabilem*, 10. *Novemb.* 1752. §. *IX.* Iſti ergo hodie ſunt veri excommunicati vitandi, ſi Galliam excipias; ubi etiam publicus percuſſor Clerici non eſt vitandus, niſi acceſſerit ſententia, qua declaretur injuſtus Clerici percuſſor, quia ibi ſecundum legem, ſeu conſuetudinem Regni, ad notorietatem facti criminoſi requiritur ſententia judicis declaratoria, ut ex pluribus DD. Gallis animadvertit P. Antoine *de Cenſur. cap. 2. quæſt. 2.* Alibi tamen, quoad hoc, attendenda eſt declaratio laudati Martini V. de qua in *cap. VIII. Nulli, de Sent. excommunicat.* fuſior inſtituetur ſermo.

SECTIO DCI.

Caput VIII. Cum sicut, *ex Decretali Honorii III. Gertrudi, uxori Andreæ II. Hungariæ Regis, Filiæ Bertoldi, Ducis Moraviæ, vel Beatrici, uxori ſecundæ dicti Andreæ, ſcripta.*

CUM ſicut, ex relatione capituli Oradien. nobis innotuit, feceris Eccleſiam conſecrari (& infra.) Cum non ſit Eccleſia, niſi de dote proviſum ei fuerit, conſecranda, eo liberalius ad dotandam prædictam Eccleſiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quoad hoc fortius, tamquam ex debito, jam teneris.

Non debere Eccleſiam conſecrari, quæ dotata non fuerit, clare innuit Pontifex in hac Decretali; & quidem jure, ac merito: quoad hoc enim jamdiù moniti fuerant Epiſcopi per *can. Placuit* 1. *cauſ.* 1. *qu.* 2. hiſce verbis: *Unuſquiſque Epiſcoporum meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis culpa eſt illa temeritas, ſi ſine luminariis, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſervituri ſunt, tamquam domus privata, conſecretur Eccleſia.* Accedit, in ipſo limine fundationis, ac ædificationis Eccleſiæ, congruam ei dotem eſſe aſſignandam, ut aperte conſtat, tum ex *Can. Nemo Eccleſiam* 9. *de Conſecr. diſt.* 1. ſtatuente: *Nemo Eccleſiam ædificet, antequam præfiniat qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiant; & oſtenſa donatione ſic domum ædificet*; cum ex Rubrica ipſius Pontificalis Romani *par. 2. de Bened. & impoſit. prim. lapid. pro Eccl. ædific.* dicente: *Nemo Eccleſiam ædificet, priuſquam Pontificis Judicio locus, & atrium deſignentur, & quid ad luminaria, quid ad Rectoris, & miniſtrorum ſtipendia ſufficiat, quidque ad Eccleſiæ dotem pertineat, definiatur; & per eum, vel ejus auctoritate, per Sacerdotem Crux in loco figatur, & primarius lapis in fundamento ponatur.* Propterea, cum Regina, de qua in caſu, Eccleſiam fundaſſet, ut hic exponit Gloſſa, ac eam conſecrari feciſſet, congrua dote ipſi nondum aſſignata, non immerito eidem ſcribit Pontifex: *eo liberalius ad dotandam prædictam Eccleſiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quoad hoc fortius jam teneris*; ipſi namque inerat hæc obligatio in ipſo fundationis limine, vel certe ſaltem ante ipſius Eccleſiæ conſecrationem; decens etenim manutentio ſubſequitur, velut quid naturaliter connexum, ipſam fundationem, ac ædificationem, ſicuti partum ſubſequitur ipſius alimentum; nam qui Eccleſiam fundat, & conſtruit, eſt veluti pater ejuſdem, cum eam deduxerit de non eſſe ad eſſe, Cavalcanus *par. 2. deciſ. 17. num. 67.* & congrua dos conſecrationem comitatur, non minus ac filiæ nuptias; qui enim Eccleſiam conſecrari fecit, quodam quaſi ſpirituali conjugio eam Chriſto Domino, divinoque cultui in perpetuum dicavit; ideoque, ſi congruam ei dotem nondum impertivit, aut aliunde non habuit, potens eam dotare, tenetur, ut de filia nuptui tradita habetur ex *L. fin. Cod. de Dot. prom.* Et ſi ad hoc impotens ſit, ſupplere tenetur ex propriis Epiſcopus, qui ex officio tenebatur prius facere ei dotem aſſignari, antequam illam conſecraret, Car. Petra *tom. 1. Com. ad Conſt. 2. Paſchalis II. ſect. I. num. 84. & 95.* Nec Epiſcopum eximit in caſu ignorantia; eſſet enim ignorantia affectata, quæ in jure æquiparatur ſcientiæ: unde ſicuti tenetur Epiſcopus providere illi, quem ſcienter ordinavit in ſacris abſque titulo ſufficienti, *cap. Non liceat 2. de Præb. & dign.* juncta Gloſſa *ibid.* §. *Clerico*; ita &c. Et hactenus dicta de dote, non ſolum valent, cum agitur de Eccleſia conſecrata ſimul, & beneficiata, prout erat de qua hic agitur, quæ habebat capitulum Canonicorum, ut conſtat ex iis verbis; *Cum ex relatione capi-*

tuli Oradien. ſed etiam, quando præciſe eſt conſecrata, aut præciſe in ea erectus eſt titulus perpetui beneficii, imo etiam, quando canonice, & auctoritate publica erecta eſt cum benedictione primarii lapidis, ac in perpetuum Deo, divinoque cultui dicata, ut firmat Petra *num.*88. *& ſeqq.* idem dicens de capellis, & Oratoriis publicis *num.*95. ſi eaſdem habeant qualitates. Circa quæ ipſum vide per totam illam ſectionem, ac P. Joſephum de Bonia, erudite hanc materiam tractantem in nuperrimo Opere de Oratoriis publicis.

A lege aſſignandæ dotis eximunt Sylveſter, Lezana, aliique Eccleſias Regularium Mendicantium. Id tamen non multum placet Paſqualigo (quem refert Rotarius, loco infra citando) & aliis, præſertim cum ſunt conſecrandæ. Primo, quia jus, dotem requirens ſaltem in conſecratione, univerſaliter loquitur de Eccleſiis, ideoque eſt univerſaliter intelligendum. Secundo, quia de hoc ſpeciali privilegio non ſatis conſtat authentice. Accedit, ipſum P. Ferraris, loquentem de conſtructione Eccleſiæ, ac monaſterii Regularium in Biblioth. *v. Eccleſia art.*3. *num.*41. generaliter monere in hujuſcemodi nova conſtructione hodie attendenda eſſe decreta S. Congregationis, juſſu Urbani VIII., ac Innocentii XII. edita, quæ decernunt, ad id tantum requiri, ut ſaltem duodecim fratres ali, & competenter ſuſtentari valeant &c. Utramque nihilominus opinionem conciliare nititur P. Rotarius in *Theol. Regul. tom.* 3. *lib.*2. *cap.*2. *pun.*1. *num.* 3. dicens, in praxi numquam erigi Eccleſiam Regularium, etiam Mendicantium, ſine dote. Si enim loquamur de iis, qui nihil poſſident, ac vivunt totaliter de eleemoſynis, ut ſunt Capuccini, iſti habent dotem, ſaltem moraliter certam, de incertis, nempe de eiiſdem eleemoſynia; quamvis enim iſtæ aliquando modicæ ſint, proindeque inſufficientes pro uno loco; attamen *vix* eſt dabilis caſus, ut deficiant in tota provincia; uſus namque ipſorum eſt, ut ubi in aliquo conventu eleemoſynæ ſuperabundantes reperiuntur, conventibus indigentibus ſuppeditent, quæ ipſis ſuperfluunt. Hinc videmus in Eccleſiis Capuccinorum eſſe quidem ſacram ſupellectilem pauperem, ſed decentem, & valde mundam. Cumque id ubique penes eos conſpiciatur, & ubique competenter vivant ſecundum propriam regulam, & ſtatum, cum veritate dici poteſt, quod ipſorum Eccleſiæ habeant dotem, moraliter certam de incertis, Ideſt ex eleemosynis, eiſdem miniſtrari conſuetis, vel a loco, in quo degunt, vel a territorio, vel ſaltem a provincia. Porro, cum Eccleſia ſimul cum monaſterio poſſit ibi, juxta præfata decreta licite ædificari, & Eccleſia, ibidem conſtructa, etiam licite conſecrari, quando ibi ſtatutus numerus Fratrum, vel ex redditibus, vel ex eleemoſynis conſuetis ſimul cum Eccleſia competenter ſuſtentari valeat, eo quia etiam Eccleſia tunc habet dotem, moraliter certam, ac competentem; ideo &c. Si poſtea loquamur de Mendicantibus (ac etiam de aliis non Mendicantibus) qui in communi redditus poſſident, dos, ſubdit idem Rotarius, ſine qua non permittitur erectio monaſterii, eſt ſimul dos monaſterii, & ejus Eccleſiæ, hæc enim eſt unum corpus cum ipſo, & nobilior pars ipſius. Hinc etiam Paulutius *Juriſprud.lib.*7. *tract.*11. *cap.*1. *num.*6. *circa fin.* inquit, quod illæ Eccleſiæ ſufficienter dotatæ cenſentur, quæ poſſunt ex redditibus monaſterii apte ſuſtentari: non enim requiri dotem diſtinctam, conſentit etiam Paſqualigus cum ſuis aſſeclis.

SECTIO DCII.

Caput IX. Aqua, *ex Decretali Gregorii IX. Epiſcopo Aſtoricenſi ſcripta.*

Aqua, per Epiſcopum benedicta, Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus, per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes: non obſtante conſuetudine provinciæ Bracharen. (quæ dicenda eſt potius corruptela) quia licet Epiſcopus committere valeat quæ juriſdictionis exiſtunt; quæ Ordinis tamen epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare. Quod autem mandantibus Epiſcopis ſuper reconciliatione factum eſt hactenus per eoſdem, miſericorditer toleramus.

Quamvis Eccleſia conſecrata, vel etiam tantummodo benedicta, in ſe ſancta ſit, nec proprie in ſe violari, ac infici poſſit; nihilominus per certos quoſdam criminoſos, aut irreligioſos actus, in ea peractos (de quibus infra) maculam quandam contrahere videtur, ratione cujus violari, ac pollui dicitur, proindeque reconciliatione indigere. Hinc Greg. IX. in duplici ſua Decretali de hac reconciliatione agit. In prima, quæ eſt præſens, loquitur de reconciliatione Eccleſiæ, ſimpliciter benedictæ. In ſecunda, mox tranſcribenda, loquitur de reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ, ut ex utriuſque contextu ſit manifeſtum.

Verum, cum in hac dicat: *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus*, hoc eſt intelligendum, ſi nempe interveniat aſſenſus Epiſcopi diœceſani, aut conceſſio Romani Pontificis; alias oppoſitum Gregorius dicere debuiſſet. Ex una etenim parte de jure id dicitur fieri non poſſe, quod licite fieri nequit. Ex altera parte nequit alius Epiſcopus pro libito ſuo licite ſe ingerere in reconciliationem Eccleſiæ alienæ; ſiquidem iſta reconciliatio eſt actus Ordinis ſimul, ac juriſdictionis Epiſcopi diœceſani, jure ordinario ad hunc ſpectans, & non ad alium Epiſcopum; propterea huic prius demandari, ſeu committi debet ab eodem Epiſcopo diœceſano, aut a Papa, ut ab ipſo licite fiat, ſecus eſſet temeraria uſurpatio juris alieni, millies prohibita a jure canonico, & a Concilio Tridentino. Quare vel dictum Pontificis accipitur in hoc ſenſu, quod ab alio Epiſcopo fieri poſſit valide, ſed illicite, & in hoc ego quoque aſſentior eadem ratione, quam ad *cap.* 2. *hoc tit.* Section. DXCVIII. attuli de actu ipſiuſmet conſecra-

crationis Eccleſiæ. Vel intelligitur in eo ſenſu, quod poſſit ab alio Epiſcopo fieri etiam licite; & tunc dicos hoc ſolum verificari, præſuppoſito aſſenſu Epiſcopi diœceſani, vel Papæ.

Anne poſtea, præſuppoſito tali conſenſu, debeat alius Epiſcopus uti in reconciliatione Eccleſiæ aqua, a diœceſano benedicta? affirmant Lezana *v. Eccleſia num.* 16. aliique; eo quia licet Gregorius non neget, Eccleſiam poſſe reconciliari ab alio Epiſcopo, tamen præmittit, id fieri debere *aqua per Epiſcopum benedicta*, ſcilicet per diœceſanum; alias expreſſiſſet, id fieri poſſe per benedictam ab Epiſcopo reconciliante: quemadmodum expreſſit Leo X. cum in Conſtit. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. *Febr.* 1514. id conceſſit Minoribus de Obſervantia pro Eccleſiis, cæmeteriis, & Oratoriis ſui Ordinis: *Prælati regulares, vel alii Sacerdotes in capitulis generalibus deputati, ſuas Eccleſias, cæmeteria, & Oratoria, qualibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per eos (præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt) benedicta reconciliare libere, & licite valeant*. Alii nihilominus cenſent, poſſe in caſu Eccleſiam reconciliari aqua benedicta per ipſum Epiſcopum reconciliantem, dummodo cum hujuſmodi aqua facta fuerit mixtio vini, & cineris, & in ejuſdem benedictione adhibita fuerit forma ſtatuta per Pontificale Romanum; prout fieri debere notat Panormitanus ad *cap. Propoſuiſti*, 4. *hoc tit.* & hanc rationem aſſignant, quia ly *per Epiſcopum benedicta*, denotat quidem, talem aquam debere eſſe ſaltem benedictam ad hunc finem ab Epiſcopo, excluſive ad ſimplices Sacerdotes, non autem excluſive ad Epiſcopum reconciliatorem; præcipue cum huic, conceſſa ipſa reconciliatione, implicite, ſeu tacite conceſſa intelligatur etiam confectio, ac benedictio aquæ, utpote quæ eſt medium ad ipſum reconciliationis actum tamquam finem, unde non indiget exprimi; quinimo Pontifex ponit ly *per Epiſcopum* indeterminate ob hanc rationem; ſive enim ſit ab Epiſcopo reconciliante in caſu, ſive a diœceſano, aqua eſt per Epiſcopum benedicta.

Prohibet deinde Pontifex, ne reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ de cætero fiat per ſimplices Sacerdotes, non obſtante provinciæ conſuetudine in contrarium, inquiens, hanc dicendam potius corruptelam. Quam rationabilis ſit iſta prohibitio, ex hoc evincitur, quia reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ eſt actus Ordinis epiſcopalis (ut hic ait Gregorius) quem ſolus Romanus Pontifex Clericis, Epiſcopo inferioribus poteſt demandare, ut ex Rubrica Ritualis Romani; *ſimplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam, ab Epiſcopo conſecratam, reconciliare*. Ex quo colligitur ratio, ob quam conſuetudo provinciæ in contrarium dicenda ſit potius corruptela; quia ſcilicet directe opponitur juri, ſoli Romano Pontifici reſervato, enervatque eccleſiaſticam diſciplinam; ideoque nec rationabiliter naſci poterat, nec rationabiliter adoleſcere; ut de effectibus conſuetudinis agentes, tradunt DD. communiter; & hoc eſt fundamentum eorum, quæ dixi ſupra ad cap. 2. Sect. DXCVIII.

Hic tamen oritur dubium, quomodo queat Summus Pontifex committere ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ, ſi hæc eſt actus Ordinis epiſcopalis? Certe quia abſolvere ſacramentaliter a peccatis, & conficere Euchariſtiam, ſunt actus Ordinis ſacerdotalis, neque Pontifex poteſt eos non Sacerdoti mandare. Verum pro reſolutione advertendum, quædam dici Ordinis epiſcopalis, quatenus conſtitutis in hoc Ordine ſunt reſervata jure canonico humano; quædam vero eidem Ordini ſunt alligata ex inſtitutione divina. Quæ ſunt Ordinis epiſcopalis hoc ſecundo modo certe nec a Romano Pontifice poſſunt Clericis inferioribus demandari; quemadmodum ob eandem rationem demandare nequit confectionem Euchariſtiæ, & ſacramentalem abſolutionem a peccatis non Sacerdotibus. Poteſt nihilominus non Epiſcopis demandare ea, quæ ſunt Ordinis epiſcopalis primo modo; eo quia, cum Summus Pontifex habeat plenitudinem poteſtatis ſuper ea omnia, quæ ſunt de mero jure canonico, poteſt, ſaltem in aliquo caſu, præcipue interveniente aliquo motivo rationabili, auctoritatem ab eodem jure ſolis Epiſcopis conceſſam, extendere ad aliquem non Epiſcopum, ut mille exemplis oſtendi poſſet. Cum ergo Eccleſiæ conſecratæ reconciliatio ſit hujuſmodi; ideo poteſt eam Romanus Pontifex ſimplici etiam Sacerdoti committere, quamvis dicatur, ac ſit in prædicto ſenſu actus Ordinis epiſcopalis; quemadmodum ſect. cit. etiam dixi de ipſa Eccleſiæ conſecratione. Et ex hoc etiam conſtat, quomodo potuerit Gregorius miſericorditer tolerare præteritas reconciliationes, a ſimplicibus Sacerdotibus factas in Bracharenſi provincia de mandato Epiſcoporum, ſua nempe auctoritate ſuprema illas convalidando, ſimulque admonendo Epiſcopos, poſſe quidem ipſos committere non Epiſcopis ea, quæ ſunt eorum juriſdictionis; nullatenus tamen ea, quæ ſolo etiam jure canonico annexa ſunt Ordini epiſcopali, cum ipſi non habeant auctoritatem Summi Pontificis.

SECTIO DCIII.

Caput X. Si Eccleſia, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX. eidem Epiſcopo Aſtoricenſi ſcripta*.

SI Eccleſia non conſecrata cujuſcumque fuerit ſemine, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa ſuſpendantur. Eſt tamen, quamcitius fieri poterit, conſecranda.

Cum hic agatur de ſecuta pollutione Eccleſiæ, non conſecratæ, ſed ſimpliciter benedictæ; quamplures, inhærentes Gloſſæ ad hanc Decretalem §. *Lavetur*, cenſent, hujuſmodi Eccleſiam in caſu reconciliari poſſe per ſimplicem Sacerdotem aſperſione aquæ luſtralis, ab eodem, vel ab alio ſimplici Sacerdote benedictæ; & quidem, etiam non expectata Epiſcopi delegatione, ſeu licentia. Idque in primis probant, quia ſi etiam in hnc caſu Eccleſia reconcilianda eſſet ab Epiſcopo, vel ſaltem per Sacerdotem, ad boc ab Epiſcopo delegatum, id Pontifex expreſſiſſet, quemadmodum expreſſit in cap. præced. Eccleſiam conſecratam reconciliandam eſſe in caſu conſimili a conſtituto in dignitate, ac Ordine epiſcopali. Accedit, aquam exorcizatam hic ſufficere pro tali reconciliatione, ut conſtat ex verbis ejuſdem Decretalis. Jam vero nomine aquæ exorcizatæ venit aqua luſtralis, quæ etiam a ſimplici Sacerdote confici, & adhiberi poteſt; non vero aqua admixta vino, & cinere, cum qua reconciliatur Eccleſia conſecrata, ex *cap. Propoſuiſti 4. boc tit.* Denique ſi in hoc caſu petenda, & expectanda foret Epiſcopi licentia pro Eccleſiæ reconciliatione, protinus Eccleſia lavari non poſſet, & ſic non baberetur finis, intentus a Gregorio IX. in hac Decretali, qui eſt, quod divinæ laudis organa non ſuſpendantur; & multo minus poſſet quamcitius Eccleſia conſecrari.

Hiſce non obſtantibus dico, Decretalem hanc eſſe intelligendam de lotione, ſeu reconciliatione facta, vel ab Epiſcopo, vel a Sacerdote, ab Epiſcopo delegato. Potiſſima ratio deſumitur ex eo, quod ipſum Rituale Romanum, loquens de reconciliatione Eccleſiæ non conſecratæ, ait, quidem abſolute hanc fieri poſſe per Sacerdotem, & quidem cum aqua luſtrali, *ſed per Sacerdotem, delegatum ab Epiſcopo.* Ergo prærequiritur iſta delegatio Epiſcopi. Hinc S. Rit. Cong. die 9. Febr. 1608. hoc decretum edidit: *Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu cæmeterii, non conſecrati, poteſt committi Presbytero, in dignitate conſtituto.* Et ad eam peragendam independenter ab Epiſcopo requiritur privilegium Apoſtolicum, ſicut & ad ipſam Eccleſiam eodem modo ſolemniter benedicendam; ſunt enim actus juriſdictionis epiſcopalis. Accedit, talem eſſe diœceſum recte directarum conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres. Nec obſtat præfatæ expreſſionis omiſſio; in primis enim dici, poteſt hoc aliquo modo fuiſſe a Gregorio IX. expreſſum in Decretali antecedenti, cum dixit, Epiſcopum poſſe ſimplicibus Sacerdotibus committere quæ juriſdictionis exiſtunt. Deinde etiamſi hoc exprimere totaliter omiſiſſet, nibil referret, cum lippis, & tonſoribus innoteſcat, non poſſe ſimplicem Sacerdotem ſibi ea uſurpare, quæ juriſdictionis epiſcopalis exiſtunt. Ad id, quod ſubditur de aqua exorcizata, dico, ejus confectionem, ac uſum non eſſe juriſdictionis epiſcopalis, ut eſt ipſa Eccleſiæ reconciliatio. Ad ultimum, quod eſt fortius argumentum, dico ly *protinus*, eſſe intelligendum quantum rite, ac recte fieri poteſt; non vero ſecus, idque Pontificem hic intendiſſe, ne ſcilicet divinæ laudis organa ſuſpendantur, cum citius rite, ac recte Eccleſia reconciliari poteſt, in eodem ſenſu (quantum ad hoc ſpectat) dici poteſt locutum quoad Eccleſiæ conſecrationem. Cæterum dum hic agit de conſecratione Eccleſiæ, quamcitius facienda, cenſeo, Gregorium ita fuiſſe locutum de Eccleſia benedicta, quamtumvis non polluta; cum enim ſimplex benedictio Eccleſiæ, ut ſupra notavi cum Baruffaldo, & aliis, præciſe ſit in ſubſidium, uſquequo nempe Eccleſia conſecretur, ideo &c. vide dicta ad *cap. 2. hoc tit.*

Huic Decretali, acceſſit ſequens Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. unic. hoc eodem tit. in VI.* declarantis, polluta Eccleſia, cenſeri etiam eſſe pollutum cæmeterium, ſi eidem ſit contiguum.

Si Eccleſiam pollui, ſanguinis, aut ſeminis effuſione contingat, ipſius cæmeterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis ſepeliri. Secus, ſi remotum fuerit ab eadem. Non ſic quoque in caſu converſo ſentimus, ut videlicet, polluto cæmeterio, quamvis Eccleſiæ contiguo, debeat Eccleſia reputari polluta, ne minus dignum, majus, aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur. Non unum, ſed plura cæmeteria eſſe noſcuntur, quæ quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſejunguntur, ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus) non propter hoc teputabitur violatum.

Nota I. Cum Paſſerino ad hanc eandem Decretalem cum communi Canoniſtarum, quod ſicut polluta Eccleſia, pollutum etiam cenſeatur cæmeterium contiguum, ita ea reconciliata, cenſeatur etiam reconciliatum & hoc, abſque eo quod adhibenda ſit aquæ luſtralis aſperſio, cum abſolutio, & relaxatio facta in re principali, quæ in hoc caſu eſt Eccleſia, tranſeat in rem conjunctam, aut acceſſoriam, quæ eſt cæmeterium ,, Sed ſecus, ſi polluta Eccleſia, v. g. per effu-
,, ſionem humani ſeminis, fuiſſet iterum pollutum cæ-
,, meterium, ex injuſta effuſione humani ſanguinis,
,, reconciliata Eccleſia, non eſſet reconciliatum cæ-
,, meterium, & mundatum a propria pollutione, cau-
,, ſata in cæmeterio, ex injuſta humani ſanguinis ef-
,, fuſione ''.

Nota II. Eccleſiam, & reſpective cæmeterium, nedum pollui per humani ſeminis effuſionem, & quidem voluntariam, & notoriam, ac per homicidium, vel injurioſam ſanguinis effuſionem, ſed etiam per ſepulturam excommunicati vitandi, vel infidelis, ac per conſecrationem ejuſdem Eccleſiæ, ab Epiſcopo excommunicato vitando factam: Canoniſtæ communiter ad hic tranſcriptam Bonifacii Decretalem, & ad *cap. IV. Propoſuiſti, hoc eod. tit.*

Nota III. Ad ſtatuendam Eccleſiæ pollutionem, ex homicidio, vel ſanguinis effuſione, requiri, ut vulnus intra eam receptum fuerit: cum tunc ſolum juxta communem exiſtimationem cenſeatur, actionem injurioſam illatam, & conſummatam fuiſſe in loco ſacro. Unde non pollueretur Eccleſia, ſi quis intra eam exiſtens, vulneraret teli immiſſione exiſtentem extra; & multo magis, ſi vulnus infligeret extra, & vulneratus moreretur, vel ſanguinem effunderet intra Eccleſiam, ad quam confugit. E converſo pollueretur, ſi exiſtens extra, vulneraret immiſſione teli exiſtentem intra, licet mors, vel effuſio ſanguinis ſequeretur

tur

Digitized by Google

tur extra: quia ratione actus intra ipſam conſummati, mors, vel effuſio fieri in eadem cenſeretur: ita DD. communiter ex Gloſſ. in *cap. Si Eccleſiam, de Conſecr. in VI.* inter quos præcipue Cabaſut. *Jur. Canon. Theor. lib. V. cap. XXI. num.* 10. Clemens Biſel. *Summa Theol. moral. part. III. tr. IV. Append. II. §. Si quis exiſtens*, Remig. Maſchat *Inſtit. Canon. tit. XL. de Conſecrat. Eccl. num.* 14.

Nota IV. Cum *Theſauro de Pœn. eccleſiaſt. verb. Sacrilegium, cap. V.* celebrantem in Eccleſia polluta, non fieri irregularem. Et quamvia nonulli aſſerant, incurrere ſuſpenſionem, vel interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & poſtea celebrando, fieri irregularem, contrariam tamen ſententiam amplectitur, tamquam communem cum DD. cumulate ibidem relatis.

Nota V. Cum eodem loc. cit. non cenſeri ſufficienter reconciliatam Eccleſiam, ſi ante pollutionis publicationem quis in ea bona fide celebraverit, quidquid aliqui DD. in contrarium ſenſerint; teſtatur enim laudatus Auctor, ſe etiam ita in praxi ſervatum vidiſſe, ea potiſſimum ratione, quia hujuſmodi reconciliatio pendet ex certa verborum forma, & ſolemnitate, ab Eccleſia inſtituta. Ex hac eadem ratione rejicit, & reprobat, tamquam penitus improbabilem, ſententiam Dianæ, inferentis, probabile eſſe, quod ſi Sacerdos bona fide celebravit cum Calice, vel Patena non conſecrata, vel cum veſtibus, nondum benedictis, hujuſmodi res ex hoc remanere conſecrataa, ut deincepa ad Miſſæ uſum non indigeant alia conſecratione.

Titulus XLI. De Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis.

S E C T I O D C I V.

CAPUT I. PRESBYTER, *ex Decretali, tributa Concilio Normatienſi a Gratiano diſtin. CXI. Can. II. ab aliis vero Concilio Agathenſi, ſed ex neutro deſumpta, ſed deprompta ex Capitulis Hincmari, Rhemenſis Epiſcopi, ut probat Berardus ad Canones Genuinos ejuſdem Gratiani cap. LVIII. de Concil. Nannatenſi.*

PResbyter mane, matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperamque perſolvat; ita tamen, ut horis competentibus juxta poſſibilitatem, aut a ſe, aut a ſcholaribus publice compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis viſitatis, ſi voluerit, exeat ad opus rurale jejunus, ut iterum neceſſitatibus peregrinorum, & hoſpitum, ſive diverſorum commeantium, infirmorum, atque defunctorom ſuccurrere poſſit, uſque ad ſtatutam horam, pro temporis qualitate, Propheta dicente: *Septies in die laudem dixi tibi*; qui ſeptenarius numerus a nobis impletur, ſi matutini, primæ, tertiæ, ſexta, nonæ, vesperæ, & completorii tempore, noſtræ ſervitutis officia perſolvamus; nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait: *Media nocte ſurgebam &c.* Ergo his temporibus laudes Creatori noſtro ſuper judicia ſuæ juſtitiæ referamus.

Diſpoſita in hac Decretali reſpiciebant parochum. I. Quoad recitationem horarum canonicarum, quæ aut a ſe ſolo ſtatutis horis, ante Miſſæ celebrationem perſolvendæ erant, aut, eo abſente, publice ab illius ſcholaribus, ideſt a Pſalmiſtis, ex veteri more in ſchola, Cantore deſtinato, pro ejuſdem parochi adjutorio. II. Quoad Miſſæ celebrationem, quam uno, eodemque die juxta interpretationem Gonzalez, & fere omnium, inter quos Navarrus in Manuali *cap. XXV. nu.* 87. iterare debebat, tum ad ſubveniendum neceſſitatibua peregrinorum, & commeantium; ut illam audire poſſent (intellige diebus feſtis) tum infirmorum, cum bis opus eſſet Communionem per modum Viatici præbere, tum denique defunctorum, qui cum Miſſæ Sacrificio ſepeliendi eraut.

Verum prima hæc Decretalis pars, quoad onus ſcilicet recitandi horas canonicas a Clericis adjutoribus in abſentia parochi, locum amplius non habet, cum hodie iis omnes fere parochi ſint deſtituti, ut facto comprobatur.

Quoad recitationem vero earundem horarum, debitis horis faciendam, ſi ſermo ſit de privata recitatione, id onus adhuc viget, nedum reſpectu parochi, ſed etiam reſpectu aliorum, qui ad eam perſolvendam tenentur, niſi excuſet juxta cauſa, prout habetur in eadem hac Decretali: non tamen ita ſtricte, ut perſolvenda eſt a choro adſtrictis, a quibus, præciſa diſpenſatione Epiſcopi, aut, inolita conſuetudine, recitari nequit matutinum, cum laudibus diei ſubſequentis poſt completorium diei præcedentia, ut ex decreto Cong. Conc. quod habetur *lib. XVII. Decretor. ejuſd. Cong. pag.* 379. oſtendit Benedictus XIV. *Inſtit. eccleſiaſt. CVII. §. At vero*, cujus recitatio cæteroquin ex Theologorum opinione, communiter recepta, juxta notata in fine Kalendarii Romani, permiſſa eſt choro non adſtrictis, ſicut & recitatio Officii defunctorum ſecunda die Novembris, pro generali eorumdem commemoratione, ex ſequentibus declarationibus S. Rituum Congr. his verbis ſub *num.* 21. & 1201. relatis a Spiridione Talu in collectione decretorum ejuſdem Congr. laudato Benedicto dicata. = An, non obſtante decreto 1. Sept. 1607. aut alio quocumque, poſſit quis in feſto omnium Sanctorum poſt ſecundas veſperas, etiam veſperaa vigiliæ defunctorum, una cum matutino, & laudibus recitare, facereque fructus ſuos, aut an obligetur ſub peccato obedire prædicto decreto, & ſecun-

da Novembris dictum matutinum, cum laudibus recitare, facereque fructus ſuos? & reſponſum fuit: privata Officii defunctorum recitatio, pro generali illorum commemoratione abſolvi licite poteſt poſt veſpertinas horas Feſti omnium Sanctorum: in choro autem juxta Rubricas adimplenda eſt mane die ſecunda Novembris: niſi ut populi commodius, & frequentius illis intereſſe poſſint, contraria jam faceret conſuetudo. S. R. C. 4. Sept. an. 1745. in Ratiſbonen. An præſente Epiſcopo in choro, etiam non accedente legitima cauſa, in hac Sectione expreſſa, legitime recitari poſſit poſt Veſperas? (ſub num. 21. ita legitur) Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie Veſperi in Feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die ſecunda Novembris, poſt laudes diei. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.* Epiſcopo præſente, concedit Sac. Rit. Congr. poſſe recitari die prima Novembris, ante horam Completorii in cathedralibus Eccleſiis. Similiter, & in aliis non cathedralibus, & Epiſcopo abſente, quando conſuetudo eſſet in contrarium, dummodo pro commoditate, & frequentia populi eſſet introducta; extra chorum vero licite abſolvi poſſe, poſt veſpertinas horas ſtatuit rurſus S. R. C. n. 1201. = .

Cæterum communis eſt Theologorum ſententia, privatam recitationem factam ſine ulla legitima cauſa non debitis horis, non excedere culpam venialem.

Quoad onus vero recitandi prædictas canonicas horas, ante Miſſæ celebrationem, certum eſt eo obſtringi choro addictos, & adhuc in præſens exacte obſervari in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis quoad Miſſam conventualem, quæ nunc poſt tertiam, nunc poſt nonam canitur.

Non levis autem eſt controverſia inter Theologos morales, an ſtante Rubrica ſub Titulo *de Ritu ſervando in celebratione Miſſæ cap. I.* in quo præſcribitur, ne Sacerdos prius celebret, quam *ſaltem matutitino, cum laudibus abſoluto*, & altera *de Defectibus in celebratione Miſſar. occurrentib.*, inter quos recenſetur ille = Si celebrans, ſaltem matutinum cum laudibus non dixerit: juncto Sacerdotali Romano cap. LXXX in quo legitur: Miſſa privata ſaltem poſt matut. quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt = .

An autem quilibet Sacerdos peccet mortaliter, vel venialiter, celebrando, non recitato dicto matutino, cum laudibus, placet hic referre expoſita a Benedicto XIV. *de Sacrific. Miſſæ, lib. III. cap. XIII. n. 4.*

,, Alii in alias abiere ſententias; ſive quia nonnulli
,, falſum illud ſequuntur principium, Rubricas meras
,, inſtructiones eſſe, & conſilia; ſive quia alii, etſi
,, eam ſequuntur ſententiam, Rubricas habere vim
,, legum, ut tranſgreſſio *ex genere ſuo*, ſit peccatum
,, mortale, tamen partim materiam gravem celebrare
,, Miſſam, non dicto matutino, & laudibus, partim
,, levem eſſe arbitrantur. Prima igitur opinio eſt eo-
,, rum, qui putant, Sacerdotem celebrando Miſſam,
,, antequam Matutinum, & laudes recitet, peccare
,, mortaliter: hanc tuetur opinionem S. Antoninus 3.
,, *par. tit. 13. c. 6.* = Miſſa non debet dici ab eo, qui
,, non dixit matutinum, licet poſſit audiri, alias di-
,, cendo, eſſet peccatum mortale, quia contra conſue-
,, tudinem generalem Eccleſiæ = Favet huic ſenten-
,, tiæ Innocentii IV. reſponſio in cauſa, quam ad eum
,, retulit Otho Cardinalis, Epiſcopus Tiburtinus, in-
,, ter Archiepiſcopum Nicoſiæ, cum ſuis ſuffraga-
,, neis latinis Epiſcopis ex una parte, & Epiſcopos
,, græcos Regni Cypri ex altera. Sacerdotes autem
,, dicant horas canonicas more ſuo; ſed Miſſam cele-
,, brare, priuſquam officium matutinale compleve-
,, rint, non præſumant. Altera eſt eorum opinio, qui
,, nullum hic neque mortale, neque veniale peccatum
,, deprehendunt. Tertia eſt eorum, qui non niſi ve-
,, niale peccatum committi putant. Clericatus *dec. L.*
,, *de Sacrificio Miſſæ*, primam ſequitur opinionem, &
,, & quinque, ac quinquaginta Auctores affert, qui
,, graviter peccare eum exiſtimant, qui perpetuo, &
,, quaſi ex habituali conſuetudine ſemper Miſſam ce-
,, lebret, quin unquam matutinum, & laudes recita-
,, verit. Si ſermo ſit de Miſſa conventuali, videtur
,, peccatum eſſe mortale, eam ante matutinum, &
,, laudes celebrare; id enim eſt contra generalem Ec-
,, cleſiæ conſuetudinem. In Miſſis vero privatis, ſi-
,, qua ſit legitima cauſa, puta ſi Princeps, aut Præ-
,, latus Miſſam expeteret, videri poſſet a peccato,
,, etiam veniali, immunis, qui eam celebraret, non
,, recitato matutino, & laudibus, Si vero abſit cauſa,
,, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non
,, eſſe locum, ut obſervat Meratus *ad Gavantum*
,, *tom. 1. par. 2. pag. 799.* Quod ſi quis, nulla cauſa
,, urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quaſi
,, ſtatuiſſe animo, nunquam celebrare, dicto matuti-
,, no, & laudibus, tum cum illis quinque, & quin-
,, quaginta Auctoribus, quos ſententiæ ſuæ ſuffraga-
,, tores affert Clericatus, & ex rationibus, ab ipſo
,, adductis, concludi poſſet, hujuſmodi Sacerdotem
,, peccare mortaliter. Natalis Alexander *Theolog.*
,, *Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchar. c. 8.*
,, *art. 4.* S. Antonini ſequitur ſententiam, ſed decla-
,, rat, ſe non reprobare contrariam; profitetur etiam,
,, ſe nullius peccati reum credere, qui gravibus, &
,, neceſſariis charitatis officiis impeditus, puta admi-
,, niſtratione Sacramentorum, antequam matutinum,
,, & laudes Miſſam celebraret, Grancolas *in Veter.*
,, *Sacramentario Eccleſiæ, par. 1. pag. 739.* Concilia
,, profert aliquot provincialia; quæ excommunicatio-
,, nis pœna ſancita vetant, ne quis Sacerdos, non re-
,, citatis matutino, & laudibus, Miſſam celebret. Ea
,, vero ſanctione non niſi ille tenetur, qui Synodi il-
,, lis eſt ſubjectus; neque ea poteſt illud everti, quod
,, ſuperius generatim ſtatuimus, & ad ſingulares cir-
,, cumſtantias accomodavimus ".

Ex his patet, quam ex tribus relatis opinionibus amplexus fuerit hic Pontifex, cujus mens excludens mortalem culpam, præciſo more ſemper celebrandi non recitato matutino, & laudibus, magis confirmatur ex verbo, quo uſus eſt in Conſtit. *Etſi paſtoralis*, 6. *Maii* 1742. *de Dogmatibus, & Ritibus ab italo græcis tenendis, & ſervandis* §. *VII. num.* 5. ibi = Et priuſquam Miſſam celebrent, Officium matutinale recitare curent = quo etiam quodammodo declarata eſt mens Innocentii IV. qui in Conſtit. *Sub Catholicæ* 6. *Martii* 1254. §. *XI.* Sacerdotibus græci ritus ita recitationem matutini ante Miſſam injunxit = Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo, ſed Miſſam celebrare, prius quam Officium matutinale compleverint, non præſumant = .

De iteratione Miſſæ eadem die, quæ parocho permiſſa legitur in ſecunda parte tranſcriptæ Decretalis, quæ hodierna vigeat diſciplina, tam reſpectu parochi, quam quorumcumque Sacerdotum, ſequenti Sectione notabitur.

SECTIO DCV.

Caput III. Conſuluisti, *ex Decretali Innocentii III. Vigorienſi Epiſcopo reſcripta, quam integram tranſcribo, prout refertur a Gonzalez.*

Conſuluiſti nos, utrum Preſbyter duas Miſſas in eadem die valeat celebrare. Super quo tibi duximus reſpondendum, quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti, ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare.

Ex hac Decretali non ſemel ortum eſt dubium, an, attendo Pontifex verbo *ſufficit*, intenderit præceptum, ſeu potius conſilium ſtatuere, ne plures in die Miſſæ celebrentur, excepto die Nativitatis Domini, & cauſa neceſſitatis eas iterandi.

Verum dubitationem ſuſtulit declaratio Ben. XIV. *in Epiſtola Decretali, ad Epiſcopum Oſcenſem, Declaraſti 16. Martii 1746.* his verbis expreſſa.

Igitur, omittentes Alexandri II. decretum, alterius Prædeceſſ. noſtri, nimirum Innocentii III. auctoritate, hac Decretali rem noſtram comprobamus, *cap. Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum: reſpondemus, inquit, quod, excepto die Nativitatis Dominicæ &c. ſufficit Sacerdoti, ſemel in die unam Miſſam celebrare*. Equidem Alexander II. uti ſuperius commemoravimus, & Innocentius III. uſi ſunt hoc eodem verbo *ſufficit*, at ſecundo tantum loco per id verbum præceptum indicitur: nam ſi quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertiſſime cognoſcet, id petitum fuiſſe a Pontifice: *utrum Presbyter duas Miſſas in eadem die valeat celebrare*. Porro illud *valeat*, idem prorſus ſignificat, ac *liceat*. Cum igitur reſponſum dederit Pontifex, ſufficere *Sacerdoti, ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*, illud *ſufficit* Sacerdotes adigit præcepto, ne plura ſacrificia una die faciant.

Quod quidem verbum *ſufficit* importare præceptum, non conſilium, declaravit etiam Honorius III., qui poſt Innocentium III. Pontifex renunciatus fuit, ut ex ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. XII. Te referente*, in qua, initio ſumpto ab ipſis Innocentii verbis = Cum quilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in diem celebrare Miſſam *ſufficiat*: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Eccleſis Sypontina dumtaxat, in qua teneria chriſma conficere, Miſſarum ſtudeas ſolemnia celebrare =.

Hæc eadem prohibitio iterandi Miſſam una, eademque die, legitur in excerptionibus Egberti Eboracenſis *cap. LIV.* his verbis = Et ſufficit Sacerdoti unam Miſſam in una die celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit; in Levitico quoque ſcriptum eſt, non debere Araon ingredi aſſidue interius in ſancta =.

Idem repetit Alexander II. longe Egberto poſterior, excipiens unum dumtaxat caſum neceſſitatis, ſi celebranda ſcilicet ſit altera pro defunctis, ut in ſequenti ejus decreto, relato a Gratiano *can. LIII. Sufficit, de conſecrat. diſtin. I.* ibi.

Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum Mundum redemit. Non modica res eſt, unam Miſſam facere; & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis, unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit. Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus ſecularium una die præſumunt plures facere Miſſas; non æſtimo evadere damnationem.

Cujus quidem prohibitionis cauſa, ne plures una die Miſſæ celebrarentur, repetenda eſt ex eo, quod cum ætate hujus Pontificis, anno ſcilicet 1061. (ita Berardus *ad Canones Gratiani tom. III. cap. LXXXIII. de Alexandro II*) plures eſſent Sacerdotes, ſimoniace ordinati, ut acta illius temporis palam teſtantur, facile eo adducebantur ex avaritia, ut Miſſarum Sacrificia quotidie ingeminarent, turpis lucri cauſa; quare neceſſario hæc libertas coercenda fuit, excepto caſu neceſſitatis, ut hujuſmodi vitio modus imponeretur, quemadmodum etiam notat *Thomaſſin. de nova, & veteri Eccleſiæ diſciplina, par. III. lib. I. cap LXXII. num. 5.*

Et quamvis Bened. XIV. Conſtit. *Quod expenſis, 26. Aug.* 1748. conceſſerit omnibus Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus, in Regnis Hiſpaniæ, & Luſitaniæ degentibus privilegium, ut in die commemorationis omnium defunctorum poſſint tres Miſſas celebrare, definivit tamen, eis non licere ullo quovis titulo triplicem eleemoſynam recipere, nec reliquas duas Miſſas addicere in implementum oneris, etiam præcedenter aſſumpti.

In die autem Nativitatis Domini, de qua mox agemus, tres Miſſas celebrantes, poſſunt tribus obligationibus ſatisfacere, ut declaravit Cong. Concil. in *Nullius* 18. *April.* 1654. *lib. XIX. decretorum pag.* 3336.

Quod ſpectat ad trinam Miſſarum celebrationem, in die Nativitatis Domini permiſſam, non præceptam in tranſcripta Decretali, & quidem ex antiquiſſimo more,

more, cum ejus meminerit Gregorius Magnus, hæc interdicta eſt quibuſcumque Sacerdotibus Eccleſiæ Orientalis, ut præter veterem ejuſdem Eccleſiæ ritum, declaravit etiam Benedictus XIV. *in Epiſtola ad Nicolaum Lercari, Cong. Propagandæ Fidei Secretarium, in Superiori, 29. Decem. 1755. §. I. & II.*

Sicut autem non tenetur Sacerdos omnes tres Miſſas celebrare, ita nec fideles tenentur eaſdem tres omnes audire, ut probat Navarrus *conſil. I. de celebr. Miſſar. n. 1. ex D. Th. in III. part. q. 80 art. X. & in IV. diſtin. 12. q. 3. art. I.*

Eſt hic notandum, quod ſi Sacerdos latinus dicta die unam tantum Miſſam celebret, diſcrepant DD. quam ex tribus legere debeat. Aliqui autumant, licite legere poſſe, quam maluerit. Alii primam, vel tertiam. Alii tandem ſentiunt, celebrare debere illam, quæ reſpondet tempori, in quo celebrat, ita ut, ſi celebret nocte, legere debeat primam Miſſam, ſi in aurora, ſecundam, ſi poſt hanc, tertiam. Hinc PP. Bongiovanni, & Magri in Sacr. Cærem. ſylva lib. VII. cap. I. verſus finem hæc habent = *Qui in nocte Nativitatis Domini vult tantum unam Miſſam celebrare, dicat vel congruam tempori, in quo celebrat, vel tertiam, cujus Oratio concordat cum officio* =.

Hic non omittendum cenſeo decretum Sac. Rit. Congr. in Piſaurenſi 20. April. 1641. *In nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam, nullo modo poſſunt aliæ duæ immediote celebrari, nec fideles communicari*. Inſurrexerunt contra hoc decretum nonnullæ Religiones, prætendentes, eo non obſtante, vigore ſuorum privilegiorum a ſuis id poſſe fieri: iiſque auditis, nihilominus S. Cong. ſtetit in deciſis, ac iterum reſpondendum cenſuit die 7. Decembr. 1641. iterumque 15. Septembr. 1668. *Prohibendum, tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus*. Cumque poſtea nonnulli adhuc inſiſterent, prædictiſque decretis ſe minime comprehendi dictitarent, eadem S. Cong. die 23. Martii 1686. celebre hoc aliud decretum edidit in Senenſi: *Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſint ſucceſſive aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec Communio exhiberi eucharistica fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares, tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſcumque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno; ſed expectandum eſt, ut eluceſcat aurora, tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia miniſtranda fidelibus utriuſqueſexus.*

De jure autem communi nulli Sacerdoti prohibitum eſt celebrare primam Miſſam ante auroram, ut probat Navarrus *loc. cit. num. 1.* & alii, *ex Can. XLVIII. Nocte Sancta, diſt. I.* tributo Teleſphoro Papæ. Verum crederem, attendendam eſſe Eccleſiarum conſuetudinem.

Quod tandem attinet ad cauſam neceſſitatis, ob quam hic Innocentius III. Miſſæ iterationem uno, eodemque die admittit; præter caſus deſignatos in mox ejus tranſcripta Decretali, relata in *cap. I. Presbyter*, aliqui illum ponunt, ut notat Benedictus XIV. *lib. III. cap. IV. num. 14. de Sacrific. Miſſ.* = Si peteretur iteratio ab aliquo Principe, vel a ſuo Epiſcopo, qui Miſſam audire tenerentur, & non audiſſent; itidemque, ſi nuptiæ in alium diem rejici non poſſent, nec quiſquam alius eſſet Sacerdos, quam qui antea unam Miſſam celebraſſet =. Verum hodie unicus eſt caſus neceſſitatis, in quo licet hæc iteratio, quando ſcilicet parochus miniſtrat, ſeu præeſt duabus Eccleſiis, valde diſſitis, ut utrique populo diebus feſtis ſatisfaciat pro implemento præcepti auditionis Miſſæ; dummodo tamen poſt celebrationem primæ jejunium ſervet, & non adſit aliquis Sacerdos, qui in altera Eccleſia eam celebrare poſſit, quemadmodum laudatus Bened. prius ſolide probaverat *loc. cit. & c. V.* ac poſtea declaravit in ſupra relata *Epiſtola ad Epiſcopum Oſcenſem*.

An autem in hoc caſu parochus facultatem ab Epiſcopo obtinere debeat, controvertunt DD. Quidam enim, eam expetendam affirmant, quidam negant, utpote a jure communi jam conceſſam. Sed (ut optime notat idem Bened. *cit. cap. V. num. 2.*) hæc componi poſſe videtur controverſia, ſi animadvertamus, ſive ſit neceſſaria Epiſcopi licentia, ſive non, id certe neceſſarium eſſe, ut ille rem cognoſcat, ac perſpiciat, num revera neceſſitas urgeat, ut Sacerdos, duas Eccleſias parochiales habens, duas Miſſas cogatur celebrare: nonnumquam enim accidit, ut cum non alium eſſe Sacerdotem exiſtimaretur, qui in alterutra parochia celebraret, tamen repertus ſit. Circa hanc iterationem permittendam parocho, adeatur celeberrimum votum R. P. D. Zelada, Secretarii Cong. Conc. in *Derthuſen.* exaratum in folio diei 20. Aug. 1768.

SECTIO DCVI.

Caput V. Ex parte, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. ignotum, cui reſcripta. quamvis in vulgata collectione Gregorii IX. aſſeratur reſcripta Clericis S. Petri de Magdalon.*

EX parte veſtra (& infra.) Poſtulationi veſtræ taliter reſpondemus, quod ſemper Sacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum; niſi cum eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare: ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret.

Statuit in hac Decretali Innocentius, quod Sacerdos, poſteaquam acceperit ſpecies vini conſecratas, debeat ſemper vino calicem perfundere, niſi eodem die aliam Miſſam ſit celebraturus. Quid extra hujuſmodi caſum ſemper vino perfundi debeat, non exprimit Pontifex. Propterea Panormitanus, Camarda, & alii id in hoc ſenſu intelligunt, quod poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis debet Sacerdos digitos abluere

re cum vino, ac poſtea talem ablutionem ſumere. Verum iſta ablutio digitorum etiam tempore Innocentii non fiebat cum vino tantum, quod alioquin hic præciſe nominat, ſed cum vino, & aqua; per quam ſignificari modeſtiam, ac humilitatem idem Innocentius declarat *lib. VI. de Myſter. Miſſæ cap. VIII.* nec iſta ablutio antiquitus ſumebatur, ex Durando *lib. IV. de Rit. cap. IV.* ſed in locum mundum projiciebatur. Quare perfuſionis nomine communiter hic alii intelligunt purificationem calicis, quam ſolo vino Pontifex hic faciendam ſtatuit. Hunc ſenſum ſequitur Rubrica Miſſalis, quam proſequuntur communiter Rubriciſtæ, innixi hoc textu; eundemque non obſcure confirmavit S. Pius V. in epiſtola ad Archiepiſcopum Tarraconenſem ſub die 8. Januarii 1571. in qua non ſolum monet, calicem vino purificandum, & quidem cum tanta ſaltem quantitate vini, in quanta fuit appoſitum ante conſecrationem; ſed etiam ſumendum eſſe per eandem partem calicis, per quam Sanguis Chriſti hauſtus eſt.

Concors hinc eſt DD. ſententia, ſecluſo privilegio pontificio, nonniſi cum vino calicem poſſe licite purificari. Cumque Miſſalis Rubrica expreſſe quoque præcipiat ablutionem digitorum fieri cum vino, & aqua, utrumque in hac adhibendum eſt; quidquid in contrarium afferant Paſqualigus, & alii pauci: vino enim ſolo, inquit P. Cavaliari *tom. V. cap. XXIV. numere* 27. uti in hac non licet abſque indulto pontificio, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe patet, quia contra mandatum Rubricæ: idem dic de ſolo uſu aquæ ob eandem rationem.

Quod ſi Sacerdos eodem die aliam Miſſam ſit celebraturus, vel ex neceſſitate (quæ quantum reſtricta ſit, jam dixi in cap. proxime antecedenti,) vel ex permiſſione, (quæ quoad tres Miſſas in die Nativitatis Domini, etiam tempore Innocentii III. jamdiu invaluerat, ideoque ly *celebrare debeat*, hic idem ſignificare, ac *ſit celebraturus*, communiſſima eſt DD. ſententia) tunc nonniſi in ultima Miſſa purificatur calix, nec ſumitur vinum cum aqua, quibus digiti abluti fuere, alias ſumptio ſive vini calicis purificati, ſive vini, & aquæ ablutionis digitorum, frangeret jejunium naturale, adeoque aliam celebrationem in eodem die impediret, ut recte hic ait Pontifex: & quidem, etiamſi talis Sacerdos eſſet parochus, niſi motivum vere magis urgens, aut obligatio fortior ipſa lege jejunii, ad iterum celebrandum impelleret: circa quæ vide Ferraris *in Biblioth. verb. Miſſæ Sacrificium art. XI. a num. 7. per tot. artic. cum additionib.*

In hac pariter Decretali admittit Pontifex iteratam Miſſæ celebrationem, una, eademque die, ſi neceſſitas id poſtulet, ut hanc ſatis ſignificare videtur illud verbum *Debuerit*, ſed de hac neceſſitate attendenda ſunt notata in antecedenti Sectione.

SECTIO DCVII.

Caput VII. De homine, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ignotum, cujus Fraternitatis Rectoribus reſcripta.*

De homine (& infra). Quæſiviſtis, quid de incauto Presbytero videatur, qui, cum ſe ſciat in mortali crimine conſtitutum, Miſſarum ſolemnia, quæ non poteſt propter neceſſitatem quamlibet intermittere, propter ſui facinoris conſcientiam dubitat celebrare, peractiſque cæteris circumſtantiis, Miſſam celebrare ſe fingit, & ſuppreſſis verbis, quibus conficitur Corpus Chriſti, panem, & vinum tantummodo pure ſumit, ita credens, per id, quod prætendit, populo ſatisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare. Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare: cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte vero, non ſolum Deo (cui non veretur illudere) ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.

Licet Innocentius aliqualiter hic exprimat, cur Sacerdos, de quo ſermo eſt, gravius peccet; major tamen gravitas illius peccati clariori modo videtur exprimi a Clemente VIII. Conſtit. *Etſi*, 1. *Decembr.* 1601. in qua de iis agit, qui Miſſam celebrant, ad Presbyteratum nondum promoti; quos primum ſacrilegæ temeritatis ita facientes arguendos aſſerit, quia audent oſtendere, ſe peragere Miſſæ Sacrificium, quod tamen revera non peragunt, ſed tantum apparenter, ac per fictionem: deinde de iiſdem dicat, quod = *non ſolum actus idolatriæ, ſaltem per externa, & viſibilia religionis, & pietatis ſigna exercent; ſed etiam, quantum in ipſis eſt, efficiunt, ut fideles, qui credunt, eos rite conficere Sacramentum Eucharistiæ, idolatriæ crimen ignoranter incurrant* = quæ omnia verificantur quoque de Sacerdote in noſtro caſu. Propterea inter propoſitiones, die 2, Martii 1679. a Ven. Innocentio XI. proſcriptas, hæc XXIX. enumeratur: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

Cæterum, ſi Sacerdos, peccati lethalis ſibi conſcius, nequeat propter neceſſitatem intermittere Miſſæ celebrationem, non prohibetur ab ea abſtinere, non præmiſſa ſacramentali confeſſione, ſi illi deſit copia confeſſarii, præmiſſo vero contritionis actu, cum onere quamprimum poſtea confitendi, juxta Trident. *ſeſſ. XIII. cap. VII. & Can. IX. de Euchariſt.* a quo id præcipitur, non conſulitur, ut ex contrario ſenſu Propoſitionis præſcriptæ ab Alexandr. VII. in ordine la XXXVIII. 18. Martii 1666.

Qualis autem neceſſitas eſſe debeat, ut celebrare poſſit abſque prævia confeſſione, vide notanda infra *part. II. cum de cit. cap. VII. Trid.*

Caput IX. Dolantes, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato anno* 1215.

Dolentes, referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, circa commeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt; & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continua ſyncopa matutinum. Sunt & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno, & (quod deterius eſt) intereſſe contemnunt: & ſi quando, cum hæc celebrantur, interſint, chori ſilentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter, & devote.

In hac Decretali præſtringuntur Prælati, & alii minores Clerici, (intellige, ſi in Sacris ſint, aut beneficiati) horas canonicas quotidie recitare, hiſque imperatur in virtute obedientiæ, ne ſub pœna ſuſpenſionis eas curſim recitent continuata ſyncopa, ideſt elidendo verba, vel ſyllabas, ſed cum devotione, tam interna, quam externa; quæ tamen pœna eſt ferendæ, non latæ ſententiæ, cum non munita ſit clauſula, vel ipſo facto, vel ipſo Jure, aut alio imperativo verbo, quod juxta vulgati juris regulam locum habet in omnibus eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, ut in ſpecie hujus ejuſdem Decretalis declaravit etiam Honorius III. reſcribens Decano, & capitulo Compoſtellano, *in cap. III. de Vit. & honeſt. Clericor. in V. compilatione*, his verbis.

Conſuluiſti tandem de Clericis, qui chori ſilentium fugientes, intendunt externis collocutionibus laicorum, dum que auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina, ſi quid de talibus in eodem Concilio (Lateranenſi IV.) noſcitur inſtitutum, canon fuit latæ ſententiæ, vel ferendæ. Ad quod breviter reſpondemus, quod pœnam illa Conſtitutio non infligit, ſed potius comminatur, & exprimit infligendam: quæ merito ad alios extenditur, qui quamvis in choro inter celebrantes exiſtant, ſermonibus tamen illicitis, & linguas, & aures involuunt, cum non ſolum in ſe ipſis offendant, ſed etiam aliis impedimento tales exiſtant.

Tam ex hac Conc. Lateranen. Decretali, quam ex ſupra tranſcripto *cap. I. Presbyter, hoc eod. tit. ac Can. I. Eleutherius, & V. Clerici diſt. XCI.* clare infertur, ſingulas horas canonicas ſtatuto tempore in omnibus Eccleſiis publice, & alta voce recitandas fuiſſe a ſupradictis Prælatis, & minoribus Clericis, donec Concilio Viennenſi ſatis viſum eſt, ſi ex debitis horis in ſolis cathedralibus, regularibus, & collegiatis Eccleſiis pſallerentur, ut ex ſequenti Decretali, relata in *cap. I. Gravi, hoc eod. tit. in Clementin.* in qua inſuper præcipitur Superioribus, ad quos ſpectat, compeſcere per cenſuram eccleſiaſticam, aliaque juris remedia, nedum pſallentes eaſdem horas tranſcurrendo, ſyncopando, externaque, ac vana colloquia intermiſcendo, ſed etiam tarde ad chorum convenientes, vel abſque rationabili cauſa ante earum finem exeuntes, ibi.

Gravi nimium turbatione movemur, quod ex nonnullorum Rectorum negligentia, quæ dum ſpem impunitatis permittit multam nutrire peſtilentiam conſuevit in ſubditis, plerique Eccleſiarum miniſtri, modeſtia Ordinis clericalis abjecta, dum offerre Deo ſacrificium laudis fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ, & animi devotione deberent, horas canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo, ſyncopando, & externa quidem, & plerumque vana, profana, & inhoneſta intermiſcendo colloquia, tarde ad chorum conveniendo, ſeu ab Eccleſia ipſa abſque rationabili cauſa ante finem officii exeundo frequenter, aves interdum portando, ſeu faciendo portari, caneſque ſecum ducendo venaticos, ac quaſi nihil prætendentes de clericali militia, in corona, veſtibus, & tonſura, divina etiam celebrare, aut eis intereſſe nimis indevote præſumunt. Nonnulli etiam, tam Clerici, quam laici, præſertim in feſtorum certorum vigiliis, dum in Eccleſiis deberent orationi inſiſtere, non verentur in ipſis, earumque cæmeteriis, choreas facere diſſolutas, & interdum canere cantilenas, ac multas inſolentias perpetrare, ex quibus Eccleſiarum, & cæmeteriorum violationes, inhoneſta, variaque delicta quandoque ſequuntur, & eccleſiaſticum plerumque perturbatur officium in divinæ ma-

majeſtatis offenſam, & adſtantium ſcandalum populorum. In multis inſuper Eccleſiis cum vaſis, veſtimentis, & cæteris ornamentis, ad divinum cultum neceſſariis, indecentibus utique (penſatis earum facultatibus) deſervitur. Ne igitur tranſgreſſiones invaleſcant hujuſmodi, aliiſque veniant in exemplum, Sacri Concilii approbatione, hoc fieri prohibentes, ſancimus, ut illi, ad quos id pertinet, & in eorum, ſi utique exempti non ſint, negligentiam, vel defectum locorum Ordinarii; ſi vero exempti fuerint, aut alias circa hoc privilegiati, Superiores ipſorum (omni negligentia, vel incuria penitus relegata) circa reformanda præmiſſa, & eorum ſingula corrigenda, necnon in cathedralibus, regularibus, & collegiatis Eccleſiis horis debitis devote pſallatur: in aliis vero convenienter, & debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum Officium, ſi Dei, & Apoſtolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, ſolicitam curent diligentiam adhibere: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliiſque opportunis remediis compeſcendo, facientes, prout ad eos ſpectat, in his, & aliis, quæ ad divinum cultum, & morum reformationem pertinent, ac Eccleſiarum, & cæmeteriorum reſpiciunt honeſtatem, ſacrorum ſtatuta Canonum, ad quæ ſcienda diligens curent adhibere ſtudium, irrefragabiliter obſervari.

Huic Decretali, reſpectu choro addictorum, acceſit decretum Trid. *cap. XII. ſeſſ. XXIV. de reform.* quo præcipitur, compellendoa eſſe per ſcipſos, & non per ſubſtitutos reverenter, diſtincte, & devote pſallere: textum habes *part. II. cum de cit. cap. XII.*

Cui obligationi minime ſatisfaciunt, nec lucrantur tam fructus, quos groſſos vocent, quam diſtributionea, forte pro ſola præſentia alias aſſignatas juxta ſtatuta, conſuetudinem, & fundationem, quos, & reſtituere tenentur, & mortaliter peccant, ſi nec ſubmiſſa voce in choro, nec alibi privatim officium recitent, contenti ſola materiali præſentia, ut ex Conſtit. S. Pii V. *Ex proximo*, infra tranſcribenda.

Si vero ſubmiſſa, & non alta voce ſimul cum aliis pſallant, neque lucrari poſſunt diſtributiones; quin ipſis ſuffragetur quæcumque contraria conſuetudo, ut ſæpius declaravit Cong. Concil. 12. Januar. 1619. *lib. XII. Decretor. pag.* 7. per hæc verba = S. Congr. ſæpius reſpondit, Canonicos in choro teneri omnino pſallere, alioquin obligationi ſuæ non ſatisfacere = Et in cauſa Vicen. propoſita die 7. Junii 1626. *lib. XV. Decretor. pag.* 565. *a tergo*. = S. Congr. reſpondit = Canonicos in choro alta voce non pſallentes, diſtributiones quotidianas non lucrari, quavia conſuetudine non obſtante =.

Quibus declarationibua acceſſit etiam declaratio Benedicti XIV. Conſt. *Cum ſemper ad univerſos Italia Ordinarios* 19. *Aug.* 1744. §. 24. ibi.

Equidem ſcimns in aliquibus metropolitanis, & cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus beneficiatis, aut manſionariis in cantu ſe adjuugant. In hujuſce vero opinionis confirmationem adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum privilegia. At cum Synodus Trident. ſeſs. XXIV. cap. XII. loquens de dignitatibus, & Canonicis, qui choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat = in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare = cumque pauca omnina ſint capitula, in quibus eo modo a Canonicis in choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; cum inſuper opinio illa nunquam in Congreg. Conc. Trident. interpretationi præpoſita, examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata, quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur; Canonicis etiam Eccleſiarum patriarchalium, hujus noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; cum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis provincialibus, ab hac etiam Apoſtol. Sede approbatis, & confirmatis; nihil jam eſſe reliquum videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accomodent. Equidem minime nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti, perſuaſum habeant unius, vel alterius Eccleſiæ Canonici, ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in choro aſſiſtentiam, abſque divinæ Pſalmodiæ cantu. Verum, niſi illis præſto ſit Apoſtolicum, non præſumptum, vel abrogatum, ſed legitimum, ac vigens privilegium, ſive indultum, jure, ac merito vereudum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt, præbendarum, ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter, ne ad eorum reſtitutionem teneantur.

Quamvis autem in mox allato Trid. decreto præcipiatur, ut = omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia = non tamen eſt ita ſtricte intelligendum, ut inde ſublata ſit capitularibus facultas ſe ſe invicem ſubſtituendi; dummodo certæ leges ab iis ſerventur, quæ in ſequentibus S. Congr. Concilii decretis præſcriptæ ſunt, relatæ ab eodem Benedicto *Inſtit. eccleſiaſt. la CVII. §. III.* per hæc verba
,, Ita reſpondit Sac. Congreg. die 15. Octobris an-
,, no 1605. Sacra &c. ſæpius declaravit, decreto ca-
,, pitis XII. *verſ. Omnes*, non eſſe ſublatam capitula-
,, ribus facultatem ſeſe invicem ſubſtituendi, dummo-
,, do eodem tempore ſubſtituens, & ſubſtitutus eidem
,, ſervitio adſtricti non ſint = Quasdam tamen leges
,, facere pro his ſubſtitutionibus dirigendis eadem
,, Congreg. non prætermiſit. I. Ne ſubſtitutus ipſe ad
,, chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum
,, alterius ſufficitur. II. Ne id frequenter contingat.
,, III. Ut ſubrogentur Canonici ſolum, vel Manſio-
,, narii, præſentes in civitate, non vero qui extra
,, illam, vel extra ſuburbia verſantur. IV. Ne hanc
,, facultatem alterius ſubſtituendi obtineant, niſi Ca-
,, nonici, vel Manſionarii, non autem ipſorum coa-
,, diutores, qui nec re ipſa Canonici, nec Manſionarii
,, nuncupari poſſunt.
,, Hæc omnia ſumuntur ex decretis Sac. Congreg. quæ
,, inſerius ſubjiciemus. Equidem die 12. Decemb. an-
,, no 1643. & 2. Decemb. anno 1644. poſtquam aſſe-
,, ruit, concedi poſſe ab Epiſcopo facultatem, ut Ca-
,, nonicus, choro addictus, alium ex Collegis ſuis
,, tunc immunem, ac liberum ſufficiat, ac diſtribu-
,, tiones aſſequatur, hæc deinde ſuperaddit = Ita ta-
,, men, ut hujuſmodi facultate ſubſtituendi non abu-
,, tantur, & Canonicus ſubſtituens ſit præſens in ci-
,, vitate = Inſuper die 24. Martii anno 1612. ita con-
,, ſtituit. = Sac. Congr. reſpondit. Ad I. Eos tantum,
,, qui in civitate, ubi eſt cathedralis, vel in ejus ſu-
,, burbiis ſunt præſentes, non autem alios poſſe ſub-
,, ſtituere. Ad II. Cauſam non requiri ad ſubſtituen-
,, dum = Quod vero monuit Congreg. ut Epiſcopo cor-
,, di ſit, ne Canonici ea ſubſtituendi facultate abutan-
,, tur, eo reſpexit, ne ſubſtitutiones hujuſmodi ſint ni-
,, mium frequentes, quod Epiſcopi erit arbitrio = Ad
,, IV. Abſentes in Caſtro diœceſis non poſſe ſubſtitue-
,, re = Item die 22. Martii anno 1721. cum nos ipſi
,, Secretarii munus ageremus, petitum fuit = An Ca-
,, nonici, & capitulares Eccleſiæ cathedralis Fulgina-
,, tenſis, abſentes a civitate, ejuſque ſuburbiis, poſ-
,, ſint ſeſe invicem ſubſtituere in ſervitio chori? Sac.
,, Congregatio reſpondit, negative = Tandem die 26.
,, Februar. 1650. hæc ſancita habentur = Capitulum
,, Eccleſiæ cathedralis Caſertanæ exponens, in dicta
,, Eccleſia extare decem, & octo Canonicos, qui le-
,, gitime impediti de conſuetudine invicem ſe ſubſti-
,, tuunt diebus, quibus ſubſtituti non ſunt ſervitio ad-
,, ſtricti: cumque Archidiaconus ejuſdem obtinuerit a
,, Sed. Apoſtolica Coadjutorem, qui prætendit, poſſe
,, uti eodem privilegio ſubſtituendi, ideo ſupplicat pro
,, declaratione. Sacra &c. reſpondit, Coadjutorem
,, uti non poſſe privilegio alium ſubſtituendi.

Præterea, ſi tarde ad chorum acceſſerint, aut ante finem horarum ſine rationabili cauſa exierint, qui defectus maxime reprobatur in tranſcripta Decretali *Gravi*, ex hodierna diſciplina punctis mulctantur pro rata abſentiæ juxta quarumcumque cathedralium, & collegiatarum ſtatuta, ita ut, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili, diſtributionibus carere debeant, ut declaravit Cong. Conc. in Interamnenſi 24. Maii 1674. lib. XXIV. Decretorum pag. 143.

Cum vero præter recitationem horarum canonicarum præſcribatur a Rubricis choro addictis etiam recitatio certis diebus Officii B. Virginis, Defunctorum, Pſalmorum Pænitentialium, ac Gradualium, certum eſt ad eam non teneri extra chorum, ut ex decreto S. Rituum Congr. 2. Septembr. 1741. in *Aquen.* Imo nec in choro ſub peccati periculo, excepto Officio parvo B. Virginis, ubi dici conſuevit, ut ex Conſtitut. S. Pii V. mox tranſcribenda, in qua, ubi non eſt conſuetudo ad hoc recitandum cogi non poſſunt, ut declaravit Cong. Epiſcopor. & Regul. 18. Martii 1587. per hæc verba = Canonicos deberi hortari ad recitandum in choro Officium B. Virginis, non autem cogi, ubi non eſt ſolitum = Neque attendendum eſt dictum decretum, prout mendoſe refertur a Criſpino *in Viſitat. Paſtor. part. II. §. XX.* cum ſolo verbo *cogi*, cum ibi legatur tantum, *hortari*, *non cogi*, qui error in cauſa fuit quibuſdam Epiſcopis litis inſtituendæ contra Canonicos, in qua propterea ſuccubuerunt, ut videre eſt in folio Congreg. Conc. in *cauſa Montis Alti*, 28. *Septembr.* 1754.

Quoad recitationem vero Officii Defunctorum, Pſalmorum Pœnitentialium, & Gradualium, ſubnectimus animadverſa, ex Conſtit. S. Pii V. *Quod a nobis*, 7. *Idem Julii* 1565. ab eodem Benedicto *in cit. Inſtit. CVII. §. I.* ,, Quæſtio fuit olim, an Defunctorum Officium etiam extra chorum omitti poſſit, San-
,, ctus Thomas cenſuit, illud omnino præcipi Cano-
,, nicis, & Clericis, beneficio præditis, qui addicti
,, ſunt choro ejus Eccleſiæ, ubi ſemel in hebdomada
,, hujuſmodi Officium fieri conſuevit, etiamſi illo die
,, minime ad chorum conveniant. S. Antoninus docet,
,, ab univerſis, qui ad chorum tenentur, nullo habi-
,, to diſcrimine, Officium Defunctorum, etiam extra
,, chorum debere perſolvi. At S. Pius V. interpre-
,, tatione declarans ea, quæ in Rubricis continentur
,, circa Officium B. Virginis, Defunctorum, Pſalmos
,, Pœnitentiales, & Graduales, ſanxit, onus ejuſ-
,, modi non imputari pro illis, qui Breviario, recen-
,, ter ipſius, juſſu in novam formam redacto, nequa-
,, quam uterentur. Reliquos autem, qui novum Bre-
,, viarium ſibi deligerent, ſi choro intereſſe deberent,
,, vehementer hortatur, ne memorata Officia, ac
,, Pſalmos prætermitterent iis diebus, qui a Rubricis
,, indicantur: atque hoc conſilium, & inſtitutum ſe-
,, quentibus varias Indulgentias impartivit; eos vero
,, qui id omitterent, peccati periculo liberos, & im-
,, munes aſſeruit, niſi forte Officium B. Virginis ve-
,, teri conſuetudine recitari in aliqua Eccleſia conſue-
,, verit. Qua de re diſcrimen poſuit inter Officium
,, B. Virginis, & illud Defunctorum, Pſalmos Pœni-
,, tentiales, ac Graduales, pro quibus veterem etiam
,, conſuetudinem minime retinendam decrevit " Verba autem dictæ Conſtit. §. IX. hæc ſunt.

Digitized by Google

Quod vero in Rubricis noſtri hujus Officii præſcribitur, quibus diebus Officium Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac pſalli oporteat. Nos propter varia hujus vitæ negocia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus. Verum debito providentiæ paſtoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remiſſionem noſtram, quantum fieri poterit, ſua devotione, ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, ſuffragiis, & laudibus, ſuæ, & aliorum ſaluti conſulere ſtudeant. Atque, ut fidelium voluntas, ac ſtudium magis etiam ad ſalutarem hanc conſuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei miſericordia, Beatorumque Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, omnibus, qui illis ipſis diebus, in Rubricis præfinitis, B. Mariæ, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies; qui vero ſeptem Pſalmos, vel Graduales, quinquaginta, de injuncta ipſis pœnitentia relaxamus. Hoc autem concedimus ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ ſemper Virginis in choro dici conſueverat, ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa ſancta, & laudabilis conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum Officium.

Eſt hic notandum, quod tranſcripta Conſtit. verba non leguntur in ea, typis impreſſa in Bullario noviſſimæ editionis Romanæ, ex errore fortaſſe omiſſa, quæ tamen revera referenda erant, prout Pontifex inſervit, ut videre eſt in illa impreſſa in fronte Breviarii Romani, & etiam ipſiſſima referuntur a laudato Benedicto *loc. cit.*

Tranſcriptæ Decretali *Dolentes*, a qua æque adſtringuntur ad recitationem horarum canonicarum choro addicti, ac minores Clerici, ſi beneficiati ſint, licet juxta hodiernam diſciplinam choro intereſſe non debeant, acceſſit decretum Concilii Lateranenſis V. celebrati ſub Leone X. an. 1512. in quo decernitur, quoſcumque beneficiatos cum, vel ſine cura, teneri ad reſtitutionem fructuum beneficii, ſi poſt ſex menſes a pacifica illius poſſeſſione præfatas horas non recitaverint, ut ex Conſtit. *Supernæ diſpoſitionis*, edita in eod. Concilio 5. Maii 1514. §. XXXVIII. ibi.

Statuimus quoque, & ordinamus, ut quilibet, habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis Officii, & temporis, ſed eos, tanquam injuſte perceptos, in fabricam hujuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem Officium omittere, quoad hoc, ut beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties ſit, quoties contrafacere convincantur.

Huic Decreto acceſſit Conſtitutio S. Pii V. *Ex proximo*, 12. *Kal. Octob.* 1571. in qua illud declarans, hæc ſtatuuntur.

Ex proximo Lateranen. Concilio pia, & ſalubris ſanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium eccleſiaſticum, cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus, pro rata omiſſionis Officii, & temporis, ſuos non faciat, ſed eos, tanquam injuſte perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur, qui vero matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat; tametſi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & deſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucri feciſſe prætendat etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Item ille, qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes, præſtimonia, præſtimoniales, portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia, obtinentes, cum prædictis

ctis pariter conveniri. At quicunque penſionem, fructus, aut alias res eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ *Virginis* decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.

Hic quæri ſolet, an beneficiatus, cujus beneficium aliis quoque oneribus ſit obnoxium, puta parochus, quibus tamen ſatisfecerit, culpabiliter vero omiſerit horarum recitationem, teneatur ad integram fructuum reſtitutionem, vel potius ſibi retinere poſſit aliquam illorum partem, reſpondentem dictis cæteris oneribus; u ſe impletis. Si attendatur clara diſpoſitio, tam laudati Conc. Lateranen. quam Pianæ Conſtit. quæ abſolute, & ſine ulla exceptione loquitur, huic quæſtioni negative reſpondendum eſſet, ut tenent Azorius, Valentia, Reginaldus, & Filuccius: verum Cabaſutius *Juris Canon. Theoria lib. VI. cap. XIV. num.* 13. cum Lopez, Toleto, Medina, Vaſquez, Rordiquez, Leſſio, & Laymano, ex æquitate aſſignat parocho pro integra totius anni horarum recitatione quartam partem fructuum ſui beneficii: Canonicis vero, & Capellanis, quotidianæ reſidentiæ vinculo adſtrictis, dimidiam; ideoque juxta hanc proportionem eos eximit ab onere reſtitutionis, ſi omittant hanc recitationem, propter reliqua onera præſtita.

Item quæri ſolet, an obtinens beneficium, ita tenue, ut ipſius victivi inſufficiens ſit, excuſetur a peccato, & reſtitutione, ſi horas non recitet. Quidquid in contrarium aliqui ſenſerint, non excuſandum crederem; quoties enim illud ſcienter acceptavit, ſibi imputare debet, ſi ſe ad illud fecerit intitulari *Cardinal. in Clement. I. de Celebrat. Miſſarum, num.* 9. quod magis confirmatur, argumento deſumpto ex *cap. VI. Conquerente de Cleric. non reſid.* in quo declaratur, proviſum de beneficio inſufficienti cum onere reſidendi in Eccleſia, non excuſari a reſidentia, ita nec a recitatione horarum; eo pari modo, quo ſibi imputare debet, qui volens, & libens uxorem doxit ſine dote, & ideo ſuſtinere nolit onera matrimonii.

Præterea, cum tam ab allato Conc. Lateranenſi, quam a Piana Conſt. *Ex proximo*, onus recitationis, & reſpective reſtitutionis abſolute injungatur cuicumque beneficium poſſidenti, ſive cum cura, ſive ſine cura abſque ulla exceptione, & inſuper in præfata Pii Conſtit. legatur clauſula = qualiacumque alia beneficia poſſidentes = conſequens eſt, oon excipi tenue.

Quoad onus reſtitutionis fructuum faciendæ a beneficiatis ob omiſſionem horarum, & reſpective eaſdem recitandi a conſtitutis in ſacris, adnectimus hic ſequentes Propoſitiones, proſcriptas *ab* Alexandro VII, 24. Septembr. 1665. quæ ſunt in ordine la.

XX. Reſtitutio, a Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quod ſit pœna.

XXI. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

Et ſub die 18. Martii *1666*. la.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

XXXIV. Io die Palmarum recitans Officium paſchale, ſatisfacit præcepto.

XXXV. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

Et altera, proſcripta ab Innocentio XI. 20. Martii *1679*. in ordine la.

LIV. Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad oihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

Reprobatur tandem in eadem Decretali *Dolentec* negligentia Sacerdotis, qui vix quater in sono Miſſam celebrat.

Ao autem mortaliter peccet Sacerdos, etiam ſimplex, qui, juſto ceſſante impedimento, quater ſaltem in anno, in Feſtis ſcilicet principalioribus, in quibus laici religioſiores communicare ſolent, non una, eademque eſt Theologorum ſententia; affirmativam tamen tutiorem eſſe probat hic Fagnaous *nu.* 13. cum D. Thoma, & DD. ibi cumulate relatis. Quæ magis roboratur ex facto S. Pii V. qui, ut refert Bened. XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. LV.* §. *Non ignoramus, num.* 9. deleri juſſit ex libris Card. Cajetani opinionem illam, aſſerentem „ Levi culpæ ſolum obnoxios eſſe, qui nulla „ animarum cura præditi, nunquam per anni curſum „ Sacrificium Miſſæ celebraverint ".

Concilium quidem Trident. hunc articulum non definivit, ſed *cap. XIV. ſeſſ. XXIII de refor.* injunxit tantum Epiſcopo curare, ut Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, ſi non ſint parochi, Miſſam celebrent.

Cum autem quæſitum fuerit a Congreg. ejuſdem Concilii interprete = An hoc Epiſcopus facere debeat ſolis adhortationibus, & admonitionibus, an vero poſſit monere ſub pœnis, & cenſuris, ut legitime non impediti debeant celebrare = die 25. Februarii 1617. eenſuit, non poſſe ex *cap. XIV. ſeſſ. XXXIII.*

SECTIO DCIX.

CAPUT X. SANE CUM OLIM, *ex Decretali Honorii, ignotum, quibus Prælatis reſcripta.*

SAne, cum olim (& infra.) Ne propter incuriam Sacerdotum divina indignatio gravius exardeſcat, diſtricte, præcipiendo, mandamus, quatenus a Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari mundo, & ſignato ſemper honorifice collocata, devote, ac fideliter conſervetur, Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut cum in celebtatione Miſ-

ſarum

ſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet, idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum; quam in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferat, & referat manifeſte, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. Prælati autem hujuſmodi mandati graviter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi divinam, & noſtram volunt effugere ultionem.

In hac Decretali nomine Sacerdotis, & Presbyteri venit parochus, ad quem ſpectat, & Euchariſtiam in ſua Eccleſia conſervare, & plebem inſtruere, & Viaticum ad infirmos deferre.

Circa præceptum de cuſtodienda Euchariſtia, ac pœnam inferendam ejuſdem præcepti transgreſſoribus, inſtituetur ſermo infra, cum de *cap. I. tit. de Cuſtodia Euchariſtiæ*, Sect. DCXX.

SECTIO DCX.

CAPUT XI. CUM CREATURA, *ex Decretali ejuſdem Honorii, univerſis Prælatis, & Clericis, per Franciam conſtitutis ſcripta.*

CUM creatura non habeat, quid pro meritis reſpondeat Creatori (& infra.) Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniverſariis defunctorum, & pro feſto, vel feria, ſecundum temporum congruentiam, Miſſarum ſolemnia conventualiter celebretis.

Hæc Decretalis directa quidem fuit ad Prælatos, & Clericos, collegialiter Divina celebrantes, per Galliam conſtitutos, ſed in vulgata Gregorii IX. compilatione extenſa eſt ad omnes Eccleſias collegiatas: & quamvis in ea nihil ſtatuatur de applicatione Miſſæ conventualis canendæ ſingulis diebus in Eccleſiis patriarchalibus, & collegiatis, verum hodie attendenda eſt noviſſima Conſtitutio Benedicti XIV. *Cum ſemper 19. Auguſti* 1744. *in qua* §. *XI.* præcipitur, ſemper applicandam eſſe pro benefactoribus in genere.

Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Miſſam conventualem, neminem veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, & collegiatis, tum horæ canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa conventualis celebretur; quæ adeo claræ ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio. Eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt Reſolutiones ab hac Congregatione Vener. Fratrum noſtr. Conc. Trid. interpretum, repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica auctoritate noſtra confirmamus, & approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes, ut ſcilicet Miſſa conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earundem benefactoribus in genere, quotidie applicetur; eodem prorſus modo, quo Miſſam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus.

Hæc applicatio omnino facienda præcipitur, non obſtante quacumque, etiam immemorabili, conſuetudine, ut §. XV. & XVI.

Si vero duæ, aut tres Miſſæ in aliquibus ex ſupradictis Eccleſiis quotidie cantari ſoleant, nullatenus præcipitur applicatio ſecundæ, & tertiæ, niſi aliud fuerit uſu receptum, prout idem Pontifex declarat, §. XXII.

SECTIO DCXI.

CAPUT XII. TE REFERENTE, *ex Decretali ejuſdem Honorii, Archiepiſcopo Sypontino reſcripta.*

TE referente (& infra.) Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Miſſam ſufficiat: nam & valde eſt felix, qui celebrat digne unam:

Fra-

Fraternitati tuæ mandamus , quatenus die Cœnæ Domini in Eccleſia Sypontina dumtaxat, in qua teneris chriſma conficere , Miſſarum ſtudeas ſolemnia celebrare .

An verbum *ſufficit*, quo hic utitur Pontifex, præſeferat conſilium , vel præceptum de celebranda una tantum Miſſa eodem die , ſatis notatum eſt ſupra Sectione DCV.

S E C T I O D C X I I.

Caput XIII. Perniciosus , *ex Decretali prædicti Honorii , Archiepiſcopo Uſpalenſi in Svecia ſcripta* .

PErnicioſus in tuis partibus inolevit abuſus , videlicet , quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio , quam de vino : cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis , plus in ipſo ſit de vino , quam de aqua ponendum . Ideoque fraternitati tuæ mandamus , quatenus id non facias , nec in tua provincia fieri patiaris .

Nihil quidem novi huic Decretali aceeſſit , eam tamen tranſcribo ad vindicandam injuriam , duobus Pontificibus Innocentio IV.& VIII. inuſtam a Raphaele Volaterrano, quod diſpenſaverint cum Saeerdotibus Norvegis , ut ſub ſpecie panis dumtaxat Miſſam celebrarent , cum id omnino fabuloſum , & commentitium ſit , ut poſt *Bellarminum* , *Azovæo* , *& Amat de Graveſon* probat Benedictus XIV. *de Sacrificio Miſſæ, lib. III. cap. X. num.* 17.

Attenta itaque univerſalis Eccleſiæ conſuetudine, ſemper infundendum eſt in Calicem plus de vino, quam de aqua , cujus ſatis eſt una , vel altera gutta , juxta morem Eeeleſiæ Oecidentalis , ad cujus exemplum ex mente Eugenii IV. in decreto Unionis Armenorum in Concilio Florentino edito, Armenos quoque , = paululum aquæ, & non tertiam partem infundere deberent = Si vero caſu aliquo plus de aqua infuſum eſſet , juvabit animadvertere notata a laudato Benedicto *loc. cit. num.* 17 ibi ,, Gibertus *Conſultat. Canonicar. de* ,, *Sacramentis, Conſultat. III. de Sacrificio Miſſæ*, ca- ,, ſum proponit , ſi Clericus ex æditiuis , qui ſacrario ,, inſerviunt , partem hauſerit vini , quod ad Miſſas ,, paratum erat , & pro vino abſumpto ſubſtituerit ,, aquam , quo fiat , ut Presbyter , aecepto Calice, ,, ſentiat plus ineſſe aquæ , quam vini : quæritur , ,, utrum, quæ facta eſt conſecratio, valida ſit , an ve- ,, ro opus ſit , novo accepto vino , exigua aqua di- ,, luto , conſecrationem iterare ; & reſpondet , in Sa- ,, eramentis mutationem materiæ non eſſe ſubſtantia- ,, lem , niſi pro materia , quam Chriſtus inſtituit, alia ,, prorſus materia adhibeatur , aut ad materiam , a ,, Chriſto inſtitutam , alia addatur materia , quæ il- ,, lam deſtruat . Cum itaque vinum propria Calicis ,, materia ſit , negat mutationem eſſe ſubſtantialem , ,, niſi pro vino adhibeatur aqua , aut tantum aquæ in ,, vinum infundantur, ut deſtruatur vini natura . Por- ,, ro & illud advertit , ad inducendam ſubſtantialem ,, mutationem , ad quam , ubi de validitate diſcepta- ,, tur , unice reſpiciendum eſt , non ſatis eſſe plus ,, aquæ , quam vini in Calicem ſit infuſum : ejuſmodi ,, enim eſſe poteſt vinum , ut robore ſuo reſiſtat , & ,, propriam naturam ſervet , quamvis aquæ menſura ,, longe major ſit ; palatum autem verius , quam ocu- ,, los poſſe judicare , ſuamne naturam vinum retinue- ,, rit , licet plus aquæ infuſum ſit .

S E C T I O D C X I I I.

Caput XIV. Literas , *ex Decretali laudati Honorii , Bartholomæo , Epiſcopo Brixienſi reſcripta* .

LIteras tuas recepimus , continentes , quod cum ſuper exceſſibus Presbyteri Eccleſiæ Sanctæ Brigidæ , Brixien. inquireres , confeſſus eſt , quod cum quadam die Hoſtiam ; & Calicem non haberet , in pane fermentato , & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſit (& infra .) Intellecto iterum , quod prædicta Eccleſia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur , inquiſitionis officium iterans , ex ejus confeſſionibus inveniſti , quod idem ſine igne ſacrificabat , & aqua . Cum igitur , vel ex aperta malitia , vel nimia diſipientia peccaſſe probetur ; mandamus , quatenus officio & beneficio perpetuo ipſum prives.

Reprobatur in hae Decretali factum Sacerdotis latini , qui cum careret pane azymo , celebravit cum fermentato, contra receptam univerſim in Eccleſia latina conſuetudinem , quam omnino ſervandam eſſe ſtatuit prius mox laudatus Eugenius IV. in Concilio Florentino Conſtit. *Lætentur* , §. IV. 4. Julii 1439. & poſtmodum S.Pius V. Conſtit. *Romani Pontificis* , 13. Kal. Septembr. 1566. ibi .

Qui-

Quibuſvis Presbyteris , tam græcis , quam latinis in virtute S. obedientiæ inhibemus , ne deinceps Presbyteri græci , præcipue uxorati , latino more , & latini græco ritu hujuſmodi licentiarum , aut facultatum , aut quovis alio pretextu Miſſas , & alia divina Officia celebrare, aut celebrari facere præſumant .

Ita vero hæc conſuetudo ſervanda eſt , ut neque Sacerdotes latini , etiam degentes in Oriente , neque græci,degentes in latinorum locis, poſſint Euchariſtiam conſecrare , illi in pane fermentato , hi in azymo : & quidem ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis , ex noviſſima Conſtit. Benedicti XIV. *Et ſi paſtoralis* , 26. *Maii* 1742. *pro Græcis, in Italia degentibus* §. *VI. n.* 10. ibi .

Cum in ſacro generali Florentino Concilio præſcriptum ſit , ut unuſquiſque Sacerdos Euchariſtiam juxta Eccleſiæ ſuæ ritum, ſive latinæ, ſive græcæ, in azymo, ſeu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ne latinus Sacerdos græco ritu , aut græcus latino utatur ; diſtrictius inhibemus , etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne Presbyteri græci latino more , & latini græco ritu , ſub quovis licentiarum , & facultatum, Miſſas , & alia divina Officia, græci latino more , & latini græco ritu celebrandi, ab Apoſtolica Sede , vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario, pro tempore exiſtente , obtentarum prætextu , Miſſas, & alia divina Officia celebrare , vel celebrari facere præſumant .

Vide dicenda *part. II. poſt* §. *Quam ab remo cap. VIII. Trident. de ſacrif. Miſ.* In eadem Conſtit. *cit.* §. *VI. num.* XI. prohibet , ne latinus parochus Pixidem in ciborio cum particulis, ſub ſpecie fermentati pro Communione græcorum , aut parochus græcus ſub ſpecie azymi pro Communione latinorum in quocunque Eccleſiæ ſuæ Altari retineat , jubetque , ut unuſquiſque Sacerdos nonniſi in ſuo, ſive græco , ſive latino ritu Euchariſtiam fidelibus porrigat.

Item num. XII. prohibet , ne laici latini Communionem recipiant a Presbyteris græcis ſub ſpecie fermentati; græcis tamen laicis permittit ut ubi propriam parochiam non habent , poſſint , ſi velint , in Eccleſia latina Euchariſtiam ſub ſpecie azymi a Sacerdotibus latinis ſumere .

Inſuper num. XIX. prohibet , ne latini Sacerdotes in græcorum Eccleſiis , Sacrum faciant ſuper eorum Antimenſiis , ſeu Thronis , ſi careant proprio Altari portatili lapideo .

In Conſtitutione tamen *Allata* , 26. *Julii* 1755. pro Syriacis , & Armenis §. XXXVI. id indulſit Sacerdotibus latinis , exiſtentibus in Ruſſia Alba inter Catholicos Ruthenos unitos, & longe diſtantibus a ſuis Eccleſiis , ſi careant ſacro lapide .

Nota cum Sylvio *in III. par. Sum. Divi Thom. qu.* 74. *art.* 4. *in fine* , Sacerdotem latinum non poſſe abſque lethali peccato conſecrare panem fermentatum etiam pro communicando infirmo per modum Viatici, ſi careat pane azymo ,, Nec obſtat (inquit laudatus ,, Auctor) præceptum (& quidem , ut probabile eſt) ,, divinum,de communicando ante mortem ; illud enim ,, ſolum obligat moriturum pro eo tempore,quo com- ,, mode fieri poteſt, non autem Sacerdotem , ut agat ,, contra univerſalem Eccleſiæ latinæ conſuetudinem" . .

In tranſcripta Decretali reprobatur etiam factum ejuſdem Presbyteri , qui conſecravit in vaſe , ſeu Calice ligneo : qui ſane , ſicut & Patena , debet eſſe, vel aureus , vel argenteus, *Can. XLV. ut Calix, de conſecr. diſtin. I.* Quod ſi argenteus ſit , ejus ſaltem cuppa interne aureo illita ſit , quemadmodum & Patena , Benedictus XIV. *de Sacrific. Miſſ. lib. I. cap. IV. numer.* I. Non tamen vetitum eſt ſacrificare in vaſe ſtanneo , quando Eccleſiarum , vel Sacerdotum tanta eſt paupertas , ut majoris pretii vaſa comparari nequeant , ut tam ex cit. Can. quam ex Conſtit. Innocentii IV. *Sub Catholica* , 6. *Martii* 1254. & mox allata Conſtitut. Benedicti XIV. *Etſi Paſtoralis* §. *VI. num.* 20.

Rebrobatur tandem alterum factum præfati Presbyteri , quod nempe Miſſam celebraverit ſine igne , ideſt ſine lumine , & aqua in Calicem infuſa .

Quam graviter peccet Sacerdos , celebrans ſine lumine, audiatur laudatus Sylvius, qui in *cit. III. parte ejuſdem D. Thomæ qu.* 83. *art. VI. quæſtiun.* 3. ita loquitur ,, Debet in Altari eſſe lumen , ita ut qui ſine lumine ſacrificaret, mortaliter peccaret " Illud autem lumen , excepto caſu neceſſitatis, debet eſſe , ſub pœna peccati lethalis , ex cera , ut proſequitur idem Auctor ,, Unde qui citra neceſſitatem celebraret cum alio ,, lumine , non effugeret peccatum mortale : ubi tamen haberi non poſſet lumen ex cera , & ſcanda- ,, lum abeſſet , probabile eſt, quod ſufficeret lampas , ,, aut lucerna ex oleo : non ſimiliter candela ſebacea, ,, niſi forte magna eſſet celebrandi neceſſitas , nec ha- ,, beri poſſet lumen ex cera , vel oleo " .

Adhibendæ ſunt igitur pro lumine duæ candelæ : ſi vero , lumen alterum (ita notat Benedictus XIV. *de Sacrific. Miſſ. lib. III. cap. VII. num.* 2.) ,, ex cera re- ,, periri non poſſet, & neceſſitas urget celebrandi Miſ- ,, ſam , unicum tandem lumen adhiberi poteſt , ut ani- ,, madvertit Gavan. *ad Rub. XX. de Præparat. Alt.* "

Huc ſpectant notata a S. Antonino *par. III. Summa XIII. cap. VI.* ,, Nota ergo, quod ſi aliquod eorum ,, defuerit, quæ requiruntur ad ritum celebrationis , ,, ut Calix conſecratus , Palla , Altare , vel lumen , ,, vel aliqua veſtis ſacra , ut manipulus , ſtola , & hu- ,, juſmodi , debet potius dimittere Miſſam , etiam die ,, feſto , quam ſic celebrare , quia ſic celebrando ad- ,, vertenter , quamvis ſine dubio conficeret , exiſten- ,, tibus aliis , quæ ſunt de ſubſtantia conſecrationis , ,, tamen peccaret mortaliter; & idem credo celebran- ,, do ſine Miſſali , ſeu libro , in quo ſit ſaltem Canon, ,, alias mente retentus, dicendo; nam talia ſe expo- ,, nit periculo errandi in verbis Canonis , imo & ,, conſecrationis , cum & optimæ memoriæ viros ali- ,, quan-

,, qnando fallat memoria : tum etiam quia facit contra ,, generalem Eccleſiæ conſuetudinem ".

Attendenda etiam ſunt circa celebrationem Miſſæ ſine ſacris indumentia animadverſa ab eodem Benedicto *loc. cit. cap. VII. num.* 3. ,, Cardinalis Gottus ,, *Theolog. tom.*14. *quæſt.* 2. *de Sacriſic. Miſſæ dub.*4. ,, §. 2. docet, graviter peccaturum Sacerdotem, qui ,, vel Viatici ad infirmum, in limine mortis poſitum de- ,, ferendi gratia, vel ne populus die feſto Miſſa careat, ,, Miſſam, ſine ſacris veſtibus celebret. Mitius ſen- ,, tit de eo, qui, gravi premente neceſſitate, puta ,, ad evitandum ſcandalum, & ſuſurrum, qui orire- ,, tur in populo, ſi ibi die feſto Miſſæ non eſſet copia, ,, Miſſam celebraret cum amictu, alba, & planeta, ,, omiſſis ſtola, vel manipulo, aut cingulo benedicto, ,, quæ reperire non potuiſſet. Cajetanus Cardinalis in ,, 1. 2. *quæſt.* 96. negat, ſine peccato Sacerdotem ,, poſſe, omiſſis veſtibus ſacris, Miſſam celebrare, ,, etiam metu mortis deterritum; idque propter gra- ,, vem irreverentiam. Eum ſequitur Sylvius 3. *par.* ,, *quæſt.* 83. *art.*6. quod durum videtur Baldello, niſi ,, Eccleſiæ contemptus exiſteret, *tom.* 1. *lib.*1. *diſp.* ,, 15. *num.*10."

Inſuper juxta Decretalem Alexandri III. relatam *in cap. VI. Propoſuit, de Filiis Presbyterorum*, de qua jam inſtitutus eſt ſermo ſupra in notis poſt *cap. III. Ut quiſque*, Sect. CCCXII. non poteſt Sacerdos Miſſam celebrare ſine miniſtro, ibi ,, Non enim ſolus Presby- ,, ter Miſſarum ſolemnia, vel alia divina Officia po- ,, teſt ſine miniſtri ſuffragio celebrare " Excipit tamen Sylvius caſum neceſſitatis *cit. III. part. qu.*83. *art.* 5. ibi ,, In caſu tamen gravis neceſſitatia boni Auctores ,, exiſtimant, Sacerdotem non male facturum, ſi ſolus ,, celebret, ſibique reſpondeat, ac miniſtret, ut ſi ,, alioquin, aut ipſe Sacerdos, aut alius ſit ſine Via- ,, tico moriturus. Addunt etiam nonnulli, ſi ſit feſtum ,, ſolemne, neque Sacerdos poſſit Miſſam audire: ſed ,, mallem eo caſu dicere, ipſum ab auditione Miſſæ ,, excuſari, quam conſulere, ut ſolus celebraret: ,, quamquam nec celebrantem damnarem ".

In quocumque autem caſu, ut pariter notavi dicta Sect. CCCXII. numquam licet adhibere pro miniſtro mulierem, juxta probibitionem Decretalia, deſumptæ a Concil. Moguntino, & relatæ in *cap. I. Probibendum, de Cohabit. Cleric. & Mulier.* ibi ,, Probibendum quo- ,, que eſt, ut nulla fœmina ad Altare præſumat acce- ,, dere, aut Presbytero miniſtrare, aut infra cancel- ,, los ſtare, ſive ſedere " Quod etiam prohibitum legitur in Miſſali Romano §. X. de defectibua, & in cit. Conſt. Benedicti XIV. *Etſi Paſtoralis*, §. *VI. num.* 21. ,, Mulieres autem ſervire ad Altare non audeant, ſed ,, ab illius miniſterio repellantur omnino ".

Huc etiam ſpectant pro debita Miſſæ celebretione præſcripta a laudato Benedicto *in Epiſtola ad omnes Epiſcopos ditionis eccleſiaſticæ, Accepimus* 16. *Julii* 1746. in qua ſtaruitur.

I. Ne Miſſa celebretur in Altaribus, quæ careant imagine Crucifixi; hæcque eſſe debeat, quæ pendeat a Cruce; non autem ita exigua, ut ipſius Sacerdotia, & po puli aſſiſtentis oculos pene effugiat.

II. Non eſſe neceſſarium Crucifixum; dummodo hic in majori tabula Altaris, vel pictus, vel cælatus primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur.

III. Non ſufficere pro Miſſa celebranda parvam Crucem cum imagine Crucifixi, poſita ſuper tabernaculum, in quo aſſervatur Sac. Euchariſtia, ſed ponendam eſſe aliam in medio candelabrorum.

IV. Servandam eſſe conſuetudinem, vigentem in qualibet Eccleſia, vel diœceſi, apponendi, vel non, Crucem, dum Miſſa celebratur in Altari, ubi Sacr. Euchariſtia publice proſtat.

Titulus XLII. De Baptiſmo, & ejus effectu.

SECTIO DCXIV.

CAPUT I. SI QUIS, *ex Decretali Alexandri III. Pontio, Epiſcopo Claramontano reſcripta, juxta Gonzalez.*

SI quis pucrum ter in aqua imerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen: & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen, non eſt puer baptizatus.

Ex hac Decretali clare deducitur, ritum baptizandi per trinam immerſionem ordinarie in primitiva Eccleſia adhibitum (de quo etiam mentio eſt in Epiſtola XLI. *lib. I. D. Gregorii Magni ad Leandrum, Epiſcopum Hiſpaniarum*, relata *in Can. LXXX. de Trina, diſtin. IV. de Conſecrat.*) adhuc viguiſſe tempore Alexandri III. ſeculo nempe XII. verum ritus iſte fere ubique exolevit, uſuſque obtinuit, ut infuſione aquæ in caput baptizandi baptiſma conferatur. Cæterum ſive immerſione, etiam unica, ſive infuſione, ſive aſperſione conferatur, ſemper valide confertur, & miniſter tenetur ſervare ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut etiam præſcribitur in Rituali Romano, Pauli V. juſſu edito §. *Quoniam, de forma Baptiſmi.*

Et revera Eccleſia Mediolanenſis etiamnum obſervat ritum trinæ immerſionis, ut in Rituali Ambroſiano *tit. de Inſtruct. Baptiſmi.* De ritu hujus trinæ immerſionis adeatur Cabaſutius *in Notitia Conciliorum. diſert. IV. de Ritib. olim in baptiſmo adhiberi ſolitis.*

Declarat itaque bic Pontifex, baptiſmum per trinam immerſionem collatum cum ſolis verbis = In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omiſſia illis = *Ego te baptizo* = nullum eſſe. Cui acceſſit etiam declaratio Alexandri VIII. qui die 7. Decembria

bria

Digitized by Google

bris 1690. proſcripſit banc Propoſitionem in ordine la XXVII. = Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus = *in nomine Patris &c.* prætermiſſis *illis* = Ego te baptizo = & quidem ſub pœna excommunicationis, *ipſo facto* incurrendæ, & Papæ reſervatæ, in eam docentes, defendentes, edentes, aut de ea etiam diſputative, publice, aut privatim tractantes, niſi forſan impugnando: a quo inſuper prohibitum fuit in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii, eandem a quoque ad praxim deduci.

Nota, neque *ly Ego*, neque *Amen* eſſe de eſſentia formæ; ut in confeſſo eſt apud omnes Catholicos.

S E C T I O D C X V.

Caput II. De quibus, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Præfato Pontio, Epiſcopo Claramontano reſcripta, juxta Gonzalez.*

De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur, his verbis præmiſſis: ſi baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo.

Declarat bic Pontifex, baptizandum eſſe ſub conditione illum, de quo dubium eſt, an fuerit baptizatus. Verum circa bane reiterationem pro praxi notanda ſunt ſequentia.

I. Non quodlibet dubium ſatis eſſe, ut etiam ſub conditione reiteretur, ſed neceſſario requiri, ut ſit probabile: quale certe non eſſet, ſi ageretur de nato ex chriſtianis parentibus, & inter chriſtianos fideliter converſato, donec = *Evidentiſſimis argumentis contrarium probaretur* = ut declaravit Innocentius III. reſcribens *Epiſcopo Ferrarienſi cap. III Veniens bor eodem tit.*, juxta quam declarationem Sac. Cong. Conc. in ſimili facti ſpecie procedendum eſſe mandavit Vicario capitulari Ulixiponen. Orientalis 26. *Aprilis* 1732. *ut lib.* 28. *Epiſtolar. ejuſdem Congr.*

Sine hoc igitur probabili dubio reiterans baptiſmum, etiam ſub conditione, juxta communiorem Canoniſtarum ſententiam, irregularitatem non evadet; quidquid Theologi in contrarium ſenſerint. Canoniſtarum ſententiam amplectitur, tueturque Benedictus XIV. tam in *Iuſtit. ecrleſiaſt. LXXXIV. tam lib. VII. de Synod. Diœceſ. edit. anno* 1755. *cap. VI. nu.* 3. quam ex pluribus S. Congreg. Conc. reſponſis, atque ex Cathechiſmo Romano *part. II. de Sacram. Baptiſ. num.* 57. ea potiſſimum ratione, quod dictus Cathechiſmus reprobet aſſerentes = *Nullum ſcelus admitti, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctione illa* (videlicet conditionis) *baptizent* = Hanc eandem ſententiam amplexus eſt S. Carolus Boromæus, in cujus Inſtitutionibus *Actor. Eccl. Mediolanen. par. IV. pag.* 497. *de forma conditionata baptiſmi*, hæc leguntur ibi ,, Qua ,, forma utitur, cum infans, aliuſve, qui baptiſmo ,, offertur, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, aut certe non apparet, eum baptizatum eſſe, ,, ut de expoſitis, inventiſque parvulis, dubitari, ,, atque ignorari ſæpenumero ſolet. Quod ſi, re accurate inveſtigata, exploratum babuerit, illum, ,, forma ſervata baptizatum eſſe, caveat omnino, ne ,, banc ſub conditione baptizandi formam adhibeat, ,, cum ſacrilegium committat, ſi contra fecerit, & ,, illud impedimentum contrahat, quod ſacri Canones irregularitatem vocant ‘‘.

II. Præfatam conditionem adjiciendam eſſe etiamſi baptiſmus collatus fuerit in aliqua tantum corporis parte, & non in capite, ex præſcripto Ritualis Romani, juſſu Paoli V. editi §. *de Baptizandis parvulis*.

III. Adjiciendam eſſe pariter quoad infantes vulgo expoſitos, licet habeant collo appenſam ſchedulam, atteſtantem, eos fuiſſe baptizatos; cum limitatione tamen appoſita in reſponſo Cong. Concil. ad ſequem dubium, ſibi propoſitum ſub die 18. *Decembris* 1723. *&* 15. *Januarii* 1724. *ut in Theſauro Reſolut. ejuſdem Congr. tom. II. pag.* 412. *& tom. III. pag.* 2. ,, Urbis. Quomodo ſe gerere debeat parochus S. Spiri- ,, tus in Saxia in collatione baptiſmatis infantibus, qui ,, ad Archioſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ,, ſchedulam, de baptiſmo teſtantem, ſive non habeant, ,, & etiamſi ex colore, & cæteris corporis qualitati- ,, bus deprehendantur, eoſdem eſſe conſtitutos in ,, ætate ſex, aut decem menſium, vel unius anni cum ,, dimidio.

Eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſi- ,, bus expoſitis juxta inſtructionem: & inſtructio eſt, ,, quod excipiatur a baptiſmo ſub conditione caſus ,, ſchedulæ, quæ haberet certitudinem ‘‘.

IV. Ad comprobandam collationem baptiſmi rite factam, ſatis eſſe unius dumtaxat teſtimonium, ut declaravit Leo Papa *Epiſtola XXXV. reſcripta Reoni, Epiſcopo Ravennatenſi*, relata *in Cau. CXII. diſtin. IV. de Conſecrat.* dummodo, ut hic notat Gloſſ. iſte teſtis non ſit paganus, aut judæus. Ex qua Leonis declaratione infert altera Gloſs. in *cap. II. Nuper, de Teſtib.* hanc interpretationem ,, Quandoque tamen bene cre- ,, ditur uni, etiam non jurato, quando non ſit præju- ,, dicium alicui, puta, an aliquis ſit baptizatus, aut ,, utrum eſſet Eccleſia conſecrata ‘‘.

V. Notandum, & quidem ſpeciatim, quoties reiterandus eſt baptiſmus, ſi res eſt de adultis, ſemper reiterandum eſſe ſecreto, ſive adultus ligatus ſit, ſive non matrimonio, & ſine præjudicio matrimonii, ſi quod prius fuerit rite contractum, ut ex decretis laudatæ Cong. Conc. *in Ripana* 12. *Decem.* 1733. *in dicto Theſauro Reſolut. tom. VI. pag,* 206. *& in Tarviſina baptiſmi* 4. *Mai* 1737. *tom. VII. pag.* 230. *& tom. VIII. pag* 59 in qua cauſa dubitabatur de baptiſmo collato cuidam mulieri, jam matrimonio copulatæ, de cujus parentum matrimonio, etſi catholicorum, nullum habebatur documentum, nec de ipſius nativitate, de nativitatis loco, ac de patrinis.

VI. Notandum tamen ad tollendum dubium, an quis fuerit, necne baptizatus, non ſufficere conjecturam ſuſcepti baptiſmi, quod orthodoxæ fidei rudimentis reperiatur inſtructus, ut ſenſit dicta Congregatio in *cit. cauſa Ripana*.

SECTIO DCXVI.

Caput III. Majores, *ex Decretali Innocentii III. Arelatenſi Archiepiſcopo reſcripta.*

MAjores Eccleſiæ cauſas .... Illud vero quod exponentes inducunt fidem, aut charita tem, aliaſque virtutes parvulis, utpote non conſentientibus, non infundi, a pleriſque non conceditur abſolute, cum ptopter hoc inter Doctores Theologos quæſtio referatur; aliis aſſerentibus, per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad uſum, donec perveniant ad ætatem adultam.

Pars tantum hujus Decretalis tranſcribitur, in qua Pontifex refert Theologorum quæſtiones circa infuſionem fidei, charitatis, aliarumque virtutum per baptiſmum parvulis collatum. Quæ tamen quæſtiones hodie ſublatæ ſunt ex definitione Tridentini, ut notavi *ad cap. unicum Fidei Catholicæ, tit. de Summa Trinitate in Clementinis*, Sect. I.

SECTIO DCXVII.

Caput VI. Licet græcos, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. in Concilio generali lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

LIcet græcos diebus noſtris ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ revertentes, fovere, ac honorare velimus, mores, ac ritus eorum (in quantum cum Domino poſſumus) ſuſtinendo; in his tamen illis deferre non volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Poſtquam enim græcorum Eccleſia, cum quibuſdam complicibus, & fautoribus ſuis, ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxit, in tantum græci cæperunt abominari latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impie committebant, ſi quando Sacerdotes latini ſuper eorum celebraſſent Altaria, non prius ipſi ſacrificabant in ipſis, quam ea, tamquam per hoc inquinata, laviſſent. Baptizatos etiam a latinis, ipſi græci rebaptizare, auſu temerario præſumebant; & adhuc (ſicut accepimus (quidam hoc agere non verentur. Volentes igitur tantum ſcandalum ab Eccleſia Dei amovere, ſacro ſuadente Concilio, diſtricte præcipimus, ut talia de cætero non præſumant; conformantes ſe, tamquam filii obedientiæ, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, matri ſuæ, ut ſit unum ovile, & unus paſtor: ſi quis autem tale quid præſumpſerit, excommunicationis mucrone percuſſus, ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico deponatur.

Ex hac Decretali clare deducitur, Sacerdotes latinos celebrare poſſe ſuper græcorum Altaria, ſed hodie declaratum eſt, id iis non licere, ſi careant proprio Altari portatili, ut ex Conſtit. Benedicti XIV. relata ſupra *ad cap. XIV. Literas*, §. *Inſuper*, Sectione DCXIII.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DCXVIII.

Caput Unicum Præsenti, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali viennenſi, celebrato Viennæ in Gallia an.* 1311.

PRæſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus

ſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non præſumant.

Circa ſancita in hac Decretali repeto jam a me addita ad *Theſaurum de pœnis eccleſiaſt, cap.VIII.verb, Baptiſmus*. In ea igitur prohibetur collatio baptiſmi in privatis domibus, etiamſi poſtea ibidem baptizati, ad ſacrum fontem afferantur, ut conſuetæ cæremoniæ, ac ritus in Eccleſia celebrentur, exceptis Regum, & Principum liberis, aut tali neceſſitate emergente, propter quam nequeant infantes ad Eccleſiam abſque periculo deferri; & aliter facere præſumentes, aut ſuam in hoc præſentiam (ideſt ex propoſito, ut Gloſs. hic) exhibentes, plecti debent ab Epiſcopo pœna arbitraria.

Ex Can. XIX. & XXXI. Concilii Trullani Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra Oratorium domus privatæ baptizaſſet, erat deponendus, laicus vero excommunicandus.

Nota I. Ex Rituali Romano de tempore, & loco adminiſtrandi baptiſmi, parochum, non pro libito, ſed depoſcentibus dumtaxat dictis Regibus, & Principibus, conferre poſſe baptiſmum in eorum domibus, & tunc, nonniſi in eorundem capellis, ſeu oratoriis, aqua baptiſmali, de more benedicta.

Nota II. Juxta Gloſs. verbo *Regum*, nomine Principum non venire Marchionem, Ducem, Comitem, Baronem, vel alios ſimiles, ſed Principem talis potentatus, qui ſit comparandus regiæ dignitati, prout etiam clare eruitur ex eodem Rituali, ibi = *Niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii* =.

Nota III. Juxta eandem Gloſs. verbo *Liberi*, quam amplectitur Fagnan. *in cap. Ex tranſmiſſa, numer.16. de Filiis Presbyter.* nomine liberorum (prout textus vocat Regum, & Principum filios) venire etiam nepotes ex filiis, & alios deſcendentes ex maſculis.

Nota IV. Periculum, ob quod in privatis domibus baptizare licet, nedum eſſe reſpectu baptizandi, quando ſcilicet eſt in mortis articulo, ſed etiam reſpectu eorum, qui illum deferre deberent ad Eccleſiam, puta, ſi hoſtes haberent, vel locus eſſet obſeſſus, dicta Gloſs. verbo *Periculo*.

Titulus XLIII. De Presbytero non baptizato.

SECTIO DCXIX.

CAPUT I. SI QUIS PRESBYTER, *ex Decretali, deſumpta a Concilio, celebrato apud Compendium in Gallia, in diœceſi Sueſſionenſi, in Compendio Palatio an.756. vel ut aliis placet 757. tempore Pauli I. Papæ, in quo interfuit Rex Pipinus, ſimul cum Epiſcopis Regni, & toto populo.*

SI quis Presbyter ordinatus, deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.

Regulam, in hac Decretali præſcriptam omnino obſervandam ſtatuit etiam Canon XIX. Concilii generalis Nicæni I. celebrati juxta Eruditiorum opinionem an. 325. cum baptizatis a Paulianiſtis, a Paulo Samoſateno ſic dictis, apud quos baptiſmi forma non ſervabatur, ſi ab ipſis ſic baptizati, ad fidem catholicam confugientes, antea ordinati fuiſſent.

Eandem regulam confirmavit Innocentius III. Quid autem de iteratione ordinationis in hoc caſu ipſe ſenſerit, patet ex ſequenti ejus Decretali, ad Ugonem, Ferrariæ Epiſcopum (nunc Archiepiſcopum) ſcripta, relata *hoc eod. tit. cap. III.*

Veniens ad Apoſtolicam Sedem I. lator præſentium, nobis expoſuit, quod cum ad gradum Sacerdotii aſcendiſſet, comperit tandem, quod non fuerit ſecundum formam Evangelii baptizatus, unde nos eum fecimus rite baptizari. Cumque ſuper Ordinibus fuiſſet diutius diſputatum; quidam in eam declinaverunt ſententiam, ut cum baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipiatur aliud Sacramentum, quoniam, ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt. Porro e contra videri poſſet: nam, cum quis non ſolum per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Chriſti: & qui Chriſtum habet per fidem, etiamſi baptiſmum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Jeſus; ſuperædificare poſſe videtur, ſicut ſalutifera opera, ſic & quælibet eccleſiaſtica Sacramenta; cum illud non ſit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod baptiſmus ſit fundamentum illorum; quoniam & Sacramentum conjugii, & Euchariſtiæ a non baptizatis recipi poteſt. Præterea Sacramentum Ordinis non ſolum pontificalis, ſed ſacerdotalis, etiam & levitici ex inſtitutione ſua præceſſit baptiſmum:

per

per quod forſitan videtur, quod ante baptiſmum hujuſmodi Ordines poſſent rite conferri, maxime his, qui baptizati eſſe creduntur. Quia vero in Concilio apud Compendium legitur conſtitutum, quod ſi quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum odinetur: nos circa latorem præſentium in *hoc dubitabili caſu*, *quod tutius eſt*, ſequentes, mandamus, quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures, & permittas, eum in Sacerdotio miniſtrare; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum: nec male de Sacramento ſentitur, cum illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et certe de illo, qui natus de christianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.

Circa dubium de collato baptiſmo illi, qui natus eſt de chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, de quo loquitur hic Innocentius, recole notata poſt *cap. II. De quibus*, Sectione DCXV. §. Nota VI.

Titulus XLIV. De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.

S E C T I O D C X X.

Caput I. Statuimus, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

Statuimus, ut in cunctis Eccleſiis Chriſina, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur, & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni.

De cudoſtia Euchariſtiæ = hoc dumtaxat Apoſtolorum tempore fuerat conſtitutum, ut quod, peracta Communione, de corpore Domini ſupereſſet, in paſtophorio cum debita reverentia Diaconi reponerent, apud *Clementem Romanum lib. VIII. Conſtitutionum, cap. XIII. alias XX.* Nec volentibus ad ſuas domus deferre prohibebatur, ut patet *ex lib. II. Tertulliani ad uxorem*, D. Cypriani *Sermone de Lapſis*, & *D. Ambroſiii Oratione de obitu Satyrii*, *fratris ſui cap. VII.* Sed poſtea, decreſcente antiqua ſimplicitate, cum deprehenſi fuiſſent qui ad nefaria exercenda auguſtiſſimo Sacramento abuti non dubitarent, a Rhemenſi primum Concilio vetitum fuit Presbyteris, ne per laicos deferri ad infirmos paterentur, *Can. Pervenie XXIX. de Conſecrat. diſt. II.* Deinde hac Innocentii Decretali ſtatutum eſt, ut in cunctis Eccleſiis, Sacrario, adhibitis clavibus, honorifice, & fideliter conſervaretur, ſub pæna ſuſpenſionis trium menſium, ſi is, ad quem cuſtodia ejus pertinet, incaute eam reliquerit, aut graviorum pœnarum, ſi per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit. Quam quidem diligentem cuſtodiam habendam ſtatuit etiam Honorius III. in ejus Decretali, ſupra tranſcripta, *tit. de Celebr. Miſſar.* Sect. DCIX. Et denique priſcum hunc morem in Sacrario aſſervandæ Euchariſtiæ, & quę de eo priora Concilia præceperant, confirmavit Tridentinum *ſeſſ. XIII. cap. VI.*

Præcipitur etiam in hac Decretali, ſimilem, & ſub eadem pœna, habendam eſſe diligentiam de cuſtodia Chriſmatis.

Cum vero pœna hic ſtatuta contra delinquentes circa cuſtodiam Euchariſtiæ, non extendatur ad Regulares exemptos, attendenda ſunt animadverſa a Benedicto XIV. *lib. IX. cap. XV. de Synod. Diœc. edit. anno* 1755. *num.* 4. ,, Et primo quidem Regulares, delinquentes contra Decretalem Innocentii III. in ,, *cap. I. de Cuſtod. Euchariſt.* non ſolum a ſuo Superiore regulari, ſed etiam ab Epiſcopo, cui tanti Sacramenti cura debet potiſſimum incumbere, corrigi, & puniri poſſunt, ſicuti approbante Innoc. XIII. ,, die 8. Januarii 1724. reſcriptum fuit a S. Congreg. ,, Epiſcop. & Regul., cujus decretum refertur in Appendice ad cit. Synodum Neapolitanam, habitam a ,, Card. Pignatello num. 20. "

Huc ſpectat cauſa, & modus exponendi SS. Euchariſtiam in Eccleſiis eorundem Regularium, quibus non licet eam exponere, niſi ex cauſa publica, a loci Ordinario approbata, ut ex ſequenti decreto Cong. Conc. in Neapolitana 17. Auguſti 1630. relato ab eodem Benedicto loc. cit. ,, Sacra &c. cenſuit, non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis, ,, SS. Euchariſtiæ Sacramentum, publice adorandum, ,, exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ,, ab Ordinario: ex cauſa autem privata poſſe, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum, itaut ipſa ſacra Hoſtia videri ,, non poſſit ".

Et ex altero decreto Congr. Epiſcopor. & Regul. 9. Decembris 1602. relato pariter a laudato Pontifice *Inſtit. eccleſiaſt. XXX. §. Quæ hucuſque* ,, Si quandocumque privata ex cauſa Sacroſancta Euchariſtia ,, exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, ſed in Pyxide velata in aperto ejuſdem ,, ta-

Digitized by Google

„ tabernaculi oſtiol o cum aſſiſtentia alicujus Sacerdo- „ tis, ſtola, & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſal- „ tem luminibus cereis collocetur; quod idem in Ec- „ cleſiis ſecularium ſervari mandamus = Quæ decreta „ ab utraque Congr. pro generali norma ſemper re- „ cepta fuerunt = itaut (ſunt verba Benedicti *cit. In-* „ *ſtit.* §. *Quamvis*) quoties hujus generis cauſæ pro- „ poſitæ ſunt, idem ſtatuendum reſponderit, quod in „ cauſa Neapolitana ſancitum fuit".

Idem prohibitum eſt aliis quibuſcumque exemptis, non habentibus juriſdictionem in populum, ex decreto Congr. Epiſcopor. *in Florentina juriſdictionis*, 18. *Maii* 1696.

Pertinet etiam ad Euchariſtiæ cuſtodiam illius renovatio, ad avertendum periculum corruptionis ſpecierum ſacramentalium; quapropter = Euchariſtia, quæ aſſervatur in tabernaculo, a græcis renovanda eſt ſingulis octo, vel quindecim diebus, ex Conſtit. Innocentii IV. *Sub Catholica* 6. *Martii* 1254. & Clementis VIII. *Sanctiſſimas*, 31. *Auguſti* 1595. a latinis vero non differenda ad quindecim dies, ſed quolibet octiduo, vel die Dominica, vel feria quinta, ex decreto Congr. Epiſcopor. in *Raveanaten.* 5. *Aprilis* 1573. & *ex cap. LVII. Permittimus, de Senten. excomm.* Sanctus autem Carolus Borromæus ajebat, conſultius renovandam eſſe feria quinta; quippe quia tali die Jeſus Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit.

Nota I. Quod, cum in hac Decretali ſtatuatur, ut in cunctis Eccleſiis Chriſma, & Euchariſtia conſerventur, hoc eſt intelligendum de conſervatione aſſidua, & continua, ob rationem, infra adducendam, ac de parochialibus dumtaxat, de quibus hic vere ſermo eſt, cum ideo utrumque conſervari debeat, ut a parocho fidelibus, ſibi ſubditis, adminiſtrari poſſit, ad quem ex diſpoſitione ſaltem juris communis id ſpectat. Parochialis tamen Eccleſia debet eſſe talis actu, non habitu, cum tunc deficeret populus, & conſequenter ceſſaret neceſſitas conſervationis.

Ne ab hac aſſervatione, excepto periculo violationis a manu ſacrilega, excuſat contraria conſuetudo, aut Eccleſiæ paupertas, Sac. enim Epiſcopor. Congr. non ſolum id definivit abſolute 28. Jan. 1604. hoc decreto = *Sanctiſſimum Sacramentum conſervandum eſt in qualibet parochiali* = ſed poſtea ſub die 14. Martii 1614. addidit = *Quantumvis paupere. Quod ſi redditus, & ſocietas non ſufficiat, inſtituatur quæſtor, vel eleemoſynarum collector* = Quod jam prius declaraverat Cong. Conc. 22. Martii 1594. ut notat P. Cavalieri in *Indice Decretor. tom. IV. num.* 92. Quæ etiam declaravit, quod ſi paupertas talis eſſet, ut aliter eidem provideri non poſſet, deberet conſervari ſaltem in commodioribus, concurentibus aliis ad expenſas lampadis, in quibus aſſervatur, ut in *S. Agathæ Gothorum ad I. ad cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de reform. Poſit. C. & in Spoletana* 1604. *lib. X. Decretor. pag.* 91.

In Eccleſiis autem non parochialibus aſſervari non poteſt abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ex decretis ejuſdem Congr. in *Cajeten.* 12. *Januar.* 1630. *lib. decretor. XIV. pag.* 219. *ac in Juſtinopolitana* 21. *Maii* 1634. *lib. Decretor. XV. pag.* 66. Nec in Eccleſiis Tertiariorum Tertii Ordinis S. Franciſci, atque Conſervatoriorum Puellarum, ſicut nec oleum infirmorum, abſque eodem beneplacito, ex altero ejuſdem Congr. decreto in *Salernitana Jurium parochialium*, 18. *Auguſti* 1702. *lib. XII. & in Neapolitana Conſervatoriis* 2. & 28. *Julii* 1707. *lib. Decretor. LVII.* ac decreto Congregat. Epiſcopor. 20. *Decembris* 1626. Nec tandem in Eccleſia Confraternitatum, in *Ferrarien. Jurium parochial.* 22. *Martii* 1698. *ad V. lib. XLVIII. in Syracuſano Aſſervat. SS. Sacramenti* 20. *Martii* 1700. *lib. L.* ac in decretis generalibus S. Rituum Cong. *Urbis, & Orbis* 12. *Januarii* 1704. *ad XXVI.* Quæ quidem omnia decreta intelligenda ſunt, non de aſſervatione temporanea, & pro aliquibus tantum diebus, pro qua certum eſt opus eſſe Ordinariorum licentia, puta, pro publica expoſitione SS. Sacramenti, quæ ſane fieri nequit ſine illius temporanea conſervatione.

Dixi, in Eccleſiis non parochialibus aſſervari non poſſe SS. Euchariſtiæ Sacramentum, abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito. Verum id non ita abſolute intelligendum eſt, ut excludatur immemorabilis conſuetudo, ubi viget, illud aſſervandi etiam in dictis Eccleſiis, juxta mentem Congr. Conc. quæ ſub die 27. Aprilis 1709. expreſſe ita declaravit = *SS. Euchariſtiæ Sacramentum conſervari poteſt in Eccleſiis, etiam non parochialibus, ſi ab immemorabili fuerit in iiſdem aſſervatum* = Quod multo ante indicaverat etiam Congreg. Epiſcopor. ſub die 13. Octobr. 1620. hoc decreto = *SS. Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum eſt uno tantum in loco cujuſcumque Eccleſiæ, in qua cuſtodiri debet, poteſt, aut ſolet* = Per illud enim verbum *Debet* denotatur Eccleſia parochialis, cum in hac adſit præceptum continuo illud aſſervandi, ut dixi ſupra. Per illud verbum *poteſt*, denotatur Eccleſia, in qua continuo aſſervari poteſt ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto. Per illud tandem verbum *ſolet*, denotatur Eccleſia, in qua aſſidue aſſervatur ex conſuetudine immemorabili, aut centenaria, ut inter alios animadvetit laudatus P. Cavalieri *tom. IV. cap. VI. ad decretum VIII.*

Nota II. A regula aſſervandi SS. Euchariſtiam in ſolis Eccleſiis parochialibus, & aliis, in ſenſu, mox explicato, excipi. I. Eccleſias cathedrales, in quibus aſſervari poteſt, ſed extra majus Altare, propter functiones pontificales, quæ fiunt verſis ad illud renibus, ex decret. Congr. Epiſcopor. *in Lucenſi* 10. *Februar.* 1579. & *in Caſertana* 29. *Novembris* 1594. II. Eccleſias Monialium, non tamen intra illarum chorum, ex decreto Trid. *cap. X. ſeſſ. XXV. de Regul.*

Titu-

Digitized by Google

S E C T I O D C X X I.

CAPUT I. AUDIVIMUS, *ex Decretali Alexandri III. Monachis monaſterii S. Mariæ de Priſtan. in diœceſi Lexovienſi juxta Gonzalez, ex ſententia Baronii ad an.* 1181.

AUdivimus, quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione, & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum (more infidelium) venerantur: cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis Eccleſia permittat orare. Dicit enim Apoſtolus: Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Illum ergo non præſumatis de cætero colere: cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque auctoritate Rom. Eccleſiæ venerari.

Huic Decretali, in qua ſtatuitur, non licere quemquam publice venerari pro Sancto abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, acceſſerunt decreta Urb. VIII. relata in ejus Conſtit. *Sanctiſſimus*, 13. *Martii* 1625. cum annexa declaratione incipien. *Poſtmodum vero*, in alia ejuſdem Conſtit. *Cæleſtis Hieruſalem*, 5. *Julii* 1634. de qua part. II. cum de decreto *de Invocatione, venerat. & Reliquiis Sanctor.*

Cum autem hic prohibeatur publicus cultus, ſequitur, non interdictum eſſe privatum, puta, ſi quis ſe Deo commendaret intuitu meritorum alicujus, qui cum publicæ Sanctitatis opinione deceſſerit, ut notavit ad hanc eandem Decretalem Innocentius IV. & Panormitanus, aliique Interpretes, inter quos Bellarminus *de Sanctor. Beatificat. cap. XIII. & tribus ſubſeq.*

Circa Beatificationem, & Canonizationem Sanctorum, ac cultum Reliquiarum eorumdem adeatur doctiſſimum opus Benedicti XIV. *de Servorum Dei Beatificatione.*

S E C T I O D C X X I I.

CAPUT II. CUM EX EO, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

CUM ex eo, quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, chriſtianæ religioni detractum ſit ſæpius: ne in poſterum detrahatur, præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontif. fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos, qui ad eorum Eccleſias, cauſa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi, ſicut in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit.

Quatuor in hac Decretali prohibentur. I. Ne antiquæ Reliquiæ, quas Sanctorum eſſe conſtat, extra earum capſam oſtendantur. II. Ne exponantur venales. III. Ne de novo inventas quis publice venerari præſumat, antequam Apoſtolicæ Sedis fuerint auctoritate probatæ. IV. Ne Prælati in re tanti momenti patiantur, populum decipi variis figmentis, aut falſis documentis, ideſt, relatis falſis miraculis.

Circa I. extrahi, erui, & transferri poſſunt ab Epiſcopo abſque licentia Papæ *Can. XXXVII. Corpora de Conſecrat. diſt. I.*

Circa II. id intelligendum eſt, ne exponantur, quæſtus cauſa, & ut largiores oblationes fiant, quod juxta Panormitanum, larga acceptatione, venditio dici poteſt. Quod idem prohibuit Tridentinum *in decreto de Invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum*, cum præceperit, ut = Omnis turpis quæſtus eliminetur =.

Circa III. huic prohibitioni derogatum eſt ab eodem Tridentino, tribuente in cit. decreto ejuſmodi facultatem Epiſcopo.

Quæ cognitio, ſeu approbatio ad Epiſcopum ſpectat, etiamſi agatur de Reliquiis exponendis in Eccleſiis Regularium, quas donec recognoverit, poteſt mandare, cuſtodiendas eſſe in loco, ſibi bene viſo, & apud ſe clavem retinere, ex decreto Congr. Conc. *in Viterbien.* 25. *Junii* 1627. *lib. Decretor.* III. *pag.* 288. Si autem jam publicæ venerationi expoſitæ fuerint, non poteſt has viſitare, licet conſtet, nunquam fuiſſe viſitatas, ex decreto ejuſdem Congr. *in Urbinaten. Viſit. Liminum*, 10. *Martii* 1663. *ad II. lib. XXIII. pag.* 436. Eadem Cong. *in Cæſarauguſtana, Decretor. lib. III. pag.* 16. *in Albingunen.* 14. *Martii* 1648. *lib. XVIII. pag.* 456. *& in Albanen. Viſitationis* 3. *Martii* 1688. *ad IV. lib. XXV. pag.* 550. = declaravit, Reliquias, ſi antiquæ ſint, eſſe habendas in eadem veneratione, ac ſi publicis documentis fuerint probatæ.

Circa IV. acceſſit Conſtitutio Leonis X. *Supremæ maje-*

Digitized by Google

majeſtatis, edita in Concilio Lateranenſi V. 13. *Decembris* 1516. in qua infligitur axcommunicatio, Papæ reſervata, contra audentes ſub confictorum miraculorum mendaciis, errores, fraudeſque diſſeminare.

Hnc ſpectant notata a *Theſauro de pæn. eccleſiaſt. warb. Reliquiæ cap. I.* circa Reliquias exiſtentes in cryptis, & catacumbis infra Romam, vel ejus ſuburbia. ,, Edicto Vicarii Urbis Romæ, edito de man- ,, dato Pauli V. an. 1613. die 24. Aug. cautum eſt, ne ,, quis audeat, vel præſumat, vel poſſit intrare in ali- ,, quam ex cryptis, catacumbis, vel cæmeteriis intra, ,, vel eatra urbem Romam, neque ab illis eatrahere ,, Reliquias, etiam in minima particula, neque ad id ,, præſtare auxilium, vel favorem, ſub pœna trire- ,, mium, & aliis, arbitrio Vicarii, ipſo facto incur- ,, rendis, & excommunicationis latæ ſententiæ, & re- ,, vocat omnes licentias in ſcriptis conceſſas, eaſque ,, in futurum, ſi coueedantur, irritas declarat: & ex- ,, tendit dictas pœnaa, & cenſuram ad omnes, ad ,, quorum inſtantiam fiet extractio, aut attentata fue- ,, rit, & ad complices, & ad recipientes ſcienter Re- ,, liquias illicite extractas, ut ſupra: & abſolutio di- ,, ctarum pœnarum Papæ reſervatur. Regulares au- ,, tem ultra dictis penas incurrant ipſo facto privatio- ,, nem vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitatem ad ,, dignitates, & gubernationes ſuæ Religionis; & ,, diſpenſatio, & rehabilitatio Papæ reſervatur. Tra- ,, ctat Bonacin. *de Cenſur. in partic. diſput. II. qu. III. punct. XIII. §. Incidens*.

,, Ex Brevi ejuſdem Pauli V. promulgato edicto ,, Cardinalis Millini, Vicarii Urbis 1614. die 16. Maji ,, ſtatutum eſt, ut nullus vigore licentiarum a Papa ,, vivæ vocis oraculo, ante duos menſes proximos ,, conceſſarum, poſſit Reliquias extrahere de Eccle- ,, ſiis, monaſteriis, locis piis, cæmeteriis, vel cryptis, ,, intra, vel extra Urbem: alias incurrant excom- ,, municationem ipſo facto, Papæ reſervatam; eam- ,, que extendit contra eos, qui curam habent, ſeu ,, gubernationem dictarum Eccleſiarum, vel locorum, ,, ſi permiſerint, ſeu conſenſerint extractioni.

,, Ex eodem edicto Cardinalis Millini, Vicarii, ,, de mandato Pauli V. prohibitum eſt, ne quis ſecu- ,, laris, aut Regularis fidem ullam, aut teſtimonium, ,, ſeu inſtrumentum, ſeu ſcripturam publicam vel ,, privatam faciat eatractionis, donationis, conſigna- ,, tionis, translationis, aut alterius contractus, aut ,, ſcripturæ, ubi fiat mentio Reliquiarum, niſi cum ,, licentia in ſcriptis ejuſdem Vicarii Urbis, non ſuf- ,, fragante quacumque Sedis Apoſtolicæ licentia, ali- ,, ter emanata: & tranſgreſſoribus ibidem ſtatutæ ſunt ,, pœnæ, ſcilicet dominis officiorum, pœnæ privatio- ,, nis officiorum; notariis autem, & ſubſtitutis pœna ,, 500. ſcutorum, & has pœnas decernit incurri ipſo ,, facto: Religioſis autem ſub pœna privationis vocis ,, activæ, & paſſivæ in perpetuum, & exilii ab omni ,, ſtatu Eccleſiæ Romanæ. Sed hæ pœnæ non viden- ,, tur, quoad Religioſos, ipſo facto incurrendæ, ut pa- ,, tet ex verbis *Banni*: & pœna privationis officii non ,, ligat ante declaratoriam ,,.

Ex Conſtitut. Bened. XIV. *de Congregationis* 5. *Martii* 1742. in elevatione Corporum Servorum Dei prohibita eſt eorumdem Reliquiarum detractio ſub pœna ſuſpenſionis, interdicti, & excommunicationis, Papæ reſervatæ.

Videnda eſt etiam Conſtitutio Clementis X. *Ex commiſſæ* 13. *Januarii* 1672. circa extractiones earumdem Reliquiarum, cuſtodiam, & diſtributionem. Aſſervari autem debent in Eccleſiis, & non in Monaſteriis Monialium, ex decreto Congreg. Epiſcopor., & Regul. *in Faventina* 7. *Martii* 1617. Et multo minus in domibus ſecularium. Eas tamen ,, hodie ſi laici tan- ,, gant reverenter, non cenſetur peccatum, ſecundum ,, multorum recentiorum ſententiam: eas tamen pu- ,, blice in proceſſionibus geſtare illis, ac etiam Cleri- ,, cis in minoribus vetitum eſt ,, ita *Theſaur. loc. cit.* cum Sanch., & Laym.

Nota contra fures, & raptores Reliquiarum non exiſtentium in dictis cryptis, tam intra, quam eatra Romam, nullam eſſe cenſuram, dummodo non ſimul interveniat effractio loci ſacri, ideſt, Eccleſiæ; tunc enim incurritur excommunicatio, poſt cujus publicationem, omnino faciendam ab Epiſcopo, eſt Papæ reſervata ex *cap. XXII. Conqueſti, de Sentent. excomm.*

Si autem Reliquiæ, & corpora Sanctorum venderentur, aut exponerentur cauſa queſtus (præter peccatum ſimoniæ, ac ſacrilegii, cum ſint res ſacræ) ſi eſſent alicujus loci eccleſiaſtici, tam vendentes, ſeu aliter alienantes, quam recipientes, incurrerent excommunicationem, Papæ reſervatam, *ex Extravag. Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alien.*, cum ſint res mobiles pretioſæ.

Licitum tamen eſſet, eas de manibus infidelium, & hæreticorum pretio redimere, *Theſaur. loc. cit.*

Ad hoc caput reduci poteſt excommunicatio, non tamen reſervata, inflicta a Gregorio XIII. contra audentes depingere, inaurare, aut miniare, aut hæc fieri facere Agnus Dei, a Papa benedictos, aut tales venales exponere, aut retinere, ut ex ejus Conſtit. *Omni certe*, 25. *Maji* 1572. ibi.

Statuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis poena, ipſo facto incurrenda, prohibemus, & interdicimus, ne quiſquam, ſive vir, ſive mulier, ſecularis, aut eccleſiaſtici, etiam regularis Ordinis ille ſit, & quocumque gradu, conditione, ſtatu, nomine, dignitate, & honore præcellat, poſthac in perpetuum Agnus Dei, per Romanum Pontificem, pro tempore exiſtentem, benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud ſuperinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere quovis prætextu, qualibetve de cauſa, audeat. Verum eos albos, & mundos, Agnum illum purum, & innocentem repreſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo ſanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reverenter a cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & cenſeri debere decernimus.

Circa legitimum Imaginum uſum, vide infra part. II. in decreto *de Invocatione, & veneratione Sanctorum*.

SECTIO DCXXIII.

Caput II. Grave nimis, *ex Decretali Sixti IV.*

In hac Decretali, cujus prolixum texſtum tranſcribere omitto, fert Pontifex excommunicationem, Papæ reſervatam, contra omnes, qui præſumunt aſſerere, peccatum mortale eſſe, aut hæreſim, affirmare, Beatam Virginem conceptam eſſe ſine peccato; aut peccatum eſſe ejus Conceptionis Officium celebrare, aut concionea, vel ſermones in illius laudem audire: & contra eoa, qui præſumunt libros, quibus prædictæ aſſertiones continentur, pro veria legere, tenere, vel habere: nec non contra eos, qui audent aſſerere, peccatum mortale eſſe, aut hæreſim, affirmare, B. Virginem conceptam eſſe cum peccato originali. Hæc Decretalia confirmata fuit a Concil. Trident. *ſeſſ. V. in Decreto de peccato originali*.

Quibus acceſſerunt ſequentes Conſtitutiones, &

I. Sancti Pii V. *ſuper Specula* 30. *Novembris* 1570. ubi præterea ſtatuitur, nullibi licitum cuique eſſe In popularibus concionibua, vel ubicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, diſputare, minuſque vulgari ſermone ſcribere de B. Mariæ Conceptione, de cujus quæſtione facultas præſervatur diſſerendi dumtaxat, ubi interſint, qui rem capere poſſint; nec ſcandali ulla ſubſit occaſio; ac dum neutra circa immaculatam Conceptionem opinio veluti erronea prædicetur.

II. Pauli V. *Regis Pacifici 6. Julii* 1616. in qua prædicta Decretalia Sixti, & Piana Conſtitutio, ac Concil. Trident. confirmantur.

III. Decretum ejuſdem Pauli, *Sanctiſſimus Dominus noſter* 31. *Auguſti* 1617, in quo præmiſſa confirmatione præcedentium Conſtitutionum, & Concilii; prohibetur, ne in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſeratur, B. Mariam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam.

IV. Decretum Gregorii XV. *Sanctiſſimus* 24. *Maji* 1622, in quo extenditur prohibitio diſſerendi de Conceptione Virginia Mariæ ad actus privatos, tam in ſermonibus, quam in ſcriptis. Quæ tamen prohibitio ab eodem Gregorio moderata fuit *die* 22. *Julii* 1622. altero Decreto *Eximii*, quoad Fratres Ordinis Prædicatorum, quibus in privatis eorum colloquiia, ſeu conferentiis inter ſe dumtaxat, & non inter alios, de hac materia diſſerere, & tractare permiſſum fuit.

V. Conſtitutio Alexandri VII. *Solicitudo 8. Decembris* 1661. qua innovavit, & obſervari mandavit ad inſtantiam Regis Catholici, Conſtitutiones Sixti IV. Concil. Trident. Pauli V., & Gregorii XV.

Alexander VIII. die 7. *Decembris* 1690. proſcripſit hanc Propoſitionem, inter alias ab eodem damnatas, in ordine la XXIV. = Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Maria Virgine in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione: & quod Filiua, qui offerebatur, etiam macula Matria maculatus eſſet ſecundum verba legis =

Nota, quod in cit. Conſtitut. S. Pii V. infligentia contra quoſcumque, in Sacris conſtitutos, pœnam ſuſpenſionis a divinis, Papæ reſervatæ, non comprehenduntur Epiſcopi, cum in ea de ipſis non facta ſit ſpecialia mentio, ſine qua nunquam intelliguntur ſuſpenſi juxta *Cap. IV. Quia periculoſum de Sentent. excomm. in VI.* Comprehenduntur tamen in Conſtit. Pauli V. vi clauſulæ, in ea appoſitæ = Etiam ſpeciali, ſeu individuali nota dignos = Quæ eſt expreſſio, vel derogatoria ſpecialis, ſufficiens, *Theſaur. de Panis ver. Conceptio cap. I. num.* 3.

Clemens IX. conceſſit Religioſis Societatia Jeſu, ut Officium cum Octava de præcepto, & Miſſam Conceptionia B. Mariæ Virginis celebrare valeant Conſtit. *Auguſtiſſimæ* 17. *Septemb.* 1667. & in Conſtit. *Sincera* ipſius Clementis IX. 21. *Octobris* 1667. ſtatuitur, ut Officium, & Miſſa Conceptionis B. V. M. in univerſa S. R. E. temporali ditione de præcepto recitetur.

Demum ipſe Clemens ex Conſtitut. *Exigit* 31. *Octobris* 1667 conceſſit Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ut dictum Officium, & Miſſam Conceptionis ex præcepto recitent.

Innocentius XII. in Conſtit. *In excelſa* 15. *Maii* 1693. mandavit, ubique terrarum recitari Officium, & Miſſam Conceptionis B. M. V. cum Octava.

Clemens XI. in Conſtitut. *Commiſſi Nobis 6. Decemb.* 1708. mandavit, Feſtum Conceptionis ejuſdem de præcepto ubique obſervari.

Clemens tandem XIII. felicit. regnans, in Brevi, incipien. *Quantum ornamenti 6. Id. Novemb.* 1760. confirmavit electionem B. Virginis in Patronam Hiſpaniarum, & Indiarum in ſancto ejua immaculatæ Conceptionis myſterio; & omnibus Regi catholico ſubditis præcepit, ut eam in eodem myſterio, veluti Patronam, venerentur, ejuſdemque myſterii feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava celebrent; addita tamen clauſula = Salva in omnibus obſervantia Conſtitutionum Romanorum Pontific. Prædeceſſ. noſtrorum, præſertim fel. rec. Pauli V. ann. 1617. Greg. XV. ann. 1621. & Alex. VII. an. 1661. ſuper ejuſdem myſterii veneratione editarum = In eod. Brevi conceditur Indulgentia plenaria quolibet anno vere pænitentibus, & confeſſis, ac ſac. Communione refectis, viſitantibua eod. die quamlibet Eccleſiam in dictis Regno, & Dominiis, dicatam in honorem dictæ B. M. Virg. Regularibus vero, & Monialibus viſitantibus propriam, piaa ibi ad Deum preces effundendo juxta Summi Pontificis mentem.

In altero vero ejuſd. Pontif. Brevi *Cum primum 16. Kal. Febr.* 1761. extendit ad univerſum Hiſpaniarum, & Indiarum Clerum ſecularem, & regularem, & quomodolibet exemptum, Officium *Sicut lilium*, & Miſſam *Egredimini*, eodem prorſus modo, quo a Franciſcanis recitatur die feſto Immaculatæ Conceptionis, & per ejus Octovam.

Circa ortum, proceſſum, cultum, ac feſtum B. M. Virgin. adeatur Marcus Ant. Gravois, Ordinis Minor. S. Franciſci, Lucæ edit. an. 1762.

Titulus

Digitized by Google

SECTIO DCXXIV.

CAPUT I. EX PARTE, *ex Decretali Innocentii III. Clericis S. Petri de Magdalon reſcripta*.

EX parte veſtra quæſitum fuit, utrum, ſi Nativitatem Domini, vel Aſſumptionem Beatæ Mariæ, vel feſtivitatem alicujus Apoſtolorum in ſecunda feria contigerit evenire, die ſabbati præcedentis vigilia debeat jejunari? & utrum in vigilia B. Matthiæ Apoſtoli ſit jejunium injungendum? Ad quod breviter reſpondemus, quod die ſabbati feſtivitates prælibatas ſecundæ feriæ præcedentis, & B. Matthiæ Apoſtoli debet vigilia jejunari.

Regula hic præſcripta de jejunio ſervando ſabbato præcedenti, cum dies feſtus enunciatarum ſolemnitatum incidit in feriam ſecundam, extenſa eſt ab eodem Innocentio ad omnes alias feſtivitates in eandem feriam incidentes, in quarum vigiliis jejunandum ſit, ut in altera ipſius Decretali ſequenti Sectione tranſcribenda.

Præceptum jejunandi in vigilia S. Matthiæ, etiamſi incidat in ultimum bacchanaliorum diem, jam injunctum fuerat ab Alexandro III. *in cap. Quæſivit*, §. *Feſtum, de Verbor. ſignific.* de quo infra. Quod confirmavit etiam Benedictus XIV. in ejus *Epiſtola Encyclica ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos ditionis eccleſiaſticæ, Prodiit 30. Januarii 1751. in cujus* §. *X.* declarat, non eſſe in ordinaria Epiſcopi poteſtate in ſua diœceſi, ut jejunium in ultimo bacchanaliorum ſabbato anticipetur, ibi.

Facili negocio intelligitur, auctoritatem ordinariam minime poſſe vigiliam S. Matthiæ, etiamſi ultimum bacchanaliorum diem incidat, ad præcedens ſabbatum transferre; cum ordinariæ auctoritati nulla ſit poteſtas derogandi, aut diſpenſandi in iis, quæ a Romanis Pontificibus, atque a jure canonico decreta ſunt.

SECTIO DCXXV.

CAPUT II. CONSILIUM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Archiepiſcopo Bracharenſi in Luſitania reſcripta, quæ integra ex Gonzalez tranſcribitur*.

COnſilium noſtrum ſuper quibuſdam articulis requiſiſti: utrum in omnibus ſit Apoſtolorum vigiliis jejunandum, cum quidam aſſerant, non eſſe jejunandum in omnibus, ſed ſex tantum. Utrum etiam jejunandum ſit in Adventu Domini, cum tamen ſentiant diverſi diverſa; quibuſdam dicentibus, ſed paucioribus, jejunandum eſſe tunc temporis; pluribus vero aſſerentibus, ſe ad hæc non teneri. Utrum inſuper, ſi feſtum illorum, quorum vigilias jejunamus, ſecunda contingat feria celebrari, in præcedenti ſabbato ſint vigiliæ jejunandæ. Nos autem ſuper hoc taliter reſpondemus, quod apud nos omnium Apoſtolorum vigiliæ in obſervatione jejunii celebrantur, præter vigilias Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, & B. Joannis Evangeliſtæ, quoniam illorum feſtivitas infra ſolemnitatem paſchalem; iſtius autem infra Natalem Domini celebratur. Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur, & Sanctorum vigilias, quorum feſtivitates oportet ſecunda feria celebrari, jejunamus in ſabbato præcedenti. De feſtivitate vero B. Bartholomæi Apoſtoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam, tibi petenti conſilium, reſpondemus, quod in hoc tuæ regionis conſuetudinem ſerves (& infra.) Cum autem quæ ſit illis pænitentia injungenda quæſieris, qui diebus quadrageſimalibus tempore illo, quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſint coacti; tibi breviter reſpondemus, quod in articulo tali, illos non credimus puniendos, quos tam urgens neceſſitas excuſavit; preces tamen ad Dominum pro illis, & cum illis, ne ipſis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur, effundas. Item de illis, qui in ſabbato juxta terrarum conſuetudinem aliarum, propter debilitatem, quam in ſe ſentiunt, carnes ſumunt, quod in partibus tuis nul-

latenus fieri conſuevit, cum hoc ab aliis moleſte feratur, & oriatur in illis occaſio detrahendi, tale tibi damus reſponſum, quod ſuper hoc tuæ conſuetudinem regionis facias obſervari: ſic tamen, quod debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea poſtulaſti reſponſum habere de illis, qui in quadrageſima, vel in aliis jejuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri, quorum quidam promittunt propter hoc eleemoſynam ſe facturos: quidam vero propter neceſſitatem infirmitatis urgentis hoc a te ſibi, quaſi ex debito, concedendum, requirunt. Super quo tibi duximus reſpondendum, quod cum non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur.

Ex hac Decretali infertur.

I. In vigilis illarum feſtivitatum, quæ celebrandæ occurrunt intra celebritatem Paſchæ, quæ durat ab ipſo Paſchatis die uſque ad diem Pentecoſtes, non eſſe jejunandum, in argumentum lætitiæ Reſurrectionis Chriſti.

Excipitur tamen vigilia Pentecoſtes, in qua ex introducta fidelium conſuetudine jejunium ſervandum eſt de præcepto; ſicut & in vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, Merati *tom. II. ſect. III. cap. VII. ſub num. 1. verb. Abolitis* in fine.

II. Tempore Innocentii III. qui initio ſeculi XII. Pontificatum geſſit, Romæ adhuc in uſu fuiſſe jejunare in Adventu Domini. Verum hæc diſciplina immutata eſt, poſtquam a Clemente V. Sedes Apoſtolica Avenionem translata fuit anno 1304. cujus jejunii obſervationem Urbanus V. ad ſuos dumtaxat familiares, & domeſticos omnes reſtrinxit, ut exponit Raynaldus, qui erat inter familiares ejuſdem Pontificis, an. Domini 1370. *n.* 21.

Circa eſum carnium in diebus quadrageſimalibus, & aliis, in quibus ex lege, vel conſuetudine eſt ab iis abſtinendum, ob inopiam annonæ, vel ob debilitatem, infirmitatemve, de quibus in hac Decretali, ne plus merito diſpenſatio concedatur, Benedictus XIV. varias præſcripſit leges in tribus encyclicis literis, videlicet, *Non ambigimus*, 30. *Maii* 1741. *In ſuprema*, 22. *Auguſti* 1741. *Libentiſſime*, 10. *Junii* 1745. in qua inſerta eſt litera Decretalis *Si fraternitas*, ſcripta *ad Archiepiſcopum Compoſtella*, *ſub die* 8. *Julii* 1744. quas ne longus ſim, transcribere omitto: earum tamen ſummam ſubjicio, prout affabre concinnatata legitur *cap. III. art. II. num. 5. pag.* 373. *Synodi Tuſculanæ*, *celebratæ an.* 1763. a Celſitudine Regia Eminentiſſima Henrici, Epiſcopi Tuſculani S. R. E. Vice-Cancellarii, Cardinalis Eboracenſis, ibi ,, Edixit itaque, I. Nemini quidem ſine legitima
,, cauſa, & ſine utriuſque medici conſilio; multitu-
,, dini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti
,, indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, &
,, urgente neceſſitate, & in caſibus per SS. Canonum
,, ſtatuta præſcriptis, cum debita Sedis Apoſtolicæ re-
,, verentia, a quadrageſimali jejunio diſpenſationem
,, eſſe concedendam, nec eam audacter, fidenter-
,, que uſurpandam, aut ſuperbe, & arroganter ab
,, Eccleſia eſſe poſtulandam. II. Quibuſcumque, &
,, quacumque occaſione, ſive multitudini indiſcrimi-
,, natim, ſive ſingulis ob legitimam cauſam, & de
,, utriuſque medici conſilio, (dummodo nulla certa,
,, & periculoſa valetudinis affectæ ratio intercedat,
,, & aliter fieri neceſſario exigat) in quadrageſima,
,, aliiſque temporibus anni, & diebus, quibus car-
,, nium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibi-
,, tus, diſpenſari contigerit; ab omnibus omnino,
,, nemine excepto, unicam comeſtionem eſſe ſervan-
,, dam, & licitas, atque interdictas epulas minime
,, eſſe apponendas. III. Concedentes facultatem ve-
,, ſcendi carnibus, tempore vetito, ſub gravi teneri
,, eaſdem facultates non aliter dare, quam geminis
,, hiſce adjectis conditionibus, videlicet, unicæ in
,, diem comeſtionis, & non permiſcendarum epula-
,, rum: eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur,
,, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obli-
,, gari. IV. Utrumque grave præceptum unicæ come-
,, ſtionis, & non permiſcendi epulas licitas cum inter-
,, dictis, etiam extra quadrageſimam, urgere iis die-
,, bus, quibus ſervandum eſt jejunium de præcepto.
,, V. Epulas licitas, quæ vetantur cum interdictis con-
,, jungi, pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere
,, eſſe carnes ipſas: epulas vero interdictas eſſe piſces,
,, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus
,, tamen edendis non interdici eos, quibus datur tan-
,, tum facultas adhibendi ova, & lacticinia. VI. Iis,
,, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, non licere in
,, veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis ve-
,, ſci, quæ jejunantibus permittitur; ſed opus habere
,, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homi-
,, nes jejunantes recte meticuloſæ conſcientiæ. VII.
,, Præceptum de utroque epularum genere non mi-
,, ſcendo dies quoque Dominicas quadrageſimales
,, complecti: ab iis vero, quibus jejunii tempore
,, veſci carnibus permittitur, non modo unicam co-
,, meſtionem, verum etiam horam jejunantibus præ-
,, ſcriptam obſervandam eſſe ".

Et num. 6. ita proſequitur ,, Hæ ſunt leges a Be-
,, nedicto XIV. ad ſaluberrima eccleſiaſtici jejunii di-
,, ſciplinam inſtaurandam, conſervandamque præ-
,, ſcriptæ: quibus illam etiam adjunxit Sanctiſſimus
,, D. N. Clemens Papa XIII. in ſuis encyclicis literis
,, (incipien. *Appetente*, 20. *Decembr.* 1759.) ad
,, omnes univerſæ catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos datis,
,, videlicet. *Non licere iis, quibus ob juſtas, & le-*
,, *gitimas cauſas ab abſtinentia carnium diſpenſatum*
,, *fuerit, extra unicam comeſtionem potiones lacte*
,, *permixtas ſumere, ſed illos, unica excepta come-*
,, *ſtione, in omnibus æquiparandos iis eſſe, quibus*
,, *cum nulla eſt diſpenſatio, ac propterea eos tantum-*
,, *modo ad unicam comeſtionem poſſe carnem, vel quæ*
,, *ex carne trahunt originem, adhibere* ".

Nota, quod poſt emanatam cit. Conſtitutionem *Libentiſſime*, in qua per viam legis univerſalis, inter alia confirmatum eſt ſequens reſponſum ad dubium, ſecundo loco Bened. propoſitum ab Archiepiſc. Compoſtellæ, iis ſcilicet, quibus tempore vetito conceſſum eſt veſci carnibus, non licere in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci jejunantibus permiſſa, = *ſed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utun-*

utuntur homines jejunantes recte meticuloſa conſcientia = prout legitur in literis in forma Brevia, incipien. *Si fraternitas*, eidem Archiepiſcopo datis 8. Julii 1744. orlum fuit dubium, an diſpenſatis ad lacticinia liceret io eadem ſerotina collatiuncula parum caſei ſumere, quidam confeſſarius ſupplicavit eundem Bcoedictum pro declaratione, a quo tranſmiſſo ad S. Pœnitentiariam ſupplici libello, hæc *optime conſcia mentis Sanctitatis ſua, ex ſpeciali auctoritate ejuſdem, reſpondit, non licere.*

Verum eum idem confeſſarius dubitaverit, an hoc reſponſum dicta S. Pœnitentiaria dederit ex propria interpretatione ſupradicti reſponſi, Archiepiſcopo Compoſtellæ dati, vel potius ex ejuſdem Pontificis oraculo, iterum ſupplicavit, ut ipſemet Pontifex mentem ſuam explicaret, qui per organum laudatæ S. Pœnitentiariæ ſequens hoc dedit reſponſum = *Sacra Pœnitentiaria de mandato Sanctiſſimi Domini, qui ſuis ipſe oculis retroſcriptam epiſtolam dignatus eſt legere, reſpondit, vera eſſe, & pro veris habenda, quæ conſtat ab eadem Pœnitentiaria fuiſſe reſcripta = Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die 23. Julii* 1756. Dictum authenticum reſponſum Alfonſus de Ligorio *Theol. moral. lib. III. tract. VI. de VIII. præcepto cap. III. dub. I. num.* 1027. refert, & aſſerit apud ſe retinere.

SECTIO DCXXVI.

Caput III. Explicari, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Pragenſi reſcripta, quæ integra ex Gonzalez tranſcribitur.*

EXplicari per Sedem Apoſtolicam poſtulaſti, utrum illis ſit licitum, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, carnes comedere, quando in ſexta feria dies Dominicæ Nativitatis occurrit. Ad hoc tale damus reſponſum, quod illi, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in feria ſexta, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ ipſo die contigerit venire, carnibus propter feſti excellentiam uti poſſunt, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis: non tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere.

Cum ioter Regularea, qui ex præcepto vi regulæ ſexta feria jejunare tenentur, potiſſimum annumerantur Religioſi S. Franciſei, hoc ſane privilegio veſcendi earnibus ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione uti non poſſunt, eum feſtum Nativitatis Domini in eandem feriam incidit.

Ludovieus de Ameno *tom. III. de Delict. & pan. tit. IX. verbo Jejunium*, §. *I. num.* 53. refert conceſſionem vivæ vocis oraeulo factam a Paulo IV. Angelo Averſano Procuratori Geoerali Ordinis S. Franciſci, deſumptam a Sanctorio in Archivio Araecœlitano in regeſtro Ordinis, incipien. ab anno 1518. per hæc verba „ Paulus Divina providentia Papa IV. conceſ„ ſit vivæ vocis oraeulo mihi Fratri Angelo Averſa„ no facto, quoties Nativitas D. N. J. C. venerit feria „ ſexta, ut Fratres præſentes, & futuri poſſent, & „ debereot veſci carnibus: & ſuper hoc diploma Apo„ ſtolieum juſſit confici; & hoc præcepit mihi anoo ſui „ Pontificatus II. 1556. quo anno feſtum Nativitatis „ D. N. veoit feria ſexta.

Verum quidquid ſit de hac cooceſſione, eum praxis totius Ordinis ſit penitus contraria, dicendum eſt, eidem ad ſolas preces fortaſſe d. Procuratoris Generalis factæ renunciatum fuiſſe, vel a Superioribus, vel a capitulo generali, facto verbo eum eodem Pontifice, ac proinde tale diploma nunquam emanaſſe, quo utique, ſi emanatum fuiſſet, munitum præſertim eum illa elauſula = præſentes, & futuri poſſent, ut deberent = in præſens adhuc uterentur.

Titulus XLVII. De Purificatione poſt Partum.

SECTIO DCXXVII.

Caput Unicum, Volens, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo Armachano reſcripta.*

VOlens (& infra.) Licet ſecundum legem moſaycam certi dies determinati fuiſſent, quibus mulieres poſt partum a templi ceſſarent ingreſſu, (pro maſculo nempe dies 33. pro fœmina vero 66. ut ex cap. XII. Levit. verſ. 2.) Quia tamen lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod poſtquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, ſi mulieres poſt prolem emiſſam, acturæ gratias, Eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec eſt Eccle-

Eccleſiarum eis aditus dènegan¢us, ue pœna illis converti videatur in culpam; ſi tamen e: veneratione voluerint aliquandiu abſtinere, devotionem earum non credimus improbandam

Cum neque in hac Decretali, neque *in Can.* II. *Si mulier. V. diſtin.* neque in Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito, *cap. de Benedictione wulieris poſt partum*, ſtatutum fuerit, a quo Sacerdote puerpera, cum primum a puerperio domo exiens, ſe ad Eccleſiam confert, gratias Deo actura pro beneficio puerperii, ſuæque incolumitatis, benedictionem recipere debeat, potiſſimum cum in Rubrica cit. Ritualis ſimpliciter dicatur = *Siqua puerpera &c .... petieritque a Sacerdote benedictionem* = inde non ſemel ortum eſt dubium, an a quocunque Sacerdote, an a proprio parocho hæc danda ſit, itaut hæc facultas veniat adnumeranda, nedum inter functiones parochiales, ſed etiam inter jura parochialia, privative ad parochum pertinentia. Cui dubio viſum eſt nonnullis Auctoribus, inter quos Reiffenſt. *hoc ead. tit.* ſatis proviſum fuiſſe a ſequenti decreto Congr. Conc. emanato 18. Decembris 1662. in cauſa *Antuerpienſi inter parachos, & Regulares Mendicantes ejuſdem civitatis*, relato a Van-Eſpen *part.* II. *tit.* II. *cap.* V. *poſt num.* 15. ,, Con-
,, querebantur parochi Civitatis Antuerpienſis, quod,
,, non obſtante contraria conſuetudine, necnon Con-
,, ſtitutione Synodi provincialis, per Sac. Congr. reco-
,, gnitæ, & per Sedem Apoſtol. approbatæ, Regula-
,, res Mendicantes functionibus paſtoralibua ſe immi-
,, ſceant, & præſertim audeant in ſuis Eccleſiis mu-
,, lieres poſt partum ad purificationem admittere; ad-
,, debantque ab Epiſcopo Antuerpienſi, utpote Re-
,, gulari, hujuſmodi præjudiciis per Regulares illatis,
,, minime conſuli. Quare ab Apoſtol. Sedis auctorita-
,, te ſubſidium, ac tutelam ſuppliciter quærebant: an
,, prædictis Regularibus civitatis Antuerpienſis liceat
,, in propriis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purifi-
,, cationem admittere = Die 18. Novembris 1662.
,, S. Congr. utraque parte audita, cenſuit, prædictia
,, Regularibus civitatis Antuerpiæ non licere ".

Verum nulla videtur habenda eſſe ratio allati decreti ad dirimendam hujuſmodi controverſiam; quandoquidem, præterquamquod emanatum ſit in cauſa particulari, quæ ex vulgatis, firmare nequit generalem regulam, innixum eſt non juris communis diſpoſitioni, ſed conſuetudini, parochis favorabili, & Conſtitutionibus ſynodalibus, ut illud legenti patet. Repetenda eſt ergo hujus dubii deciſio a decreto S. Rituum Congr. *il* VI. *inter* XXXIII. *ſibi propoſita Urbis & Orbis*, 10. *Decembris* 1703. & approbatis a Clemente XI. 12. Jan. 1704. bis verbis extenſo = *An benedictiones mulierum poſt partum, fontis baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium, ſint de juribus mere parochialibus. S. eadem Congreg. reſpondendum eſſe cenſuit, ad VI. negative; ſed benedictiones mulierum, & fontis baptiſmalis fieri debere a parochis.*

Quamvis autem in hoc decreto ſtatuatur, mulieris benedictionem poſt partum, tamquam unam ex functionibus parochialibus, non vero ex juribus parochialibus, ut diſtinguit Benedictus XIV. *Inſtit. eccleſiaſtica CV.* §. *VI.* faciendam eſſe a parochis; non ita tamen privative ad eos ſpectat, quin ab aliis Sacerdotibus in Eccleſiis, a parochiali ſejunctis, dari poſſit, licet intra hujus limites fundatæ reperiantur, quæ non ideo ipſi ſubjectæ ſunt quoad ea, quæ non ſunt de juribus parochialibus; quemadmodum idem Benedictus luculenter probat loc. cit. ex pluribua decretis Conc. Congr & Rotæ Deciſionibus. Quod etiam firmatur ex hodierna praxi; cum videamus puerperas mulieres pro earum libito ad quam maluerint Eccleſiam accedere, benedictionem recepturæ ſine ulla parochorum contradictione præſertim, in iis locis, ubi non viget conſuetudo, ut recipiatur a ſolo parocho.

Nota I. Nullo hodie puerperam obſtringi præcepto benedictionem recipiendi, nec abſtinendi per dies aliquot ab Eccleſiæ ingreſſu, ut conſtat ex verbis allatæ Decretalis = *Si Eccleſiam intrare voluerint: ſi ex veneratione voluerint aliquandiu abſtinere* = juncto cit. *Can.* II. *Si mulier*, in quo hæc habes = *Si mulier eadem hara, qua genuerit, actura gratias, intrat Eccleſiam, nullo pondere peccati gravatur* = Quamvis, ut oſtendit Reinffeſt. *hac eod. tit.* conſuetudine introduci poſſit, ut ante ingreſſum ad Eccleſiam dictam benedictionem petere teneatur, & aliquid pro ea parocho præbere.

Nota II. Quod licet ex hac Innocentii declaratione non ſit improbanda puerperæ devotio, ſi ex veneratione ab ingreſſu Eccleſiæ ſe voluerit aliquandiu abſtinere: improbandum tamen crederem quarundam puerperarum morem, quæ citra ullum valetudinis periculum, nimium ſibi blandientes, largiſſime aliquantulum temporis, a Pontifice hic indultum, interpretando illud extendunt etiam ad quadraginta dies: quo fit, ut diebus feſtis Miſſæ ſacrificio non aſſiſtant: & ſic vertant in commodum corporis, quod pia conſuetudine ad profectum animæ inſtitutum eſt.

Pro coronide hujus ſectionis, ſi quæras, quæ functiones ſint de jure parochiales, quæque mere ſacerdotales, placet hic in medium afferre reſponſum laudati Benedicti XIV. deſumptum ex Rotæ deciſione *988. coram Lauretta*, ab eodem relata in *cit. Inſtit. CV.* §. *VI. num.* 109. 110. & 111. ibi ,, Certum eſt præter hæc
,, jura parochialia " (adminiſtratio videlicet Euchariſtiæ in Paſchate, Viatici, Extremæ unctionis, aſſiſtentia in matrimoniu contrahendo, ſepultura, & ſolutio decimarum, ac oblationum, juxta leges, & inſtituta diœceſum) ,, functiones quoque alias recenſeri,
,, quæ cum iiſdem juribus ita implicitæ, & connexæ
,, ſunt, ut ſoli parocho liceat ipſas in ſua ditione exer-
,, cere = Domini procedendum eſſe cum diſtinctione
,, cenſuerunt: quatenus enim hujuſmodi jus privati-
,, vum exercendi functiones eccleſiaſticas reſpicit eas,
,, quæ ſunt de jure parochiales, ſane diverſimode ju-
,, dicari non poteſt, quam favore ipſius parochi, ad
,, quem procul dubio privative quoad quemcumque
,, Rectorem alterius Eccleſiæ, vel Oratorii, intra
,, fines ſuæ parochiæ exiſtentis, earum exercitium
,, ſpectat = Sed paulo puſt hæc ſuperadduntur =.
,, Quatenus vero ad alias extendi prætendatur fun-
,, ctiones, quæ parochiales non ſunt, ſed mere ſa-
,, cerdotales, utique nullum parochus jus habet eas
,, prohibendi Rectori alterius Eccleſiæ, niſi ita ex
,, aliquo privilegio, aut pacto in fundatione poſito,
,, ſtatutum eſſe docuerit = Reſtat igitur, ut expo-
,, namus, quænam parochiales, aut ſacerdotales
,, functiones appellari debeant. Porro id explicari
,, nequit alio modo, quam ex decretis, editis an. 1703.

,, qui-

„ quibus declaratur, ſacerdotale id eſſe cenſendum, „ quod non parochiale decernitur 1. illud autem concedi etiam Rectoribus aliarum Eccleſiarum, & „ capellanis Sodalitatum, quamvis ipſarum Eccleſiæ „ parochiæ limitibus comprehendantur = Quales vero (ita proſequitur eadem Sacræ Rotæ ſententia) „ & quot ſint illæ functiones, quæ parochiales dici „ non debent, ſed ſacerdotales, Domini non exiſtimarunt ſingulariter explicare, cum ſatis illæ pateant ex prædictis generalibus decretis Sacræ Congregationis Rituum *Urbis, & Orbis anni* 1703. a „ Sanctiſſimo approbatis. Numero autem decimo. „ (intellige dictæ decis.88.) hæc habentur = Hujuſmodi vero decreta a Sanctiſſimo Domino noſtro ſubinde confirmata, tanquam leges in quocumque „ tribunali recepta jam ſunt, & præſertim in hoc noſtro".

Prædicta autem decreta ſunt ſequentia.

D E C R E T A

Congregationis Sacrorum Rituum,

Circa jura parochialia, functiones, & præeminentias inter Parochos, & Confraternitates laicorum, earumque Capellanos, & officiales.

U R B I S, ET O R B I S.

Ad debitum imponendum finem controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates ſeculares, earumque Capellanos, & officiliales ſuper juribus parochialibus, & functionibus eccleſiaſticis, nonnulliſpræeminentiis, ſeu prærogativis frequenter exoriri ſolent, in Sacrorum Rituum Congr. ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Colloredo propoſitis infraſcriptis dubiis, videlicet.

I. An Confraternitates laicorum, legitime erectæ in Eccleſiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus eccleſiaſticis, non parochialibus?

II. An dictæ Confraternitates, erectæ in Capellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, annexis parochialibus Eccleſiis, & ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectæ in aliis Eccleſiis publicis, habeant quoad eaſdem functiones aliquam dependentiam a parocho, intra cujus parochiæ limites ſitæ ſunt Eccleſiæ?

IV. An Confraternitates, erectæ in Oratoriis, tum publicis, tum privatis, ſejunctis ab Eccleſiis parochialibus, quoad dictas functiones eccleſiaſticas habeant dictam dependentiam a parocho?

V. An benedictiones, & diſtributiones candelarum, cinerum, & palmarum ſint de juribus mere parochialibus?

VI. An benedictiones mulierum poſt partum, fontis baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium, ſint de juribus mere parochialibus?

VII. An functiones omnes Hebdomadæ ſanctæ ſint de juribus mere parochialibus?

VIII. An celebratio Miſſæ ſolemnis feria quinta in Cœna Domini ſit de dictis juribus parochialibus?

IX. An prima pulſatio campanarum in ſabbato ſancto ſit de dictis juribus parochialibus?

X. An celebratio Miſſarum ſolemnium per annum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis, ſit de juribus parochialibus.

XI. An Expoſitio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit ſuper populo, ſit de dictis juribus mere parochialibus?

XII. An expoſitio, quæ fit cum Reliquiis, vel ſacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit ſuper populo, ſit de dictis juribus parochialibus?

XIII. An functiones in præcedentibus VIII. dubiis, videlicet, a dubio V. ad XII. expreſſæ, peragi poſſint in Oratoriis privatis, contradicente parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres ſtatis horis recitari poſſint horæ canonicæ cum cantu, vel ſine, abſque alia licentia parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis ſit licita celebratio Miſſæ privatæ, aſſentiente Ordinario loci, & contradicente parocho?

XVI. An Capellani Confraternitatum poſſint populo denunciare feſtivitates, & vigilias, occurrentes in hebdomada, abſque licentia parochi?

XVII. An parochus, invitis Confratribus, docere poſſit Doctrinam chriſtianam in prædictis Eccleſiis, & Oratoriis, publicis, & privatis, a parochiali diviſis, & ſeparatis?

XVIII. An in ſæpedictis Eccleſiis publicis Confraternitatum poſſint haberi publicæ conciones, etiam per totum curſum Quadrageſimæ, vel Adventus cum licentia Ordinarii, & abſque licentia parochi.

XIX. An in eiſdem Eccleſiis poſſit celebrari Miſſa, ſive lecta, ſive cantata, ante Miſſam parochialem, ſive lectam, ſive cantatam.

XX. An ad parochum ſpectet facere officium funebre ſuper cadaveribus, ſepeliendis in ſæpedictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem Eccleſiarum fieri poſſint Proceſſiones, juxta cujuſque Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, vel licentia parochi?

XXII. An eædem Proceſſiones fieri poſſint extra ambitum dictarum Eccleſiarum, abſque licentia illorum parochorum, per quorum territorium tranſeundum eſt?

XXIII. An in dictis Proceſſionibus Capellani Confraternitatum poſſint deferre ſtolam?

XXIV. An Epiſcopo, accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum ſit aſperſorium a parocho, in cujus territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ.

XXV. An earumdem Eccleſiarum, & Confraternitatum Rectores, & Capellanos poſſit parochus, ceſſante alio ſpeciali, ac legittimo titulo, & ex ſolo jure parochialitatis, compellere invitos ad aſſiſtendum functionibus Eccleſiæ parochialis?

XXVI. An in ſæpedictis Eccleſiis Confraternitatum, neque parochialibus, neque Regularibus, retineri poſſit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ?

XXVII. Præſuppoſita facultate retinendi, an poſſit infra annum publice exponi ſine licentia Ordinarii?

XXVIII. An poſſit parochus ſe ingerere in adminiſtratione oblationum, vel eleemoſynarum in

ſæpe-

ſæpedictis Eccleſtis recollectarum , vel capſulæ , pro illis recipiendis expoſitæ , clavem retinere ?

XXIX. An in Eccleſia parochiali Confrates , vel eorum Capellani immiſcere ſe valeant , invito parocho , in ejuſdem Eccleſiæ functionibus , ſive parochialibus , ſive non parochialibus ?

XXX. An Confraternitates , ſive ſint erectæ in Eccleſia parochiali , ſive extra illam, poſſint pro libito , & juxta uniuſcujuſque pecularia ſtatuta congregationes ſuas facere abſque interventu , vel licentia parochi ?

XXXI. An poſſint propria bona adminiſtrare , ac de illis diſponere , abſque ulla dependentia a parocho ?

XXXII. Quando parochus eiſdem congregationibus interſit de mandato Ordinarii , & tamquam ejus delegatus , an poſſit ſuffragium deciſivum ferre ? & quatenus affirmative ?

XXXIII. An etiam ſuffragium duplex .

Sacra eadem Rituum Congregatio , re mature diſcuſſa , reſpondendum eſſe cenſuit .

Ad I. Affirmative. Ad II. Affimative. Ad III. Negative . Ad IV. Negat. Ad V. Negative . Ad VI. Negative , ſed benedictiones mulierum , & fontis baptiſmalis fieri debere a parochis. Ad VII. Negative, prout jacet. Ad VIII. Negative, prout jacet; ſed ſpectare ad parochos . Ad IX. Negative, prout jacet , ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem , ad formam Conſtit. Leon. X. 22. §. 14. Ad X. Negative , prout jacet ; ſed licere Confratribus dumtaxat in feſtivitatibus ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ , vel Oratorii , ut in *Brundiſina ſub die* 1. *Junii* 1601. Ad XI. Negat. Ad XII. Negative , & quoad benedictiones cum Reliquiis , & Imaginibus ſerventur decreta . Ad XIII. Satis proviſum in ſuperioribus . Ad XIV. Affirmative , niſi aliter Ordinarius ſtatuat ex rationabili cauſa . Ad XV. Affirmative . Ad XVI. Affirmat. Ad XVII. Negat. Ad XVIII. Affirmative . Ad XIX. Negative, niſi aliter Epiſcopus diſponat . Ad XX. Affirmative, quando tumulandus eſt ſubjectus parocho , intra cujus finea eſt Eccleſia , vel Oratorium . Ad XXI. Affirmat. Ad XXII. Negative , niſi adeſſet licentia Epiſcopi. Ad XXIII. Negat. extra propriam Eccleſiam . Ad XXIV. Negat. Ad XXV. Negative. Ad XXVI. Neg. Ad XXVII. Neg. Ad XXVIII. Negative . Ad XXIX. Negat. Ad XXX. Affirmative , dummodo non impediant functiones , & divina officia . Ad XXXI. Affirmative . Ad XXXII. Negative . Ad XXXIII. Negative .

Et ita , ſalvis tamen conventionibus , & pactis in erectione Confraternitatum , forſan factis, concordiis inter partes initis , & a S. Sede approbatis , indultis , conſtitutionibus ſynodalibus, ac provincialibus, conſuctudinibua immemorabilibus , vel ſaltem centenariis , declaravit , ac decrevit , ſi Sanctiſſimo Domino noſtro videbitur .

Die 10. Decembris 1703. Et facta deinde per me Secretarium de prædictis decretis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione , prævia eorum integra lectura , Sanctitas ſua laudavit , benigneque approbavit , & publicari , & non obſtantibus quibuſcumque aliis in contrarium facientibus , ſervari mandavit . Die 12. Menſis Januarii 1704.

G. Cardinalis Carpineus .
B. Inghirami S. Rit. Congr. Secret.

Titulus XLVIII. De Eccleſiis ædificandis , vel reparandis .

SECTIO DCXXVIII.

CAPUT I. QUICUMQUE , *ex Decretali , deſumpta a Can. XLII. Concilii Moguntini , celebrati Moguntiæ in Germania , tempore Caroli Magni an.* 813.

QUicumque eccleſiaſticum beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda , vel ipſas Eccleſias emendandas .

Huic Decretali , in qua injungitur poſſidentibus beneficium in aliqua Eccleſia onus contribuendi pro expenſis neceſſariis ad ejuſdem Eccleſiæ reſtaurationem, ſi agatur de reſtauranda Eccleſia parochiali , vel non parochiali , acceſſerunt decreta Concilii Tridentini *cap. VIII. ſeſſ VII. & cap. VII. ſeſſ. XXI. de reform.* quorum textus leges parte II. in quibus hac de re inſtituetur ſermo .

SECTIO DCXXIX.

CAPUT II. CUM DICAT , *ex Decretali , deſumpta a cap. XXIII. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

CUM dicat Apoſtolus (& infra .) Conſtituimus , ut ubicunque tot ſimul leproſi ſub communi vita fuerint congregati ; quod Eccleſiam cum cæmeterio ſibi conſtruere , & proprio gaudere valeant presbytero , ſine contradictione aliqua permittantur habere . Caveant

tamen ,

tamen, ut injurioſi veteribus Eccleſiis de jure parochiali nequaquam exiſtant: quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur.

Hæc Decretalis quoad Sacramenta adminiſtranda a Sacerdotibus deputatis pro cura decedentium in noſocomiis, ac ſepulturam eis dandam in horum Eccleſia, & cæmeterio, confirmata eſt a Clem.V. ut in ejus Decretali, relata in *cap. II. Quia contingit, de Religioſ. domib. in Clementin.* §. *Cæterum*, de quo memini ſupra in notis ad idem cap. Sect. DLXVII ſalvo tamen jure parochorum, ubi tantummodo viget conſuetudo prædicta ab eis exercendi, & miniſtrandi, ibi.

Cæterum noſtræ intentionis exiſtit, quod ſiqua ſunt hoſpitalia, Altare, vel Altaria, & cæmeterium ab antiquo habentia, & Presbyteros celebrantes, & Sacramenta eccleſiaſtica pauperibus miniſtrantes; ſeu ſi parochiales Rectores conſueverint in illis exercere præmiſſa, antiqua conſuetudo ſervetur quoad exercenda, & miniſtranda ſpiritualia ſupradicta.

Verum, cum hodie hoſpitalia præfata jura præſcripſerint contra parochos, nedum quoad infirmos, ſed etiam quoad eorumdem hoſpitalium familiares, inde ſequitur, huic conſuetudini derogatum fuiſſe, ac inveteratam, & conſtantem contrariam ortam eſſe, ne iidem parochi in his peragendis amplius ſe immiſceant, ut cum communi Canoniſtarum firmat Van-Eſpen. *par.* II. *tit.* XXXVII. *de Hoſpitalib. cap.* III. *num.* 41. ibi „Hinc concludunt Canoniſtæ poſt Gloſſ. *in Clem.* II. *de Religioſis domib. verb. Parochiales*, licet hoſpitale, & illius *familia*, & pauperes, ibi degentes ſint de parochia matricis Eccleſiæ, potuit tamen præſcribere hoſpitale, quod per proprium Sacerdotem illis ſpiritualia miniſtrentur“.

Rationem hujus præſcriptionis affert Card. de Luca, *diſcurſ.* XXIII. *de Parochiis*, quod ſcilicet „talia pia loca ad tollendam confuſionem in adminiſtrandis Sacramentis, intra ſuum ambitum dicuntur habere quoddam improprium territorium, & quoad ibi *viventes* conſtituere quandam ſpeciem parochiæ diverſæ, ac ſtantis de per ſe, cujus parochi loco habetur Sacerdos deputatus ad Sacramenta miniſtranda“.

Hujus generis eſt valetudinarium pauperum Sacerdotum penes Pontem Sixtinum de Urbe, erectum auctoritate Clem. X. ſub die 13. Jul. 1674. cum Eccleſia, campana, cæmeterio, & SS. Euchariſtiæ retentione, cujus curæ, & regimini, loco miniſtrorum, & familiarium poſtea ſuffecti fuerunt PP. Scholarum Piarum cum conſenſu Clem. XI. uſque a die 19. Jun. 1712. ut ex autographo documento per acta Quintilii, Notarii Eminentiſſimi Urbis Vicarii; qui, nedum qua familiares, & miniſtri ejuſdem valetudinarii, ſed etiam qua Regulares, numero quinque ibidem degentes cum prædicto conſenſu, penitus exempti ſunt quoad omnia a juriſdictione parochi SS. Salvatoris, (intra cujus parochiæ limites ſitum eſt dictum valetudinarium) licet non degant in domo regulari, ſed tamquam in hoſpitio: Regulares enim degentes ex indulto Sedis Apoſtolicæ in hoſpitiis, neque ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi, juxta declarationem Cong. Conc. *in Vercellen.* 21. *Martii* 1643. *ad* VII. *ut lib.* XVII. *decretor. ejuſdem Cong. pag.* 170.

Quin eis obſtet ſequens Cong. Epiſcopor. & Regul. decretum, emanatum in cauſa Calaguritana de Bilbao, relatum a Matthæuccio *Offic. Curiæ cap.* XVI. *num.* 7. = *PP. Carmelitas Diſcalceatos poſſe continuare in hoſpitio, vel potius ipſum reducere ad hoſpitium ſeculare, cum habitatione, quæ tantummodo deſerviat pro recipiendis Religioſis itinerantibus, quod in nullo ſervetur forma regularis, non erigatur Eccleſia, ſeu Oratorium formale, cum janua publica in via, ſed tantum Oratorium internum, ad effectum inibi Miſſas, & orationes privatas pro eorum ſpirituali uſu tantum celebrandi: quod in illo Sacramenta non adminiſtrentur, nec fiant publicæ conciones, nec divina, aliæque functiones peragantur: non tumulentur cadavera, nec retineatur campana, nec aliquid ſignum, quod vero conventui adaptetur, & tranſcendat naturam, & conditionem meri, & ſimplicis hoſpitii ſecularis; addita prohibitione quæſtuandi; necnon, quod Regulares, ad illud ſe transferentes non aſſumant titulum Præſidentis, vel alterius officialitatis; ſubjiciendo ulterius in caſum contraventionis ipſo facto pœnis contra Religioſos degentes extra clauſtra: non obſtante quacunque exemptione, aliiſque arbitrio Sac. Congr. & quod ſuper obſervantia præmiſſorum, Provincialis, & deffinitorium valide ſe obligent coram Epiſcopo, qui inſtrumentum dictæ obligationis ad eandem Sac. Cong. tranſmittat. Romæ 15. Septembris 1690.* = Nec alia emanata ab eadem Congr. quibus mandatur, hoc idem ſervandum eſſe, in Atrien. Hoſpitii a PP. Diſcalceatis Sancti Auguſtini 31. Aug 1691. & in Veliterna a Carmelitis Diſcalceatis 5. Decembris 1692. quin inquam officiat prædictum decretum, cum in eo agatur de longe diverſa facti ſpecie; PP. enim Scholarum Piarum degunt in præfato valetudinario, non tamquam in domo meri, & ſimplicis hoſpitii ſecularis, ut in terminis ejuſdem decreti, ſed degunt, tamquam in domo, vere religioſa, cui annexa eſt publica Eccleſia cum SS. Euchariſtiæ retentione, cujus cuſtodia, & regimen iis commiſſa eſt a Sede Apoſtolica; ideoque ad eoſdem non extenſibile.

Quin etiam officiat objectio, quæ fortaſſe fieri poſſet, ſcilicet, quod licet iidem PP. qua familiares laudati valetudinarii exempti ſint, juxta communem Canoniſtarum, a juriſdictione parochi; cum tamen non in illius, ſed in Collegii manſionibus degant, ei ſubdi dici debeant, eo pari modo, quo ſubſunt Presbyteri ſeculares Convictores, ibidem degentes: non enim ideo ſequitur, eos non eſſe miniſtros, & familiares ejuſdem valetudinarii, nedum, quia hoc de materiali ſe habet, ſed etiam quia reſpectu illorum manſiones hujus, & Collegii ſunt unæ, & eædem, ac proinde dicuntur

cuntur degere ſub codem tecto ; Collegium ſiquidem unitum fuit dicto valetudinario, in nihilo immutato hujus, ac miniſtrorum ſtatu, & natura, ut ex Conſtitutione Innoc. XII. *Catholicæ*, *ſub die* 28. *Junii* 1699.

SECTIO DCXXX.

Caput III. Ad audientiam, *ex Decretali ejuſdem Alexandri*, *Eboracenſi Archiepiſcopo in Anglia ſcripta*.

AD audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Eccleſia parochiali diſtare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non poſſint parochiani ſine magna difficultate ipſam adire: unde non valent congruo tempore eccleſiaſticis officiis intereſſe. Quia igitur dicta Eccleſia ita dicitur redditibus abundare, quod præter illius villæ proventus, miniſter illius convenienter valeat ſuſtentationem habere: mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, Eccleſiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, ſublato appellationis obſtaculo, ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ majoris, cum canonico fundatoris aſſenſu inſtituas, ad ſuſtentationem ſuam ejuſdem villæ obventiones eccleſiaſticas percepturum: providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci, matrici Eccleſiæ ſervetur: quod quidem fieri poſſe videtur, cum ejuſdem villæ dominus viginti arras terræ (idest certas terræ menſuras) frugiferæ velit ad uſus Sacerdotis conferre. Si vero perſona matricis Eccleſiæ virum idoneum præſentare diſtulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum, appellationis ceſſante diffugio, inſtituere non omittas.

Hanc Decretalem innovavit Conc. Trid. *cap*. IV. *ſeſſ*. XXI. *de refor*. ſtatuens præterea, ut ſi neceſſe fuerit, poſſit Epiſcopus compellere populum ad ſubminiſtranda, quæ ſufficiant ad vitam parochi, de novo deputandi, ſuſtentandam. Textum leges infra part. II.

Cum autem contingere poſſit, quod parochianorum paupertas tanta ſit, ut hac via provideri nequeat novæ parochiæ decori, & Rectoris ſuſtentationi, ſequentia ſuppeditat Fagnanus ad hanc eandem Decretalem, & cit. cap. Trident. num. 6. ibi ,, Sin autem paupertas parochianos excuſet, cogat Epiſcopus Abbatem, vel Præpoſitum, cui parochia illa in temporalibus ſubeſt, ad ſuppeditanda vitæ neceſſaria Sacerdoti inſtituendo, ut *cap. Sanctorum*, *verſic. Si quæ tamen capellæ* 70. *diſt. de Extirpandæ*, §. *Cum igitur*, *ſupra de præb*. Quod ſi & illos excuſet inopia, provideat Epiſcopus ex menſa ſua, *argum. cap. final. infra eodem verſ. Inter cætera*, *ſupra de offic. Ord*. Ad hoc enim tenetur Epiſcopus, ſi commode poteſt, *ut in can* 2. 16. *quæſt*. 3. *can. Præcipimus*, & *can. Eccleſiaſticum*, 12. *q*. 1. *can Regenda*, & *per tot*. 10. *qu*. 1. & *can. Epiſcopus habeat poteſtatem* 10. *qu*. 2. Itaque ſecundum ordinem ſuperius propoſitum procedendum erit ab Epiſcopo in aſſignatione redditunm pro ſuſtentatione Rectoris novæ parochiæ, prout concludunt hic Hoſtien *n*. 3. Joan. Andr. *n*. 7. in Gloſs. 2. Butr. *n*. 9. Cardin. *n* 5. *in* 2. *qu*. Ancharan. *n*. 5. *in* 1. *qu*. & Abb. *num*. 7. & alias declaravit Sacra Congregat. Cardin. Conc. Trid. interpretum. Cenſuit enim in terminis Concilii, aſſignationem faciendam ex fructibus ad Eccleſiam matricem pertinentibus, & ſi ii non ſufficiant, tunc demum populum compellendum eſſe; quod ſi nec ipſe ob paupertatem compelli poſſit, Epiſcopum de ſuo dare debere ".

Quod autem Epiſcopus de ſua menſa in caſu tenuitatis redditunm Eccleſiæ matricis, & parochianorum paupertatis, novæ parochiæ erectioni providere debeat citra fractionem juramenti, a ſe præſtiti de rebus Eccleſiæ non alienandis, jam declaraverat Cæleſtinus III. in ejus Decretali relata *hoc cod. tit. cap VI*. de qua infra Sectione DCXXXII.

Eadem S. Congr. juxta diverſas facti, & locorum circumſtantias, aliquando diviſiones admiſit: prius tamen conſtito de quantitate congruæ aſſignandæ novo parocho, ut in *Aquen diſmembrat*. 13. *Julii* 1720. & 2. *Auguſtii* 1721. *in Immolen. diſmembrat*. 8. *Junii* 1720. *in Aſculana diſmembrat*. 15. *Decemb*. 1759. & noviſſime 14. *Decemb*. 1765.

Aliquando denegavit, in caſu, quo parochianorum neceſſitati ſatis conſultum judicavit cum capellano coadjutore, ſeu Vicario parochi, ut in ſpecie tranſcriptæ Decretalis, prout decrevit in *Caſſanen. diſmembrat*. 17. *Decembris* 1740. *in Aquilana diſmembrat*. 8. *Februarii* 1744. *in Comen diſmebrat*. 7. *Aug*. 1745. & in terminis oblati per parochianos ſtipendii abſque ulla diviſione redditunm veteris parochiæ in *Lunen. Sarzanen. diſmembrat*. 8. *Martii*, & 27. *Septem*. 1732. & *in Conſtantien*. 27. *Junii* 1761.

SE-

SECTIO DCXXXI.

Caput IV. De his, *ex Decretali laudati Alexandri III. Archiepiſcopo Lexovienſi reſcripta.*

DE his, qui parochiales Eccleſias habent, duximus reſpondendum, quod ad reparationem, & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi eis ſuperſint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.

Huic Decretali acceſſit decretum Conc. Trident. *cap. VII. ſeſſ. XXI. de refor.* de qua re, in ea ſancita, inſtituctur ſermo *pa. II. cum de eod. cap. VII.* ut innui ſupra ad *cap. I. Quicumque*, *hoc eod. tit.* Sectione DCXXVIII.

SECTIO DCXXXII.

Caput VI. Tua nos, *ex Decretali Celeſtini III. ignotum, cui Epiſcopo reſcripta.*

TUA nos duxit (& infra.) Præterea, quia occaſione juramenti, quod de rebus Eccleſiæ non alienandis, te aſſeris præſtitiſſe in locis tui Epiſcopatus, in quibus populi habitantes, Oratoriis egere videntur (ne prætextu novarum Eccleſiarum commiſſa tibi Eccleſia deſtitui videatur) Eccleſias formidas erigere; fraternit. tuæ mandamus, quatenus illius juramenti occaſione nullatenus prætermittas, quin populo indigenti ſuper baſilicarum inſtitutione ſtudeas ſalubriter providere.

Circa hanc Decretalem, in qua reſpondit Pontifex., non officere juramentum, præſtitum ab Epiſcopo in facti ſpecie, de qua hic agitur, hæc notat Wagnarek „, Nota IV. Dubium eſſe, an idem ſit dicendum „ hodie, ſtante juramento epiſcopali; item Paulina „ *Ambitioſæ*, & vel maxime *cap. Adverſus, de Im-* „ *munit. Eccleſiarum*, ubi prohibetur omnis alienatio, „ inconſulto Romano Pontifice, Panormitanus *num. 6.* „ refert, aliquos ſenſiſſe, *non obſtante hac clauſula,* „ *juramentum ſolum extendi ad illicitam alienatio-* „ *nem, non autem ad illam, quæ eſt de ſe licita, ut-* „ *pote facta ex neceſſaria, & juſta cauſa*: contra- „ rium tamen propter rigorem verborum tenet Joan- „ nes Andreas ".

Titulus XLIX. De Immunitate Eccleſiarum, Cœmeterii, & rerum, ad eas pertinentium.

SECTIO DCXXXIII.

Caput II. Pervenit, *ex Decretali S. Gregorii Magni, Agnello, Epiſcopo Terracinenſi, in Campania, ſcripta.*

PErvenit (& infra.) Fraternitas tua nullum per noſtræ, vel Eccleſiæ nomen, aut alio modo excuſari a murorum vigiliis patiatur: ſed omnes ad hoc generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus, melius valeat civitatis cuſtodia procurari.

Verior, & communior intellectus hujus Decretalis eſt, ut nedum homines Eccleſiæ, quales ſunt illius ruſtici, ſi adhuc alicubi ejus ſervitio adſcripti reperiantur, quorum appellatione veniunt adſcriptitii coloni, ſeu ſervi, addicti glebæ, ſive agrorum culturæ, ſed etiam quicumque Clerici teneantur ad murorum cuſtodiam, quoties ſubeſt magna neceſſitas, & imminet periculum invaſionis terræ ab hoſtibus, ſive infidelibus, ſive fidelibus, nec averti poteſt a laicis, ſine auxilio Clericorum: cujus tamen neceſſitatis cognitio ſpectat ad Epiſcopum, a quo dumtaxat, non a ſeculari poteſtate iidem Clerici ad dictam cuſtodiam adſtringi poſſunt; quod nedum clare deducitur ex hac Decretali, injungente Epiſcopo, ut non patiatur, quemquam excuſari a vigiliis murorum, ſed omnes generaliter ad eas compellantur, ideſt per ipſum; verum etiam ex ſequenti Decretali, in qua hujuſmodi cognitionem ad Epiſcopum ſpectare declaratur.

SECTIO DCXXXIV.

Caput IV. Non minus, *ex Decretali, deſumpta a cap.XIX. Conc.generalis lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.*1179.

NON minus (& infra.) In diverſis mundi partibus Conſules civitatum, & Rectores, necnon & alii, qui poteſtatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Eccleſiis, ut deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quam ſub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis ſervituti ſubactis Sacerdotes, & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtravit: iſti vero onera ſua fere univerſa imponunt Eccleſiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis, quod Hieremias deplorat, competere videatur: Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Sive quidem foſſatam, ſive expeditiones, ſeu alia quælibet ſibi arbitrentur agenda de bonis Eccleſiarum, & Clericorum, & pauperum Chriſti uſibus deputatis, volunt fere cuncta compleri. Juriſdictionem etiam, & auctoritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil poteſtatis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione fieri de cætero talia prohibemus: niſi Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem aſpexerint, ut abſque ulla coactione ad relevandas communes utilitates, vel neceſſitates, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem Conſules, aut alii de cætero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere noluerint, tam ipſi, quam fautores eorum, excommunicationi ſe noverint ſubjacere, nec communioni reddantur, donec ſatisfactionem fecerint competentem.

In hac Decretali ipſo facto excommunicantur Conſules, Rectoreſque civitatum, & alii quicumque Eccleſias, aut perſonas eccleſiaſticas taliis, ſeu collectis, aut aliis exactionibus onerare præſumpſerint, cum moniti, non deſiſterent; niſi forte Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem inſpexerint, ut abſque ulla coactione ad relevandas communes utilitates, vel neceſſitates, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia ab Eccleſiis exiſtiment conferenda.

Verum ampliata eſt ab Innocentio III. qui propter quorundam imprudentiam ſtatuit, ut præter Epiſcopi, & Cleri conſenſum interveniat etiam Papæ auctoritas, declaravitque, excommunicationem inflictam ab Alexandro durare etiam poſt regiminis tempus, ſimulque ad regiminis Succeſſorem tranſire, ſi intra menſem non ſatisfecerit, ut ex ſequenti Decretali, deſumpta a cap.XLVI. Concilii Generalis Lateranenſis IV. relata in *cap.VII. eod. tit.*

Adverſus Conſules, & Rectores civitatum, vel alios, qui Eccleſias, & eccleſiaſticos viros talliis, ſeu collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati eccleſiaſticæ Lateran. Concilium providere, præſumptionem hujuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit: transgreſſores, & fautores eorum excommunicationi ſubjacere præcepit, donec ſatisfactionem impenderint competentem. Verum, ſi quando forte Epiſcopus ſimul cum Clericis tantam neceſſitatem, vel utilitatem perſpexerit, ut abſque ulla coactione, ad relevandas utilitates, vel neceſſitates communes, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia duxerit per Eccleſias conferenda; prædicti laici humiliter, & devote recipiant cum gratiarum actione.

Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex prius conſulatur: cujus intereſt communibus utilitatibus providere. Quia vero nec ſic quorundam malitia contra Dei Eccleſiam conquievit, adjicimus, ut conſtitutiones, & ſententiæ, quæ a talibus, vel de ipſorum mandato fuerint promulgatæ, iuanes, & irritæ habeantur, nullo unquam tempore, valituræ. Cæterum quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, ut intra tempus regiminis ſuſtineat anathema, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionis debitum compellendus: nam & ipſum qui ſatisfacere recuſaverit, & ſucceſſorem ipſius, niſi ſatisfecerit intra menſem, manere decernimus eccleſiaſtica cenſura concluſum, donec ſatisfecerit competenter, cum ſuccedat in onere, qui in honore ſubſtituitur.

Hæc pariter Decretalis ampliata eſt a Bonifacio VIII. extendente excommunicationem, nedum ad laicos, Clericis collectas imponentes, decimamque, vel aliam proventuum eccleſiaſticorum partem exigentes, ſed etiam ad ipſos Clericos, qui, Papa inconſulto, talibus exactionibus conſentirent; atque ad illos,

los, qui ſcientes, publice, vel occulte in his auxilium, vel favorem darent, addito interdicto contra Univerſitates, quod una cum dicta excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſervavit, ut in ſequenti Decretali, relata in *cap.III. Clericis, hoc eod. tit. in VI.*

Clericis laicos infeſtos oppido tradit antiquitas, quod & præſentium experimenta temporum manifeſte declarant, dum ſuis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam ſit eis in Clericos, eccleſiaſticaſve perſonas, & bona interdicta poteſtas; Eccleſiarum Prælatis, Eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis, regularibus, & ſecularibus imponunt onera gravia, ipſoſque talliant, & eis collectas imponunt, ab ipſis ſuorum proventuum, vel bonorum dimidiam, decimam, ſeu vigeſimam, vel quamvis aliam portionem, aut quotam exigunt, & extorquent, eoſque moliuntur multifarie ſubjicere ſervituti, ſuæque ſubmittere ditioni, & (quod dolenter referimus) nonnulli Eccleſiarum Prælati, eccleſiaſticæque perſonæ, trepidantes, ubi trepidandum non eſt, tranſitoriam pacem quærentes, plus timentes majeſtatem temporalem offendere, quam æternam, talium abuſibus, non tam temerarie, quam improvide acquieſcunt, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſeu licentia non obtenta.

Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod quicunque Prælati, eccleſiaſticæque perſonæ, religioſæ, vel ſeculares, quorumcunque Ordinum, conditionis, ſeu ſtatus, collectas, vel tallias, decimam, vigeſimam, ſeu centeſimam ſuorum, & Eccleſiarum proventuum, vel bonorum laicis ſolverint, vel promiſerint, vel ſe ſoluturos conſenſerint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipſorum proventuum, vel bonorum æſtimationis, vel valoris ipſorum, ſub adjutorii, mutui, ſubventionis, ſubſidii, vel doni nomine, ſeu quovis alio titulo, modo, vel quæſito colore, abſque auctoritate Sedis ejuſdem: necnon Imperatores, Reges, ſeu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Poteſtates, Capitanei, vel Officiales, vel Rectores, quocumque nomine cenſeantur, civitatum, caſtrorum, ſeu quorumcunque locorum conſtitutorum ubilibet, & quivis alii cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, qui talia impoſuerint, exegerint, vel receperint, aut apud ædes ſacras depoſita Eccleſ.vel eccleſiaſt.perſonarum ubilibet arreſtaverint, ſaiſiverint (*ideſt ſiſaverint*) ſeu occupare præſumpſerint, vel arreſtari, ſaiſiri, aut occupari mandaverint, aut occupata, ſaiſita, ſeu arreſtata receperint, necnon omnes, qui ſcienter dederint in prædictis auxilium, conſilium, vel favorem publice, vel occulte, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Univerſitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, Prælatis, & perſonis eccleſiaſticis ſupradictis in virtute obedientiæ, & ſub depoſitionis pœna diſtricte mandantes, ut talibus abſque expreſſa licentia dictæ Sedis nullatenus acquieſcant; quodque prætextu cujuſcunque obligationis, promiſſionis, & confeſſionis factarum hactenus, vel faciendarum in antea, priuſquam hujuſmodi conſtitutio, prohibitio, ſeu præceptum ad notitiam ipſorum pervenerit, nihil ſolvant, nec ſupradicti ſeculares quoquomodo recipiant. Et ſi ſolverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. A ſupradictis autem excommunicationum, & interdicti ſententiis nullus abſolvi valeat, præterquam in mortis periculo, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & licentia ſpeciali; cum noſtræ intentionis exiſtat, tam horrendum ſecularium poteſtatum abuſum nullatenus ſub diſſimulatione tranſire.

Has pœnas, a Bonifacio inflictas Benedictus IX. alias XI. reſtrinxit dumtaxat ad laicos exigentes eaſdem collectas, eorumve fautores, iis exceptis, qui ſolviſſent, aut a ſponte dantibus recepiſſent, ut in ſequenti Decretali, relata in *cap. unic. Quod olim, hoc eodem tit. in Extravag. commun.*

Quod olim per felic. record. Bonifacium Papam VIII. Prædec. noſt. contra laicos, exigentes, ſive recipientes a Clericis, & eccleſiaſticis perſonis tallias, decimam, vel aliam quotam, ſeu quantitatem aliquam de proventibus bonorum ſuorum, aut Eccleſiarum: nec non adverſus ſolventes, aut promittentes, vel conſentientes ſe ſoluturos, pœnis adjectis ſtatutum eſt, quantum ad pœnas ipſas ex cauſa de conſilio Fratrum noſtrorum reſtringimus ad exigentes tantummodo, & ad exigendum dantes auxilium, & conſilium, vel favorem: non autem quoad eaſdem pœnas in ſolventibus, aut recipientibus a ſponte dantibus, deinceps vendicet ſibi locum.

Hæc

Hæc tranſcripta Bonifacii Decretalis abrogata, fuit a Clemente V. in Concilio Viennenſi, ſtatuente, ut contra laicos præfatas collectas ab Eccleſiis, aut ab eccleſiaſticis perſonis extorquentes, nec non circa præſtandas a Clero ſubventiones ſerventur dumtaxat Decreta utriuſque Concilii Lateranenſis III. & IV, ut ex ſequenti Decretali, elata in *Cap. unic. Quoniam, hoc eod. tit. in Clementin.*

Quoniam ex Conſtitutione Bonifacii VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Clericis laicos*, & ex declaratione, ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis nonnulla ſcandala, magna pericula, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & ampliora ſequi (niſi celeri remedio ſuccurratur) præſumitur veriſimiliter in futurum: Nos de conſilio Fratrum noſtrorum Conſtitutionem, & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & quid quid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis: volentes, & firmiter ſtatuentes, illud (contra quoſcumque laicos, exigentes, ſeu extorquentes ab Eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis tallias, ſeu collectas, aut exactiones quaſcumque, & contra dantes ad id faciendum conſilium, auxilium, vel favorem, necnon & circa præſtandas ſubventiones laicis ab Eccleſiarum Prælatis, & aliis viris eccleſiaſticis) inviolabiliter obſervari, quod ſuper his a Prædeceſſoribus noſtris in Lateranenſi, & generali Conciliis, quæ nos ſub obteſtatione divini judicii præcipimus obſervari diſtricte, ſalubriter eſt proviſum.

Verum in Concilio generali Lateranenſi V. ſub Leone X. innovata fuit prædicta Bonifacii Conſtitutio, in quo ſtatuitur, militare excommunicationem contra imponentes onera patrimonialia eccleſiaſticis, & contra ea exigentes & recipientes, etiam a ſponte dantibus, ac interdicti contra Univerſitates in tali re culpabiles: atque inſuper innovata fuit excommunicatio, & pœna depoſitionis, ipſo jure lata in talibus contentientes, ac ſponte dantes ſine licentia Papæ, ut in ejuſdem Leonis Conſtitut. *Superna 5. Maji 1514.* §. XL.

Et cum a jure, tam divino, quam humano laicis poteſtas nulla in eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innovamus omnes, & ſingulas Conſtitutiones fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Felicis*, & Clementis V. quæ incipit *Si quis ſuadente* necnon quaſcumque alias Apoſtolicas ſanctiones in favorem libertatis eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores, quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præſumentes, in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini, contentis, in ſuo robore permanſuris. Et cum in Lateranen. pariter, ac in Conciliis generalibus, ſub excommunicationis pœna, prohibitum fuerit, ne, Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ, & alii Potentatus quicunque, Regnis, Provinciis, Civitatibus, ac Terris quoquomodo præſidentes, collectas, decimas, & alia hujuſmodi onera, Clericis, Prælatis, & aliis quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis imponant, exigantque, neve a ſponte etiam dantibus, & conſentientibus etiam recipiant, atque in præmiſſis auxilium, favorem, conſiliumve palam, vel occulte præſtantes, in excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incidant, & ipſæ quoque Reſpublicæ, ac Communitates, & Univerſitates, circa hoc quomodolibet delinquentes, eccleſiaſtico eo ipſo ſubjiciantur interdicto, Prælati etiam, præmiſſis abſque Rom. Pont. expreſſa licentia ultro conſentientes, excommunicationis, & depoſitionis pœnam ipſo facto incurrant. Statuimus, & ordinamus, ut de cætero talia præſumentes, etiamſi, ut præfertur, qualificati fuerint, ultra ſupradictas pœnas, quas contravenientes eo ipſo incurrere volumus, innovamus, quod ad omnes actus legitimos, inhabiles, & inteſtabiles habeantur.

Hodie itaque attendenda eſt hæc Conſtitututio, & ea legi ſolita in die Cœnæ Domini §. XVIII. cujus textum leges in calce hujus Operis, quas una cum Conciliorum omnium generalium Decretis innovavit, & exacte ab omnibus obſervari mandavit Tridentinum *cap. XX. ſeſſ. XXV. de reform.*

Circa prædicta omnia Conciliorum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum Decreta adeatur Fagnanus ad tranſcriptum *cap. Non minus, & Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. verb. Immunitas, cap. IV.*

Contra exigentes onera realia, vel perſonalia, vel mixta quæcunque a Religioſis Mendicantibus, eorumque bonis, fertur excommunicatio in Conſtitut. S. Pii V. *Dum ad uberes 29. Julii* 1566. quæ licet ibi reſervata non ſit, reſervata eſt tamen ex Bulla Cœnæ *cit.* §. *XVIII.*

Nec dicta Pii Conſtitutio revocata eſt per Bullam Gregorii XIII. *In tanta rerum 1. Martii* 1573. in qua reducuntur ad tramites juris communis, & Conc. Trident. duntaxat tres ejuſdem Pii Conſtitutiones *Etſi Mendicantium 16. Maii Ex ſuperna 16. Aug.* 1567. ac *Ad hoc nos 25. Septem.* 1571.

Tran-

Tranſcribenda hic duxi Decreta Sacrarum Urbis Congregationum ſuper reali eccleſiaſticorum bonorum immunitate, prout relata leguntur in Appendice Synodi Tuſculanæ ſub num. XXII. celebratæ an. 1763. pag. 284.

Clericus non poteſt ſolvere collectas abſque incurſu cenſurarum, *Sac. Cong. Immun. in Volaterrana 18. Sept.* 1629.

Clerici in Minoribus ſunt exempti a collectis, etiamſi non inſerviant Eccleſiæ. *Ead. Cong. in Civitate Pennen.* 21. *Martii* 1646.

Eccleſiaſtici viventes ſimul cum conjunctis, ſunt exempti a collectis pro portione bonorum, ad eos ſpectante. *Ead. Cong. in Aprutina 6. Martii* 1635.

Vendens bona eccleſiaſticis, non debet gravari collecta. *Ead. Cong. in Callien.* 18. *Octob.* 1628.

Bona, quæ tranſeunt ad eccleſiaſticos, ſunt exempta a collectis laicalibus. *Ead. Congr. in Montis Regalis* 14. *Febr.* 1645.

Clerici non tenentur ad collectas pro bonis datis. *Ead. Cong. in Hieracen.* 4. *Julii* 1645.

Pro bonis acquiſitis Clerici tenentur ſolvere onera realia. *Ead. Cong. in Marſican.* 26. *Junii* 1628. *in Auximana* 22. *Jan.* 1629 *in Ferentina & Firmana* 9. *Novemb. ejuſdem anni, & in Taurinen.* 25. *Aprilis* 1634.

Pro bonis acquiſitis Clerici non tenentur ad onera perſonalia. *Ead. Cong. in Albanen.* 16. *Auguſti* 1634.

Pro bonis acquiſitis ſervanda eſt deciſio Rotæ in *Brundnſina. Ead. Cong. in Taurinen.* 26. *Martii* 1629. *in Faventina* 2. *Julii* 1647. *in Fanen.* 20. *Jan.* 1637. *in Montis Regalis* 11. *Aug.* 1638. *in Senogallien.* 27. *Jannar.* 1634. *& in Firmana* 11. *Aug.* 1631.

Bona Clericorum pro indiviſo cum fratribus ſunt exempta pro virili. *Ead. Cong. in Viterbien.* 6. *Decemb.* 1627.

Bulla Pii IV. in ſtatu Urbinatenſi non eſt in uſu, & Clerici non tenentur, niſi ad onera realia. *Ead. Cong. in Piſaurien.* 29. *Jan.* 1636.

In Nazarena 2. *Aprilis* 1669. ad tenorem Decretorum, ſcilicet quod bona aſſignata pro ſuſcipiendis Ordinibus, non gaudent immunitate a gabellis, donec Clerici non fuerint in ſacris conſtituti. Idem Decretum *in Tranen.* 4. *Maii ejuſdem anni*, ubi etiam quod Ordinarius cognoſcere debeat ſuper fraudibus, quæ in hujuſmodi donationibus committuntur. *Ead. Congr.*

Immunitas bonorum eccleſiaſticorum non ſuffragatur bonis, ad patrem, matrem, fratres, & ſorores ſpectantibus. *Ead. Cong. in Albanen.* 14. *Auguſti* 1634. *& in Auximana* 25. *Jannarii* 1650.

Si conjuncti eccleſiaſticorum vivant cum ipſis, & impenſis eorum, ſunt etiam immunes a collectis pro portione bonorum. *Ead. Cong. in Aprutina* 6. *Martii* 1635., *& in Hydruntina* 14. *Junii* 1630., *& in Caven.* 27. *Aprilis* 1632.

Bona data pro erectione monaſterii Monialium, ſunt immunia. *Ead. Cong. in Tropien.* 15. *Jan.* 1641.

Bona aſſignata capellæ juriſpatronatus, immunia ſunt. *Ead. Cong. in Aſculana* 11. *Martii* 1642.

Bona aſſignata pro dote beneficii erecti, ſunt immunia. *Ead. Cong. in Firmana* 20. *Jannar.* 1637.

Clericus gaudere debet exemptione a bona tenentia, quamvis abſens. *Ead. Cong. in Fundana* 23. *Martii* 1638.

Clerici ſunt immunes a bona tenentia. *Ead. Cong. in Triraricen.* 28. *Maii* 1626.

Clericus gaudet immunitate a bona tenentia pro bonis emptis, & donatis. *Ead. Congr. in Caſertana* 19. *Aug.* 1630.

Clericus, quamvis inhabilis ad ſuſcipiendum Ordines ſacros, gaudet immunitate a bona tenentia. *Ead. Cong. in Sulmonen.* 6. *Maii* 1631.

Eccleſiaſtici non poſſunt gravari a prætenſa gabella Communitatis. *Ead. Congr. in Urbinaten.* 16. *Julii* 1627.

Eccleſiaſtici non tenentur ad onera ad favorem Principis. *Ead. Cong. in Caſalen.* 18. *Aug.* 1637.

Non tenentur ad ſolutionem oneris nuncupati: il *Taſſo. Ead. Cong. in Caſalen.* 9. *Junii* 1637.

Clericus non poteſt ſponte ſolvere gabellas, a laicis impoſitas. *Ead. Congr. in Vicentina* 15. *Junii* 1628. *& in Andrien.* 27. *Septemb.* 1632.

Non eſt permittendum, ut pro Univerſitatum oneribus quidquam eccleſiaſtici contribuant, neque ſub eleemoſynæ nomine. *Sac. Congr. Epiſc. in Squillacen.* 21. *Maii* 1598.

Clerici de bonis patrimonialibus non tenentur ad ratam pro impoſitionibus camerabilus. *Sac. Cong. de Bono Regimine* 4. *Februarii* 1609.

Clerici non tenentur ſolvere onera, impoſita per Communitatem ſuper eorum bonis patrimonialibus, & domibus, ubi habitant, etiam quod antea ſolverint. *Sac. Cong. Immunit.* 7. *Decemb.* 1632.

Bona Clericorum non tenentur ſolvere bonam tenentiam. *Cong. Epiſcop. in Barrn.* 10. *Junii* 1616. *& in Ugentina* 31. *Auguſti* 1618. *&* 26. *Jan.* 1619., *& in Brunduſina* 15. *Decemb.* 1623.

Bona tenentia neque donatori, ſeu venditori, ſive cedenti imponi poteſt, quia ſic indirecte eccleſiaſticis imponeretur. *Ead. Congr. Epiſcop.* 8. *Decembris* 1582. & 1583.

Bona Clericorum, ſi prætendantur feudalia, & ab eis negentur eſſe talia, cognitio dictæ qualitatis ſpectat ad Judicem eccleſiaſticum. *Cong. Immunit. in Caſſanen.* 9. *Septemb.* 1631.

Bona acquiſita a Clericis, & a quibuſvis perſonis eccleſiaſticis, ſunt immunia ab oneribus laicis. *Ead. Cong. Immunitatis ſæpe ſæpius.*

Bona patrimonii Ordinati reputantur, ſicut bona eccleſiaſtica, pro quibus Clericus tenetur experiri coram Judice eccleſiaſtico, ſicut pro bonis beneficialibus. *Cong. Concilii in Ferentrana* 6. *Auguſti* 1616.

Bona, ad quorum titulum ordinatus eſt Clericus, gaudent privilegio bonorum eccleſiaſticorum, & ideo ſunt exempta ab omnibus collectis, gabellis, & oneribus laicorum. *Cong. Epiſcop. in Catharen.* 3. *Auguſti* 1591., *& in Montiſpeluſii* 24. *Martii* 1599., *& in Vulturarien.* 13. *Decembr. ejuſdem anni, & in Aquilana* 2. *Maii* 1601., *& in Biſignana* 9. *Martii* 1604., ac alibi ſæpiſſime.

Bona hoſpitalium, & Confraternitatum potiuntur iiſdem privilegiis, ac bona eccleſiaſtica. *Cong. Epiſcop. in Baren.* 30. *Junii* 1617.

Patri-

Patrimonium Clerici eſt exemptum inſtar bonorum eccleſiaſticorum. *Sacr. Congr. in Tricaricen.* 14. *Novembr.* 1603.

Patrimonium Clerici, ad cujus titolum fuit ad ſacros Ordines promotus, non poteſt capi in executionem ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis expenſas a Judice condemnatus, etiamſi nihil aliud præterea poſſideat, quia ejus alienatio interdicta eſt Decreto Concilii, *cap. 2. ſeſſ. 21. de ref.* Cong. *Concil. ſub die* 5. *Februarii* 1604.

Ordinati ad titulum patrimonii, gaudent immunitate pro ſufficienti titulo. *Cong. Immunit. in Potentina* 19. *Julii* 1624.

Patrimonium Sacerdotum gaudet exemptione a gabellis. *Eadem Congreg. in Camerinen.* 24. *Martii* 1627.

Bona patrimonii Clericorum ſunt etiam exempta ab oneribus cameralibus. *In dicta Camerinen.* 7. *Octobris* 1631.

Bona, ad quorum titulum Clericus eſt ordinatus, gaudent exemptionibus, etiam poſt adeptum beneficium, niſi fuerit ſubrogatum in locum patrimonii. *Ead. Cong. in Firmana* 11. *Jannarli* 1633.

Bona patrimonii clericalis non poſſont confiſcari. *Ead. Cong. in Mutinen.* 13. *Jannarii* 1640.

BONA ECCLESIASTICA EMPHYTEUTICA.

Bona emphyteutica Eccleſiarum, & eccleſiaſticorum non poſſunt a laicis collectari. *Cong. Immunit. in Capacen* 27. *Auguſti* 1627. *lib.* 1. *Decr. Paul. p.* 62. *Balneoregien.* 15. *Februarii* 1633. *lib.* 2. *Decr. Paul. p.* 149. *Senogallien* 18. *Decembr.* 1668. *lib.* 1. *Decr. Alt. p.* 303. *&* 3. *Julii* 1696. *lib.* 2. *Decr. Val. p.* 34.

Prædium emphyteoticum eccleſiaſtici non tenetur ad collectas laicales, & Ordinarius mandet reſtitui piguora. *In una Nullius Guaſtallæ* 28. *Julii* 1693. *lib.* 1. *Decr. Vallem. p.* 64.

Molendina, & alia ædificia ſub directo dominio Eccleſiæ ſunt exempta, & Epiſcopus tueatur dictam exemptionem. *Montis Regalis* 15. *Januar.* 1644. *lib.* 4. *Paul. p.* 2.

Bona livellaria directi dominii eccleſiaſtici non ſubjacent collectis communitativis. *Senogallien.* 12. *Jannaril* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 98.

Bona Eccleſiarum, & locorum piorum in emphyteuſim laicis conceſſa, ſive canones, qui pro dictis ſolvuntur, ſint tenues, ſive correſpondentes fructibus, ſunt exempta ab oneribus, & impoſitionibus laicalibus. *Oppiden.* 23. *Julii* 1652. *lib.* 4. *Decr. Paul. pag.* 191. *Papien.* 24. *Aug.* 1694. *lib.* 1. *Decr Vallem. pag.* 141.

Vineæ, & terræ emphyteuticæ non comprehenduntur ſub edictis, & aliis ſimilibus, publicatis a laicis, ſed ſunt prorſus exemptæ *Montis Faliſci* 23. *Auguſti* 1632. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 136.

S E C T I O   D C X X X V.

CAPUT VI. INTER ALIA, *ex Decretali Innocentii III. reſcripta Regi, non Scotiæ, ſed Conatiæ, in Inſula Hiberniæ, Roderico nempe, qui faſtu elatus, ſe Regem Hiberniæ nominabat, ut refert Gonzalez.*

INter alia (& infra.) Tuis quæſtionibus reſpondentes juxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus diſtinguendum, quod fugiens ad Eccleſiam, aut liber, aut ſervus exiſtit. Si liber, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, ſed Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam. Super hoc tamen, quod inique fecit, eſt alias legitime puniendus: hoc verum eſt, niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas ſtratas obſidet aggreſſionis inſidiis, ab Eccleſia extrahi poteſt, impunitate non præſtita, ſecundum canonicas ſanctiones. Si vero ſervus fuerit, qui confugerit ad Eccleſiam, poſtquam de impunitate ſua dominus ejus Clericis juramentum præſtiterit, ad ſervitium domini ſui redire compellitur, etiam invitus, alioquin a domino poterit occupari.

Huic Decretali declaranti, publicos dumtaxat latrones, & nocturnos depopulatores agrorum, ad Eccleſiam confugientes, non gaudere immunitate eccleſiaſtica, acceſſit Decretalis Gregorii IX. relata *in cap. X. Immunitatem, hoc eod. tit.* ab eadem immunitate excludente etiam illos, qoi in ipſis Eccleſiis, vel cæmeteriis, ſpe immunitatis, homicidia, vel membrorum mutilationes committunt, ibi:

Immunitatem eccleſiaſticam (& infra.) Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteris committere non verentur: qui, niſi per Eccleſiam, ad quam fugerint, crederent ſe defendi, nullatenus fuerant commiſſuri: (& infra.) Cum autem eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & fruſtra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publice nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt ſe indignos.

Utriſ-

Utriſque his Decretalibus acceſſit Conſtitutio Gregorii XIV. *Cum alias* 24. *Maii* 1591. excipientis præter ſupradictos reos etiam graſſatores viarum, proditores homicidas, aſſaſſinos, hæreticos in cauſa hæreſis, & læſæ majeſtatis reos in perſonam Pricipis §. III. ibi.

Ut laicis, ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ mejeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quam cujuſvis Ordinis regularibus, diſtricte præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, monaſteria, domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa reſpective confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod, judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando a curia ſeculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris, & officialibus curiæ ſecularis abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ eccleſiaſticæ incurſu, tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

Huic Gregorianæ Conſtitutioni acceſſit confirmatio, declaratio, ac exceptio aliorum reorum facta a Benedicto XIII. ut in ejus Conſtitutione *Ex quo divina 6. idus Junii* 1725. in qua etiam præſcribitur modus, quo prædicti rei extrahi debeant a locis immunibus.

Quoniam vero poſt editam hujuſmodi Conſtit. ob varias Doctorum, e am interpretantium ſententias, & variam itidem Curiarum eccleſiaſticarum in illius executione praxim, multiplices quæſtiones ſuper vero, rectoque ejus ſenſu inter eccleſiaſtica, & ſecularia Tribunalia exortæ fuerunt. .... Hinc igitur eſt quod nos ..... In primis providam memorati Gregorii Præd. Conſtit. cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, atque diſpoſitis ampliſſime confirmamus .... Cum itaque prædicta Gregoriana Conſtitutione cautum ſit, ut publicis latronibus, viarumque graſſatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, aut viatores ex inſidiis aggrediuntur, immunitas eccleſiaſtica minime ſuffragetur: non levis autem inter Doctores emerſerit controverſia, an quis ex unico actu publicus latro, & graſſator dici poſſit, vel plures ad id actus requirantur. Nos ejuſmodi controverſiam dirimere intendentes, unicam tantum graſſationem in via publica, aut vicinali admiſſam, ſufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & graſſator dici valeat; dummodo tamen graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſecuta fuerit, tenore præſentium definimus, & declaramus.

Inſuper ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro excluſis, atque repulſis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Eccleſiis, earumve cæmeteriis committere audeant, quemadmodum in Gregoriana Conſtitutione ſancitum eſt; verum etiam eos, qui ſtantes in Eccleſia, vel cæmeterio, interficiunt ſtantes extra Eccleſiam, vel cæmeterium, aut ipſis membrum mutilant: necnon eos, qui ſtantes extra Eccleſiam, aut cæmeterium, occidunt ſtantes intra Eccleſiam, vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipſos ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: declarantes in quatuor præmiſſis caſibus ejuſmodi reos, non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ, quam non violarunt, immunitate gaudere nequaquam poſſe, aut debere.

Ad hæc in crimine aſſaſſinii non modo mandatarios, qui in ipſamet Gregoriana Conſtitutione aperte excipiuntur, ſed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, ſive in pecunia, ſive in aliis rebus tradiderint, aut promiſerint, quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſſinium re ipſa patratum fuerit, ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro excluſis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejuſdem immunitatis privilegio interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato: falſificantes literas Apoſtolicas: miniſtros Montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depoſitis Principis, privatarumque perſonarum deſtinati, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes,

cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit: conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotieſcumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant uſum, & commercium; vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ita expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint. Illos demum, qui ſub nomine Curiæ ſeſe introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque re ipſa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio ſequatur.

Cæterum, cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias eccleſiaſticas in caſibus qui hactenus evenerunt, difficulter probare, & conſequenter declarare potuiſſe delictum, pro quo quis ad Eccleſiam confugerat, fuiſſe comprehenſum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædeceſſoris mentem, quoad normam, ab ipſo præſcriptam, recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuſcumque interpretationis ejuſdem Gregorianæ Conſtitutionis, quæ a quocumque Doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet Curiis, aut tribunalibus invectæ, imo nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ urbis noſtræ tribunalibus, ſive etiam a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati eccleſiaſticæ præpoſitorum, emanaverint, quatenus præſenti noſtræ Conſtitutioni adverſentur, ſed in occurrentibus caſibus normam hic a nobis præſcribendam inviolabiliter ab omnibus obſervari volumus, & ſancimus.

Quotieſcumque igitur Curia eccleſiaſtica a Curia ſeculari fuerit requiſita, ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni exrahi, ac illis conſignari faciat, eaque ſuper delicti excepti qualitate, ac perſonæ reitate ſubminiſtrata, vel acquiſita ſint indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur; tunc eccleſiaſtica ad ejuſdem delinquentis extractionem ab Eccleſia, aliiſve locis immunibus, ope, ac medio ſuorum executorum, quatenus opus ſit, brachii ſecularis auxilio, & cum interventu perſonæ eccleſiaſticæ, ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur; extractumque ad ſuos carceres aſportari, ac ibi ſub tuta cuſtodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex proceſſu informativo, deſuper conficiendo, conſtet de crimine excepto, ac inſuper adverſus eundem extractum talia reſultent indicia, ut crimen ab eo fuiſſe patratum moraliter credi poſſit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem caſu præfatum extractum miniſtris, & officialibus Curiæ ſecularis tradere, & conſignare poſſit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipſis obligatione, in forma juris valida, reſtituendi extractum Eccleſiæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nobis, ac pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervatæ, quatenus idem extractus indicia, contra ipſum acquiſita in ſuis defenſionibus purget, ac diluat. Quod ſi ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, Curiæ ſeculari in ipſum tali caſu, ut juris eſſe cenſuerit, agere, atque procedere liceat.

Præterea, conſiderantes, ſæpe dictum Gregorium Prædeceſſorem in ſua Conſtitutione optimo quidem jure ſanxiſſe, ut ſoli Epiſcopi, & non alii, Epiſcopis inferiores, etiamſi locorum Ordinarii ſint, aut nullius diœceſis, aut Conſervatores, a Sede Apoſtolica ſpecialiter, vel generaliter deputati, cognoſcere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus inquiſiti ad loca immunia confugerunt, & in eis receperunt, ſint, necne de genere, ac numero exceptorum; Nos providam ejuſmodi diſpoſitionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, tenore præſentium, quibuſcumque magiſtratibus, officialibus, & miniſtris ſecularibus, necnon quibuſvis aliis perſonis cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, etiamſi imperiali, regia, ducali, au talia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, diſtricte interdicimus, ac inhibemus, ne hujuſmodi cauſis, vel conficiendo proceſſus, vel inquiſitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina, ab eis admiſſa, eſſe de exceptis in Gregoriana, aut in præſenti noſtra Conſtitutione, ullo pacto ſeſe ingerant, aut immiſceant. Quod ſi ſecus quidam attentare præſumpſerit, ex nunc omnia in contrarium præmiſſorum gerenda, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipſoſque attentantes in cenſuras, & alias pœnas, a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, adverſus eos, qui juriſdictionem eccleſiaſticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas, incurrere decernimus, & declaramus:

ramus: volentes, intendentes, ac expreſſe mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus, in Gregoriana Conſtitutione exceptis, & a nobis ſuperius explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præſenti noſtra Conſtitutione adjicienda, & ſimiliter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Epiſcopos tantum, privative quoad omnes alios, perpetuo ſpectet, atque ſpectare debeat; & donec ipſi in occurrentibus caſibus declaraverint, delictum eſſe de exceptis, & cætera omnia a nobis ſuperius conſtituta adimpleverint, inquiſitos Eccleſiæ, vel alterius loci ſacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conſervandos, & manutenendos eſſe ſtatuimus, præcipimus, & mandamus.

Huic etiam Conſtitutioni acceſſit Conſtitutio Clementis XII. *In ſupremo*, 1. *Januarii* 1634. in qua excludit ab immunitate etiam quoſcumque eccleſiaſticos, homicidii reos, declaratque omnes, tam laicos, quam eccleſiaſticos, qui in ditione Sedi Apoſtolicæ, mediate, vel immediate ſubjecta, ex cauſa, & occaſione homicidii, etiam in rixa commiſſi, cum armis, ſeu inſtrumentis, ſuapte natura aptis ad occidendum, inquiſiti, & proceſſati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit caſuale, vel ad propriam defenſionem, immunitatis præfatæ privilegio minime gaudere. Declarat inſuper, homicidii reos, natu minores XXV. majores vero XX. annis tam laicos, quam Clericos, atque omnes, & ſingulos, ſive laicos, ſive Clericos, qui mandatum, conſilium inſtigationem auxilium, cooperationem, aut aliam operam occiſori præbuerint, ex quorum ſingulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta Bened. Conſtit. comprehenſos eſſe, ac deinceps cenſeri debere.

Huic Clementinæ Conſtitutioni acceſſit Conſtitutio Benedicti XIV. *Officii noſtri*, *idibus Martii* 1750. in qua declaratur, prædictos omnes (Regularibus, & mulieribus etiam comprehenſis) non obſtantibus militaribus privilegiis, non gaudere aſylo, licet homicidium commiſſum non fuerit cum armis, ad mortem inferendam aptis, ſed etiam cum baculo, & ſaxo, quamvis in rixa, ſi actus prodierit ex odio, & nocendi animo; ſicut ſi ſecuta fuerit mors ex vulnere inflicto cum gravi vitæ periculo, juxta relationem Chirurgi, ad illud inſpiciendum acciti, ita ut vulnerans interim extrahi poſſit, ſervatis ſervandis, e loco immuni, nec eidem reſtituendus, donec elapſum fuerit tempus, a legibus conſtitutum, intra quod vulneratus ſuperſtes vixerit.

In eadem Conſtit. declaratur etiam, nedum contrafacientes in extractione reorum, non ſervato modo præſcripto in Conſtitutionibus Gregorii, & Benedicti, incurrere eaſdem pœnas in iis inflictas, ſed & illos, qui auſi fuerint ſequentia perpetrare, §. XIV. ibi.

Contrafacientes quoque, & transgreſſores, eaſdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Conſtitutionibus indictæ ſunt, omnino incurrere ſtatuimus, atque ſancimus, decernentes, in numero transgreſſorum hujuſmodi eos etiam eſſe, & cenſeri, qui in ſpretum eccleſiaſticæ auctoritatis, & canonicarum ſanctionum, præſcripto ad ſuperiores eccleſiaſticos recurſu poſt habito, Eccleſias, & loca immunia obſidere præſumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui ſacro confugio ſe tuentur, alimenta deferantur, ſive aliter eoſdem in Curiæ ſecularis poteſtatem ſe dedere cogunt; Nos enim eos, quia talia auſi fuerint, ſive confugientes hujuſmodi de exceptis delictis, ſive de aliis non exceptis inquiſiti ſint, omnes, & ſingulas pœnas, atque cenſuras adverſus eccleſiaſticæ immunitatis violatores in jure, ac in prædictis Conſtitut. Apoſtolicis latas, atque ſtatutas incurrere decernimus, ac declaramus.

Item præſcriptus eſt modus extrahendi reos delicti excepti, perpatrati in una ditione, ſi rei confugiunt ad locum immunem in alteram §. XV. ibi.

Mandamus, ut ſi hujuſmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in Apoſtolicis Conſtit. præfatis excepta ſunt, in temporali Romanæ Eccleſiæ dominio patraverint, indicia ad capturam requiſita, ab Epiſcopo diœceſano, ſeu reſpective viciniore illius loci, in quo delictum commiſſum fuit, excipiantur, ſeu cumulentur, eaque ad Epiſcopum alterius loci, in quo delinquens aſylum cœpit, ſine mora tranſmittantur, ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus eſſe debeat, extractionem delinquentis a loco immuni, auctoritate ſua, & cum interventu perſonæ eccleſiaſticæ fieri mandet. Eademque ratione, ſi in præfatis aliorum Principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ conſuetudo viget, ejuſmodi delictum commiſſum fuerit, quod, ſive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Conſtitutionis, ſive ratione Concordati cum Apoſtolica Sede initi, ſive extenſionis alterius Conſtitutionis Clementis XII. ab eadem Apoſtolica Sede ſpecialiter impetratæ, pro excepto haberi debeant; volumus, & ſtatuimus, ut Epiſcopus ille, ad quem ratione loci delicti commiſſi, id pertinere dignoſcitur, memorata indicia, ad capturam requiſita, cumulari faciat, eaque tranſmittat ad Epiſcopum ditionis eccleſiaſticæ, intra cujus juriſdictionis fines illius delicti reus aſylum

Nnn 2 delegit;

delegit, ut hujus ſcilicet Antiſtitis auctoritate, aliiſque ſervatis, ſervandis, a confugii loco extrahi, ac, ſi ita res feret, externæ poſtulanti Curiæ valeat consignari.

Præcipit tamen in extractione, & reliquia omnibus ſervari dictas Coostitutiones, & Coocordata.

Circa extractionem hæreticorum a loco immuol in cauſa hæreſis, attendenda eſt altera Conſtitutio ejuſdem Benedicti in *Epiſtola ad Inquiſitores S. Inquiſitionis, Elapſo*, 20. *Febr.* 1751. qua confirmatur Conſtit. Joannis XXII. *Ex parte*, 13. *Aug.* 1316. in ea enim Bened. præſcribit ijſdem Inquiſitoribus modum extrahendi a loco immuni reos hæreſis, certiorato Epiſcopo, vel ante, vel poſt capturam, prout ſecreti ſervandi lex poſtulaverit, ne illi indicia communicentur: ſi vero agatur de aliis criminibus, tam exceptis, quam non exceptis a beneficio aſyli, quorum cognitio ſpectat ad eorum tribunal, quia patrata ſint ab iia, qui ejuſdem juriſdictioni ſubſunt, præcipit, ſervanda eſſe in eorum extractione, quæ in Conſtit. Benedicti XIII. & Clem. XII. ſancita ſunt. Addit inſuper, reoa delictorum non exceptorum, fugitivos ex triremibus, vinculis, vel alio pœnæ loco, gaudere pariter privilegio aſyli, ſi effugerint, quando e manibus miniſtrorum juſtitiæ liberi eſſent, niſi obtenta ſit ab Apoſt. Sede, vel ab Epiſcopo, boc indulto donato, facultas pro illorum recuperatione.

Præter recenſitos reos ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excluſos, ex Conſtit. laudati Bened. *Deteſtabilem*, 4. *idus Novembr.* 1752. excluditur etiam reus homicidii in duello perpetrati.

Nota I. nomine publici latronia, intelligi, nedum qui in viia publicis per inſidias, ſed etiam qui in domibus privatis bominea vi aggrediuntur, eos ſpoliando, & cædem, aut vulnera ſe defendeotibua infligendo.

Nota II. Nomine publici graſſatoris, venire aggredientem, & ſpoliantem in viis publicis viatores abſque cæde, & vulneratione: cui accenſeotur etiam piratæ, & hujuſmodi publici deprædatores. Ut autem quis dicatur latro, & graſſator publicus, ſufficit etiam unus actus, ſi ſequatur mors, aut mutilatio invaſi, prout declaravit Bened. XIII. *cit. Conſtit.* §.3. Si vero non ſequatur mors, aut mutilatio, requiruotur ſaltem duæ, vel plures graſſationea, Remig. Maſcbat *Inſtit. canon par.* II. *tit.* XLIX. *de Immunit. eccleſ. n.*2.

Nota III. Nomine depopulatoris agrorum, venire nondum nocturnum, ſed etiam diurnum, ut oſtendi in Additionibus ad *Theſaur. de Pœn. eccleſiaſt. cap.* I. *verbo Depopulator*.

Nota IV. Sub nomine committentium homicidium, vel mutilationem membrorum in Eccleſia, ex cit. Conſtit. Bened. XIII. §. *Inſuper*, compræheodi etiam illos.

Qui ſtantes in Ecclesia, vel cæmeterio interficiunt ſtantes extra Ecclesiam, vel cæmeterium, aut ipsis membrum mutilant; necnon eos, qui ſtantes extra Ecclesiam aut cæmeterium, occidunt ſtantes intra Ecclesiam, vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant, ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipſos ab Ecclesia, alioque loco immuni violenter extrahunt, & abducunt.

Nota V. Nomine homicidæ proditoris ex §. VI. cit. Conſtit. venire etiam illum, qui præmeditato, ac deliberato animo interfecerit proximum ſuum: unde non requiritur, ut bomicidium præmeditatum fiat ſub ſpecie ſimulatæ amicitiæ.

Nota VI. Circa aſſaſſinos, attendendam eſſe declarationem Benedicti XIII. in cit. Conſtit. *Ex quo divina*, §. *Ad hæc*.

Nota VII. Perplexam quidem, & veterem quæſtionem eſſe, an Judæi, & Pagani, indiſtincte ad Eccleſiam confugientes, etiam timore pœuarum tantum, non zelo Fidei, & Religionia, gaudeant aſyli jure. Negativam ſententiam tuentur nonnulli DD. videndi apud Fagnanum *lib.* III. *tit.* XLIX. *cap.* VI. *num.* 59. *& ſeqq.* Verum contrariam ſententiam veriorem eſſe docet idem Fagnan. *loc. cit. num.* 61. immunitatis enim privilegium non conceditur intuitu perſonarum, ſed propter decus, & reverentiam, quæ locis, divino cultui deſtinatis debetur. Hanc eandem ſententiam amplexa eſt S. Congr. Immunit. juxta plura decreta, & præſertim in *Sarzanen.* 26. *Sept.* 1651. *lib. IV. Decretor. ejuſdem Cong. pag.* 161. *& in Piſauren.* 26. *Mar.* 1686. *ut lib.* III. *Decretor. pag.* 550. ubi quæſtio erat de Judæo capto a birruariis ſub tecto, ſeu ſtillicidio Eccleſiæ.

Nota VIII. Quod, cum neque ex Conſtitut. Gregor. XIV. *Cum alias*, neque Bened. XIII. *Ex quo divina*, neque Clementia XII. *In ſupremo juſtitiæ*, nec tandem Bened. XIV. *Officii noſtri*, *ibid. Mar.* 1750. Religioſi, confugientes, ſive ad Eccleſias ſui Ordinis, ſive ad quaſcunque Eccleſias, & monaſteria aliorum Ordinum, priventur jure aſyli pro delictis non exceptis in dictis Conſtit. nullo fundamento dici poteſt, eo non poſſe gaudere, cum non debeant eſſe deterioris conditionis, quam cæteri rei, etiam graviora criminis, juxta decret. S. Congr. Immunit. *in Fulginaten.* 9. *Mart.* 1639. *& in Neapolitana* 11. *Octobr.* 1692. Et quamvis in *Æſina* 19. *Apr.* 1701. declaratum fuerit ab eadem Congreg. Provincialem Ordinis Minor. Obſer. Reform. non incurriſſe excommunicationem pro extractione ſui religioſi ab Eccleſia Æſina ejuſdem Ord. ac quamvis inſuper ad preces Procuratoris Generalis dicti Ordinis indulta fuerit ſub die 19. Sept. 1734. a Clem. XII. Provincialibus, & Guardianis Ordiois facultas ducere faciendi delinquentes religioſos, & contumacea ab Eccleſiis eorum reſpective conventuum ad clauſtrales carceres; hæc tamen revocata fuit per organum Secretariæ memorialium, ut vocaot, 28. Jul. 1736. ad inſtantiam ejuſdem S. Congr. Immunit. cum expreſſa declaratione, ut in ſimilibus refugii, & extractionis caſibus procedatur juxta terminos juris, prout legitur in originali Mandato, in ſcriptis tranſmiſſo a Card. Corſini, tunc memorialium Secretario, Commiſſario generali Ordinis. Gaudeotius tamen a Janua *tom.* II. *de Viſit. Prælat. regul. cap.* VII. *dub.* XIX. *ſect.* II. *num.* 21. probat, adhuc poſſe Prælatum citra læſionem immunitatia, mandare extractionem ſubditi ab Eccleſia, qui ad eam confugerit ad evitandam correctionem paternam, dummodo ad hanc dumtaxat faciendam extrahatur, hæcque ſic intenta,

& exe-

& exequtioni mandata, non excedat limites pœnitentiæ ſalutaris, & uſualis, non obſtante revocatione cit. Indulti Clem. XII. in d. Æſina, ſub die 19. Sept. 1734. poſterius facta ab eod. Pontifice ut ſupra. Atque ita conciliat prædicta reſcripta „ Proinde, ut relata præ- „ cepta, ſive reſcripta, quæ videntur inter ſe pu- „ gnare, concilientur, advertendum obvenit, quod „ permiſſio extrahendi a loco Eccleſiæ erat ad effe- „ ctum ſolius correctionis paternalis, ut patet in d. Æſi- „ na: decretum autem expeditum ad petitionem Pro- „ curatoris generalis importabat abſolutam conceſſio- „ nem extrahendi clauſtrales delinquentes, & contu- „ maces, & reducendi eos ad carceres, ad quem ef- „ fectum requiritur auctoritas, & aſſenſus Epiſcopi, „ ex una Mediolanen. 15. Aprilis 1644. apud eundem „ Riccium *tit. Regulares delinquentes num.* 1. unde „ merito generalis conceſſio, in dicto ultimo decreto „ expreſſa, extitit abrogata “.

Circa extractionem confugitorum ad Eccleſias, & loca immunia, factam blanditiis, vel dolo, attendenda eſt ſequens Epiſtola encyclica, juſſu Clementis XI. a S. Congr. Immunit. ſcripta ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Ordinarios, ſub die 20. Januarii 1717.

Eſſendo pervenute da più parti alla Santità di Noſtro Signore molte querele, che pur troppo ſi ſono riconoſciute appoggiate alla verità ſopra gli abuſi, ed inconvenienti, che frequentemente naſcono dall'allegarſi da molti di quelli, che vengono carcerati, tanto per cauſe civili, quanto per criminali, di eſſer ſtati doloſamente eſtratti dalle Chieſe, e luoghi immuni; mentre i medeſimi, per eludere la giuſtizia, bene ſpeſſo aſſeriſcono falſamente di aver patita tal doloſa eſtrazione, e per ſoſtenerla ſpergiurano ne loro coſtituti, inducono teſtimonj falſi, e commettano altre ſimili iniquità, coll'ajuto anco de loro amici, e congiunti; anzi tal volta eſſi ſteſſi ſono quelli, che per potere liberamente vagare, e forſe anco commetter delitti, ſenza perdere il beneficio dell'immunità, che pretendono di continuare a godere, ſi erano fatti a bella poſta eſtrarre per mezzo de' miniſtri ſubalterni della giuſtizia dalle ſudette Chieſe e luoghi immuni. Quindi è che la Santità ſua per provedere a tanti, e ſi gravi inconvenienti, che accadono in pregiudizio della giuſtizia, ed in notabile aggravio dell'anime de' fedeli; udito prima il parere di una particolare Congregazione di alchuni Signori Cardinali, e Prelati, a tale effetto ſpecialmente deputati dalla Santità ſua, ordina, e commanda, che tutti gli Ordinarj de' luoghi debbono ammonire, e notificare con publico Editto, che tutti quelli, che ora ſi trovano rifugiati, e che in qualunque tempo avvenire ſaranno per rifugiarſi nelle Chieſe, ed altri luoghi immuni, di quaſivoglia ſtato, grado, e condizione ſiano, ſe vogliono goderne l'immunità, avertino di non partirne, ne ſi laſcino indurre ſotto qualſiſia preteſto, cauſa, o colore, a uſcir fuori di dette Chieſe, ed altri luoghi immuni, poiche uſcendone, ſe capiteranno nelle mani della giuſtizia, non valera loro il dire, o pretendere di provare di eſſerne ſtati eſtratti doloſamente, o con fallaci ſuggeſtioni, o aſſicurazioni; volendo la Santita Sua, che dopo la detta ammonizione non poſſa più allegarſi, ne allegandoſi, a chi ſi ſia giovare l' eſtrazione doloſa, ma unicamente poſſa allegarſi, e giovar l'eſtrazione violenta, e quella, che foſſe ſeguita ſotto la ſicurezza del ſalvo-condotto, conceduto, e ſottoſcritto da qualche Giudice ordinario, o delegato, quale però dovrà valere ſolo per quel tempo limitato, per cui ſarà ſtato conceduto. Siccome parimente doveranno notificare publicamente, come ſopra, che ſe alcuno veramente foſſe ſtato per il paſſato doloſamente eſtratto da qualche Chieſa, o luogo immune, e voglia godere il beneficio dell'immunità locale, debba ritornare al confugio eccleſiaſtico dentro un meſe, da decorrere dopo la publicazione del medeſimo Editto, con chiedere agli ſteſſi Ordinarj, quando gli occorra, per tal effetto il ſalvo-condotto, quale dovrà darſegli gratis, e per tempo limitato ad arbitrio de medeſimi Ordinarj. Avvertendo in oltre, che ſe paſſato il detto termine di un meſe, ſarà catturato fuori del luogo immune, doverà conſiderarſi, come ſe volontariamente, e ſenza alcuna frode ne foſſe partito, ne dovrà udirſi ſopra l'eſtrazione doloſa, che pretendeſſe aver patita.

A P P E N D I X

In qua in unum collecti, tanquam in corollario, recenſentur, qui tam ex antiquo, quam ex hodierno jure ab immunitatis eccleſiaſticæ beneficio excluduntur, &c.

I. Qui proditorie aliquem occiderit, & per inſidias, vel animo præmeditato, ex *cap. I. Si quis tit. de Homicidio, & cap. I. Si vexati, tit. de Injuriis*.

Hodie tamen ſemper excluditur, licet homicidium non ita perpetratum fuerit, ſed etiam in rixa, ſive a laicis, ſive ab eccleſiaſticis, ex Conſtit. Clementis XII.

tis XII. *In ſupremo*, 1. *Jan.* 1734. & ſive a mulieribus, ſive a militibus, ſive a Religioſis cujuſcumque Ordinis, etiam expreſſe, & individue exprimendis, & tam armis, quam baculo, aut ſaxo, dummodo non fuerit caſuale, vel ad propriam defenſionem ex Conſtit. Benedicti XIV. *Officii noſtri*, *idib. Martii* 1750.

In cit. Clem. Conſtit. excluduntur etiam homicidii rei = Natu minores XXV. majores vero XX. annis; ac inſuper qui mandatum conſilium, inſtigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occiſori præbuerint, ex quorum ſingulis pravis actibus homicidium evenerit =.

II. Latrones, qui publice, & impudenter aliena diripiunt, ex Decretali Innocentii III. relata in *cap. VI. Inter alia*, *hoc eod. tit.*

Qui vero hoc nomine veniant, Gregorius XIV. Conſtit. *Cum alias*, 24. *Maii* 1591. his verbis explicavit = Si fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtatas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur =.

Hodie, ut hi pro talibus habeantur, Benedictus XIII. cit. Conſtit. declaravit, ſufficere etiam unicam graſſationem commiſſam in via publica, aut vicinali, quoties graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſecuta fuerit.

III. Depopulatores nocturni agrorum, qui eos depopulantur, & meſſes, fructuſque igne devaſtant, ex dicta Decretali *Inter alia*.

Hodie ex Conſtit. Gregorii XIV. *Cum alias*, 24. *Maii* 1591. excluduntur etiam depopulatores diurni, cum in ea nominentur generatim, populatores agrorum.

IV. Homicidia, & mutilatione membrorum in Eccleſiis, vel earum cæmeteriis committentes, ex Decretali Gregorii IX. relata in *cap. X. Immunitatem*, *hoc eod. tit.*

Hodie ex cit. Conſtit. Benedicti XIII. nedum excluduntur talia committentes intra dicta loca, ſed etiam qui ſtantes intra alterutrum, interficiunt, aut mutilant ſtantes extra ea, ſicut & ſtantes extra interficiunt, vel mutilant ſtantes intra.

V. Sicariis utentes, vel in proprias domos recipientes, ut alicui mortem inferant ex Decretali Innocentii IV relata in *cap. I. Pro humani*, *tit. de Homicidiis in VI.*

Hodie ex cit. Conſtit. Benedicti XIII. hi, mandantes vocantur, qui ſcilicet certo præmio, aut mercede, ſive in pecunia, ſive aliis in rebus tradita, aut promiſſa, mortem inferri mandant, quos ab eodem beneficio immunitatis excluſos declaravit, etiamſi promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſſinium reipſa fuerit perpetratum.

VI. Hæretici, vel notabiliter de hæreſi ſuſpecti, ex Conſtit. Joannis XXII. *Ex parte*, 13. *Aug.* 1316.

VII. Judæi poſt jam ſuſceptam chriſtianam Religionem, ab ea patenter, aut veriſimilibus iudiciis apoſtatantes, ex ead. Conſtit.

Horum omnium antiquorum canonum decreta confirmavit laudatus Gregorius in cit. Conſtit. hoc ſolo tamen diſcrimine, quod nomine ſicariis utentium intellexit aſſaſſinos, excluduntur itaque etiam.

VIII. Aſſaſſini, qui ſcilicet mercede conducti alieno juſſu aliquem interficiunt, cujuſcumque nationis ſint, & quamlibet religionem ſequantur.

IX. Molientes aliquid contra perſonam proprii Principis, ac in ipſa perſona ejuſdem, fiunt læſe majeſtatis rei, ut illum vulnerando, conjurando, machinando in ipſius necem; quod antiquis recenſitis decretis additum eſt ab eodem Gregorio.

His hucuſque recenſitis reis additi ſunt a Benedicto XIII. in cit. Conſtit.

X. Impedientes, ne quis in locum immunem ſe recipiat, atque ipſum ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahentes, & abducentes.

Quos inſuper declaravit tam in hoc, quam in aliis tribus caſibus ſupra recenſitis num. IV. = Non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitate gaudere nequaquam poſſe, aut debere =.

XI. Falſificantes literas Apoſtolicas.

XII. Adminiſtratores Montis Pietatis, aut aliorum locorum ejuſdem generis, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes, ex cujus cauſa arca pecuniaria ita imminuta fuerit, ut pœnam ordinariam mereantur.

XIII. Conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas etiam principum externorum, quotieſcumque in loco, aut provincia, in qua crimen admittitur, liberum habeant uſum, & commercium.

XIV. Præſumentes eaſdem monetas conflâtas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ita expendere, & erogare, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint.

XV. Introducentes ſe in alienas domos mentito curiæ nomine, animo perpetrandi rapinas, haſque committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum, tam alicujus ex domeſticis dictarum domorum, quam exteri, qui forte ibi repertus fuerit.

Nota, addita in cit. Conſtit. Clemen. XII. ſanctionibus juris communis, Gregorianæ, & Benedictinæ Conſtitutionum ultra fines temporalis dominii Apoſtolicæ Sedis non extendi; quæ tamen deinde per particularia brevia extenſa ſunt ad diverſa alia dominia a Benedicto XIV. & ſignanter ad totum dominium Regis Sardiniæ, ut idem Pontifex refert in cit. Conſtitut. *Officii noſtri*, §. *IV. Cum autem*,

SECTIO DCXXXVI.

Caput VIII. Quia plerique, *ex Decretali*, *deſumpta a cap. XXXIV. Concilii generalis lateranenſi IV. celebrati ſub Innocentio III. an.* 1215.

QUia plerique Prælati, ut procurationem, aut ſervitium aliquod impendant Legato, vel alii plus extorquent a ſubditis, quam ſolvant, & in eorum damnis lucra ſectantes, quærunt prædam potius, quam ſubſidium in ſubjectis, id de cætero fieri prohibemus. Quod

Quod si quis forte præſumpſerit, & sic extorta reſtituat, & tantundem cogatur pauperibus elargiri. Superior autem, cui fuerit querela deposita, si negligens fuerit in hujuſmodi executione ſtatuti, canonicæ ſubjaceat ultioni.

Hodie procurationes exigendæ pro Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtolicæ in deſuetudinem abierunt, cum ordinarie ſumptua recipiant ab ipſa Sede, ut notavi ſupra ad *cap. XXIII. Procurationes, tit. de Cenſib.* Sect. DXCIII.

S E C T I O D C X X X V I I.

Caput IX. Ecclesiæ, *ex Decretali Gregorii IX. Aſtoricenſi Epiſcopo ſcripta.*

Ecclesiæ, in qua divina myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur: quia obſequiis divinis dedicata, nullius eſt temerariis auſibus profananda.

In hac Decretali ſtatuitur, Eccleſiam, licet non conſecratam, gaudere jure aſyli. Cum autem nomine Eccleſiarum in jure canonico veniant etiam Oratoria, ut *cap. VI. Tua nos, tit. de Eccleſ. ædifican.* jam ſupra tranſcripto Sect. DCXXXII. hoc privilegium extenditur etiam ad quæcumque Oratoria, Epiſcopi auctoritate ubicumque conſtructa, non vero erecta in domibus privatorum, licet ex licentia Papæ ibi Miſſæ celebrentur, cum hodie ſint Oratoria, & cras poſſint eſſe cubicula pro voluntate dominorum, ut probat Fagnan. ad hanc eandem Decretalem *num* 26. & declaravit etiam Congreg. Immunitatis in *Peruſina 9. Novembr.* 1631.

Extenditur præterea nedum ad dicta Oratoria, Epiſcopi auctoritate conſtructa, & ad Eccleſias, aliaque loca pia ex jure communi tali privilegio gaudentia, ſed etiam ad ſequentia, ex decretis dictæ Congregationis.

I. Ad domum parochialem, de pertinentia tamen ejuſdem parochiæ, non conductam, inhabitatam ab ipſo parocho, non a laicis, etiam diſtantem ab Eccleſia, dummodo non diſtet ſpatio circiter tertiæ partis miliarii, *in Cæſenaten.* 17. *Novemb.* 1653. *in Commen.* 25. *Feb.* 1698. *in Civitatis Caſtelli* 4. *Julii* 1673. *in Alatrina* 5. *Maii* 1693. II. Ad domus canonicales, quæ tamen non eſt permittendum ab Epiſcopo, ut locentur laicis, *in Florentina* 8. *Maii* 1694. *in Lauretana* 16. *April.* 1652. III. Ad domum Confraternitatis, contiguam Eccleſiæ Confratrum *in Civitatis Caſtelli* 23. *Julii* 1652. *in Forolivien.* 19. *Decembris* 1690. IV. Ad capellam, perpetuam tamen, & immovibilem, exiſtentem in palatio Gubernatoria *in Tudertina* 7. *Maii* 1658. V. Ad turres campanarias inſervientes Eccleſiæ, diſtantes tamen intra triginta paſſus 7. *Setembr.* 1632. VI. Ad locum, in quo conſtruenda eſt Eccleſia, primo lapide ſolemniter injecto, *In Januen.* 5. *Octobr.* 1688.

Cum ex indulgentia juris communis palatium Epiſcopi gaudeat jure aſyli *Can. XXXVI. Id conſtituimus cauſ. XVII. qu. IV.* licet ultra quadraginta paſſus diſtet ab Eccleſia cathedrali, aut etiam pro ipſius habitatione conductum ſit; ſicuti & domus, in qua tempore viſitationis moram trahit, ut declaravit ead. Congr. Immunit. *in Aquitanen.* 19. *Novembr.* 1666. *& in Comen.* 25. *Febr.* 1698. Remigius Maſchat *Inſtit. Canon. hoc eod. tit. num.* 14. cum DD. ibi relatis, ſentit probabiliter eodem jure gaudere palatium Epiſcopi titularis: Fagnanus vero ad hanc Decretalem *a num.* 32. *ad* 38. extendit idem privilegium etiam ad palatia Prælatorum inferiorum, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habentium, ſi ita ſe habet conſuetudo, ſicut & ex communi conſuetudine ad palatia Cardinalium, extra Urbem tamen; ſiquidem intra eam ab hoc privilegio expreſſe excluduntur in Conſtit. Julii III. *Cum Civitates* 22. *Septem.* 1552. confirmata a Pio IV. Conſtit. *Inter cæteras* 18. *Febr.* 1562 a Gregorio XIII. Conſt. *Et ipſa ratio* 5. *Septembr.* 1573. & a Sixto V. Conſtit. *Hoc noſtri* 1. *Julii* 1585.

Excipiendum tamen ſentit laudatus Remigius *loc. cit. num.* 15. palatium DD. Cardinalium, ſi adhæreat titulis ſuarum Eccleſiarum.

Nota I. Quod, quamvis in cit. *Can. XXXVI. Id conſtatuimus, et Can. VI. Sicut antiquitus, ead. cauſ. XVII & quæſt.* (tributo Nicolao I. cum potius tribuendus ſit Nicolao II.) ſtatuatur, privilegium aſyli extendi ad XL. paſſus, vel, ut alii legunt ad LX. ab Eccleſia cathedrali, ab inferiori vero XXX. hodie tamen, immunitatem talis ſpatii receſſiſſe ab aula aſſerit Card. de Luc. *lib. XIV. part. IV. diſcurſ. XII num.* 27. & ſolum vigere probat Pignatellus *tom. I. Conſult.* CCCCXXXVI. ubi adeſt conſuetudo, ex decreto dict. Cong. Immunit. *in Interamnen.* 17. *Julii* 1663.

Nota II. Ex decreto ejuſdem Congr. *in Beneventana* 3. *Novembr.* 1636. *& in Campſana* 6. *Jul.* 1677. etiam aſſociantem SS. Euchariſtiæ Sacramentum gaudere immunitate.

Titulus

SECTIO DCXXXVIII.

CAPUT I. MULTA, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Moguntino.*

MUlta ſunt negocia ſecularia, de quibus pauca perſtringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiſcentia. Quicquid plus juſto appetit homo, turpe lucrum eſt. Munera injuſta accipere, vel etiam dare. Pro aliquo ſeculari quæſtu prætio aliquem conducere; contentiones, vel lites, vel rixas amare. In palatiis ſecularibus diſputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum. Conductores ſecularium rerum, aut procuratores eſſe. Turpis verbi, vel facti eſſe joculatorem, vel jocum ſecularem diligere. Aleas amare, ornamentum inoveniens propoſito ſuo quærere. In deliciis vivere velle, gulam, & ebrietatem ſequi. Pondera injuſta, vel menſuras habere. Negocium injuſtum exercere. Nec tamen juſtum negocium eſt contradicendum propter neceſſitates diverſas, quia legimus, Sanctos Apoſtolos negociatos fuiſſe, & in regula B. Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negocia monaſterii procurentur. Canes, & aves ſequi ad venandum, & omnibus quibuslibet causis ſuperfluis intereſſe. Ecce talia, & his ſimilia miniſtris Altaris Domini, necnon & monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apoſtolus; nemo militans Deo implicet ſe negociis ſecularibus.

Inter cætera in hac Decretali Clericis, & Monachis vetita, ſunt.

I. Poſtulatio, ſeu advocatio coram jus dicente laico pro defenſione in judicio cauſarum profanarum, exceptis cauſis orphanorum & viduarum. II. Conductio alienorum prædiorum, aut quaramcumque aliarum rerum. III. Procuratoris, ſeu negociorum geſtoris munus. IV. Negociatio illicita. V. Venatio cum canibus.

Quid novi acceſſerit primi generis prohibitioni jam notatum eſt ſupra ad *cap. I. tit. de Poſtuland.* Sectione CCVII.

De prohibitione vero ſecundi, tertii, & quarti generis ſpecialis inſtituetur ſermo *par. II. cum de cap. I. Trid. ſeſſ. XXII. de refor.*

De prohibitione tandem quinti generis notabitur infra ad *ad cap. I. & II tit. de Cleric. venat.*

SECTIO DCXXXIX.

CAPUT II. SACERDOTIBUS, *ex Decretali Eugenii III. non I. ut legitur in vulgata collectione Gregorii IX. Epiſcopo Sazenſi reſcripta, juxta Gonzalez.*

SAcerdotibus, & Clericis tuis denuncies publice, ne miniſtri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant. Quod ſi poſtmodum facere præſumpſerint, & occaſione ipſius adminiſtrationis propter pecuniariam cauſam deprehendantur in fraude, indignum eſt eis ab Eccleſia ſubveniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari.

Hæc Decretalis, in qua pariter prohibetur, ne Sacerdotes, & Clerici ſint miniſtri, & procuratores laicorum, innovata eſt a Clemente XIII. feliciter regnante, ut notabitur *par. II.*

Cum autem hic dicat Pontifex, non debere ſubveniri ab Eccleſia Clericis, qui poſtquam tertio moniti fuerint ab Epiſcopo, deprehendaatur fraudem comiſiſſe propter pecuniarum cauſam, ſi non deſtiterint ab hac vetita adminiſtratione, diſcrepant DD. an priventur privilegio fori, ita ut puniri poſſint a Judice laico verum Gloſſa verb. *Ab Eccleſia*, omnino negat.

SECTIO DCXL.

CAPUT III. NON MAGNOPERE, *ex Decretali Alexandri III. in Concilio Turonenſi celebrato an. 1163.*

NON magnopere antiqui hoſtis invidia (& infra.) Inde nimirum eſt, quod in Angelum lucis ſe more ſolito transfigurans ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus

ribus, & eccleſiaſtica negocia fidelius pertractandi, Regulares quoſdam ad legendas leges, & confectiones phyſicales ponderandas, de clauſtris ſuis educit. Unde, ne occaſione ſcientiæ ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus involvantur, ſtatuimus, ut nulli poſt votum Religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem, ad phyſicam, legeſve mundanas legendas permittantur exire. Si vero exierint, & ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint, audiantur: reverſi autem, in choro, capitulo, menſa, & cæteris ultimi Fratrum exiſtant, & (niſi forte ex miſericordia Sed. Apoſtol.) totius ſpem promotionis amittant.

Hæc Decretalis, in qua infligitur pœna excommunicationis (quæ ſecundum multorum opinionem non erat latæ ſententiæ) in religioſum profeſſum exeuntem a clauſtro ad legendam medicinam, & legem civilem, ſi intra duos menſes ad clauſtrum non redierit, declarata eſt ab Honorio III. *cap. X. Super ſpecula*, *hoc eod. tit.* videlicet ly *ad legendas* intelligi *ad audiendas*: ac inſuper ampliata, præcipiendo excommunicationem, nedum incurri ipſo facto a transgreſſore, ſed etiam denunciandum eſſe publicum excommunicatum a Diœceſanis, & Capitulis loci domicilii ejuſdem trangreſſoris, ac loci ſtudiorum; extendendo eandem pœnam ad alios, ut ex textu tranſcribendo Sectione DCXLVI.

SECTIO DCXLI.

CAPUT V. CLERICIS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripta.*

CLericis, in ſacris Ordinibus conſtitutis ex Concilio Toletano judicium ſanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per ſe truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas. Quod ſi quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco. Jubemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpoſiti ſecularis. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat.

Hæc Decretalis, in qua prohibetur Clericis, conſtitutis in ſacris, exercere judicium ſanguinis, ampliata eſt ab Innocentio III. eandem prohibitionem extendente ad quoſcumque Clericos, ut ex ejus Decretali, relata in *cap. IX. Sententiam*, *hoc eod. tit.* infra tranſcribenda, Sect. DCXLV.

SECTIO DCXLII.

CAPUT VI. SECUNDUM, *ex Decretali laudati Alexandri, Lundonenſi Epiſcopo ſcripta.*

SEcundum inſtituta Prædeceſſorum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negocientur: & ne Monachi a Clericis, vel laicis ſuo nomine firmas habeant: neque laici Eccleſias ad firmam (ideſt locationem) teneant.

In hac Decretali prohibentur Clericis, & Monachis negociationes, dumtaxat lucri cauſa ex avaritia, quæ ex contrario ſenſu non videntur prohibitæ propter neceſſitates diverſas, ut etiam permiſſæ leguntur in jam tranſcripta Decretali in *cap. I. Multa ſunt*, *hoc eod. tit.* Sect. DCXXVII. Verum, circa cujuslibet generis negociationes lectorem remitto ad ea, quæ infra notabuntur *parte II. cum cap. I. Trident. ſeſſ. XXII. de reform.* Ubi referuntur Conſtitutiones Benedicti XIV. prohibentis Clericis negociationem etiam per tertiam perſonam, & Clementis XIII. feliciter regnantis, declarantis, cambium activum eſſe ſpeciem veræ negociationis.

Prohibentur inſuper Monachis monaſterii bona ad firmam dare, ideſt ea ad certam annuam penſionem elocare. Quæ prohibitio, ſi referenda ſit ad Monachos in particulari, certum eſt, hujuſmodi locationem eis facere non licere nomine proprio ratione voti paupertatis: ſi vero referenda ſit ad eoſdem in communi, quatenus unum corpus conſtituunt, ſeu ad monaſterium, permiſſa eſt ad triennium dumtaxat, non vero ad longius tempus, ex diſpoſitione *Extravagan. Ambitioſæ cupiditatis*, cujus textum jam tranſcriptum habes Sectione CCCCXLIV.

Cum eadem limitatione intelligenda eſt altera

prohibitio, hic ultimo loco expreſſa, non poſſe ſcilicet locari laicis Eccleſias, ſeu illarum adminiſtrationem, ſi ſermo ſit de earundem bonis temporalibus, puta molendinis, agris &c.

SECTIO DCXLIII.

CAPUT VII. RELATUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, præfato Epiſcopo Lundonenſi reſcripta.*

RElatum eſt, quod Monachi de N. ſeculariter vivunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt. Ideoque mandamus, quatenus eos ad obſervantiam regulæ, appellatione remota, compellas, vel ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis ejectis, Fratres alterius Ordinis (ſi non poteſt præſcriptum monaſterium in ſuo Ordine reformari) in illud inducas, ut labores impiorum juſti edant, & illi tandem rubore perfuſi, ad ſui Ordinis obſervantiam revertantur.

Ex hac Decretali clare deducitur, hoc Monaſterium, & illius Monachos Ordinis Ciſtercienſis fuiſſe exemptos a lege diœceſana, & Epiſcopi juriſdictione, cum Pontifex eum deputaverit ad illos corrigendos, & horum loco, ſi tamquam incorrigibiles ejecti fuerint, Monachos alterius Ordinis in defectu Monachorum proprii Ordinis ſubſtituendos. Quæ omnia certe ordinaria auctoritate facere nequibat Epiſcopus.

Ejectionem Monachorum incorrigibilium Ordinis Ciſtercienſis, quam hic fieri præcipit Alexander, fieri etiam poſtea præcepit Honorius III. ſcribens Abbatibus, & Monachis Ordinis S. Benedicti in celebri Caſtro Marchiæ Treviſanæ, ut in ejus Decretali, relata in *cap. VIII. Ea, quæ*, § *Porro*, his verbis = *Ipſi etiam Viſitatores, Monachos, quos contumaces inveſuerint, & rebelles, juxta modum culpæ, vice noſtra, regulari cenſura percellent, abſque perſonarum delectu, non parcendo rebellibus, ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quia ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat ſanas oves* =.

Hoc idem præceptum, quod reſpectu Monachorum præfatorum Ordinum executioni omnino demandari voluit uterque laudatus Pontifex, Urbanus VIII. extendit ad Regular. incorrigibiles cæterorum omnium regularium Ordinum, ut ex decreto Congr. Concil. contra Apoſtatas, & Ejectos, ejus juſſu edito 21. Septembr. 1624. incipien. *Sacra Congregatio*, §. *VI. Ad hæc*, in quo ſtatuitur modus ſervandus ante ejectionem, ibi.

Ad hæc, ut in poſterum e Religionibus nullus legitime profeſſus ejici poſſit, niſi ſit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime cenſeatur, niſi, non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & Conſtitutionibus cujuſque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis; verum etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres, in qualibet ſaltem Provincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantum de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis, eligendis in ſingulis capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumque nonniſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum, & Conſtitutiones proceſſu, & plene probatis cauſis expulſionis ad ſacrorum Canonum præſcriptum. Interea tamen uſque ad primum generale capitulum, ſeu Congregationem, proxime celebrandam, ſi quempiam ex juſtis, & neceſſariis cauſis expellere oportebit, ejectio fieri poſſit a Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, ut ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes a præſentis decreti publicatione, ſervata tamen in reliquis forma ſuperius præſcripta.

Verum hoc decretum, licet innovatum ab Innocent. XII. moderatum tamen eſt in hunc, qui ſequitur, modum a Cong. peculiariter ab eo deputata, ut ex decreto, edito 24. Julii 1694. ibi.

I. Quod, firmis, ac in ſuo robore ſemper manentibus prædictis decretis de Apoſtatis, etiam ſecundum eam partem, ubi agitur de ejectis, & ejiciendis, tamquam ſacris Canonibus, & communiori Sanctorum Patrum menti conformibus, quoad ejectos eadem ſerventur, quæ in alio ſimili decreto, hac præſenti die emanato, de Apoſtatis, & Fugitivis ſtatuta ſunt, & indulta: quoque ad præſcriptam legem ſan. mem. Greg. IX. in *Cap. final. de Regul.* annuatim fugitivi requirantur, & reſpective cogantur ad clauſtra reverti.

II. Quod

Digitized by Google

II. Quod annus integer, qui in prædictis decretis anni 1624. præſcribitur in pœnitentia, & jejunio adejiciendos incorrigibiles, ad ſex tantum menſes continuos in poſterum coarctetur, & reſtringatur.

III. Quod facultas Generalibus Ordinum de conſilio, & aſſenſu ſex ex gravioribus religioſis, in ſingulis capitulis, & congregationibus ad cauſas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoſcumque Provinciales, qui electis, pariter in congregationibus provincialibus ſex gravibus e propria provincia religioſis, a Generali confirmandis, de illorum conſilio, & aſſenſu cauſas hujuſmodi cognoſcant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles ſuæ provinciæ, & ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, ſufficiant, ſalva ſemper S. Sedis, & Sac. Congr. Conc. in caſu recurſus, & appellationis, auctoritate.

IV. Quod in poſterum proceſſus conficiantur juxta regulas, conſtitutiones, & ordinationes, & ſtylum cujuſque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit a Sacra Congregat. proviſum.

V. *Poſtremo eadem Cong. annuente dicto Innocent. XII.* ſub interminatione divini judicii, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac dignitatum, & officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in poſterum obtinenda, quibuſcumque prædictorum Ordinum Superioribus diſtricte præcipit, & mandat omnia, & ſingula decreta ſan. mem. Clementis VIII. regiſtrata poſt decretum ſan. mem. Urbani VIII. de Apoſtatis, & Ejectis *Regulares*, *Sanctiſſimus*, *& Nullus*, una cum aliis ſubſequentibus decretis, proviſionibus, ordinationibus, & reſpective moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem ſervari, pœnas in eiſdem contentas innovari, & Capitibus Ordinum intimari.

Nota I. Quod cum in Urbani Decreto ſtatuatur, ut nemo vere incorrigibilis cenſeatur, niſi, præter carcerationem, a ſe præſcriptam, concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, hæc ex dicto jure concurrere debent.

I. Ut commiſerit aliquod grave delictum, talibus circumſtantiis qualificatum, ut in Religionis dedecus, populi ſcandalum, & Religioſorum contagium cedat, puta notabilis proprietas, furtum, fornicatio, ſodomia, apoſtaſia, cap. VI. *Cum ad monaſterium, de ſtatu Monacor.* Cap. X. *Cum non ab homine, de Judiciis & Can. XVI. Reſecandæ, cauſ. XXIII. qu. 3.*

II. Ut de delicto legitime conſtiterit, vel per ipſius confeſſionem, aut per teſtium probationes, utque pluries deliquerit, & trina monitione præmiſſa, punitus fuerit pro ſingulis exceſſibus, citat. cap. *Cum non ab homine, cap. XXXV. Ut famæ de ſentent. excommun.* & *cap. VIII. Ea, qua, de Statu Monac.* ideoque, præter dictam trinam monitionem, ad probandam incorrigibilitatem, ſemeſtrem carcerationem præcedere debet trina delictorum, ejuſdem, vel diverſi generis juridica punitio „ Oportet autem (ita Matthæuccius *Offi-*
„ *cial. Cur. cap. XXV. num.* 19. ut delicta continuen-
„ tur moraliter, ut eundem (ejiciendum) in malo ob-
„ firmatum oſtendant. Quæ continuatio colligitur ex
„ brevitate temporis, intra quod commiſſa ſunt. Un-
„ de de eo, qui committit delictum, de quo punitur,
„ ſi poſt paucos menſes in gravem alium exceſſum
„ ſua malitia ruat, dicitur continuare delicta, per
„ continuationem pravæ voluntatis ipſius, quæ ex ſe-
„ quentibus malis actibus manifeſtatur. Aliter diſcur-
„ ritur de eo, qui poſt ſingula delicta commiſſa, lau-
„ dabiliter, ſaltem per tres annos, vivit, & pravam
„ voluntatem per actus pœnitentiæ, & emendationis
„ tempus diſcontinuat, & interrumpit; tunc enim,
„ ut dixit Ameno, alios DD. cumulans, de eo emen-
„ datio vera præſumitur. Et facit Gloſ. *ad regulam* 8.
juris in VI. Semel &c. per ea: Quod qui fuit malus in aliquo actu, & tandem ſe maxime correxit, & fuit bonus, in fine illius actus præſumitur bonus.
„ Et confirmat exemplum, quod inſanabilis non dici-
„ tur infirmus, qui ſanatus ab una infirmitate, poſt-
„ quam ſanus vixit per tres, vel quatuor annos, in
„ aliam, & ſimiliter poſt novam ſanitatem, in aliam
„ infirmitatem decidit: alias fere quilibet inſanabilis
„ diceretur; ſed ille, ex cujus temperamento ſic in-
„ firmitates procedunt, ut in ſingulis inutilia expe-
„ riantur remedia „.

Quod, ſi quæras, an poſtquam ejiciendus pœnitentiam compleverit, de tertio delicto poſſit de facto, nullo novo patrato, incarcerari ad probandam incorrigibilitatem, an vero ſit expectandum quartum?
„ Reſpondit Ameno (ita proſequitur Matthæuccius
„ num. 20.) contra Sanctoro, novum non eſſe expe-
„ ctandum, ſed tribus delictis commiſſis, & punitis,
„ poſſe ſemeſtrem carcerationem ad completam pro-
„ bationem decerni, qua punitur delinquendi impu-
„ nita conſuetudo, & legitimum ponitur incorrigibi-
„ litatis experimentum „.

Rurſus, ſi quæras, an completo tempore ſemeſtris carcerationis, ſit ſtatim de carcere educendus? Cui dubio reſpondet laudatus Matthæuc. num 22. cum diſtinctione „ Vel in carcere vera emendationis ſigna
„ exhibuit, vel dura cervice ſe oſtendit. In priori
„ caſu liberandus eſt ſtatim, nec eſt liberum Superiori
„ excedere tempus, a Congreg. taxatum. In ſecundo,
„ ad id Superior non tenetur, ſed eſt in ipſius poteſta-
„ te, vel in carcere eum detinere, vel ad expul-
„ ſionem procedere: & ratio habetur ex tenore de-
„ creti, diſponentis, quod poſſint ejici, quo ſignifi-
„ catur facultas, & non obligatio expellendi „.

Et num. 27. Verificato primo caſu „ Proceſſus
„ in archivio Provinciæ conſervandus eſt, ad hoc, ut
„ ſi denuo, triennio non exacto, in propoſito bene vi-
„ vendi, & exhibitione promiſſæ correctionis deli-
„ querit, poſſit in expulſionis cauſa ad ulteriora pro-
„ cedi. Quod ſi integro triennio emendationis pro-
„ miſſæ veris religioſis operibus correſponderit, pro-
„ ceſſus comburetur „.

Ac num. 28. Verificato autem ſecundo caſu:

 Eſt ſi

„ Eſt ei exhibenda actorum copia, ut in cæteris cauſis practicatur. Advocatua aſſignandus, cum congruis terminis ad defenſiones. Fabricato deinde defenſivo proceſſu, & defenſionibus præſentatis, debent Patres electi eaa, & cauſas expulſionis diligentiſſime conſiderare, merita cauſæ diſcutere, defenſiones librare, & in dubiis, ſi opua ſit, doctiores, & juris peritos conſulere; & tandem vutum ſuum ſcripto mandare. Tunc Provincialis, viſis, & examinatis proeeſſu, contra reum fabricato, defenſionibus, & ſex Patrum votis, ſi expellendum judieaverit, poterit ad ſententiam procedere „.

„ Et hæc lata debet reo in careeribus intimari; vel ſi forte aufugerit, ad valvas reſectorii affigi (ut fit, cum aliquis citatur per modum abſentis) Si reus intra debitum tempus ad S. Sedem, & Saer. Congr. appellet (ad quam ex ſecundo deereto, Innoc. nempe XII, reeurrere poteſt) ad eam devolvitur cauſa; reo interim in earceribus perſiſtente. Si vero non appellet, debet, tranſacto tempore appellationis ab intimata ſententia (deeem nimirum diebus) è carcere eduei, & coram tota Communitate corona clericali (ſi fuerit Clericus, vel Saeerdos) privari, & per Superiorem forma habitus exui, & confuſibiliter a refectorio in alium locum ejiei, ubi ſint parata veſtimenta elericalia, ejus ſtatui convenientia „.

Nota II. Quod cum incorrigibilis probandus ſit in earcere per ſex menſes in jejunio, & pœnitentia, putat *Theſaurus de Pœnis, verb. Religioſorum ejectio cap. XII. limita primo*, non requiri, ut hoc jejunium toto ſemeſtri perduret, ſed ſuffieere, ſi frequenter, ſeu multoties illud peragat.

Nota III. cum Benedicto XIV. de Synod. Diœc. lib. XIII. eap. XI. num. 31. edit. ann. 1755. quod ſi ejectus appellaverit ab ejectionis ſententia, etiam intra terminum a lege præfinitum, non poteſt extra carcerem ſua jura experiri, ſed debet ſe in eareere formali ſuæ Religionis conſtituere, ut declaravit Sac. Congr. Conc. in *Licien. ejectionis 15. Novemb. 1698. lib. XCVIII. decretor. pag. 524.*

Nota IV. Quod in caſu paritatis votorum ſex Patrum conjudicum, nequit definitive procedi ad ſententiam expulſionis, ex decreto dictæ Congr. ad VII. dubium, propoſitum a Procuratore Generali Ordinis S. Mariæ de Mercede, ſtatuente, *ſententiam ejectionis a Religione fieri debere ſaltem de voto majoris partis ſex Patrum electorum.*

Neque itidem ad eam deveniri poteſt, ſi intra ſex menſes earcerationis ejiciendus e eareere aufugiat, quia continua ſemeſtris earceratio ex allato Innocentii Decreto eſt de ſubſtantia probationis expulſionis, qua non ſervata, eorruit actus; in quo caſu recurrendum ad S. Coug. pro deelaratione, ſeu potius ſanatione. *Laudatus Matthæuc. loc cit. n. 21.*

Nota V. cum prædicto *Theſauro loc cit.* bonorum adminiſtrationem, ab expulſo poſt ejectionem acquiſitorum, ad ipſum pertinere, donec manet expulſus, & non intrat aliam Religionem. Poſt ejus vero mortem ea de jure eommuni ſpectare ad Epiſeopum, ut applieet in bonum dœeeſis. Sed hodie ſpectant ad Cameram Apoſtolic. ut notavi *ad eap. IX. Præſenti, de offic. judic. ordin.* Sectione CLXXXVIII. pag. 111.

Nota VI. legitime ejectum teneri ſub mortali ſe emendare, & curare, ut denuo a Religione reeipiatur, ſicuti & ſervare tria eſſentialia vota Religionis, DD. communiter. Votum tamen paupertatis ſuſpenditur quoad exeeutionem, juxta eapaeitatem proprii ſtatus. Quoad votum vero obedientiæ, loeo Superioris regularis ſubintrat Ordinarius, cujus juriſdictioni, poſt notificationem expulſionis, ipſi faciendam a dicto Superiore, ſubeſſe debet, atque incedere in habitu, & tonſura, ex Decreto Cong. Conc. §. IV. ſub Urbano VIII. an. 1624. Tenetur etiam ſub murtali ſervare alia vota, vel ſimplieia, vel ſolemnia, annexa ſuæ Religioni, quæ compatiuntur cum ejus ſtatu, DD. communiter eum S. Antonino par. III. tit. XVI. cap. V. §. VIII.

Nota VII. ex eit. deereto §. X. ſuſpenſum eſſe ab exercitio Ordinum, donec ad Religionem redierit, ſublata locorum Ordinariis facultate ſuſpenſionem diſpenſandi, vel moderandi; quo derogatum eſt Deeretali Alexandri III. relatę in eap. IV. *At ſi Clerici, de Judiciis* tribuenti Epiſeopo §. *de adulteriis* hanc facultatem, pænitentia, vel ejus parte peracta, ſi propter adulterium, & hoc minora erimina expulſus fuerit.

Nota VIII. eundem legitime expulſum non habere actionem petendi a Religione alimenta, ut probat Benedictus XIV. lib. XIII. de Synod. Diœc. cap. XI. n. 25. licet ſit Societatis Jeſu, & promotus fuerit per emiſſa vota ſimplicia ad ſaeros, etiam Præſbyteratus, Ordines, ex Conſtit. Bened. XIII. *Injuncti 14. Junii 1728.* Qui tamen, ideſt ejectus a Societate, non redditur inhabilis, queinadmodum redduntur alii ejecti, ad eccleſiaſtica munia obeunda, & beneficia aſſequenda, ex Deereto Cong. Conc. 11. *Feb. 1662.* relato ab eod. Benedicto *loc. cit. n. 21.*

S E C T I O   D C X L I V.

Caput VIII. Sicut, tr, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Eſculano, ſeu Aſculano in Piceno reſcripta.*

Sicut, te, accepimus, teferente: (& infra) Frat. tuæ mandamus, quatenus Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis tabellionatus officium per beneficiorum ſubtractionem, appellatione poſtpoſita, interdicas.

Hæc Decretalis, in qua jubet Pontifex, conſtitutos in ſacris compellendos eſſe per ſubtractionem beneficiorum, ut deſiſtant a tabellionis exercitio, moderata eſt a Clemente IV. cap. *Ut Officium* XI. de hæret. *in VI.* eis permittente §. *Ad conſcribendas* hujuſmodi officium in eauſa hæreſis exercere, ibi.

Ad conſcribendas quoque hujuſmodi depoſitiones teſtium, & ad faciendum omnia, quæ in commiſſo vobis officio ad ſcriniarii, ſeu tabellionis officium pertinent, teneri diſtricte

praci-

Digitized by Google

præcipimus, cum per vos fuerint requiſiti, omnes, & ſingulos veſtri Ordinis Fratres, qui dum eſſent in ſeculo, tabellionatus officium habuiſſe, aut exercuiſſe noſcuntur: & illos etiam quibus idem tabellionatus officium ratione præfati negocii Fidei fuit, ab Apoſtolica Sede commiſſum, & in poſterum, committetur concedentes hujuſmodi Fratribus, nec non & aliis Religioſis quibuslibet, qui ſimiliter, dum eſſent in ſeculo, tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt, quibuſvis etiam Clericis ſecularibus officium ipſum habentibus, (etiam ſi iidem Fratres religioſi, & Clerici ſint in ſacris Ordinibus conſtituti) exercendi libere officium ipſum quoad præmiſſa, non obſtante ſtatuto aliquo contrario Canonis, vel Ordinis, quocumque vallato munimine, poteſtatem.

Nota, quod quamvis in hac Decretali interdictum ſit officium tabellionatus beneficiatis, dumtaxat conſtitutis in Sacris, probat tamen hic Fagnanus, a *num.* 22. *ad* 29. interdictum etiam eſſe quibuſcumque Clericis, cum agatur de officio publico ſeculari, & vili, negociationem ſapiente.

SECTIO DCXLV.

CAPUT IX. SENTENTIAM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, in Concilio generali lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

SEntentiam ſanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit. Si quis autem hujuſmodi occaſione ſtatuti, Eccleſiis, vel eccleſiaſticis perſonis aliquod præſumpſerit inferre diſpendium, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcatur. Nec quiſquam Clericus literas dictet, aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas: unde in curiis Principum hæc ſolicitudo non Clericis, ſed laicis committatur. Nullus quoque Clericus ruptariis, vel balliſtariis, aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur, nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducit. Nec quiſquam purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis, aut conſecrationis impendat: ſalvis nihilominus prohibitionibus de monomachiis, ſive duellis, ante promulgatis.

Tam hæc Decretalis, quam altera Alexandri III. relata in *cap. V. Clericis*, ſupra tranſcripta Sectione DCXLI. in quibus prohibetur quibuſcumque Clericis judicium ſanguinis exercere, ideſt ſententiam mortis, aut membrorum mutilationis proferre, ſive per ſe, ſive per alios executione demandandam, ut ſtatuitur in Alexandri Decretali, limitationem recipiunt a Decretali Bonifacii VIII. relata in *cap. VII. Epiſcopus, hoc eod. tit. in VI.* excipiente Epiſcopum, & alios Clericos, temporalem juriſdictionem habentes, ut ſine metu irregularitatis committere poſſint alteri cauſam criminalem, pro qua debetur pœna ſanguinis, ut eam cognoſcant, & juſtitiam faciant.

Epiſcopus, ſeu quicunque alius Prælatus, vel Clericus, juriſdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione ſua commiſſo, ballivo ſuo, aut alii cuicumque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens, juſtitiæ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet; quamvis ipſe ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit, juſtitia mediante. Nam licet Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtineut temporalem) debent, & poſſunt, metu irregularitatis ceſſante, aliis delegare.

Prohibet itidem Innocentius, ne iidem Clerici dictent, aut ſcribant literas pro vindicta ſanguinis deſtinandas. Hinc ſi dictæ literæ, aut ſcripturæ ordinatæ ſint ad conficiendos proceſſus pro vindicta ſanguinis, ut ex officio faciunt ſimplices ſcribæ Curiæ ſecularis, certum eſt ab his irregularitatem incurri, ut ſequenti dubio, ſibi propoſito declaravit S. Cong. Concil. 19. Januar. 1686. „ Titius, exercens officium ſimplicis ſcribæ Curiæ ſecularis, abſque ulla auctoritate, & ſubſcriptione ſcripſit proceſſus, & acta adverſus delinquentes, qui poſtea ultimi ſupplicii pœna affecti ſunt. Cum autem dimiſſo jampridem d. officio, clericalem vitam amplecti cupiat, per libellum a Sac. Pœnitentiaria remiſſum, ſupplicat pro ſuæ conſcientiæ ſerenitate declarari, an præfata ex cauſa effectus fuerit irregularis, ita ut ſuper ea indigeat diſpenſatione? Reſpond. In caſu, de quo agitur, indigere".

Ex qua declaratione inferri poſſe videretur, non incurrere irregularitatem eum, qui non ex officio, & nullo modo conductus a Curia ſeculari, eoſdem proceſſus ſcriberet, tanquam extraneus amanuenſis, cum ſimus in odioſis.

Nul-

Nullatenus tamen incurritur, puta ſi a Parocho trsderetur fides Baptiſmi rei capitalis ad petionem judicis laici, etiamſi certo ſciat, illum morti eſſe tradendum, ex declaratione ejuſdem Congregationis, quam leges infra in notis ad *cap. XXI. Poſtulaſti*, *tit. de Homicidio volunt.*

Si autem præfatæ literæ, ſeu ſcripturæ ordinatæ ſint ad deponendum, & accuſandum coram ſeculari Judice reum criminis, pro quo debetur pœna ſanguinis, poſſunt Clerici abſque incurſu irregularitatis pro cauſa propria illum denunciare, & accuſare, intentando coram eodem Judice, ut civiliter procedat ad emendam, ſeu ſatisfactionem, expreſſe proteſtando, ſe pœnam ſanguinis non intendere, ut declaravit Bonifacius VIII., ut infra notabo ad *cap. XIX Tua nos*, *& cap. XXI. Poſtulaſti*, *de Homicidio*.

Prohibetur etiam ab Innocentio Sacerdotibus, ne benedictionem impendant pro vulgari purgatione, a reis ſubeunda. Verum, cum hodie purgatio vulgaris in deſuetudinem penitus abierit, hæc prohibitio locum amplius non habet.

Eſt hic notandum, quod ex Conſtit. Leonis X. *Et ſi pro cunctarum*, 28. *Jun.* 1514. §. *XV.* Gubernator Urbis Romæ, ejuſque officiales non incurrunt ullam cenſuram, vel pœnam, aut irregularitatem *per comminationem*, *commiſſionem*, *vel impoſitionem pœnæ corporalis*, *mutilationis membrorum*, *aut capitalis*, *ubi etiam ſanguinis effuſio fuerit facienda*, *vel fieri contigerit*, *aut ſi fortuito*, *vel alia quavis cauſa occurreret*, *vel in tortura*, *ſeu punitione*, *per te*, *vel de mandato tuo facienda*, *aliqua membra mutilari*, *aut aliquem ab hac luce migrare*, *ſic ſanguinis effuſionem fieri*.

SECTIO DCXLVI.

CAPUT X. SUPER SPECULA, *ex Decretali Honorii III. univerſis Prælatis Antiocheni Patriarchatus ſcripta.*

SUper ſpecula (& infra.) Contra religioſas perſonas (de clauſtris) exeuntes ad audiendum leges, vel phyſicam, Alexander Prædeceſſor noſter olim ſtatuit in Concilio Turon. ut, niſi intra duorum menſium ſpatium ad clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla cauſa (ſi patrocinium præſtare voluerint) audiantur. Reverſi autem, in choro, menſa, capitulo, & cæteris, ultimi Fratrum exiſtant, & (niſi forte ex miſericordia Sed. Apoſt.) totius ſpem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus, propter quorundam opiniones diverſas, excuſationis aliquid aſſumebant; nos volentes, ut de cætero ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus tam a Diœceſano, & capitulis ipſorum, quam a cæteris Epiſcopis, in quorum diœceſibus hujuſmodi ſtudent, tales excommunicati, & prædictis pœnis obnoxii publice nuncientur. Quia vero Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut, dilatato ſui tentorii loco, funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo: ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos, perſonatus habentes, necnon Presbyteros (niſi ab his intra ſpatium præſcriptum deſtiterint) hoc extendi volumus (& mandamus,) & appellatione poſtpoſita, firmiter obſervari.

Hæc Decretalis, in qua prohibetur Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Plebanis, Cantoribus, aliiſque, perſonatum obtinentibus, necnon Presbyteris ſub certis pœnis ſtudere legi civili, & medicinæ, moderata eſt a Bonif. VIII. *cap. Statutum 1. hoc eod. tit. in VI.* declarante, hujuſmodi prohibitionem non extendi ad Clericos ſimplices, curam animarum habentes, niſi eorum Eccleſiæ habeant ſub ſe capellas, ideſt Eccleſias, in quibus inſtituantur Clerici perpetui; cum in hoc caſu ſimiles parochi reputentur tanquam dignitates, ut animadvertit hic Gloſſ. 2. ex quorumdam ſententia, ibi.

Statutum fel. record. Honorii Papæ III. Prædeceſs. noſtri, quod Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Plebanis, Cantoribus, & aliis Clericis, habentibus perſonatus, audire leges, vel phyſicam interdicit; ad eos, qui parochiales Eccleſias obtinere noſcuntur, piæ memoriæ Clementis Papæ IV. Prædeceſs. noſtri veſtigiis inhærentes, declaramus, præſentis Conſtitutionis oraculo ratione Eccleſiarum hujuſmodi non extendi, niſi eædem Eccleſiæ fuerint plebaniæ, ſub ſe capellas habentes, in quibus inſtituantur Clerici perpetui, nequeuntes ab ipſis abſque cauſa rationabili amoveri.

Eodem

S E C T I O   D C X L V I I.

CAPUT II. UT PERICULOSA, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

UT periculoſa Religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis, quamcumque Religionem tacite, vel expreſſe profeſſus, in ſcholis, vel alibi temere habitum Religionis ſuæ dimittat; nec accedat ad quævis ſtudia literarum, niſi a ſuo Prælato cum conſilio ſui conventus, vel majoris partis ejuſdem, ſibi eundi ad ſtudium, licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Doctores quoque, ſive magiſtri, qui Religioſos, habitu ſuo dimiſſo, leges, vel phyſicam audientes, ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere, ſimili eo ipſo ſint ſententia innodati.

Huic Decretali, admittenti tacitam profeſſionem regularem, in quo ſenſu non derogatum ſit a Trident. vide notata ſupra ad *cap. VIII. Ad noſtram*, Sectione DXXII.

Nota, quod excommunicatio hic inflicta tam contra Religioſos, quam contra Doctores, & magiſtros, temerarios hujus Decretalis violatores, nemini eſt reſervata; & quoad Ordines regulares, in quibus licentia habitandi extra clauſtra non pendet a Superiore locali, ſed a Generali, vel Provinciali, non requiritur conſenſus conventus. Quamvis hodie nec Superiores generales impertiri poſſunt licentiam habitandi extra clauſtra, ſi agatur de habitatione ad longum tempus, ſed requiritur beneplacitum Apoſtolicum, ut ex decretis generalibus Clementis VIII. *Super reformatione Regularium*, inſertis in Conſt. *Nullus omnino*, 20. *Martii* 1601. §. *XIX.* & in Conſtit. Urbani VIII. *Sacra Congregatio*, 21. *Septem.* 1624. in qua inſerta, & innovata ſunt præfata decreta, ibi.

Ineatur ratio, qua ſublatis licentiis, ac facultatibus, hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra conventus clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa a Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.

Quare (ita infert Fagnanus ad *cap. III. Quanto, de offic. Ordinar. n.* 7.) „ ſublata videtur facultas, quam „ habebant Prælati regulares de jure communi deputandi ſuos Religioſos ad ſervitia Principis, & Epiſcopi, & Cardinalis, qui voluerunt penes ſe habere aliquem Regularem pro Theologo, obtinere „ ſolent licentiam a Papa, ut ſæpius vidi obſervari".

F I N I S   P R I M I   T O M I.

98 S66136

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google